© Biblioteca Nacional de España

1
5.671

R
28549

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

ALCAIDE
ENCUADERNADOR
VALVERDE, 1, DPCO.
MADRID

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI

Originum libri viginti

ex antiquitate eruti.

ET

MARTIANI CAPELLAE

De nuptijs Philologiæ & Mercurij
Libri nouem.

Vterque, præter Fulgentium & Veteres Grammaticos, varijs lectionibus & scholijs illustratus
Opera atq; Industria

BONAVENTVRAE VVLCANII BRVGENSIS.

Cum gratia & priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

BASILEÆ,

PER PETRVM PERNAM.

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

NOMINA AVTHORVM QVOS IN HIS LIBRIS ORIGINVM CITAT ISIDORVS.

A

Aemilius.
Afranius.

C

Cato.
Cato de Innocentia sua.
Catullus.
Cecilius.
Cinna.
Cicero.
Cyrillus Alexandrinus episcopus de Cyclo Paschali.

D

Dionysius Lintius.
Dorcatius.

E

Eusebius Cæsariensis episcopus scripsit de Cyclo Paschali.
Ennius.

F

Flauius.

G

Gracchus in Meuium.

H

Hieronymus.
Horatius.
Hyppolitus Episcopus, primus author cycli Paschalis.

I

Iuuenalis.

L

Liuius.
Lucanus.
Lucius.
Lucilius.
Lucretius.

M

Martialis.
Macer.
Monatius.

N

Neuius.
Nigidius.

O

Ouidius.

P

Persius.
Plautus.
Prosper Aquitanus de Cyclo Paschali.
Prudentius.
Publius.

S

Salustius.
Salustius Ludimagister, aliâs Saluius
Sedulius.
Statius.

T

Theophilus Alexandrinus episcopus de Cyclo paschali.
Tranquillinus.
Turpilius.

V

Valgius.
Varro.
Victorinus de Cyclo paschali scripsit.
Virgilius.

In sequenti pagina in sexto versu pro σφλέματα lege σφάλματα.

© Biblioteca Nacional de España

Ε'ΙΣ ΤΟ' ΤΟΥ 'ΙΣΙΔΩΡΟΥ 'ΕΤΥΜΟΛΟΓΙΚΟ'Ν,

ἤγουν ἀρχαιολογικὸν, πρὸς τὴν ἀναγνώσιν.

Τὶς τόσον ἐστὶν ἄμουσος, ὃς ἐκλυτὸν ὄνομα γνοίη
Δῖ' ἰσίδωρε πόνων, λυσιπελεῖς τε βίβλους;
Κρύψε δ' ὅμως σελίδας δηρὸν λιποφέγγε ὑπ' ὀρφνῇ
Αἰὼν λαυγαλέος σφάλμασι βεβιθομένας.
Ἀλλὰ σέλας βιότου Ἡφαίστιος ὤπασε, κεδνῶς
σφάλματα καὶ πράτων αἶχος ἀπωσάμενος.
Σὺ δ' ἄρα ὦ ποτὲ λῷ γνωστὸν μόνον ὄνομα τούτου,
Αὐτὸν θησαυρῷ ἰσοτάλαντον ἔχεις.

Fortunati Fabri Flandri.

ISIDORI

© Biblioteca Nacional de España

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC PRAESVLI

REVERENDISS. GERARDO A GROESBECK,

Episcopo Leodiensi, Duci Bullonensi, Marchioni Francimontensi, Comiti Lossensi, Sacri Romani Imperij Principi

DOMINO CLEMENTISS.

BONAVENTVRA VVLCANIVS BRVGENSIS.
S. D.

QVVM vehementer optandum sit, Illustrissime ac Reuerendissime Princeps, vt veteres authores qui de singulis artibus & scientijs scripserunt integros emendatosque habeamus: tum præcipuè eos qui non vnam aliquā artem sed totum orbem scientiarum, quem ἐγκυκλοπαιδείαν Græci vocant, complectuntur. In quorum numero duos reperio principes, Isidorū Hispalēsem Episcopū, & Martianū Capellā Afrum. Cæterùm hic, tantùm septē illas quas appellamus Artes liberales libris nouē quos De nuptijs Philologiæ & Mercurij conscripsit comprehendit: ille verò, præter has, Medicinam, Ius, Theologiam, Historiam vtranque, hoc est naturalem & eam quæ de temporibus agit persecutus est: ac denique omnia quæ in communem vitæ vsum cadunt pertractauit: eosque libros Originum vocauit: quòd ijs non nudas vocum etymologias, (vt ij comminiscuntur qui horum librorum dignitatem eleuare atque conuellere nituntur) sed rerum ipsarum origines ostēderit, artiumq; omnium fundamenta iecerit. Quorum quidem librorum authoritas quanti semper habita fuerit, vel ex eo manifestè elucere potest, quòd quicunq; multis ab hinc seculis Ius tam ciuile quàm canonicum, Medicinam quoque, atque adeo Theologiā ipsam tradiderunt, ex his tanquam fontibus multa antiquitatis & doctrinę monimenta deriuarint, atque Isidori testimonio libentissimè frequentissimeq; nitantur. Neq; id immeritò, quum hoc certò constet, Isidori ætate multa veterum scripta, quę nunc iniuria temporum interciderunt, integra tum adhuc exstitisse, è quibus pulcherrimum hoc opus cōstruxit: vt facilè perspici potest ex multis authoribus quos citat, quorum nihil hodie præter nuda nomina, atq; ea ipsa nobis ignota, exstat. Quô fit, vt nonnulli siue ignorātia præpediti, siue vesana repre-

© Biblioteca Nacional de España

hendendi libidine correpti, quum temere ab hoc authore dissentiunt eumque proscindunt: editis postea in lucem ijs veterum libris è quibus illa fuerat mutuatus, temerarij ac præcipitati iudicij male dicentiæque suæ iustissimas pœnas luant: cuius rei multa exempla adferre possem, si id Epistolæ huius breuitas pateretur. Rectius verò Alciatus cum quidam magni alioqui nominis iurecõsultus, Isidorum reprehendit, quod Cretionem, quasi decretionem dictam putet, id est, decernere vel constituere: Isidori sententiam tuetur. Cur enim non dicatur Cretio esse quasi Decretio: cum Cernere sit quasi decernere se hæredem esse. Atque ita l. is qui hæres. §. pen. D. de acq. hæred. dicitur. Antequam hæres decernat de hæreditate: & l. pupillus eodem tit. Neque scire neque decernere talis ætas potest. Quæ quum ita sint, penitusque mihi partim experiẽtia duce, partim doctissimorum virorum iudicio approbatione que persuaserim, non minorem, at certè magis variam ac multiplicem ex hisce libris vtilitatem, quam ex Varrone, Nonio, Marcello, Verrio Flacco, & alijs id genus scriptoribus ad Rempub. Christianam peruenire posse: neque quenquam fore, cuiuscunque tandem rei studio animum adiecerit, qui non ex eorum lectione aliquid se quod ignorabat didicisse libenter sit professurus: ferre non potui vt diutius in situ & squallore delitescerent. Quum itaq; iam tandem à Cyrillo Latinè à me verso, & tertia amplius parte aucto, melioraque tempora vt in lucem prodeat exspectante feriarer; ac plusculum otij haberem: arreptis in manus tam excusis quàm manuscriptis Isidori codicibus, quos à multo tempore ex Hispania & Belgico conquisieram: dedi operam vt eum ab innumeris ijsque fœdissimis mendis repurgarem, pristinoq; suo nitori, quoad eius fieri posset, restituerem. Hac autem in parte eam rationem tenui, vt ne temere quicquam immutarem, nisi consentientibus inter se veteribus αὐτιγράφοις, & errore ex ignorantia scribarum vel operarum typographicarum orto manifestè se prodente. Neque enim eos mihi imitandos censui qui religiosa quadam diligentia sese iactitantes, (quam tamen potius inanem superstitionem aut ineptam ostentationem appellauerim) vbi plurium codicum manuscriptorum consensu locus aliquis quem sensus ipse corruptum esse indicat, emendari potest, priorem tamen eumque vitiosum textum retinere malunt, & varijs lectionibus margines librorum pariter & lectores onerant. Ego verò hasce varias lectiones non nisi quum vtraque lectio tolerari potest apposui. Quòd verò ad Etymologias attinet, aliaque nonnul-

© Biblioteca Nacional de España

nonnulla in quibus Isidorus aut imperitia linguæ Græcę, aut nimis longè petita vocabuli alicuius origine errauit, nolui esse nimis curiosus, quum & Varro & alij qui in hoc scriptionis genere versati sunt, suo quisque iudicio aut coniecturæ indulserint, & Plinius ipse linguæ Græcę ignoratione non rarò falsus fuerit. Multas tamen etymologias Græcas emendaui, quæ quidem multum negocij mihi crearunt, quum in manuscriptis exemplaribus aut nulla Græcarum literarum vestigia exstarent, aut eiusmodi, vt nihil ex ijs nisi ex coniectura & variæ lectionis memoria certi colligi posset: aut sicubi characteres adhuc integri essent ita vt legi possent, falsam nominis originem traderent: de quibus passim lectores adhibita aliqua ad marginem nota admonui: tametsi non paucæ operarum negligentia prætermissæ fuerint. Præterea locos quamplurimos è quibus Plinius emendari potest, annotaui: præcipuè in ea parte vbi de gemmis & marmoribus agitur. Denique geminum indicem adieci, vt facilior studiosis etymologiarum inuentio sit. Atque hæc quidem de Isidoro. in quo tamen multa ταῖς δευτέραις φροντίσιν necessario relicta fuisse ingenuè profiteor. In Martiano Capella eundem ordinem sum sequutus; quem, cum non minus quàm Isidorus corruptus esset, ad vetustissimorum codicum fidem quos mihi partim typis excusos, partim manu exaratos Clarissimus vir & iuuandæ rei literariæ studiosissimus Basilius Amerbachius I. C. suppeditauit, emendaui: & scholijs partim veteribus partim meis illustraui, ne verborum scabrities atque obscuritas, cui duobus præcipuè primis libris & reliquorum initijs & clausulis studuisse videtur, multos, vt hactenus, ab eius lectione deterreret. Hæc sunt quæ pro meo erga rem literariam studio in hisce scriptoribus castigandis præstiti, idem propediem in Cassiodori & Symmachi epistolis & Iulij Pollucis Dictionario Deo fortunante præstiturus. Cui verò hanc opellam offerrem atque consecrarem cogitanti mihi Princeps Illustrissime, C. T. precipuè occurrit, cuius singularis quędam humanitas & beniuolentia ac beneficentia qua literarum studiosos omnes complecteris toto orbe est celebratissima. Quis enim non admiretur, quis non eximias tuas laudes prædicet, qui cum vicinę tibi prouincię funestissimis bellorũ incendijs ardeant: diœcesim tuã pace & literarũ studijs florentissimam tenes: è qua adeo prę clarę doctissimorum virorum fœturæ quotidie prodeunt, vt Musæ tam Græcę quàm Latinæ sedem suam ac domiciliũ à Grudijs ad Eburones transtulisse videantur. Quum itaque non solum doctos

© Biblioteca Nacional de España

ad te confugientes ſingulari benignitate proſequaris: verum etiam quotquot aliqua rarę eruditionis laude excellere intelligis ſummis præmijs propoſitis ad te allicias; in certam propemodum ſpem erectus ſum Iſidorũ hunc vt doctum & præſulem tibi non tantum docto & præſuli ſed principi Illuſtriſsimo gratiſſimum futurum. præcipuè cum, ſi quid quod ad eius laudem pertineat prætermiſerim, Dominicum Lampſonium popularem meum, quem ob eximiam eius eruditionem, virtutem ac fidem aliasque præclaras animi dotes iamdudum ad ſecretiora negocia tua ſilentiarium adhibuiſti, facile id pro ea ac valet iudicij acrimonia & ſingulari apud te gratia, compenſaturum confidam: cuius cõmendatione ſi aliquando Iſidorus & Martianus in I. C. T. conſpectu manibusque verſabuntur; vberrimum me laboris mei fructum percepiſſe iudicabo.

Dominus Deus te Princeps Illuſtriſſime & præſul reuerendiſſime Chriſtianæ reipublicæ clientibusque tuis quàm diutiſſimè ſeruet incolumem.

ANNO DOMINI CIↃ. IↃ. LXXVII.
IV. CALEND. VIIbris.

SVMMA

© Biblioteca Nacional de España

SVMMA CAPITVM QVAE SINGVLIS ISIDORI LIBRIS CONTINENTVR.

CAPITA LIBRI PRIMI.

Cap. 1 De disciplina & arte.
2 De septem liberalibus disciplinis.
3 De literis communibus.
4 De grammatica.
5 De partibus orationis.
6 De nomine.
7 De pronomine.
8 De verbo.
9 De aduerbio.
10 De participio.
11 De coniunctione.
12 De propositione.
13 De interiectione.
14 De voce.
15 De syllaba.
16 De pedibus.
17 De accentibus.
18 De figuris accentuum.
19 De positura.
20 De notis sententiarum.
21 De notis vulgaribus.
22 De notis iuridicis.
23 De notis militaribus.
24 De notis literarum.
25 De notis digitorum.
26 De orthographia.
27 De analogia.
28 De etymologia.
29 De glossis.
30 De differentijs.
31 De barbarismo.
32 De solœcismo.
33 De cæteris vitijs.
34 De metaplasmis.
35 De schematibus.
36 De tropis.
37 De prosa.
38 De metris.
39 De fabula.
40 De vocabulo historiæ.
41 De primis auctoribus historiæ.
42 De vtilitate historiæ.
43 De generibus historiæ.

Capita libri secundi.

1 De rhetorica & eius nomine.
2 De inuentoribus rhetoricæ artis.
3 De nomine oratoris & partibus rhetoricę.
4 De tribus generibus causarum.
5 De gemino statu causarum.
6 De tripartita controuersia.
7 De quatuor partibus orationis.
8 De quinq; modis causarum.
9 De syllogismis.
10 De lege.
11 De sententia.
12 De catasceua & anasceua.
13 De prosopopeia.
14 De ethopeia.
15 De generibus quęstionum.
16 De elocutione.
17 De trimodo genere dicendi.
18 De colocommate & periodis.
19 De vitijs literarum & verborum & sententiarum cauendis.
20 De iuncturis verborum.
21 De figuris verborum & sententiarum.
22 De dialectica.
23 De differētia dialecticæ & rhetoricæ artis.
24 De diffinitione Philosophiæ.
25 Quid sit Philosophia.
26 De isagogis porphirij.
27 De categorijs Aristotelis.
28 De perihermenijs Aristotelis.
29 De syllogismis dialecticis.
30 De diuisione diffinitionum ex Marij Victorini libro, abbreuiata.
31 De topicis.
32 De oppositis.

Capita libri tertij.

1 De vocabulo arithmeticæ disciplinæ.
2 De auctoribus eius.
3 Quid sit numerus & vnde dicatur.
4 Quid præstent numeri.
5 De prima diuisione parium & imparium.
6 De secunda diuisione totius numeri.
7 De tertia diuisione totius numeri.
8 De differentia arithmeticæ geometriæ & musicę.
9 Quod numeri infiniti existunt.
10 Quid sit geometria; & de inuentoribus & vocabulo eius.
11 De quadripartita diuisione geometriæ.
12 De figuris geometriæ.
13 De numeris secundū geometriā quęrēdis.
14 De musica & eius nomine.
15 De inuentoribus eius.
16 Quid possit musica.
17 De tribus partibus musicæ.
18 De triformi musicæ diuisione.
19 De prima diuisiōe musicæ quæ harmonica dicitur.
20 De secūda diuisione quę organica dicitur.
21 De tertia diuisione quæ rythmica nuncupatur.
22 De musicis numeris.
23 De astronomia.
24 De inuentoribus eius.
25 De scriptoribus astronomiæ.
26 De differentia astronomiæ & astrologiæ.
27 De astronomiæ ratione.
28 De mundo & eius nomine.
29 De forma mundi.
30 De cælo & eius nomine.
31 De situ sphęræ cælestis.
32 De motu eiusdem.
33 De cursu eiusdem sphęræ.
34 De celeritate cæli.
35 De axe cæli.
36 De cælestibus polis.

© Biblioteca Nacional de España

37 De cardinibus cæli.
38 De conuexis cæli.
39 De ianuis cæli.
40 De gemina cæli facie.
41 De quatuor partibus cæli.
42 De hemisphærijs.
43 De quinq; circulis cæli.
44 De zodiaco circulo.
45 De candido circulo.
46 De magnitudine solis.
47 De magnitudine lunæ.
48 De natura solis.
49 De cursu solis.
50 De defectu solis.
51 De itinere solis.
52 De lumine lunæ.
53 De formis lunæ.
54 De interlunio lunæ.
55 De cursu lunæ.
56 De vicinitate lunæ ad terras.
57 De eclypsi solis.
58 De eclypsi lunæ.
59 De differentia stellarum siderũ & astrorũ.
60 De lumine stellarum.
61 De situ stellarum.
62 De cursu stellarum.
63 De vario cursu stellarum.
64 De interuallis stellarum.
65 De numero circulari stellarum.
66 De stellis planetis.
67 De præcedẽtia & antegradatione stellarũ.
68 De remotione vel retrogradatiõe stellarũ.
69 De statu stellarum.
70 De nominibus stellarum quibus ex causis nomina acceperunt.

Capita libri quarti.

1 De medicina.
2 De nomine eius.
3 De inuentoribus eius.
4 De tribus hęresibus medicorum.
5 De quatuor humoribus corporum.
6 De acutis morbis.
7 De chronicis morbis.
8 De morbis qui in superficie cutis vidẽtur.
9 De remedijs & medicaminibus.
10 De libris medicinalibus.
11 De instrumentis medicorum.
12 De odoribus & vnguentis.
13 De initio medicinæ.

Capita libri quinti.

1 De auctoribus legum.
2 De legibus diuinis & humanis.
3 Quid differunt inter se ius leges & mores.
4 Quid sit ius naturale.
5 Quid sit ius ciuile.
6 Quid sit ius gentium.
7 Quid sit ius militare.
8 Quid sit ius publicum.
9 Quid sit ius Quiritum.
10 Quid lex.
11 Quid scita plebium.
12 Quid senatus consultum.
13 Quid constitutio & edictum.
14 Quid responsa prudentum.
15 De legibus consularibus & tribunitijs.
16 De lege satyra.
17 De legibus Rhodijs.
18 De priuilegijs.
19 Quid possit lex.
20 Quare lex facta sit.
21 Qualis debeat fieri lex.
22 De causis.
23 De testibus.
24 De instrumentis legalibus.
25 De rebus.
26 De criminibus in lege constitutis.
27 De pœnis in legibus constitutis.
28 De chronicæ vocabulo.
29 De momentis & horis.
30 De diebus.
31 De nocte.
32 De hebdomada.
33 De mensibus.
34 De solstitijs & æquinoctijs.
35 De temporibus anni.
36 De annis.
37 De olympiadibus & lustris & iubileis.
38 De seculis & ætatibus.
39 De discretione temporum.

Capita libri sexti.

1 De veteri & nouo testamento.
2 De scriptoribꝰ & vocabulis sanctorũ libro (rum.
3 De bibliothecis.
4 De interpretibus.
5 De eo qui primũ Romam libros advexit.
6 Qui apud nos bibliothecas instituerunt.
7 Qui multa scripserunt.
8 De generibus opusculorum.
9 De ceris.
10 De chartis.
11 De pergamenis.
12 De libris conficiendis.
13 De librorum vocabulis.
14 De librarijs & eorum instrumentis.
15 De canonibus euangeliorum.
16 De canonibus conciliorum.
17 De cyclo paschali.
18 De reliquis festiuitatibus.
19 De officijs.

Capita libri septimi.

1 De deo.
2 De filio Dei.
3 De Spiritu sancto.
4 De eadem Trinitate.
5 De angelis.
6 De hominibus qui quodam præsagio nomen acceperunt.
7 De patriarchis.
8 De prophetis.
9 De apostolis.
10 De reliquis in Euangelio nominibus.
11 De martyribus.
12 De clericis.
13 De monachis.

De

© Biblioteca Nacional de España

14 De cæteris fidelium nominibus.

Capita libri octaui.

1 De ecclesia & synagoga.
2 De religione & fide.
3 De hęresi & scismate.
4 De hęresibus Iudæorum.
5 De hęresibus Christianorum.
6 De philosophis gentium.
7 De poetis.
8 De sibyllis.
9 De magis.
10 De paganis.
11 De dijs gentium.

Capita libri noni.

1 De linguis gentium.
2 De gentium vocabulis.
3 De regnis & militiæ vocabulis.
4 De ciuibus.
5 De affinitatibus & gradibus.
6 De agnatis & cognatis.
7 De coniugijs.

Liber decimus tractat de quibusdam vocabulis per alphabetum distinctis.

Capita libri vndecimi.

1 De homine & partibus eius.
2 De ætatibus hominis.
3 De portentis.
4 De transformatis.

Capita libri duodecimi.

1 De pecoribus & iumentis.
2 De bestijs.
3 De minutis animantibus.
4 De serpentibus.
5 De vermibus.
6 De piscibus.
7 De auibus.
8 De minutis volatilibus.

Capita libri tertijdecimi.

1 De mundo.
2 De atomis.
3 De elementis.
4 De cælo.
5 De partibus cæli.
6 De circulis cæli.
7 De aere & nube.
8 De tonitruo.
9 De fulminibus.
10 De arcu & nubium effectibus.
11 De ventis.
12 De aquis.
13 De diuersitate aquarum.
14 De maris nomine.
15 De oceano.
16 De mediterraneo mari.
17 De finibus maris.
18 De æstibus & fretis.
19 De lacis & stagnis.
20 De abysso.
21 De fluminibus.
22 De diluuijs.

Capita libri quartidecimi.

1 De terra.
2 De orbe.
3 De Asia & partibus eius.
4 De Europa.
5 De Libya.
6 De insulis.
7 De promontorijs.
8 De montibus ceterisq; terræ vocabulis.
9 De inferioribus terræ.

Capita libri quintidecimi.

1 De ciuitatibus.
2 De ædificijs publicis.
3 De habitaculis.
4 De ædificijs sacris.
5 De repositorijs.
6 De operarijs.
7 De aditibus.
8 De partibus ædificiorum.
9 De munitionibus.
10 De tentorijs.
11 De sepulchris.
12 De ædificijs rusticis.
13 De agris.
14 De finibus agrorum.
15 De mensuris agrorum.
16 De itineribus.

Capita libri sextidecimi

1 De pluueribus & glebis terræ.
2 De glebis ex aqua.
3 De lapidibus vulgaribus.
4 De lapidibus insignioribus.
5 De marmoribus.
6 De gemmis.
7 De viridioribus gemmis.
8 De rubris gemmis.
9 De purpureis.
10 De nigris.
11 De varijs.
12 De cristallis.
13 De aureis.
14 De vitro.
15 De metallis.
16 De auro.
17 De argento.
18 De ære.
19 De ferro.
20 De plumbo.
21 De stanno.
22 De electro.
23 De ponderibus.
24 De mensuris.
25 De signis.

Capita libri decimiseptimi.

1 De auctoribus rerum rusticarum.
2 De cultura agrorum.
3 De frumentis.
4 De leguminibus.
5 De vitibus.
6 De arboribus.
7 De proprijs nominibus arborum.
8 De arboribus aromaticis.

© Biblioteca Nacional de España

9 De herbis aromaticis siue communibus.
10 De oleribus
11 De odoratis oleribus.

Capita libri decimioctaui.

1 De bellis.
2 De triumphis.
3 De signis.
4 De buccinis.
5 De armis.
6 De gladijs.
7 De astis.
8 De sagittis.
9 De pharetris.
10 De fundis.
11 De ariete.
12 De clypeis.
13 De loricis.
14 De galeis.
15 De foro.
16 De spectaculis.
17 De ludo gymnico.
18 De generibus gymnicorum.
19 De saltu.
20 De cursu.
21 De iactu.
22 De virtute.
23 De luctatione.
24 De palestra.
25 De agone.
26 De generibus agonum.
27 De ludis circensibus.
28 De circo.
29 De ornamentis.
30 De metis.
31 De obelisco.
32 De carceribu.s
33 De aurigis.
34 De quadrigis.
35 De curru.
36 De equis quibus currunt.
37 De septem spacijs.
38 De equitibus.
39 De desultoribus.
40 De peditibus
41 De coloribus equorũ.
42 De theatro.
43 De scena.
44 De orchestra.
45 De tragœdis.
46 De comœdis.
47 De themelicis.
48 De histrionibus.
49 De mimis.
50 De saltatoribus.
51 Quid pro patrono agatur.
52 De amphitheatro.
53 De ludo equestri.
54 De retiarijs.
55 De secutoribus.
56 De laqueatoribus.
57 De velitibus.
58 De ferali certamine.
59 De horum execratione ludorum.
60 De alea.
61 De pirgis.
62 De calculis.
63 De tesseris.
64 De figuris aleæ.
65 De vocabulis tesserarum.
66 De iactibus tesserarum.
67 De calculorum motu.
68 De interdictione aleæ.
69 De pila.

Capita libri deciminoni.

1 De nauibus.
2 De partibus nauium & armamentis.
3 De velis.
4 De funibus.
5 De retibus.
6 De fabricis siue fornacibus.
7 De instrumentis fabrorum.
8 De fabricis parietum.
9 De dispositione.
10 De constructione.
11 De venustate.
12 De aquearijs.
13 De crustis.
14 De lithostratis.
15 De plastis.
16 De pictura.
17 De coloribus.
18 De instrumentis ædificiorum.
19 De lignarijs.
20 De inuentione lanificij.
21 De veste sacerdotali.
22 De nominibus vestium cæterarum.
23 De vestibus quarundam gentium.
24 De pallijs virorum.
25 De pallijs fæminarum.
26 De stratu & reliquis vestib. quę in vsu habẽtur.
27 De lanis.
28 De coloribus vestium.
29 De instrumentis vestium.
30 De ornamentis.
31 De anulis.
32 De cingulis.
33 De calciamentis.

Capita libri vigesimi & vltimi.

1 De mensis.
2 De escis.
3 De potu.
4 De vasis escarijs.
5 De vasis potatorijs.
6 De vasis vinarijs & aquariis.
7 De vasis olearijs.
8 De vasis coquinarijs.
9 De vasis repositorijs.
10 De vasis luminarium.
11 De lecticis & sellis.
12 De vehiculis.
13 De reliquis quæ in vsu habentur.
14 De instrumentis rusticis.
15 De instrumentis hortorum.
16 De instrumentis equorum.

© Biblioteca Nacional de España

ISIDORI HISPALENSIS
EPISCOPI, ORIGINVM
SIVE ETYMOLOGIARVM
LIBER I.

1

DE DISCIPLINA ET ARTE.

CAPVT PRIMVM.

DISCIPLINA A DISCendo nomen accepit: vnde & scientia dici potest. Nam scire dictum est à discere: quia nemo nostrûm scit, nisi qui discit. Aliter disciplina, quia discitur plena.

ARS verò dicta est, quòd artis præceptis regulisque consistat. Alij dicunt à Græcis hoc tractum esse vocabulum ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, id est, à virtute, quam scientiam vocauerunt.

Inter artem & disciplinam Plato & Aristoteles hanc differentiam esse voluerunt, dicentes, Artem esse in ijs quæ se & aliter habere possunt: disciplina verò est quæ de ijs agit, quæ aliter euenire non possunt. Nam quando veris disputationibus aliquid differitur, disciplina erit: quando aliquid verisimile atque opinabile tractatur, nomen artis habebit.

De septem liberalibus disciplinis. CAP. II.

DIsciplinæ liberalium artium septem sunt. Prima Grammatica; id est, loquendi peritia. Secũda Rhetorica, quæ propter nitorem & copiam eloquentiæ suæ, maximè in ciuilibus quæstionibus necessaria existimatur. Tertia Dialectica cognomẽto Logica, quæ disputationibus subtilissimis vera secernit à falsis. Quarta Arithmetica, quę continet numerorum causas & diuisiones. Quinta Musica, quæ in carminibus cantibusque consistit. Sexta Geometria, quę mensuras terræ dimensionésque complectitur. Septima Astronomia: quæ continet legem astrorum.

De literis communibus. CAP. III.

PRimordia Grammaticæ artis, literæ communes existunt, quas librarij & calculatores sequuntur. quorũ disciplina velut quędam Grammaticæ artis infantia est. vnde & eam Varro literationem vocat. Literæ autem sunt indices rerum, signa verborum, quibus tanta vis est, vt nobis dicta absentium sine voce loquantur. Verba enim per oculos non per aures introducuntur. Vsus literarum repertus

2

est propter memoriam rerum. Nam ne obliuione fugiant, literis alligantur. In tanta enim rerum varietate nec disci audiendo poterant omnia, nec memoria contineri.

Literæ autem dictæ quasi legiteræ, quòd iter legentibus præstent, vel quòd in legendo iterentur.

Literæ Latinæ & Græcę ab Hebræis videntur exortæ. Apud illos enim prius dictum est aleph, deinde ex simili enunciatione apud Grę cos tractum est alpha. idem apud Latinos A. Translator enim ex simili sono alterius linguæ literam condidit, vt nosse possimus linguam Hebraicam omnium linguarum ac literarum esse matrem. sed Hebræi viginti duobus elementis literarum secundũ veteris Testamenti libros vtuntur: Græci verò, xxiiij. Latini inter vtramque linguam progredientes, xxiij elementa habent. Hebræorum literas à lege cepisse per Moysen: Syrorum autem & Chaldęorum per Abraham. Vnde cum Hebræis & numero & sono cõcordant, solis characteribus discrepant. Ægyptiorum literas Ysis regina Inachi filia de Græcia veniens in Ægyptum, reperit, & Ægyptijs tradidit. Apud Ægyptios autem alias habuisse literas sacerdotes dicũt, alias vulgus. sacerdotales ἱερὰς, vulgares παρὰ νόμους. Græcarum literarum vsum primi Phœnices inuenerunt; vnde & Lucanus:

Phœnices primi (famæ si creditur) ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Phœnices dicti à rubro mari, quod profluit in Syriam, qui Sidonem vrbẽ inibi condiderunt. Hinc est quòd & Phœniceo colore librorũ capita describuntur, quia ab ipsis literæ initium habuerunt. Cathmus Agenoris filius Græcas literas à Phœnice in Græciam xvij primus attulit: Α. Β. Γ. Δ. Ε. Ζ. Ι. Κ. Λ. Μ. Ν. Ο. Π. Ρ. Σ. Τ. Φ. His Palamedes Troiano bello tres adiecit Η. Χ. Ω. Post quem Simonides miles similiter tres alias adiecit, ξ. θ. ψ.

Y literam Pithagoras Samius ad exemplũ vitæ humanæ primus formauit; cuius virgula subterior significat primã ætatem, incertã quippe, & quę adhuc se nec vitijs nec virtutibus dedit. Biuium autẽ quod super est, ab adolescẽtia incipit: cuius dextera pars ardua est, sed ad vitam beatam tendens: sinistra facilior, sed ad labem interitumq; deducens. De qua sic ait Pers.

Et tibi quæ Samios deduxit litera ramos,
Surgentem dextro monstrauit limite callem.

Quinque autem esse apud Græcos mysticas literas. prima y, quæ humanam vitam significat, de qua nunc diximus. Secunda ε, quæ mortem

© Biblioteca Nacional de España

significat. Nam iudices eandem literam theta apponebant ad eorum nomina quos supplicio afficiebant. Et dicitur theta ἀπὸ τοῦ θανάτου, id est, à morte. Vnde & habet per medium telũ, id est, mortis signum. De qua quidam sic ait:

O multum ante alias infelix litera theta.

Tertia T figurá demonstrans dominicæ crucis. Vnde & Hebraicè signũ interpretatur. de qua dictum est in Ezechiele* angelo: Transi per mediá Ierusalem, & signa thau in fronte virorũ gementium & dolentium. Reliquas verò duas summá & vltimam sibi vendicat Christus. Ipse est enim principiũ & finis, dicens: Ego sum A & Ω. Concurrentibus enim in se inuicem A ad Ω vsq; deuoluitur: & rursus Ω ad A replicatur: vt ostẽderet in se Dominus & initij decursum ad finem, & finis decursum ad initium.

* per angelum.

Omnes autem literæ apud Græcos & verba componunt & numeros faciunt. Nam alpha litera apud* eos vocatur in numeris vnum. Vbi autem scribunt beta, vocantur duo. vbi scribũt gamma, vocantur in numeris ipsorum tria. vbi scribunt delta, vocantur quatuor. & sic omnes literæ apud eos numeros habent.

* Græcos

Latini autem numeros ad literas non computant, sed sola verba componunt, exceptis I, quæ vnum, & X, litera, quæ & in figura crucem significat, & in numero decem demonstrat.

De literis Latinis. CAP. IV.

LAtinas literas Carmentis nympha prima Italis tradidit. Carmentis autem dicta, quia carminibus futura canebat. Cæterùm propriè vocata Nicostrata.

Literæ autem, aut sunt communes aut liberales. Communes dicendę, quia multi eis vtuntur in commune, vt in scribere & legere. Liberales, quia eas tantùm illi nouerunt, qui libros conscribunt; recteque loquendi, dictandiq; rationem nouerunt.

Literarum duplex modus est: diuiduntur enim principaliter in duas partes, in vocales & consonantes. Vocales sunt quæ directo hiatu faucium sine vlla collisione* variè emittuntur. Et dictæ vocales, quòd per se vocem impleant, & per se syllabam faciant nulla adhærente consonante. Consonantes sunt, quæ diuerso motu linguæ vel impressione labiorum efficiuntur. Et dictæ consonantes, quia per se non sonant, sed iunctis vocalibus consonant. Hæ in duabus partibus diuidũtur: in semiuocalibus & in mutis. Semiuocales dictæ eo, quòd quiddam* semisonum de vocalibus habeant. Ab e quippe vocali incipiunt, & desinunt in naturalem sonum. vt f, l, m. Mutæ autem dictæ, quia nisi subiectis sibi vocalibus nequaquam erumpunt. Si enim eis extremum vocalis detraxeris sonum, inclusum literæ murmur sonabit, vt b, c, d. Vocales autem & semiuocales, & mutæ à veteribus sonæ & semisonæ & insonæ dictæ sunt.

* vocis

* semis

Inter vocales autem apud Grammaticos i, & v, varias habent significationes. nam modò vocales sunt, modò semiuocales, modò mediæ sunt. Vocales ideo sunt, quia solæ positæ syllabas faciunt, & alijs consonantibus coniungũtur. Consonantes habentur ideo, quia interdum habent post se vocales in eisdem syllabis constitutas. vt Iuno, vates. & habentur pro consonantibus. Mediæ autẽ idcirco dicuntur, quoniam naturaliter solæ medium sonum habent, vt illius, vnius. Coniunctę alijs pinguius sonãt, vt Ianus, vanus. Solæ autem positæ aliter sonant, aliter iunctæ. I verò propterea interdum duplex dicitur, quia quotiescunque inter duas vocales inuenitur, pro duabus consonantibus habetur, vt Troia. Geminatur enim ibi sonus eius.

V quoque litera proinde interdum est nihil, quia alicubi nec consonãs est, vt quis. Vocalis enim non est, quia i sequitur. consonans non est, quia q præcedit. ideoq; quando nec vocalis, nec consonãs est, sine dubio nihil est. Eadem & digamma à Græcis vocatur. quando sibimet alijsq; vocalibus iungitur: quæ ideo digamma dicitur, quia duplex est instar F literæ, quæ duplex gamma habet. ad cuius similitudinem coniunctas vocales digamma appellari Grammatici voluerunt, vt votum, virgo.

Annotat. *Cur V digamma vocetur, ex pronunciatione Germanica constat, qui V vt F pronunciat, quod duplicigamma constat.*

Inter semiuocales quædam liquidæ dicuntur, quia interdum in vna syllaba postpositæ alijs consonantibus deficiunt, & à metro excludũtur. ex quibus duæ apud Latinos liquescunt h & r. vt fragor, & flatus. Reliquæ m & n apud Græcos liquescunt: vt Mnesteus.

Decem & septem autem Latinis literis vetus scriptura constabat. Vnde & Latinè nominantur illa ratione, scilicet vel quòd à e vocali incipiunt, & in mutum sonum desinunt, vt sunt semiuocales: vel quòd à suo sono incipiunt, & in vocalem e desinunt, vt sunt mutæ.

* legitimè

H autem litera pro sola aspiratione adiecta est postea. Vnde & à plerisque aspiratio putatur esse, non litera: quæ proinde aspirationis nota dicitur, quia vocem eleuat. Aspiratio enim est sonus vberius* eleuatus, cui cõtraria est prosodia sonus æqualiter flexus.

* elatus

K literam * Salustius ludimagister postea Latinis adiecit, vt in sono discrimen faceret duarum literarum c & q: quæ ideo superuacua dicitur, quia exceptis karta, kalendis superflua iudicatur. per c enim vniuersa exprimimus.

* Saluius.

Q literam nec Græci resonant, nec Hebræi: exceptis enim Latinis nulla alia lingua hanc habet. Hæc prius non erat. Vnde & ipsa superuacua est vocata, quia per c cuncta veteres scripserunt.

X litera vsq; ad Augusti tempora nondum apud Latinos erat: sed pro ea c & s scribebant. vnde & duplex vocatur, quia pro c & s ponitur. vnde & ex eisdem literis compositum nomen habet.

A Græcis duas literas mutuauit Latinitas, y & z. propter nomina Græca: & hæ apud Romanos

© Biblioteca Nacional de España

manos vsque ad Augusti tempus non scribebantur. sed pro z ſſ. ponebant, vt hilarissat. pro y verò i scribebant.

Vnicuique autem literæ tria accidunt nomen, quomodo vocetur. figura, quo charactere signetur. potestas, quæ vocalis, quæ consonans habeatur. A quibusdam & ordo adijcitur, quæ præcedat, quæ sequatur: vt a prior sit, sequens b. A autem in omnibus gentibus ideo prior est litera, pro eo quòd ipsa prior nascentibus vocem aperiat. Nomina autem literarum gentes ex sono propriæ linguæ dederunt notatis oris sonis atque discretis. Nam postquam eas animaduerterunt, & nomina illis & figuras imposuerunt: figuras autem partim ex placito, partim ex sono literarum formauerũt: vtputa i & o, quarũ vnius sicut exilis sonus est, ita tenuis virgula: alterius pinguis sonus, sicut & plena figura. Potestatẽ autem natura, voluntas ordinem dedit.

Inter figuras literarum & apices veteres dixerunt, apicem dictum pro eo quod longe sit à pedibus, sed in cacumine literarũ apponitur. Est enim linea iacens super literã æqualiter ducta.

De grammatica. CAP. V.

GRammatica est scientia rectè loquendi, & origo & fundamentum liberalium artiũ. Hæc autem in disciplinis post literas communes inuenta est, vt iam qui didicerant literas per eã rectè loquẽdi rationem sciant. Grammatica autem à literis nomen accepit. γράμματα enim Græci literas vocant.

Ars verò dicta est quod artis præceptis regulisq; consistat. Alij dicunt à Græcis hoc tractũ esse vocabulum ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, id est, à virtute, quã scientiam vocauerunt.

Oratio dicta est quasi oris ratio. nã orare est loqui & dicere. Est autem oratio contextus verborum cum sensu. Contextus autem sine sensu non est oratio, quia non est oris ratio. Oratio autem plena est sensu, voce & litera.

Diuisiones autem grammaticæ artis à quibusdam triginta dinumerãtur & partes orationis octo: vox articulata, litera, syllaba, pedes, accentus, posituræ, notæ, orthographia, analogia, etymologia, glossæ, differentiæ, barbarismi, solœcismi, vitia, metaplasmi, schemata, tropi, prosæ, metra, fabulæ, historiæ.

De partibus orationis. CAP. VI.

PArtes orationis primus Aristoteles duas tradidit, nomen & verbum. deinde Donatus octo definiuit. sed omnes ad illa duo principalia referuntur, hoc est, ad nomen & verbum, quæ significant personam & actum. Reliquę appendices sunt, & ex his originem trahũt. Nam pronomen ex nomine nascitur, cuius officio fungitur: vt Orator ille. Aduerbiũ de nomine nascitur: vt doctus, docte. Participium de nomine & verbo: vt lego, legens. Coniunctio verò & præpositio vel interiectio in complexum istarum cadunt. Ideò & nonnulli quinq; partes definiunt: quia istæ superfluæ sunt.

De nomine.

NOmen dictum quasi notamen, quòd nobis vocabulo suo res notas efficiat. Nisi enim nomen scieris, cognitio rerũ perit.

Propria nomina dicta sunt, quia specialia sunt. Vnius enim tamen personam significant. Species propriorum nominum quatuor sunt: prænomen, nomen, cognomen, agnomen. Prænomen dictum, eo quòd nomini pręponatur, vt Lucius, Quintus. Nomen vocatũ quia notat genus, vt Cornelius. Cornelij enim omnes in eo genere vocantur. Cognomen, quia nomini coniungitur, vt Scipio. Agnomẽ verò, quasi accedẽs nomen, vt Metellus Creticus, quia Cretã subegit. Extrinsecus enim venit agnomen ab aliqua ratione. Cognomentum autem vulgo, eo quòd nomini cognitionis causa superadditur, siue quòd cum nomine est.

Appellatiua nomina inde vocãtur, quia communia sunt, & multorum significatione consistunt. Hæc in viginti octo species diuiduntur, ex quib. Corporalia dicta, quia vel videntur vel tanguntur, vt cœlum, terra.

Incorporalia, quia carent corpore, vnde nec videri, neq; tãgi possunt, vt veritas, iusticia, &c.

Generalia, quia multarũ rerũ sunt, vt animal. Nam & homo, & equus, & aliis animalia sunt.

Specialia: quia partem demõstrant, vt homo. Species enim animalium homo.

Principalia: quia primam positionem habẽt, nec aliunde nascuntur, vt mons, fons.

Deriuatiua eo quòd ex alio nomine deducuntur: vt à monte, mõtanus.

Diminutiua, quia minuuntur sensu: vt gręculus, scholasticulus.

Sono diminutiua, quia sonant sicut diminutiua, sed intellectu principalia sunt, vt fabula, tabula.

Tota græca, quia ex toto græcè declinantur: vt Calisto. Sic enim Græcus & Latinus dicit.

Tota latina, quia ex toto in latinum vertuntur, Græcus dicit Odysseus, Latinus Vlysses.

Media dicta, quia ex parte græca sunt, & ex parte latina. Eadem & notha, quia corrumpunt vltimas syllabas manẽtibus prioribus, vt apud Græcos, Alexandros Menandros: apud latinos verò Alexander, Menander. Dicta autem notha quemadmodum nothus dicitur quisquis de dispari genere nascitur.

Synonyma, hoc est plurinomina: eo quòd sit in pluribus nominibus significatio vna: vt terra, humus, tellus. Idem enim sunt nomina.

Homonyma, hoc est vninomina, eo quòd sit in vno nomine significatio plurima: vt tumulus, nunc mons brevis est, nunc tumens tellus, nunc sepulchrũ. Est enim in vno nomine significatio diuersa.

© Biblioteca Nacional de España

Relatiua dicta, eo quòd ad aliam referantur personã: vt magister, pater, Dñs. Illa aũt quæ dicuntur ad aliquid aliter se habentia: à contraria significatione dicta sunt, vt dexter. Dici enim dexter non poterit, nisi sinister fuerit.

Porrò qualitatis nomina ex eo dicta, quia per ea qualis quisq; sit ostenditur: vt sapiens, formosus, diues. Quantitatis, quia à mensura trahuntur: vt longus: breuis.

Patronymica dicuntur, eo quòd trahuntur à patribus: vt Titides, Tidei filius. Æneades Æneę filius, quamuis & à maioribus & à matribus ducantur.

Thetica vel possessiua à possessione dicuntur, vt Euandrius ensis.

Epitheta quæ latinè adiectiua vel supposita appellantur, eo quòd ad implendã sui significationem nominibus adijciantur: vt magnus, doctus. Adijce ea personis, vt magnus philosophus, doctus homo, & plenus est sensus.

Actualia ab actu descẽdunt: vt rex, dux, cursor, nutrix, orator.

Gentis, à gẽte veniũt, vt Græcus, Romanus.

Patriæ, à patria descendunt: vt Athenienſis. Thebanus.

Loci, à loco: vt suburbanus.

Verbalia dicuntur, quia de verbo nascuntur, vt lector.

Participalia, quæ sic sonant sicut participia: vt clemens, prudens.

Verbis similia: à verbi similitudine dicta, vt contemplator. Nam & verbum est imperatiui modi, futuri temporis, & nomen, quia comparationem recipit. Hæ autẽ omnes species à nominum appellatione descendunt.

Secunda pars nominis cõparatio. Comparatio dicta, quia ex alterius comparatione alterum præfert. Cuius gradus tres sunt: positiuus, comparatiuus, & superlatiuus. Positiuus dictus, quia primus ponitur in cõparationis gradu, vt doctus. Comparatiuus, ab eo quod comparatus positiuo præfertur illi: vt doctior. Plus enim doctior nouit, quàm doctus. Superlatiuus, eo quod cõparatiuo superferatur, vt doctissimus. plus enim scit quàm doctior.

Genera dicta sunt eo quod generent: vt masculinum, fœmininum. Cætera nomina nõ sunt genera, sed hoc nominum ratio & autoritas voluit. Neutrum dictum, quia nec hoc est, nec illud, idest, nec masculinum nec fœmininũ. Commune dictum, quod duobus generibus nomen vnum cõmunicat: vt hic & hæc canis. Cui contrarium est Epicœnum. quia vtrũq; sexum sub vno genere enunciat, vt hic passer. Est enim incerti sexus, quod nec natura nec oculis discernitur, sed sensus tamen peritia. Omne genus dictum, quia cũctis generibus seruit: masculino, & fœminino, neutro & communi.

Numerus dictus, quia per eum vel singularia vel pluralia nomina ostenduntur.

Figura, quia vel simplicia vel cõposita sunt.

Casus à cadendo dicti. per eos enim inflexa nomina variantur & cadunt. Nominatiuus casus dictus: quia per eundem aliquid nominamus, vt hic magister. Genitiuus, quia per eũ genus cuiuscunq; quærimus: vt huius magistri filius. vel * quod rem significamus: vt huius magistri. Datiuus, quia per eum alicui aliquid nos dare demonstramus, vt da huic magistro. Accusatiuus, quia per eum aliquẽ accusamus: vt, accuso hunc magistrum. Vocatiuus, quia per eũ aliquem vocamus, vt ò magister. Ablatiuus, quia per eũ nos auferre aliquid cuiquam significamus, vt auferam à magistro.

* quàm

Hexaptota nomina dicta, quia per sex casus varietates habẽt, vt est vnus. Pentaptota, quòd tantum in quinq; casibus variantur, vt doctus. Tetraptota, quòd tantũ in quatuor casibus declinantur, vt latus. Triptota, quòd tantũ in tribus, vt templum. Diptota, quòd tantum in duobus, vt Iupiter. Monaptota, quòd vno tantũ casu vtuntur, vt frugi.

De pronomine. CAP. VII.

PRonomẽ dictum, quia pro vice nominis ponitur, ne fastidium faciat nomen ipsum dum iteratur. Nam cũ dicimus, Virgilius scripsit Bucolica, addimus pronomen, ipse scripsit & Georgica. sic varietas significationis, & fastidium tollit, & ornatum inducit.

Pronomina autem finita sunt, aut infinita: Finita pronomina dicta, eo quod definiunt certam personã: vt ego. me enim statim intelligis. Infinita dicuntur, quia non sunt certæ personę. De absentibus enim dicitur & incertis: vt quis, quæ, quod. Minus quàm finita appellãtur, quia commemorationem faciunt notæ personæ, vt ipse, iste. Certum est enim de quo dicitur. Possessiua vocantur, eò quod nos aliquid possidere ostendunt. Nam cum dico meus, tuus, diffinio aliquid meum esse vel tuum. Relatiua dicuntur, quia ad interrogationem referũtur, vt quis est? respondetur, is est. Demonstratiua, eo quod habent demonstrationis significationem. Aliquẽ enim pręsentem his demonstramus: vt hic, hæc, hoc: quæ tria & articuli nominantur.

Articuli autem dicti, quòd nominibus coarctantur. i. colligantur, cum dicimus: hic orator. Inter articulum autem & pronomen hoc interest, quod articulus tunc est, quãdo nomini iungitur: vt hic sapiens. Cum verò non coniungitur, demonstratiuum pronomẽ est: vt hic & hęc & hoc.

Omnia autẽ pronomina aut primigenia aut deductiua sunt. Primigenia dicta sunt, quia aliunde originem non trahunt. Hæc viginti unum sunt. Finita tria: ego, tu, ille. Infinita vij. quis, qualis, talis, quantus, tantus, quotus, totus. Minus quàm finita sex: Iste, ipse, hic, is, idem, sui. Possessiua quinq;: Meus, tuus, suus, noster, & vester. Reliqua autem deductiua dicuntur, quia ex illis deducta atque composita existũt: vt quispiã, aliquis, &c.

De vero

© Biblioteca Nacional de España

De verbo. CAP. IIX.

VErbum dictum eo quòd verberato aere sonet: vel quod hæc pars frequenter in oratione versetur. Sunt autem verba mentis signa, quibus homines cogitationes suas inuicē loquendo demonstrant. Sicut autem nomen significat personā: ita verbum dictum factumq; personæ. In persona verbi, agentis & patientis significatio est. Nam scribo, personæ factum est. Item scribor non personæ factum indicat, sed eius à quo patitur.

Verborum genera duo sunt: Grammaticorū atq; Rhetorum. Grammaticorum in tria cadūt tempora: instans, præteritum, & futurum. vt facit, fecit, faciet. Rhetorum autē vniuersa oratio. Verba dicuntur, veluti, Verbis bonis nos cepit. verba bona habuit. Vbi non tantùm verba quæ in tria cadunt tempora: sed vniuersa oratio est. Verborum species sunt: formæ, modi, coniugationes, & genera.

Formæ verborum inde dictæ, eo quòd nos ad vnamquamque rem informent. per has enim ostendimus quid agamus. Perfecta forma dicitur à perficiendo: vt lego. tunc enim dicendum est quando in præsenti tempore legimus. Meditatiua dicta à meditantis sensu, vt lecturio, id est, legere meditor. Inchoatiua post meditationem ab inchoantis * iudicio: vt calesco. Frequentatiua à sæpius agendo, vt lectito. Formæ enim sensum tenent: modi declinationem. Nam nescis quid sit declinatio, nisi prius didiceris quid sit sensus.

* *indicio*

Modi dicti ab eo: quemadmodum sint in suis significationibus. Indicatiuus modus dicitur: quia significationem indicandi habet, vt lego. Imperatiuus, quia sonum habet imperandi, vt lege. Optatiuus, quia per ipsum optamus aliquid agere, vt vtinam legerem. Coniunctiuus, quia ei coniungitur aliquid, vt locutio plena sit. Nam quando dicis, cùm clamem, pendet sensus: quòd si dicam, cùm clamem, quare putas quòd taceam? plenus est sensus. Infinitiuus dicitur, eo quòd tempora definiens personam verbi non definit: vt clamare, clamasse. Cui si adiungas personam: clamare debeo, debes, debet, fit quasi finitum. Impersonalis dicitur, quia indiget persona nominis vel pronominis: vt, legitur, addis personam à me, à te, ab illo, & plenè sentitur. Sed infinitiuus modus persona tantùm verbi eget: Impersonalis verò vel pronominis persona, vel nominis.

Coniugatio dicitur eo quòd per eam ad vnum sonum multa coniunguntur. Docet enim in quam syllabam exeat futurum tempus, ne per imperitiam quis dicat legebo, pro legā. Harum prima & secunda mittunt futurum tempus in bo, & in bor: tertia in am, & in ar.

Genera verborum ideo dicta, quia gignunt. Nam actiuo adijcis r, & gignit passiuum. rursum passiuo adimis r & parit actiuum. Ipsa autem actiua dicuntur, quia agunt: vt verbero. Et passiua: quia patiuntur, vt verberor. Neutralia, quia nec agunt nec patiuntur, vt iaceo, sedeo. His si r literā adijcis, non sonant Latinè. Communia autem dicuntur, quia & agunt & patiuntur, vt amplector. Hæc similiter deposita r litera Latina non sunt. Deponentia verò dicuntur, quia deponunt futuri temporis participium à significatione passiua, quod exit in dus, vt gloriandus.

De Aduerbio. CAP. IX.

ADuerbium dictum est eo quòd verbis accidat. vt puta, bene legi. Bene aduerbium est, legi verbum. Inde ergo dictum aduerbium quòd semper verbo iunctū adimpletur. Verbū enim solum sensum implet, vt scribo. Aduerbium autem sine verbo non habet significationem plenam, vt hodie. Adijcis illi verbum, hodie scribo. & iuncto verbo implesti sensum.

De Participio. CAP. X.

PArticipium dictum quòd nominis & verbi capiat partes, quasi participium. A nomine enim vendicat sibi genera & casus. à verbo tempora & significationes: ab vtroque numerum & figuram.

De Coniunctione. CAP. XI.

COniunctio dicta quòd sensus sentētiāsque coniungat. Hæc enim per se nihil valet: sed in copulatione sermonum quasi quoddam exhibet glutinum. Aut enim nomina sociat, vt Augustinus & Hieronymus: aut verba, vt scribit & legit. Vna autem vis omnium, siue copulent, siue disiungant. Copulatiuæ autem coniunctiones dictæ, eo quòd sensum vel personas coniungant: vt ego & tu eamus ad forum ipsum, & sensum coniunxit. Disiunctiuæ dictæ, quia disiungunt res aut personas: vt ego aut tu faciamus. Subiunctiuæ dicuntur, quia subiunguntur: vt que. dicimus enim regiq́ue hominiq́ue Deoq́; non dicimus, q́; regi, q́; homini, q́; Deo. Expletiuę dictæ, quia explent propositam rem, vt puta, si hoc non vis, saltem illud fac. Communes nominantur: quia vbivis * præponuntur & subiunguntur: vt Igitur hoc faciam, hoc igitur faciam. Causales dicuntur à causa: eo quòd aliquid cogitent facere, vt puta, Occido illum, quia habet aurum: causa est. Rationales dicuntur à ratione, qua quisq; vtitur in faciendo: vt quomodo eum occidam ne agnoscar, veneno an ferro?

* *ponuntur*

De Præpositionibus. CAP. XII.

PRæpositio dicta, quòd nominibus præponatur & verbis. Accusatiuæ autem & ablatiuæ præpositiones à casibus quibus seruiunt dictæ. Loquelares verò, quia loquelis, id est, verbis semper cohærent, nec aliquid valent solæ positæ: vt di, dis. Coniunctæ verò verbis figuram faciunt, vt diduco, distraho.

© Biblioteca Nacional de España

De Interiectione. CAP. XIII.

INteriectio est vocata, quia sermonibus interiecta, id est, interposita affectum commoti animi exprimit: sicut cùm dicitur ab exultante eya. à dolente heu. ab irascente hem. à timente hei. Quæ voces quarumcumque linguarum propriæ sunt, nec in aliam linguam facilè transferuntur.

De voce. CAP. XIV.

VOx est aer ictus sensibilis auditu quantum in ipso est. Omnis vox aut est articulata aut confusa. Articulata est hominum: confusa animalium. Articulata est quæ scribi potest: confusa quæ scribi non potest.

De syllaba. CAP. XV.

SYllaba Græcè, Latinè conceptio dicitur siue complexio. Nam syllaba dicta est, ἀπὸ τοῦ συλλαμβάνειν γράμματα, id est, à conceptione literarum. συλλαμβάνειν enim dicitur concipere. Vnde verè illa est syllaba quæ ex pluribus nascitur literis. Nam vnam vocalem pro syllaba abusiuè, non propriè dicimus: quæ non tam syllaba dicenda est, quàm ratio temporum. Syllabæ autem aut breues, aut longæ, aut communes sunt. Breues vocatæ, quia nunquam produci possunt. Longæ, quia semper producuntur: & nunquá corripi possunt. Communes autem quia pro scribentis arbitrio cùm necessitas cogit & producuntur, & corripiuntur. Lege Donatum. Ideo autem syllabæ longæ breuesque dicuntur, quia varias vocum moras aut dupla aut simpla spacia temporis habere videtur. Dyphthōgæ syllabæ Græco nomine dictæ quod in eis binæ vocales iungātur. Ex his apud nos veras esse scimus quatuor ae. oe. au. eu. Ei verò apud maiores tantūmodo celebrata fuit. Syllaba autē apud metricos ideo semipes nominatur, quòd sit dimidius pes. Nam pes duabus constat syllabis. Cùm ergo syllaba vna est, quasi dimidius pes est. Dionysius Lintius syllabarum omnium singulas formas aptissimas fecit, & ob id statua honoratus est.

De Pedibus. CAP. XVI.

PEdes sunt qui certis syllabarum temporibus consistunt, nec à legitimo spacio vnquam recedunt. Pedes dicti eo quòd per ipsos metra ambulent. Nam sicut nos pedibus incedimus, ita metra quasi pedibus gradiuntur. Pedes autem omnes cxxiiij sunt. dissyllabi iiij. trisyllabi viij. tetrasyllabi xvj. pentasyllabi xxxij. hexasyllabi lxiiij. Vsq; ad iiij autem syllabas pedes dicuntur. reliquæ συζυγίαι vocantur. Ipsi autem pedes habent speciales causas nominum quare ita vocantur.

Pyrrichius dictus est, quia hic assiduè vel in certamine vel in ludo puerili sæpius frequentabatur, siue ab igne appellatur, qui Græcè πῦρ dicitur, quia veluti ignis celeriter labitur.

Spondęus dicitur, quia tractim sonat. Nam spondeus tractus quidam dicitur, id est, sonus, qui fundebatur circa aures sacrificantium. Vnde hi & qui tibijs canebant in sacris gentilium spondiales nominabantur.

Trochæus verò ab eo dictus est, quòd celerem conuersionem faciat cantilenæ, & quasi rota velociter currat in metris. τρόχος enim Græcè rota dicitur.

10 Iambus dictus est quod ἰαμβίζειν Græci detrahere dixerunt. Huiusmodi enim carmine omnes inuectiones vel detractiones implere poetæ sunt soliti. Dictum autem nomen ab eo quod velut venenum quodammodo maledicti aut liuoris infundat.

Tribrachus qui & Chorius appellatur, dictus, quia fit ex tribus breuibus.

Molossus dictus à saltatione molossorum, quam exercuerunt armati.

20 Anapęstus Græcè dicitur repercussus. Græci enim ἀνάπαιστον repercussionem dicunt. Qui ideo dicitur repercussus, eo quòd repercutiatur à dactylo. Est enim illi contrarius.

Dactylus à digito dictus, quòd à longiore nodo inchoans in duas desinat breues. Sic & iste pes iuncturam vnam habet longam & duas breues. Vnde & manus oppansa palma dicitur, & pendentes digiti dactili.

Amphibrachus, quod in vtraque parte breuem habeat in medio longa interiacente. βραχὺς 30 enim breuis dicitur.

Amphimacrus dicitur, quòd duæ hinc inde longæ habeant in medio inclusam breuem. μακρὸς enim Græcè longus dicitur.

Bacchius appellatus est, eo quòd isto pede Bacchia, id est, Liberi sacra celebrabantur.

Antibacchius vel Palimbachius dictus, quia * tractus à Bacchio est.

Proceleumaticus eo quòd sit ad celeuma ca- 40 nendum aptus.

Dispondæus autem & ditrochæus, & dijambus dictus, quòd geminis cōstent iambis, spondeis vel trochęis.

Antispastus, quòd sit ex contrarijs syllabis, ex breui & longa, ex longa & breui.

Choriambus verò, quia ex hoc pede compositum carmen choris aptissimum sit.

Ionici sanè propter numerorum inæqualem sonum dicti. habent enim binas longas syllabas, binasque breues.

50 Pæones autem à Pæone poeta suo inuentore vocati sunt. Constant ipsi ex vna longa & tribus breuibus: quæ longa iuxta nomina eorum variatim est constituta.

Epitriti quatuor ex diuisione sua nomina acceperunt, & ideo Epitriti vocati, quòd semper tres longas habeant syllabas & vnam breuem.

Syzygiæ autem sunt pentasyllabi & hexassyllabi pedes, dicti apud Græcos συζυγίαι, quasi 60 quædā declinationes, sed hi non sunt pedes, sed appellātur pētasyllabi & hexasyllabi: quia vltra v & vj syllabas non procedunt. vnde non oportet in

* iteratur, vel, vt in alijs exemplaribus, cōtrarius.

© Biblioteca Nacional de España

tet in carmine has ſyllabas quodlibet excedere nomen. vt Carthaginenſium Hieroſolimitanorum, & Conſtantinopolitanorum.

Accidunt vnicuiq; pedi arſis & theſis, id eſt eleuatio & poſitio vocis. Neq; enim iter dirigere poterunt pedes, niſi alterna vice leuentur & deponantur, vt arma: ar, eleuatio eſt. ma, poſitio. In his duobus per diuiſionem pedes legitimi colligũtur. Æqua diuiſio eſt quoties arſis & theſis æquali temporum diuiſione ceduntur. Dupla quoties ex his vnum alterum duplo vincit. Seſcupla verò eſt quoties vnum alterum ſeſcuplo ſuperat. In ſimpla enim eius parte vnũ plus inuenitur: in dupla vno minus habetur. Seſcuplum enim dimidium dicitur. Triplũ eſt quando maior pars ter continet totum minus, id eſt tria & vnum. Epitrita eſt quando minus continetur à maiore & eius tertia pars. Ceduntur enim pedum membra vel per æqualitatẽ, vel per duplum, vel per ſeſcuplum, vel per triplum, vel epitritum. Patimur ergo inæquales hos pedes.

Pyrrichium	vj vj	*vt fuga. æqua.*
Spondæum		*vt æſtas. æqua.*
Dactylum		*vt Menalus. æqua.*
Anapæſtum		*vt Erato. æqua.*
Diſpondæum		*vt oratores. æqua.*
Proceleumaticum		*vt auicula. æqua.*
Dijambum		*vt propinquitas. æqua.*
Ditrochæum		*vt cantilena. æqua.*
Antiſpaſtum		*vt Salominus. æqua.*
Choriambum		*vt armipotens. æqua.*

Item in dupla partimur hos pedes.

Trochæum, vt meta	*dupla*
Iambum, vt parens	*dupla*
Moloſſum	*vt Æneas. dupla*
Tribrachum	*vt macula. dupla*
Ionicum maiorem	*Iunonius. dupla*
Ionicum minorem	*vt Diomedes. dupla*

Vnus verò tantùm eſt qui tripla partitione diuiditur, quæ eſt maxima, atque ideo minime metris adeſt.

Amphibrachus vt carina	*tripla*

Seſcupli autem hij ſunt.

Amphimacrus	*vt inſulæ. ſeſcupla*
Bacchius	*vt Achates. ſeſcupla*
Antibacchius	*vt natura. ſeſcupla*
Pæon primus	*vt legitimus. ſeſcupla*
Pæon ſecundus	*vt colonia. ſeſcupla*
Pæon tertius	*vt Menedemus. ſeſcupla*
Pæon quartus	*vt celeritas. ſeſcupla*

Reſtant quos epitrita partitione diuidimus.

Epitritus primus,	*vt ſacerdotes. epitri.*
Epitritus ſecundus,	*vt conditores. epitri.*
Epitritus tertius,	*vt Demoſtenes. epitri.*
Epitritus quartus,	*vt Feſcenninus. epitri.*

Sunt igitur æqui x. dupli vero vj. triplus vnus. ſeſcupli vij. Epitriti iiij.

Numerus ſyllabarũ in pedibus à duabus vſq; ad ſex protenditur. vlterius enim nõ procedit: quia ad vſq; ſex ſyllabas tẽduntur pedes. Tempora in pedibus ſunt vt quanta vnuſquiſq; pes habeat. Reſolutio eſt pedum quando pro vna longa duæ breues ponuntur, aut pro duabus longis quatuor breues ponuntur: vt Virgilius. *Sectaq; intexunt abiete coſtas.* Abiete nũc reſolutio eſt ſpõdęi in proceleumaticũ: in qua reſolutione ſemper epiſynalepha ſequitur. Ex vna autem lõga duæ breues fiunt: ex duabus autẽ breuibus longa nunquam fit. Findi autem ſolida poſſunt, ſolidari ſciſſa non poſſunt. Figura eſt, cuius nota ſyllabæ agnoſcũtur. Vbi enim circuli partem inferiorem bis poſitã aſpicis, pirrichius eſt ᵘᵘ vbi i geminum iacens ſpondęus—ij—ij.

Nam nota breuis inferior ſemicirculus *v.* nota longa j iacens.—

Metra pedibus accidunt, vt à trocheo trochaicum, à dactilo dactilicum, à iambo iambicũ, de quibus paulo pòſt dicendum eſt.

De accentibus. CAP. XVII.

Accẽtus, qui Græcè proſodia dicitur. ex Græco nomen accepit. Nam Græcè πρὸς Latinè ad, ᾠδὴ Græcè, Latinè cantus eſt. Hoc enim nomen de verbo ad verbum expreſſum eſt. Latini autem habent & alia nomina. Nam accentus, & tonos, & tenores dicũt, quia ibi ſonus creſcit & deſinit: Accentus autẽ dictus, quòd iuxta cantum ſit, ſicut aduerbium quia iuxta verbum eſt. Acutus accentus dictus, quòd acuat & erigat ſyllabam. Grauis quod deprimat & deponat. Eſt enim contrarius acuto circumflexus, quia de acuto & graui conſtat. Incipiens enim ab acuto in grauem deſinit: atq; ita dum aſcendit & deſcendit circumflexus efficitur. Acutus autẽ & circumflexus ſimiles ſunt. Nam vtraq; leuat ſyllabam. grauis cõtrarius eſt ambobus. Nam ſemper deprimit ſyllabas cum illi leuent, vt, Vnde venit Titan, & nox vbi ſidera condit. vnde hic grauis eſt. minus enim ſonat quàm acutus & circumflexus. Monoſyllaba autem pars orationis ſi naturaliter breuis eſt, vt vir, aut poſitiõe longa, vt ars, acutum accentum habebit. Si verò naturaliter longa, vt res, circumflexum. Diſſyllaba pars orationis ſi priorem naturaliter longam habet, & vltimam breuem, circumflectitur, vt Muſa: aliter acuitur. Triſyllaba pars orationis ſi mediam breuem habet, vt tibia, tunc primam acuimus. Si verò naturaliter longam habet ſecundam, & vltimam breuem, vt Metellus, tunc mediam circumflectimus. Tetraſyllaba autem & pentaſyllaba ratione triſyllabarum retinentur. Grauis accentus cum vno accentu poni poteſt in dictione vna: cum vtriſque numquam, vt Catullus. In compoſita dictione vnus accentus eſt, vt armipotens, omnipotens. Accentus aũt

© Biblioteca Nacional de España

reperti sunt vel propter distinctionem: vt Viridique in littore conspicitur sus, ne dicas vrsus. vel propter pronunciationem, ne dicas meta breuiter, & non producta me. vel discernendæ ambiguitatis causa, vt ergo. Nam cum producitur go, causam significat, cum corripitur, conunctionem.

De figuris accentuum. CAP. XIIX.

FIguræ accentuum decem sunt quæ à Grammaticis pro verborum distinctionibus apponuntur.

Ὀξεῖα, id est, acutus accẽtus, linea à sinistra parte in dexteram partem sursum ducta: fit ita. ´

Βαρεῖα, id est grauis linea, à summo sinistræ in dexteram deposita, fit ita. `

Περισπωμένη, id est circumflexus, linea de acuto & graui facta exprimitur ita. ^

Μακρὸς autem, id est longa virgula iacens est ita, —

Βραχὺς, id est breuis, pars est circuli inferior, iacens ita. ˘

Ὑφέν, id est cõiunctio, quia duo verba coniungit, subiecta virgula versui circũflexa fit ita. ⁀

Diastole, id est distinctio, quæ è contrario separat, dextera pars circuli supposita versui, fit ita. ⁏

Apostrophos pars item circuli dextra, & ad summam literã apposita, fit ita ᾽ qua nota deesse ostenditur in sermone vltimas vocales, vt tribunal', pro tribunale.

Δασεῖα quod interpretatur aspiratio, id est, vbi h litera poni debet, tali figura notatur. ῾

Ψιλὴ, quod interpretatur siccitas siue purũ: id est vbi h litera esse nõ debet, tali nota ostenditur. ᾿

Quorum duorũ accentuum figuram Latini ex ipsa litera aspirationis fecerunt. Vnde si iungas has: facis eandem aspirationis notã, H. Rursum si medium eius apicem scindis, δασεῖαν & ψιλὴν facis.

De positura. CAP. XIX.

POsitura est figura ad distinguendos sensus per cola & commata, & periodos. quæ dũ ordine suo apponitur, sensum nobis lectionis ostendit. Dictæ autem posituræ, vel quia punctis positis annotãtur: vel quia ibi vox pro interuallo distinctionis deponitur. Has Græci θέσεις vocant, latini posituras. Prima positura subdistinctio dicitur. eadem & κόμμα. Media distinctio sequens est. ipsa & κῶλον. Vltima distinctio quæ totam sententiam claudit ipsa est περίοδος: cuius vt diximus partes sunt κῶλον & κόμμα: quarum diuersitas punctis diuerso loco positis demonstratur. Vbi enim in initio pronunciationis necdum plena pars sensus est, & tamen respirare oportet, fit comma, id est particula sensus, punctusq; ad vnam literam ponitur, & vocatur subdistinctio o, ab eo quod punctum subtus, id est, ad vnam literam accipit. vbi autem in sequentibus iam sententia sensum præstat, sed adhuc aliquid superest de sententiæ plenitudine, fit colon, mediamque literam puncto notamus, & mediam distinctionem vocamus, quia punctum ad mediam literam ponimus. Vbi verò iam per gradus pronunciando plenam sententiæ clausulam facimus, fit periodus: punctumque ad caput literæ ponimus, & vocatur distinctio, id est disiunctio: quia integram separat sententiam. Hoc quidem apud oratores. Cæterùm apud poetas vbi in versu post duos pedes syllaba remanet, comma est, quia ibi post scansionem præcisio verbi facta est. Vbi verò post duos pedes de parte orationis nihil superest, colon est. Totus autem versus periodus est.

De notis sententiarum. CAP. XX.

PRæterea quædam sentẽtiarum notæ apud celeberrimos auctores fuerunt, quasq; antiqui ad distinctionem scripturarum carminibus & historijs apposuerunt. Nota, est figura propria in literæ modũ posita, ad demonstrandam vnamquamq; verbi sententiarumq; ac versuum rationem. Notæ autem versibus apponuntur numero xxvj. quæ sunt nominibus infrascriptis.

Asteriscus apponitur in ijs quę omissa sunt, vt illucescant per eam notam quæ deesse videntur. Stella enim ἀστὴρ Græco sermone dicitur. a quo Asteriscus stellula est deriuatus. *

Obelus, id est virgula iacens apponitur in verbis vel sententijs superflue iteratis, siue in ijs locis vbi lectio aliqua falsitate notata est. vt quasi sagitta iugulet superuacua, atque falsa confodiat. Sagitta enim Græce ὀβελὸς dicitur. —

Obelus supernè appunctatus ponitur in ijs de quibus dubitatur vtrum tolli debeant necne. ⁄—

Limniscus id est virgula inter geminos punctos iacens, apponitur in ijs locis quæ sacræ scripturæ interpretes eodem sensu, sed diuersis sermonibus transtulerunt. ÷

Antigraphus cum puncto apponitur, vbi in translationibus diuersus sensus habetur. ⁂

Asteriscus cum obelo: hac propriè Aristarchus vtebatur in ijs versibus qui non suo loco positi erant. *—

Paragraphus ponitur ad separandas res à rebus quæ in connexu concurrunt, quemadmodum in catalogo loca à locis, & regiones à regionibus, in agone præmia à præmijs, certamina à diuersis certaminibus separantur. ⊢

Positura est figura paragrapho contraria. ideo sic formata, quia sicut ille principia notat, ita ista fines à principijs separat. ⊣

Cryphia, circuli pars inferior cum puncto ponitur in ijs locis vbi quæstio dubia & obscura aperiri vel solui non potuit. ·⁀·

Antisigma ponitur ad eos versus quorum ordo per ⊃

© Biblioteca Nacional de España

do permutandus est, sicut & in antiquis auctoribus positum inuenitur.

Antisigma cum puncto ponitur in ijs locis vbi in eodem sensu duplices versus sunt, & dubitatur qui potius eligendus sit.

Diple, hanc scriptores nostri apponunt in libris ecclesiasticorum virorum ad separanda vel demonstranda testimonia sanctarum scripturarum.

Diple πλεκτικὴ vel ἀθεσιστικὴ, hanc primus Leogaras Siracusanus apposuit Homericis versib. ad separationem Olimpi à cœlo.

Diple ἀθεσιγμένη id est, cum geminis punctis. hanc antiqui in ijs apponebant, quæ Zenodotus Ephesius non rectè adiecerat, aut detraxerat aut permutauerat, in ijs & nostri ea vsi sunt.

Diple ὀβελισμένη interponitur ad separandas in comœdijs vel tragœdijs periodos.

Versa obelismene quoties strophe & antistrophus infertur.

Aduersa cum obelo ad ea ponitur quæ ad aliquid respiciunt, vt:

Nos ne tibi fluxas Frigiæ res vertere fundo
Conamur nos, an miseros qui Troas Achiuis
Obiecit —

Diple supernè obelata ponitur ad conditiones locorum ac temporum personarumque mutatas.

Recta & aduersa superne obelata ponitur finita loco suo monade significante similem sequentem quoque esse.

Ceraunium ponitur quoties multi versus improbãtur, nec per singulos obelantur, κέραυνος enim fulmen dicitur.

Κρίσιμον hæc sola ex voluntate vniuscuiusque ad aliquid notandum ponitur.

PHIETRO, id est fortis vel frontes. hęc vbi aliquid obscuritatis est ob sollicitudinem pontiur.

ANNOTAT.

Emẽdo Phi & Rho. Nota enim ex hisce duabus literis cõposita videtur. Cumq; ipse Isidorus hanc notam dicat solere poni ob solicitudinem, equidem crediderim per hanc notam significari φροντίον hoc est obscurum esse locum, ideoq; diligentius de eo cogitandum esse.

Anchora superior ponitur, vbi aliqua res magna omnino est.

Anchora inferior vbi aliquid vilissimè aut inconuenientius denunciatum est.

Κορωνὶς nota tantùm in fine libri apponitur.

Λόγον nota quæ ad mendas adhibetur.

Fuerunt & aliæ librorum notæ pro agnoscendis ijs quæ per extremitates paginarum exponuntur. vt vbi lector in liminari huiusmodi signum inuenerit ad textum recurrens eiusdem sermonis vel versiculi, sciat esse expositionem cuius similem superiacentem notam inuenerit.

De notis vulgaribus. CAP. XXI.

VVlgares notas Ennius primus mille & centum inuenit. Notarum vsus erat, vt quicquid pro concione vel contentione, aut in iudicijs diceretur, librarij scriberent complures simul astantes, diuisis inter se partibus, quot quisque verba, & quo ordine exciperet. Romæ primus Tullius Tiro Ciceronis libertus cõmentatus est notas. sed tantum præpositionum. Post eũ Tertius Persannius, Philargius, & Aquila libertus Mecænatis alius alias addiderunt. Deinde Seneca, cõtracto omnium digesto q; & aucto numero, opus effecit in quinq; milia. Notę aũt dictæ, eo quod verba vel syllabas prefixis characteribus notẽt, & ad notitiam legentium reuocent; quas qui didicerunt propriè iam notarij appellantur.

De notis iuridicis. CAP. XXII.

QVædam autem literæ in libris iuris verborum suorum notæ sunt, quo scriptio celebris breuior fiat. Scribebatur enim verbi gratia per B & F bonum factum. per s & c senatus consultum. per R & p. respublica. per p & r. populus Romanus. per d. & t. dũtaxat: per supinam u literam mulier. per p secundum natũram pupillus: per P verso capite, pupilla. per vnum k kaput. per duo kk iuncta kalumniæ kausa: per i & e, iudex esto. per d & m. dolũ malũm. Cuius generis plurimæ consimiles notæ in libris antiquis inueniuntur. Has iuris notas nouitij imperatores à codicibus legum abolendas sanxerunt: quia multos per has callidi ingenio ignorantes decipiebant, atque ita iusserũt scribendas in legibus literas, vt nullos errores, nullas ambages afferant, sed sequenda & vitanda apertè demonstrent.

De notis militaribus. CAP. XXIII.

IN breuiculis quoque quibus militum nomina continebantur, propria nota erat apud veteres, quæ inspiceretur, quanti ex militibus superessent, quantique in bello cecidissent. T nota in capite versiculi posita superstitem designabat. ⊙ verò ad vniuscuiusque defuncti nomen apponebatur. Vnde & habet per medium telum, Idest mortis signum. de qua Persius ait.

Et potis est nigrum vitio præfigere theta.

Cum autem pueritiam significare vellent, A litera vsi sunt: sicut mortem significabant cum ponebant thera ad caput. In stipendiorum quoque largitione proprię erant notæ.

De notis literarum. CAP. XXIV.

NOtas etiam literarum inter se veteres faciebant, vt si quid occultè inuicem scriptura significare vellent mutuo scriberent. testis est Brutus, qui vsus ijs literis ea quæ acturus erat, notabat, ignorãtibus alijs quid sibi vellẽt eæ literæ. Cæsar quoq; Augustus ad filiũ, cum inquit, Innumerabilia incidũt assiduè « quę scribi ad alterutrũ oportet, & esse secreta. ha « beamus ergo inter nos notas si vis tales, vt cũ a- « liquid notis scribendũ erit, pro vna quaq; litera « scribamus sequentẽ hoc modo, pro a, b. pro b, c. « & deinceps eadẽ ratiõe cæteras. pro z aũt, litera « redeun-

© Biblioteca Nacional de España

redeundum erit ad duplex a a. Quidametiam versis verbis scribebant.

De notis digitorum. CAP. XXV.

SVnt quædam & digitorum notæ, sunt & oculorum, quibus secum taciti proculque distantes colloquuntur: sic mos est militaris, vt quoties consentiat exercitus, quia voce non potest, manu promittat. alij quia voce non possunt, gladiorum motu salutant. Ennius de quadam impudica, Quasi in choro pila ludens, dotatim dat sese, & communem facit. Alium tenet, alij adnutat, alibi manus est occupata, alij peruellit pedem, alij dat anulum spectandum, & labris alium inuocat. cum alio cantat, attamen alijs dat digito literas. Et Salomon: Annuit oculo, terit pede, digito loquitur.

De Ortographia. CAP. XXVI.

ORtographia Græcè, Latinè recta scriptura interpretatur. ὀρθὴ enim Græcè recta: γραφὴ, scriptura dicitur. Hæc disciplina docet quemadmodum scribere debeamus. Nam sicut ars tractat de partium declinatione, ita orthographia de scribendi peritia: vt puta ad, cùm est præpositio, d, literam, cùm est coniunctio, t literam accipit.

Haud, quando aduerbium est negandi d litera terminatur, & aspiratur in capite. quando autem coniunctio disiunctiua est, per t literam sine aspiratione scribitur.

Apud præpositio per d scribitur, sicut ad. vt apud patrem. quoniam veteres sæpe apud pro ad vsi sunt, duabus ex ijs medijs literis subtractis.

Interdum autem aliæ literæ in locum aliarum literarum ritè ponuntur. B & p literis quędam cognatio est. Nam pro Pyrrho dicimus Birrhum. C, & g quandam cognationem habent. Nam cùm dicimus centum & trecentos, postea dicimus quadringentos, g ponentes pro c. porrò inter c & q quædam cognatio est. nam huiusce per c. cuiusque per q scribimus. Cùm autem præpositio per c scribenda est, si autem aduerbium fuerit, per q.

Dicimus enim quum lego, Deus per e solam: dæmon per æ dyphthongon est notandus.

Equus quod est animal, per e scribendus. Æquus quod est iustus, per æ dyphthongon est scribendus. Exul addita s debet scribi: quia exsul dicitur, qui extra solum est. Exultat, melius sine s litera scribitur. Nam cum ipsa x ex c & s constat, quomodo cùm in ea sit s rursus ei additur alia?

Æquor per dyphtongon scribendum, quia non ab aqua, sed ab æqualitate nomen est factum.

Forsitan per n in fine scribendum, quia integrum eius est Fortè si tandem.

Fedus quod est deformis, per e solam scribendum: fœdus quod est pactum, cum œ dyphthongo scribendum.

Formosus sine n scribitur: quia à forma vocatur.

Gnatus quod est filius, per g scribendum: quia facit generatus.

H, quæ aspirationis nota est, in Latino tantùm vocalibus iungitur: vt honor, homo, humus. Aspiratur autem & consonantibus. sed in Græcis & Hebræis nominibus. Heus autem & heu interiectiones per h scribendæ.

I literam inter duas vocales constitutam bis scribi quidam existimabant, vt Troia Maia, sed hoc ratio non permittit. Nunquam enim tres vocales in vna syllaba scribuntur. Sed I litera inter duas vocales constituta, pro dupla habetur.

Id, pronomen neutri generis per d scribitur, ab eo quod est is, ea, id: quia facit idem. Quòd si verbũ est tertiæ personæ per t notabitur, ab eo quod est eo, is, it: quia facit itur.

K literam antiqui præponebant quoties a sequebatur, vt kaput, * kama, kalamus. Nunc autem Kartago & kalendæ per eandem tantùm scribuntur. Omnia autem Græca nomina qualicunque sequente vocali per k sunt scribenda. * Kanna

Lætus per æ dyphthongon scribitur: quia lætitia à latitudine vocata est, cui contraria est tristitia, quæ angustiam facit. L autem litera interdum pro d litera vtimur. vt latum pro datum, & calamitate pro cadamitate. à cadendo enim nomen assumpsit calamitas.

Maxumus an maximus, & si quæ similia sunt, qualiter scribi debeant quæsitum est. Varro tradidit Cæsarem per i huiusmodi verba enunciare & scribere solitum esse. inde propter auctoritatem tanti viri consuetudinem factam, vt maximus, optimus, pessimus scribatur.

Malo per vnum l scribendum: quia magis est volo, Malle per duo ll, quia est magis velle: Volo, nolo per vnum l. velle & nolle per duo. Nolo enim, non volo est, nolle non velle.

Os si vultum aut ossa significat per o solam scribendum est, si personam h præponenda est.

Ora finium per o. hora diei, per h scribendum.

Onus si de onere venit per o solam scribendum; si de honore, cum h aspiratione.

Præpositio, & præterea, per æ dyphthongon scribendum.

Penè verò quod est coniunctio per e.

Pœna quod est supplicium, per œ.

Q litera tunc rectè pręponitur, cùm illã statim u litera sequitur, & alia quælibet vna plurésve vocales iunguntur, ita vt vna syllaba fiat. Cætera per c scribuntur.

Quæ, pronomen cum a scribendum. que coniunctio, sine a.

Quid, per d literam scribitur cùm pronomen est,

© Biblioteca Nacional de España

est, per t, cùm verbum: cu'us positio prima est queo quis quit, & in compositione nequeo, nequis, nequit.

Quod quando Pronomen est, per d scribendum. quando numerus, per t: quia totidem per t scribitur.

Quotidie per q scribendum non per c, vt sit quot diebus.

R litera communionem habet cum s litera. Itaque apud antiquos honos, labos, arbos dicebatur. nunc honor, labor, arbor.

Sat per t scribi oportet, quia integrum eius facit satis.

Sed, per d oportet scribi. apud antiquos enim sedum dicebatur, nos finales duas literas abscidimus.

Tantus sicut & quatus in medio m habebāt. Quàm enim & tam. vnde & quantitas, quantus, tantus.

Væ interiectio cum a scribenda. Vę coniunctio, sine a.

Christus quia Græcum est per X id est Ch scribendum. ita Chrisma.

Y & Z literis sola Græca nomina scribuntur. Nam cum iusticia z literæ sonum exprimat, tamen quia Latinum est, per t scribendum est. Sicut militia, malitia, nequitia, & cætera similia.

In dubijs quoque verbis consuetudo veterum erat, vt cum eadē litera alium intellectum correpta, alium producta haberet, longæ syllabæ apicem apponebant. vtputa populus an arborem significaret, an hominū multitudinem, apice distinguebatur. sic & vbi literæ consonantes geminabātur, Sicilicū superponebāt, vt sella, serra, asseres. Veteres enim nō duplicabāt literas, sed supra sicilicos apponebāt. qua nota admonebatur lector geminandam esse literam: & Sicilicus, quia in Sicilia inuentus est primò.

De Analogia.

ANalogia Græcè, Latinè similium comparatio, siue proportio nominatur. Cuius hæc vis est, vt quod dubium est, ad aliquod simile quod non est dubium referatur, vt incerta certis probentur. Octo autem modis comparatio analogiæ colligitur, id est qualitate, comparatione, genere, numero, figura, casu, extremitatibus similium syllabarum, & similitudine temporum. Si quidem de ijs vnum defuerit, iam non est analogia, id est, similitudo; sed est anomalia, id est, extra regulam, vt lupus & lepus, totum conuenit, sed dissentiunt casu: facit enim lupi, leporis. Nam regulariter est, dum quæris vtrum trames masculinum an fœmininum sit, similis est illi in omni declinatione limes; & erit masculinum. Item funis si incerti generis esse credis, similis est illi panis in declinatione, & erit masculinum. Item ex comparatione positiuorum: vt si dicas, doctus, magnus, positiui sunt & sui similes. Fit & per diminutionem, vtputa funem masculinum esse funiculus ostendit. sicut marmor neutri generis esse, marmusculum indicat. Nam quod genus in principalitate est, id esse solet in diminutione. sed hoc non semper, vt pistrinum pistrilla. sed scire debemus ex positione, id est, primitiuo, declinationem, & ex diminutione genus colligere.

De Etymologia.

ETymologia est origo vocabulorum, cùm vis verbi vel nominis per interpretationem colligitur. Hanc Aristoteles Σύμβολον, Cicero annotationem nominauit: quia nomina & verba rerū nota facit exemplo proposito, vtputa flumen, quia fluendo creuit, à fluendo dictum. Cuius cognitio sæpe vsum necessarium habet in interpretatione sua. Nam cùm videris vnde ortum est nomen, citius vim eius intelligis. Omnis enim rei inspectio etymologia cognita planior est. Non autem omnia nomina à veteribus secundum naturam imposita sunt, sed quędam & secundum placitum: sicut & nos seruis & possessionibus interdum secundum quod placet nostræ voluntati nomina damus. Hinc est quòd omnium nominum etymologiæ non reperiuntur: quia quædam non secundum qualitatem qua genita sunt, sed iuxta arbitrium humanæ voluntatis vocabula acceperunt. Sunt autem etymologiæ nominum, aut ex causa datæ, vt reges à rectè agendo: aut ex origine, vt homo quia sit ex humo: aut ex contrarijs, vtà lauando lutum, dum lutum non sit mundum, & lucus, quia vmbra opacus, parum luceat. Quædam etiam facta sunt ex nominum deriuatione, vt à prudentia prudens. quædam etiam ex vocibus, vt à garrulitate garrulus. quædam ex Greca etymologia orta & declinata sunt in Latinum, vt sylua, domus, Græcè ὕλη, δῶμα. Alia quoque ex hominibus locorum vrbium vel fluminum traxerunt vocabula. Multa etiam ex diuersarum gentium sermone vocantur. Vnde & origo eorum vix cernitur. Sunt enim pleraque barbara nomina incognita Latinis & Græcis.

De glossis.

GLossa Græca interpretatione linguæ sortitur nomen. Hanc Philosophi aduerbium dicunt: quia vocem illam de cuius qualitate requiritur, vno & singulari verbo designat. Quid enim illud sit in vno verbo positum declarat, vt Conticescere est tacere. Item, Latus haurit apertum: haurit, percutit. Item cum terminum dicimus finem: aut populatas interpretamur esse vastatas, & omnino cùm vnius verbi rem vno verbo manifestamus.

De differentijs.

DIfferentia est species definitionis, quam scriptores artium de eodem & de altero nominant. Hæc enim duo quadam inter

© Biblioteca Nacional de España

se communione confusa, coniecta differētia secernuntur, per quā quid sit vtrūq; cognoscitur: vt cum quæritur, quid inter regem sit & tyrannum, adiecta differentia quid vterq; sit definitur, vt Rex modestus & tēperans, tyrannus verò crudelis. Inter hæc enim duo differentia cum posita fuerit, quid sit vtrumque cognoscitur. sic & cætera.

De barbarismo.

BArbarismus est verbum corrupta litera vel sono enunciatū. litera, vt floriet, dum florebit dicere oporteat. sono, si pro media, prima syllaba producatur, vt latebrę, tenebræ. Appellatus autē barbarismus à barbaris gentibus, dum latinę orationis integritatem nescirent. vna quæq; enim gens facta Romanorum cū suis
al. opibus. * operibus, vicia quoq; & verborum & morum Romam transmisit.

Inter barbarismum aūt & barbarolexim hoc interest, quòd barbarismus in verbo latino fit, dum corrumpitur: quando aūt barbara verba latinis eloquijs inseruntur, barbarolexis dicitur. Item quando in prosa vitium fit sermonis, barbarismus vocatur: quando in metro, metaplasmus dicitur.

Barbarismus autem fit scripto & pronunciatione. Scripto iiij modis, si quis in verbo literā vel syllabam adijciat, mutet, transmutet, vel minuat. Pronunciatione autem fit in temporibus, tonis, aspirationibus, & reliquis quæ sequūtur. Per tempora quippe fit barbarismus, si pro longa syllaba breuis ponatur, aut pro breui longa. Per tonos, si accētus in alia syllaba cōmutetur. Per aspirationem, si adijciatur h litera vbi non debet, aut detrahatur vbi esse oportet. Per hiatū, quoties in pronunciatione scinditur versus antequam compleatur: siue quoties vocalis vocalem sequitur. ut Musae Aonides. Fit barbarismus & per Motacismos, iotacismos, & Labdacismos.

Motacismus est quoties m literam vocalis sequitur ut bonum aurum, iustum amicum, sed & hoc vitium aut suspensione m literæ, aut detractione vitamus.

Iotacismus est quoties in iota litera duplicatur sonus, ut Troiia, Maiia. vbi earum literarū adeo exilis erit pronunciatio vt vnum iota non duo sonare videatur.

Labdacismus est, si pro vno l duo pronuncientur, vt Afri faciunt. sicut Colloquiū pro cōloquium: vel quoties vnum l exilius, duo largius proferimus, quod contra est. Nam vnū largius, duo exilius proferre debemus.

Collisio est quoties nouissimæ syllabæ finis in alterius principio est, vt matertera,

De solœcismo.

SOlœcismus est plurimorum verborum inter se inconueniens compositio: sicut barbarismus vnius verbi corruptio. Verba enim non recta lege cōiuncta solœcismus est. vt si quis dicat, inter nobis, pro inter nos. aut dare veniam sceleratorum, pro sceleratis. Dictus aūt solœcismus à ciuibus Silicibus: qui ex vrbe Solœ quæ nunc Pompeiopolis appellatur, profecti, cum apud Italos commorantes, suam & illorum linguam vitiosè inconuenienterq; confunderent, solœcismo nomē dederūt. Vnde & similiter loquentes, solœcismos facere dicuntur.

Solœcismus autem apud poetas schema dicitur, quoties in versu necessitate metri factus inuenitur. Cum autem non inuenitur necessitas, permanet solœcismi culpa.

Solœcismus fit duobus modis: aut per partes orationis, aut per accidētia partium orationis. Per partes orationis fit, si alteram partem pro altera ponamus: vtputa si præpositiones aduerbijs applicemus. Per accidentia fit, id est per ea quæ accidunt partib. orationis, vtputa per qualitates, genera, numeros, figuram, casus. Per ista igitur omnia fiūt solœcismi, sicut Donatus exposuit. fiunt præterea & plurimis modis. Nam Lucilius centum genera solœcismorum dixit, quos oēs vitare potius quàm sequi debet, qui regulam rectè loquendi studet tenere.

De vitijs.

VItia apud Grammaticos illa dicuntur quæ in eloquio cauere debemus. Sunt autem hæc, barbarismus, solœcismus, acyrologia cacemphaton, & reliqua.

Barbarismus est corruptio verbi vnius. vt si tertiam syllabam quis producat in Ignoscere.

Solœcismus cōpositio vitiosa verborū. vt si aliquis dicat, inter hominibus, pinter homines.

Acyrologia non propria dictio, vt, Liceat sperare timenti. Proprium est autem timenti formidare, non sperare: & gramineo in campo. Proprium est graminosum dicere campum, non gramineum.

Cacemphaton dictio obscœna vel incompositè sonans. Obscœna, vt His animum arrecti dictis. Incōposita, vt, Iuuat ire & Dorica castra videre. Mala enim compositio fit ab ea syllaba incipere, qua superior finierat. sed & si alio modo quolibet incomposita dictio proferatur, cacemphaton dicitur.

Pleonasmos adiectio vnius verbi superuacua: vt, in Virgilio

Hactenus aruorum cultus & sidera cœli.

Neq; enim alibi nisi in cœlo sunt sidera.

Perissologia adiectio plurimorum verborum superuacua, vt viuat Ruben & non moriatur: dum non sit aliud viuere quàm non mori. Est in Esaia, Aure audietis. Et apud Ioannē, Quod vidimus oculis nostris, dum nō aliter videmus nisi oculis. Et, Locutus sum lingua mea.

Macrologia longiloquium, res non necessarias comprehendens, vt Legati nō impetrata pace retrò vnde venerant domum reuersi sunt.

Tautologia, id est eloquium iteratū, vt Si fata virum seruant, si vescitur aura etherea, neque adhuc crudelibus occupat vmbris. Totū enim quod

© Biblioteca Nacional de España

quod repetitur vna res est, sed crebro sermone enunciata.

Eclipsis est defectus dictionis, in quo necessaria verba desunt, vt, Cui pharetra ex auro: deest enim, erat.

Tapinosis est humilitas, statum magnæ rei dictis infirmans: vt,

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Gurgitem posuit pro mari.

Kacosintheton vitiosa compositio, vt,

Versaq; iuuencum Terga fatigamus hasta.

Amphibologia, ambigua dictio: quæ fit aut per casum accusatiuum, vt illud responsum appollinis ad Pirrhum:

Aio te Æacida Romanos vincere posse:

In quo nõ est certum, quem in illo versu monstrauerit esse victorem. Fit & amphibologia per incertam distinctionem: vt Bellũ ingens geret Italia. Incerta distinctio, vtrum bellum ingens, aut ingens Italia. Fit & per commune verbum, vt si quis dicat Criminatur Cato: vadatur Cicero: præstolatur Brutus: dedignatur Antonius, nec addat quem, vel à quo. Cato enim Philosophus aliorũ crimina reprehendebat: Cicero defensor causarũ erat: Vades enim dicũtur, qui legaliter causas agunt. Sed in hac ambiguitate nõ ostendit quem criminetur Cato, pro quo agat Cicero. Vadat enim id est causam agit, & non dicit cuius. Fit & per homonymia, quãdo vno nomine multa significantur: vt acies, & non addas aut ferri, aut oculorum, aut militum.

De metaplasmis.

Metaplasmus Græcâ lingua, Latinè dicitur transformatio. qui fit in vno verbo propter metri necessitatem, & licentiã poetarum, cuius species hæ sunt.

Prothesis appositio in principio verbi, vt gnato pro nato. Epẽthesis appositio in medio, vt relliquias, pro reliquias. & maneant in relligione nepotes, pro religione.

Paragoge appositio in fine, vt admittier, pro admitti, & potestur, pro potest.

Aphæresis, abscisio de principio, vt temno p̃ contemno.

Syncope, abscisio de medio, vt forsan, pro forsitan.

Apocope, abscisio de fine, vt sat pro satis.

Ectasis, productio cõtra naturam, vt, Italiam fato profugus &, Exercet Diana choros.

Systole, correptio contra naturam. Aquosus Orion, &, Vrbemq; Fidenam, cũ prima syllaba produci debeat.

Dieresis discissio vnius syllabę in duas, vt Diues pictai vestis, pro pictę, & aulai pro aulæ.

Episynalœphe, cõglutinatio duarum in vnã, vt prende coronas, & ianva pro ianua.

Synalœphe, collisio vocaliũ adiuncta vocalibus: vt,

Atq; ea diuersa penitus dum parte geruntur.

Eclipsis, collisio consonantiũ cũ vocalibus: vt,

Multum ille & terris iactatus & alto.

Antithesis, contraria positio literæ pro alia litera. impete pro impetu, & olli pro illi.

Metathesis, transpositio literæ, vt Euandre pro Euander, Timbre pro Timber.

Inter barbarismum & figuras hoc est latinã & perfectam elocutionem esse dicũt Metaplasmum, qui in vno sermone, ratione sit vitiosus. Itẽ inter solœcismũ & schema, id est, perfectã cõnexionem sermonum, figura est, quæ fit contextu sermonum ratione vitiosa. Ergo metaplasmi & schemata media sunt: & discernũtur peritia & imperitia. Fiunt autem ad ornatum.

De schematibus.

Schemata, ex Græco in Latinũ eloquiũ figuræ interpretantur, quæ fiunt in verbis vel sententijs per varias distinctionum formas propter eloquij ornatum. Hæc dum multa sunt apud Grammaticos, ista inueniuntur.

Prolepsis est præsumptio, vbi ea quæ sequi dicunt, anteponuntur: vt, Interea reges ingenti mole Latinus. Debuit enim sic dicere, Interea reges ingenti mole, & statim adijcere quod sequitur. Procedũt castris. deinde dicere Latinus, &c. sed facta est pro ornamento præsumptio rei, & qui sequi debuere reges interpositi sunt in septẽ versibus, & postea additum est, Procedunt castris. Inde prę̃sumptio, quia anteposita sunt quę sequi debuere.

Zeugma est clausula, cum plures sensus vno verbo clauduntur, quæ fit tribus modis. Nam aut in primo, aut in postremo, aut in medio id verbũ ponitur, quod sentẽtias iungit. In primo, vt, Vertitur œnophori fundus sententia nobis, In medio, vt, Græcia Sulpitio sorti data, Gallia Cottæ. In postremo, vt, Nãq; hoc tempore Obsequium amicos, veritas odium parit.

Hypozeuxis est figura superiori contraria, vbi in singulis sensibus propria vnicuiq; clausula est: vt, Regem adit, & regi memorat nomenq; genusq;.

Syllepsis est in dissimilibus clausulis, aut pluralis dictio singulari verbo finita, vt, Socijs & rege recepto. aut singularis dictio plurali verbo expleta, vt, Sunt nobis mitia poma, Castaneæ molles, & pressi copia lactis. Supra enim sunt dixit. Hic debuit dicere, Est pressi copia lactis.

Fit autem Syllepsis non solum per partes orationis, sed & per accidentia partibus orationis. Nam vbi & pro multis unus, & pro vno multi ponuntur, syllepsis est. pro multis vnus, vt est illud, Vterumq; armato milite complẽt. cum nõ vno, sed multis militibus. Itẽ pro vno multi, vt in Euangelio, Latrones qui crucifixi erãt cũ eo improperabant ei. vbi pro vno vterq; inducitur blasphemasse.

Anadiplosis est, quãdo ab eodem verbo quo prior versus finiuit, sequens versus incipit, vt est illud,

Certent & cignis vlulæ, sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in syluis, inter delfinas Orion.

Anaphora est repetitio eiusdẽ verbi per principia versuum plurimorum, vt, Nec te Dar-

© Biblioteca Nacional de España

Nos te Dardania incensa tua qui arma secuti,
Nos tumidum sub te permensi classibus æquor.

Epanaphora est invno versu per principia sensuum eiusdem verbi repetitio, vt

Te nemus Angitiæ vitrea te Fucinus vnda.
Te liquidi fleuere lacus.

Epizeusis in vno sensu congeminatio verbi, vt, Sic sic iuuat ire sub vmbras.

Epanalepsis est sermonis inprincipio versus positi, eiusdem in fine replicatio, vt est illud,

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

Paranomasia est in significatione diuersa dictio penè ipsa, vt illud, Abire an obire te conuenit, id est exulem fieri, an mori.

Schesis onomaton, multitudo nominũ coniunctorum quodam ambitu copulata, vt, Nubila, nix, grando, procellæ, fulmina, venti.

Paromœon est multitudo verborum ex vna litera inchoantium, quale est apud Ennium,

O Tite tute Tati tibi tanta tiranne tulisti.

Sed hoc bene tẽperat Virgilius dũ nõ toto versu vtitur hac figura, vt Ennius, sed nũc inprincipio versus tantùm, vt est illud. Sęua sedẽs super arma. nunc in medio, vt,

Quæq; lacus latè liquidos, quæq; aspera dumis.

Nunc autem in fine, vt,

Sola mihi tales casus Cassandra canebat.

Homoptoton est cum plurima nomina per vnum casum denunciantur, vt est illud,

Sed neq; currentem, sed nec cognoscit euntem,
Tollentemq; manus saxumq; immane mouentem.

Homoteleuton est cum vno modo verba plurima finiuntur, vt abijt, abcessit, euasit, erupit.

Polyptoton est cum diuersis casibus sententia variatur, vt,

Ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti.
Marci dona papè Marco spondente recusas.
Marcus dixit ita est, assigna Marce tabellas.

Hirmos est sententia continuatæ orationis tenorem suum vsq; ad vltimum seruans, vt,

Est in secessu longo locus, insula portum, & reliqua.

Hinc enim in lõgum vadit sensus vsq; ad illud,

Desuper horrendis atrum nemus imminet vmbris.

Polysyntheton est dictio multis concatenata coniunctionibus, ut,

Tectumq;, laremq;, armaq;, Amicleumq; canem.

Dialyton vel asyntheto figura est, quę è contrario sine coniunctionibus solutè ac simpliciter effertur, vt Venimus, vidimus, placuit.

Antitheton est, vbi contraria contrarijs oppo nuntur, & sententiæ pulchritudinem reddunt, vt illud.

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis:
Mollia cum duris: sine pondere, habentia pondus.

Hypallage est quotiescunq; per contrarium verba intelliguntur, vt, Dare classibus Austros, cum ventis naues demus, non nauibus ventos.

De tropis.

TRopos Græco nomine Grammatici vocant, qui Latinè modi locutionum interpretãtur. Fiunt aũt à propria significatiõe ad non propriam similitudinem. Quorum omnium nomina difficillimum est annotare, sed ex omnibus Donatus xiij vsui tradendos conscripsit.

Metaphora est verbi alicuius vsurpata trãslatio, sicut dicimus, fluctuare segetes, gemmare vites, dum in ijs rebus fluctus & gemmas non inuenimus, in quibus hæc verba aliunde trãsferuntur: sed hæ atq; aliæ tropicæ locutiones ad ea quæ intelligenda sunt propterea figuratis amictibus obteguntur, vt sensum legentis exerceant, & ne nuda atq; in prõptu posita vilescãt.

Fiunt autem metaphoræ iiij modis. ab animati ad animale, vt,

Aligeros conscendit equos.

Metaphoricè loquens miscuit quadrupedi alas auis, & quo cursu deserta petiuit, miscuit volatili cursum quadrupedis. Ab inanimali ad inanimale, ut,

Pontum pinus arat, sulcum premit alta carina.

Miscuit vsum terræ aquis, dum arare & sulcum premere ad terram pertineat, non ad mare. Ab inanimali ad animale, vt florida iuuẽtus: miscuit flores inanimales, iuuentuti quæ animam habet: Ab animali ad inanimale, vt,

Tu Neptune pater cui tempora cana crepanti
Cincta salo resonant, magnus cui perpete mento
Profluit Oceanus, & flumina crinibus errant.

Mentum enim & tempora & crines non ad Oceanum pertinent, sed ad homines. Sic & alia rerũ nomina de alio genere in aliud genus decentissime decoris gratia trãsferũtur, vt oratio perornetur. Metaphora autem aut partis vnius est, vt fluctuare segetes, non põtes dicere segetare fluctus: aut antistropha est, id est, reciproca, vt remigium alarum. Nam & alę nauium & alarum remigia dicuntur.

Catachresis, est alienæ rei nomen appositũ: & eo à metaphora differt, quòd illa, vocabulum habenti largitur aliud: hæc quia non habet proprium, alieno vtitur: vt, Faciemq; simillima lauro: &

Nunc vna ambæ iunctisq; feruntur, Frontibus, & longa sulcant vada salsa carina:

Dum facies, & frons, tantùm animalium & hominum sint. Quod nomen si poeta non apposuisset naui, quid proprium eidem parti diceret non haberet.

Metalepsis tropus à præcedente indicans quod sequitur.

Inq; manus cartæ nodosaq; venit arundo.

Nam per manum verba, per arundinem literæ significatæ sunt.

Metonomia est trãsnominatio ab alia significatiõe ad aliã proximitatẽ trãslata. Fit aũt multis modis. aut enim per id quod continet, id qd cõtinetur ostẽdit, vt theatra plaudũt, prata mugiunt: dũ illic homines plaudãt, hic boues mugiant: aut cõtrà per id qd cõtinetur id qd cõtinet, vt, Iã pximus ardet Vcalegõ, dũ nõ ille sed domus eius arderet. Itẽ per inuentorẽ id qd inuẽtũ est, vt, Sine Cerere & libero friget venus: &

Commixtam Vulcanus mittit ab astra famillam.

© Biblioteca Nacional de España

Vult enim per Cererem frumenti inuentricem intelligere panem: per Liberum inuentorem vitis, vinum: per Venerem libidinem: per Vulcanum, ignem. At contrà per Inuentum inuentorem demõstrant. vt, vinum precamur pro Libero qui vinum apud Græcos inuenit. Item per efficientem, id quod efficitur, sicut Pigrum frigus, quòd pigros homines faciat: & timor pallidus, eo quòd pallidos homines reddat. At cõtrà per id quod efficitur efficiens: vt, Iungit equos auri genitor, spumãtiaq; addit fræna loris. Spumantia frena dixit, cũ vtiq; non ipsa faciant spumas, sed equus, q̃ ea gerit spumis conspergat infusis.

Antonomasia est pro nomine, id est vice nominis posita, vt Maia genitus pro Mercurio. Qui tropus fit tribus modis. ab animo, vt magnanimusq; Anchisiades. a corpore, vt ipse arduus: extrinsecus. ut,

Infelix puer atq; impar congressus Achilli.

Epitheton suprapositum nomen. prępponitur enim ąpriò nomini. vt Alma Ceres, obscœniq; canes, importunæq; volucres. Inter antonomasian autem & epitheton hoc differt, quòd antonomasia, pro vice nominis ponitur: Epitheton autẽ nunquam sine nomine est. Quibus duobus tropis vel vituperamus aliquem, vel ostendimus, vel laudamus.

Synecdoche est conceptio: cũ à parte totũ, vel à toto pars intelligitur. Eo enim & per speciem genus, & per genus species demõstratur: sed species pars est, genus autem totum. A toto enim pars intelligitur. vt,

Quum multæ glomerantur aues, ubi frigidus annus
Transpontum fugat.

Non enim totus annus est frigidus, sed pars anni. id est hiems. At contra à parte totum, vt,

Flammas cum regia puppis Extulerat.

Vbi nõ solũ puppis, sed nauis: & non nauis, sed qui in ea: & non omnis, sed vnus flãmas extulit.

Onomatopœia, nomẽ fictum ad imitandum sonum vocis confusæ, vt stridor valuarum, mugitus boum, balatus ouium.

Periphrasis est circũloquium: dum res vna plurimis verbis significatur, vt auras vitales carpit. Significauit enim per copulationem verborum vnam rem, hoc est, viuit. Hic autem tropus geminus est. Nam aut veritatem splendidè producit, aut fœditatem circuitu euitat. Veritatem splendidè producit, sicut.

Et iam prima nouo spargebat lumine terras
Titoni croceum linquens aurora cubile.

Vult enim dicere, iam lucescebat, aut dies ortus, erat. Fœditatem circuitu euitat, sicut:

Placitumq; petiuit Cõiugis infusus gremio per membra soporem.

Hoc enim circuitu euitat obscœnitatem & decenter ostendit concubitum.

Hyperbaton est transcẽsio, cum verbum aut sententia commutatur. Huius species quinque sunt, Anastrophe, Hysteron proteron, parenthesis. tmesis, synthesis.

Anastrophe verborum ordo prępposterus, vt, littora circum, pro circum littora.

Hysteron proteron, sententia ordine commutata: ut,

Postquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit.

Ante enim ad ęquora venit, & sic tetigit fluctus.

Parenthesis, vbi interponimus sententiã nostram, qua ex medio remota integer sensus perdurat, vt

Aeneas (neq; enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad naues præmittit Achatẽ.

Est enim ordo Aeneas rapidum prępmittit Achatem. Nam illud in medio parenthesis est.

Tmesis est sectio vnius nominis per interpositionem verborum: ut,

Multum ne bulæ circum Dea fudit amictum,

Pro circumfudit.

Synthesis est, vbi ex omni parte confusa sunt verba, vt illud,

—Iuuenes, fortissima frustra
Pectora, si vobis audendi extrema cupido est
Certa sequi, quæ sit rebus fortuna videtis.
Excessere omnes aditis arisq; relictis
Dij quibus imperium hoc steterat, succurritis vrbi
Incensæ, moriamur, & in media arma ruamus

Ordo talis est, Iuuenes fortissima pectora, frustra succurritis vrbi incensæ, quia excessere dij quibus hoc imperiũ steterat. Vnde si vobis cupido certa est me sequi, audentem extrema, ruamus in media arma & moriamur.

Hyperbole est excelsitas fidem excedens vltra quàm credendũ est: vt, sydera verberat vnda & Terram inter fluctus aperit. Hoc enim modo vltra fidem aliquid augetur: nec tamen à tramite significãdæ veritatis erratur, quamuis verba quibus indicatur excedant, vt voluntas loquentis non fallentis appareat. quo tropo non solũ augetur aliquid sed & minuitur: augetur, vt velocior aura: minuitur, ut, mollior pluma. durior saxo.

Allegoria est alieniloquium. aliud enim sonat, aliud intelligitur: vt,

Tres in littore ceruos Conspicit errantes.

Vbi tres duces belli punici, vel tria bella punica significantur. Et in Bucolicis, Aurea mala decẽ misi, idest ad Augustũ decem eglogas pastorũ. Huius tropi plures sunt species, ex quibus eminent vij. Ironia, Antiphrasis, Ænigma Charientismos, Parœmia, Sarcasmos, Astismos.

Ironia est sententia per pronunciationem contrarium habens intellectum. Hoc enim tropo callidè aut per accusationem, aut per insultationem aliquid dicitur. vt est illud:

Vestras Eure domos, illa se iactet in aula
Aeolus, & clausõ ventorum carcere regnet.

Et quomodo aula, si carcer est? Soluitur enim pronuntiatione. Nã carcer pronuntiatio est: iactet in aula, Ironia est, & totum per contrariam pronuntiationem enunciatur per Irõniæ speciem, quæ laudando deridet.

Antiphrasis est sermo è cõtrario intelligẽdus: vt lucus, quia caret luce per nimiam nemorum vmbram. & manes, id est mites & modesti, cum

© Biblioteca Nacional de España

sint terribiles & immanes, & Parcæ & Eumenides, id est, Furię quod nulli parcant vel benefaciant. Hoc tropo & nani Athlãtes, & cæci videntes, & vulgo Aethiopes argentei appellantur. Inter Ironiam autem & Antiphrasim hoc distat, quòd Ironia pronuntiatione sola indicat quod intelligi vult, sicut cum dicimus homini agenti male, Bonum est quod facis. Antiphrasis verò non voce pronuntiantis significat contrarium, sed ijs tantùm verbis, quorũ origo cõtraria est.

Enigma est quæstio obscura, quę difficilè intelligitur, nisi aperiatur: vt est illud, De comedẽte exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo: significans ex ore leonis fauũ extractũ. Inter allegoriam aũt & enigma hoc interest: quòd allegoria bis gemina est: & sub re alia aliud figuraliter indicat, Aenigma verò tatũ sensus obscurus est, & per quasdã imagines adumbratus est, vt: Quędam filia mater matris, & mater filiarũ filiæ suę.

Charientismos est tropus, quo dura dictu gratius proferuntur. vti cũ interrogantibus nobis, numquid nos quæsierit aliquis? respondetur, bona fortuna. Vnde intelligitur, neminem nos quæsisse.

Paroemia est rebus & temporibus accõmodatum prouerbium. Rebus, vt, Contra stimulũ calces: dum significatur aduersis resistendum. Tẽporibus, vt, Lupus est in fabula. Aiunt enim rustici vocem hominem perdere, si eum prior lupus viderit. Vnde & subitò tacenti dicitur illud prouerbium, Lupus in fabula.

Sarcasmos est hostilis irrisio, cũ amaritudine: vt

Referes ergo hæc & nuntius ibis
Pelidæ genitori, illi mea tristia factà,
Degeneremq; Neoptolemium narrare memento.

Huic contrarius est Astysmus, id est, vrbanitas sine iracundia: vt id,

Qui Bauium non odit, amet tua carmina Meui,
Atq; idem iungat vulpes & mulgeat hircos.

id est, qui Bauium non odit, pro pœna ei contingat vt diligat Meuium. Fuerunt autem Meuius & Bauius poetę pessimi, & inimici Virgilij. Qui hos ergo diligit, faciat quæ contra naturã sunt, id est, iungat vulpes & mulgeat hircos.

Ὁμοίωσις est, quę Latinè interpretatur similitudo, per quam minus notæ rei per similitudinẽ eius quæ magis nota est panditur demõstratio. Huius species sunt tres, icon, parabolę, paradigma, id est comparatio, exemplum.

Icon est imago, cum figuram rei ex simili genere conamur exprimere, vt,

Omnia Mercurio similia, vocemq; coloremq;,
Et crines flauos, & membra decora iuuentæ.

Cõgrua enim est similitudo de specie, cuius persona inducitur.

Parabola est comparatio ex dissimilibus rebus: vt, Qualis in aruis est ferè Lybiæ visus leo, cominus hostem consedit: vbi leoni Cæsarem cõparauit, non ex suo, sed ex alieno genere comparationem faciens.

Paradigma est exemplum dicti vel facti alicuius, aut ex simili, aut ex dissimili genere, conueniens ei, quã proponimus rei. ita, Tã fortiter perijt apud Hipponã Scipio, quã Vticæ Cato. Similitudo aũt tribus modis fit, à pari, à maiore, à minore. A pari,

Ac veluti magno in populo cum sæpe coorta est.
Seditio, à maiore ad minus,
Qualiter expressum ventis per nubila fulmen.
à minore ad maius.
Si potuit manes arcessere coniugis Orpheus,
Threicia fretus cithara, fidibusq; canoris.

quasi dicàt, re parua & breui, id est, si ille cithara fretus, ego pietate.

De prosa.

PRosa est producta oratio, & à lege metri soluta. Prosum enim antiqui productum dicebant & rectum. Vnde ait Varro, Apud Plautum prosis lectis significare rectis. vnde etiam quæ non est perflexa numero: sed recta, prosa oratio dicitur, in rectum producendo. Alij prosam aiunt dictam ab eo, quòd sit profusa, vel ab eo quòd spatiosius proruat & excurrat, nullo sibi termino præfinito. Præterea sciendũ tam apud Græcos, quàm apud Latinos longè antiquiorem curam fuisse carminũ, quàm prosæ. Omnia enim prius versibus condebantur, prosæ aũt studiũ serò viguit. Primus apud Græcos Pherecides Sirus soluta oratione scripsit. apud Romanos autem Appius Cæcus aduersus Pirrhũ solutam orationẽ primus exercuit. Iam exhinc & cęteri prosam orationem condiderũt.

De Metris.

MEtra vocata, quia certis pedũ mẽsuris atque spacijs terminãtur, neq; vltra dimensionẽ temporũ constitutam procedunt. Mensura enim Græcè μέτρον dicitur.

Versus dicti ab eo, quòd pedibus in ordine suo dispositis, certo fine moderantur per articulos: qui cęsa & membra nominãtur. Qui ne longius prouoluerentur, quàm iudiciũ posset sustinere, modum statuit ratio vnde reuerteretur, & ab eo ipso versum vocatũ dicũt, qd reuertatur.

Huic adhæret rythmus, qui non est certo fine moderatus: sed tamen rationabiliter ordinatis pedibus currit: qui Latinè nihil aliud quàm numerus dicitur. de quo est illud, Numeros memini si verba tenerem.

Carmen uocatur quicquid pedibus continetur: cui datũ nomẽ existimãt seu quòd carptim pronuntiaretur, vnde hodie lanã quã purgãtes discerpũt, carminare dicimus: seu quòd qui illa canerent, carere mente existimabantur.

Metra vel à pedibus nuncupata, vel à rebus quæ scribuntur, vel ab inuentoribus, vel à frequentatoribus, vel à numero syllabarum.

A pedibus metra vocata, vt dactilica, iãbica, trochaica. A trocheo enim trochaicũ metrũ nascitur, à dactilo dactilicũ: sic & alia à suis pedib. A numero verò exametrum, pentametrum, trimetrũ. Nam senarios versus nos ex numero pedum vocamus. Hos Græci quia geminos ferũt, trimetros dicunt. Exametros autẽ latinos primũ fecisse Ennius traditur, eosq; longos vocat.

Ab

© Biblioteca Nacional de España

Ab inuentoribus metra vocata dicuntur, vt Anacreonticum, Sapphicum, Archiloicum. Ná Anacreontica metra Anacreon Teius composuit. Sapphica, Sappho mulier edidit. Archiloicum, Archilochus quidá scripsit. Colophoniũ, Colophonius quidam exercuit. Sotadeorum quoq; repertor est Sotades genere Cretensis. Simonidia quoq; metra Simonides poeta liricus composuit.

A frequentatoribus, vt Asclepiadea. Non enim ea Asclepius inuenit: sed proinde ita vocata sunt, quòd eis idem frequentissimè, & elegantissimè vsus sit. 10

A rebus quæ scribuntur, vt heroicum, elegiacum, bucolicum. Heroicum enim carmen dictum, quòd eo virorum fortium res & facta narrentur. Nam heroes appellantur viri quasi aerij & cœlo digni propter sapientiam & fortitudinem: quod metrum auctoritate cætera metra præcedit, vnum ex omnibus, tam maximis operibus aptum quàm paruis, suauitatis & dulcedinis æquè capax. Quibus virtutibus nomen solum obtinuit, vt heroicum vocaretur ad memorandas scilicet heroum res, hoc est fortium. Ná & præ cæteris simplicissimũ habetur, constatq; duobus pedibus, dactilo & spondæo. ac sæpe penè vel ex hoc, vel ex illo, nisi quod temperantius fit vtriusq; mixtura, quàm si instruatur à singulis. Omnibus quoq; metris prius est. Hoc primum Moyses in cantico Deuteronomij, longè ante Pherecidem & Homerum cecinisse probatur. Vnde & apparet antiquius fuisse apud Hebræos studium carminũ, quàm apud Gentiles. Siquidem & Iob Moysi tẽporibus adæquatus hexametro versu dactilo spõdæoq; decurrit. Hoc apud Græcos Achatesius Milesius fertur primus cõposuisse: vel, vt alij putãt, Pherecides Syrus. quod metrũ ante Homerum Pythiũ dictum est: post Homerum heroicum nominatum. Pythium autẽ vocatum volunt, eo quòd hoc genere metri oracula Apollinis sint edita. Nam cum in Parnasso monte Pythonem serpentem in vindictam matris sagittis insequeretur, accolę Delphici hoc illũ metro hortati sunt, vt ait Terentianus. 20 30 40

Elegiacum autem dictum, eo quòd modulatio eiusdem carminis conueniat miseris. Terentianus hos elegos dicere solet: quòd clausula talis tristibus, vt tradunt, aptior esset modis. Hoc autem vix omnino constat à quo sit inuentum: nisi quia apud nos Ennius eo prior vsus est. Ná apud Græcos sic adhuc lex Grammaticorũ pendet: vt sub iudice res * relegata sit. Nam quidam eorum Colofonium quendam, quidam Archilochum auctorem atq; inuentorem volunt. 50

*relegata.

Bucolicum, id est, pastorale carmen plerique Syracusis primum compositũ à pastoribus opinantur: nonnulli Lacedęmone. Namq. transeunte in Thraciá Xerxe lege Persarum, cũ Spartanę virgines, sub hostili metu neq; egredi vrbẽ auderent, neq; pompam chorumq; agrestẽ Dianæ deę more exercerẽt: turba pastorũ ne religio periret, eundem inconditis cantibus celebrarunt. Appellatur autem Bucolicum de maiore parte: quamuis opilionum capratiorumq; sermones in ijs & cantica inserantur. 60

Hymnos primum Dauid propheta in laudẽ Dei composuisse, ac cecinisse manifestum est. Deinde apud Gentiles prima Memmia Timotoe fecit in Apollinem & Musas, quæ fuit tẽporibus Ennij longe post Dauid. Hymni autem ex Græco in Latinum laudes interpretantur.

Epithalamia sunt carmina nubentium, quæ decantantur à scholasticis in honorem spõsi & sponsæ. Hæc primum Salomon edidit in laudẽ ecclesiæ & Christi. Ex quo Gẽtiles sibi Epithalamium vendicarunt, & istius generis carmen assumptum hæsit. Quòd genus primum à Gentilibus in scænis celebrabatur, posteà tantùm in nuptijs hæsit. Vocatur autẽ epithalamium: eo quòd super thalamum decantetur.

Threnos, quòd Latinè lamentum vocamus, primus Ieremias versu composuit super vrbem Hierusalem & populum, quando captiuus ductus est. Post hũc apud Græcos Simonides poeta Liricus. Adhibebantur autem funeribus atq; lamentis: similiter & nunc.

Epitaphiũ Græcè, Latinè supra tumulũ. Est est enim titulus mortuorum, qui in dormitione eorũ fit qui iam defuncti sunt. Scribũtur enim ibi vita & mores & ætas eorum.

Poesis dicitur Græco nomine opus multorũ librorum: poema vnius. Idilion paucorum versuum. distichon duorũ: monostichõ unius.

Epigramma est titulus, quod in Latinũ super scriptio interpretatur. ἐπὶ enim super, γράμμα litera vel scriptiõ nominatur.

Epodõ in poemate clausula breuis est. Dictũ aũt epodon quòd adunatur ad speciẽ elegiaci, vbi præmisso vno lõgiori, alter breuior cõponitur, atq; ita in singulis quibusq; maioribus sequẽtes minores quasi clausulæ recinunt. Clausulas autem Lirici appellant, quasi precisos versus integris subiectos, vt est apud Horatium:

Beatus ille qui procul negocijs, deinde sequitur precisus, *vt prisca gens mortalium*: sic & deinceps alterni. quibus aliqua pars deest: & ipsi præcedentibus similes, sed minores.

Centones apud Grammaticos vocari solent, qui de carminibus Homeri vel Vergilij ad propria opera more centenario, ex multis hincinde cõpositis in vnum sarciuntur corpus, ad facultatem cuiusq; materiæ. Deniq; Proba vxor Adelfi centonem ex Virgilio de Fabrica mundi, & euangelijs plenissimè expressit. materia composita secundum versus, & versibus secundũ materiam concinnatis: sic quoq; & quidam Pomponius ex eo demum poemate inter cætera stili sui otia Tityrum in Christi honorem cõposuit: similiter & Aeneidos.

De fabula.

FAbulas poetę à fando nominauerunt: quia non sunt res factæ, sed tantùm fando fictæ. Quæ ideo sunt inductæ: vt ficto mutorum

© Biblioteca Nacional de España

animalium inter se colloquio imago quædã vitæ hominum nosceretur. Has primus inuenisse traditur Alcmon Crotoniensis: appellãtur Aesopicæ, quia is apud Frigiam in hac re pollebat. Sunt autem fabulæ aut Aesopicę, aut Lybisticę. Aesopicæ sunt, cum animalia muta inter se sermocinasse finguntur, vel quæ animam non habent: vt vrbes, arbores, montes, petræ, flumina. Lybisticæ autem dum hominum cum bestijs, aut bestiarũ hominibus fingitur vocis esse commericum.

Fabulas poetę quasdã delectandi cãusa finxerunt: quasdam ad naturas rerum: nonnullas ad mores hominum interpretati sunt. Delectandi causa fictas, vt eas quas vulgò dicunt, vel quas Plautus & Terentius composuerunt. Ad naturã rerũ fabulas fingũt: vt Vulcanus claudus, quia per naturam nũquam rectus est ignis, vt illa triformis bestia, prima leo, postrema draco, media ipsa Chimera: id est caprea, ætates hominum per eam volentes distinguere: quarum ferox & horrens prima adolescentia, vt Leo: dimidium vitæ tempus lucid.ssimum, vt caprea, eo quòd acutissimè videat: tunc fit senectus casibus inflexis, vt draco. Sic & Hippocentauri fabulam esse confictam, id est, hominem equo mixtum, ad exprimendam humanæ vitę velocitatẽ: quia equum constat esse velocissimum. Ad mores, vt apud Horatium mus loquitur muri: mustela vulpeculæ: vt per narrationem fictã ad id quod agitur verax significatio referatur. Vnde & Aesopi tales fabulæ sunt ad morum finem relatæ. vel sicut in libro Iudicũ ligna sibi regem requirunt, & loquuntur ad oliuam & ad ficum & ad vitem & ad rubum, quod totum vtiq; ad mores fingitur: vt ad rem quæ intẽditur, ficta quidem narratione, sed veraci significatione veniatur. sic & Demosthenes orator fabula vsus est aduersus Philippum, qui cum ab Athenienſibus postularet, vt sibi decem oratores darentur, vel discederet, finxit ille hanc fabulã, qua dissuaderet, dicens: lupos aliquando pastoribus quorũ diligentiam decipere voluissent, suasisse, vt in amicitiam conuenirent: ea tamen conditione, vt canes in quibus erat causa iurgiorum, iure illis traderentur: annuisse pastores, & in spẽ securitatis dedisse canes, quos ouium suarum vigilãtissimos custodes habebant. Tunc lupi adempta omni formidine, omne quod in gregibus illis erat, non pro satietate tantùm, verum etiam pro libidine lacerauerũt. Philippum hoc quoq; principes populi postulare, quo facilius posset opprimere spoliatam custodibus vrbẽ.

DE HISTORIA.

HISTORIA est narratio rei gestæ, per quam ea quæ in præterito facta sunt dinoscuntur. Dicta autem Græcè Historia ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, vel à videre, vel cognoscere. Apud veteres enim nemo conscribebat Historiam, nisi is qui interfuisset, & ea quæ scribenda essent vidisset. Melius enim oculis quæ fiunt deprehendimus, quàm ea quæ auditione colligimus. Quæ enim videntur, sine mendacio proferũtur. Hæc disciplina ad Grammaticam pertinet: quia quicquid dignum memoria est, literis mandatur. Historiæ autem ideo monimenta dicuntur, quòd memoriam tribuunt rerum gestarum. Series autem dicta per translationem à sertis florum inuicem comprehensorum.

De primis auctoribus historiarum.

HIstoriam autem primus apud nos Moyses de initio mundi cõscripsit. Apud Gentiles verò primus Dares Phrigius de Grę cis & Troianis historiam edidit: quam in folijs palmarum ab eo conscriptam esse ferunt. Post Daretem autem in Græcia Herodotus primus historiographus habitus est. Post quem Phærecides claruit ijs temporibus quibus Esdras legem conscripsit.

De vtilitate Historiæ.

HIstoriæ gentium non impediunt legentes in ijs quæ vtilia dixerunt. Multi enim sapientes præterita hominum gesta ad institutionem præsentium historijs tradiderunt. Siquidem & per Historiam summa retrò temporum annorumq; supputatio comprehenditur: & per consulum regumq; successum multa necessaria perscrutantur.

De generibus Historiæ.

GEnus Historiæ triplex est. Ephemeris nanq; appellatur vnius diei digestio. hoc apud nos Diarium vocatur. Nam quod Latini diurnum, Græci Ephemerida dicunt.

Kalendaria appellantur, quæ in menses singulos digeruntur.

Annales, sunt res singulorum annorũ. Quæcũq; enim digna memoriæ domi militięq; mari ac terræ per annos in commentarijs acta sunt, ab anniuersarijs gestis annales nominauerunt.

Historia autem multorum annorum vel temporum est: cuius diligentia annui commentarij in libris delati sunt. Inter Historiam autem & Annales hoc interest: quòd historia est eorum temporũ quæ vidimus: annales verò sunt annorum quos ætas nostra non nouit. Vnde Salustius ex historialibus, Eusebius & Hieronymus ex annalibus & historia constat. Inter Historiam, & argumentũ & fabulam interest. Nã Historiæ sunt res veræ, quę factæ sunt. argumenta sunt quæ etsi facta non sunt, fieri tamen possunt. fabulæ verò sunt, quæ nec facta sunt, nec fieri possunt, quia contra naturam sunt.

© Biblioteca Nacional de España

ISIDORI HISPALENSIS
EPISCOPI, ORIGINVM
SIVE ETYMOLOGIARVM
LIBER II.

CAPITA SECVNDI LIBRI.

1 *De Rhetorica eiusq; nomine.*
2 *De inuentoribus Rhetoricæ.*
3 *De nomine oratoris & partibus Rhetoricæ.*
4 *De tribus generibus causarum.*
5 *De gemino statu causarum.*
6 *De tripertita controuersia.*
7 *De quatuor partibus orationis.*
8 *De quinque modis causarum.*
9 *De syllogismis Rhetoricis.*
10 *De Lege.*
11 *De sententia.*
12 *De Catasceua & Anasceua.*
13 *De Prosopopœia.*
14 *De Ethopœia.*
15 *De generibus quæstionum.*
16 *De locutione.*
17 *De trimodo genere dicendi.*
18 *De colo & commate, & periodis.*
19 *De vitijs literarum & verborum & sententiarum cauendis.*
20 *De iuncturis verborum.*
21 *De figuris verborum & sententiarum.*

DE RETHORICA.
Caput I.

Hetorica est bene dicendi scientia, in ciuilibus quæstionibus, ad persuadendũ iusta & bona in rerum personarũq; negocio, & causa. Dicta autẽ Rhetorica Græca appellatione ἀπὸ τοῦ ῥητορεύειν, id est, à copia locutionis. ῥῆσις enim apud Græcos locutio dicitur, ῥήτωρ orator. Cõiuncta est autem Grãmaticæ arti Rhetorica. In Grammatica enim scientiã rectè loquẽdi discimus. In Rhetorica verò percipimus qualiter ea quæ didicimus proferamus.

De inuentoribus Rhetoricæ artis.
CAP. II.

HAec autem disciplina à Græcis inuenta est à Gorgia, Aristotele, Hermagora: & translata in Latinum à Tullio videlicet & Ticiano, & Quintiliano, sed ita copiosè, ita variè vel pro scientia vel pro loquacitate verborum, vt eam lectori admirari in promptu sit, comprehendere impossibile. Nam membranis retentis, quasi accrescit memoriæ series dictionis: ac mox repositis recordatio omnis elabitur. Huius disciplinæ perfecta cognitio oratorem facit.

De nomine oratoris & partibus Rhetoricæ.
CAP. III.

ORator est igitur vir bonus dicendi peritus. Vir bonus cõsistit natura, moribus, vita, artibus. Dicendi peritus consistit artificiosa eloquentia, quæ constat partibus quinque, Inuentione, Dispositione, Elocutione, Memoria, Pronunciatione, & fine officij, quod est aliquid persuadere. Ipsa autem peritia dicendi in tribus rebus consistit, natura, doctrina, vsu. Natura, ingenio: doctrina, scientia: vsus, assiduitate. Hæc sunt enim quæ non solùm in oratore, sed in vnoquoque homine artifice spectantur, vt aliquid efficiat.

De tribus generibus causarum.
CAP. IV.

GEnera causarum tria sunt, deliberatiuum, demonstratiuum, iudiciale. Deliberatiuũ genus est, in quo de quibuslibet vtilitatibus vitæ: quod aut debeat aut non debeat fieri tractatur. Demonstratiuum, in quo laudabilis persona aut reprehensibilis ostenditur. Iudiciale, in quo de ipsius personæ facto: aut pœnę aut prẽmij sententia datur. Dictum autem iudiciale, eò quòd iudicet hominem, & sententia sua ostendat, vtrũ laudabilis præmio dignus sit, aut certè reus condemnari, liberarive supplicio debeat. Deliberatiuum genus vocatur eò quòd de vnaquaq; re in eo deliberatur. Huius genus duplex est, suasio & dissuasio, id est, de expectando & fugiendo, id est, de faciendo & non faciendo. Suasoria autem in tribus locis diuiditur, honesto, vtili, & possibili. Hæc differt aliquid à deliberatiua: quia suasoria eget altera persona, deliberatiua interdũ & apud se agit. In suasoria autem duę sunt, quę plus valent, spes & metus. Demonstratiuum dictum quòd vnamquamq; rem aut laudãdo aut vituperando demonstrat. quod genus duas habet species, laudem & vituperationem. Laudis ordo tribus temporibus distinguitur, ante ipsam, in ipsum, post ipsum. Ante ipsum, vt,

— quæ te tam læta tulerunt Secula —

In ipsum, vt,

O sola infandos Troiæ miserata labores,

Post ipsum, vt,

In freta dum fluuij current, dum montibus vmbræ
Lustrabunt, conuexa polus dum sydera pascet:
Semper honos nomenq; tuum laudesq; manebunt.

Pari ordine è contrario & in vituperatione hominis hæc forma seruanda est, an hominem,

© Biblioteca Nacional de España

in hominem, post hominem. Locus communis locus rhetoricus nullus est alius, nisi argumēti sedes. Hæc verò cōmunitas ad inquisitionē pertinet, vt nunquā manducaui cōmune, etiam im mundum. Locus communis ad demonstratiuum vituperationis genus pertinet. Quod tamen ab eo in aliquo differt. Nam vituperatio quæ contraria est laudi: specialiter ad certam facientis personam adhibetur. Communis verò locus generaliter in facti crimine præponitur. Vnde & communis locus dicitur: quia absente persona nō tantùm in hominem, quantū in ipsum crimen exponitur. Omne enim vitium non in vno tantùm, sed etiam commune in plurimis inuenitur.

De gemino statu causarum.
CAP. V.

STatus causarum apud Rhetores dicitur ea res, in qua causa consistit, id est, constitutio. Græci enim statum à contentione ἱστασιν dicunt. Latini autem non solùm à pugna per quā expugnent propositionem aduersarij, sed quòd in eo pars vtraque consistat. Fit autem ex intentione & depulsione. Status autem causarum duo sunt, rationalis & legalis. De rationali oriuntur coniectura, finis, qualitas, translatio. De fine, iudicialis & negocialis. De iudiciali absolutiua & assumptiua. De assumptiua, concessio, remotio criminis, relatio criminis, compensatio. De concessione, purgatio & deprecatio. Coniecturalis status est cùm factum quod alij obijcitur, ab alio pernegatur. Diffinitiuus status est, cum id quod obijcitur non hoc esse contenditur, sed quid illud sit adhibitis diffinitionibus approbatur. Qualitas est dum qualis sit res quæritur: & quia de vi & genere negotij controuersia agitur, constitutio generalis appellatur. Translatio est, cùm causa pendet ab eo: quod aut non is agere videtur quem oportet, aut non apud quos, quo tempore, qua lege, quo crimine, qua pœna oporteat. Translatiua constitutio est: quòd actio translationis & commutationis indigere videtur. Iudicialis est, in qua æqui & recti natura & præmij aut pœnę ratio quæritur. Negotialis est in qua quid iuris ex ciuili more & æquitate sit consideratur. Assumptiua est, quæ ipsa ex se nihil dat firmi ad recusationem, foris autem aliquid defensionis assumit. Concessio est, cùm reus omnis non id quod factum est defendit, sed vt ignoscatur postulat. quod nos ad pœnitentes probauimus pertinere. Remotio criminis est, cùm id crimen quod infertur ab se & ab sua culpa, vi & potestate in alium reus dimouere conatur. Relatio criminis est: cùm ideo iure factum dicitur, quòd aliquis ante iniuria lacessitus sit. Comparatio est, cùm aliud aliquod alterius factum honestum aut vtile contenditur, quod vt fieret illud quod arguitur, dicitur esse commissum. Purgatio est, cùm factum quidem conceditur, sed culpa remouetur. Hæc partes habet tres, imprudentiam, casum, necessitatem. Deprecatio est, cùm & peccasse se, & consultu peccasse reus cōfitetur, & tamen vt ignoscatur postulat: quod genus perrarò potest accidere. Item ex legali statu hæc oriuntur, id est, scriptum & voluntas, leges contrariæ, ambiguitas, collectio siue ratiocinatio & diffinitio legalis. Scriptum & voluntas est, quando verba ipsa videntur cum sententia scriptoris dissidere. Legis contrariæ status est: quando inter se duæ leges aut plures discrepare videntur. Ambiguitas est, cùm id quod scriptum est. duas aut plures res significare videtur. Collectio vel ratiocinatio est: quando ex eo quod scriptum est, aliud quoque quod non scriptum est, inuenitur. Diffinitio legalis est, cùm vis verbi quasi in diffinitiua constitutione in qua posita sit quæritur. Status ergo tam rationales quàm legales à quibusdam certius xviij connumerati sunt. cæterùm secundū rhetoricos libros Tullij xix reperiūtur propterea, quia translationem inter rationales principaliter affixit status. Inde se ipse etiam Cicero reprehendens, translationem legalibus statibus applicauit.

De tripertita controuersia.

TRipertita controuersia iuxta Ciceronem aut simplex est, aut iuncta. Et si iuncta erit, considerandum est, vtrum ex pluribus quæstionibus iuncta sit, an ex aliqua comparatione. Controuersia simplex est, quæ absolutam continet vnam quæstionē hoc modo: Corinthijs bellum indicimus, an non? Iuncta est ex pluribus quæstionibus, in qua plura quæruntur hoc pacto: Vtrum Carthago diruatur, aut Carthaginensibus reddatur, an eò colonia deducatur? Ex comparatione, in qua per contentionem vtrum potius, aut quid potissimum quæritur, ad hunc modum: Vtrum exercitus in Macedoniam contra Philippum mittatur, qui socijs sit auxilio, an teneatur in Italia, vt quam maximæ contra Hannibalem positæ copiæ sint.

De quatuor partibus orationis.

PArtes orationis in Rhetorica arte quatuor sunt, Exordium, Narratio, Argumentatio, Conclusio. Harum prima auditoris animum prouocat. secunda res gestas explicat. tertia fidem assertionibus facit. quarta finem totius orationis complectitur. Inchoandum est itaque taliter, vt beneuolum, docilem vel attentum auditorem faciamus. beneuolum precando, docilem instruendo, attentum excitando. Narrandum est ita, vt breuiter atque apertè loquamur. argumentandum ita, vt primùm nostra firmemus, dehinc aduersa confringamus. concludendum est ita, vt concitemus animum audientis implere quæ dicimus.

De

© Biblioteca Nacional de España

De quinque modis causarum.

SPecies causarum sunt quinque, id est, honestum, admirabile, humile, anceps, obscurũ. Honestum causæ genus est, cui statim sine oratione nostra fauet animus auditoris. Admirabile est, quò attentus fit animus eorum qui audituri sunt. Humile est, quod negligitur ab auditore, & non magnopere attendendum videtur. Anceps est, in quo aut iudicatio dubia est, aut causa honestatis & turpitudinis particeps, vt & beneuolentiam pariat & offensam. Obscurum est, in quo aut tardi anditores sunt, aut difficilioribus ad cognoscendum negocijs causa cernitur implicata.

De Syllogismis.

SYllogismus Græcè, Latinè argumentatio appellatur. Argumẽtatio autem dicta est; quasi argutè mentis oratio, qua inuentum probabile exequimur. Syllogismus igitur est propositionis & assumptionis, confirmationisque extrema conclusio: aut ex ambigentis incerto, aut ex fiducia comprobantis. Constat enim tribus partibus, propositione, assumptione, conclusione: Propositione, vt puta, quod bonum est, turpem vsum * habere nõ potest. Consentit audiens, assumpsit ille: Pecunia turpem vsum habet. Concluditur, Ergo pecunia non est bonum. Syllogismus autem non solùm rhetores, sed maximè Dialectici vtuntur, licet Apostolus sæpe proponat, assumat, confirmet, atq; concludat: quæ, vt diximus, propriæ artis Dialecticæ atque Rhetoricę sunt. Syllogismorum apud rhetores principaliter genera duo sunt, inductio & ratiocinatio. Inductionis membra tria sunt, prima propositio: secunda illatio, quæ & assumptio dicitur: tertia conclusio. Inductio est, quæ rebus nõ dubijs captat assensionẽ eius cum quo instituta est: siue inter Philosophos, siue inter Rhetores, siue inter sermocinantes. Propositio inductionis est, quæ similitudines concedendæ rei necessariò vnius inducit aut plurimorum. Illatio inductionis est: quæ & assumptio dicitur, quæ rem de qua contenditur, & cuius causa similitudines habitæ sunt, introducit. Conclusio inductionis est, quæ aut concessionem illationis confirmat: aut quid ex ea conficiatur declarat. Ratiocinatio est oratio, qua id, de quo quęstio, comprobatur.

* non habet

Enthimema igitur Latinè interpretatur mentis conceptio, quam imperfectum syllogismum solent Artigraphi nuncupare. Nam in duabus partibus eius argumenti forma consistit, quando eo quod ad fidem pertinet faciendam vtitur syllogismorum lege præterita, vt est illud: Si tempestas vitanda est, nõ est igitur nauigandum. Ex sola enim propositione constat esse perfectum: vnde magis Rhetoribus quàm Dialecticis conuenire iudicatum est. Ratiocinationis duo sunt modi. Primus enthimema, qui est imperfectus syllogismus atque rhetoricus. Secundus epichirema, qui est in rhetoricis latior syllogismus. Enthimematis membra sunt quinque; primum conuincibile: secundum ostentabile: tertium sentẽtiale: quartum exemplabile: quintum collectiuum. Conuincibile est, quod euidenti ratione cõuincit, sicut fecit Cicero pro Milone: Eius igitur mortis sedetis vltores, cuius vitã si putaretis per vos restitui posse, nolletis. Ostentabile est, quod certa rei demonstratione constringit: sicut Cicero in Catilina: Hic tamen viuit, imò viuit, & iam in senatũ venit. Sententiale est, quod sententia generalis adijcit: vt apud Terentium, Obsequium amicos, veritas odium parit. Exemplabile est, quod alicuius exempli comparatione euentũ similem comina-tur: sicut Cicero in Philippic. Te miror Antoni, quorum exempla imitaris, eorum exitus non pertimescere. Collectiuum est, cùm in vnũ quę argumenta sunt, colliguntur, sicut ait Cicero pro Milone: Quẽ igitur cum gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela. Quem iure, quem loco, quem tempore non est ausus: hunc iniuria, alieno tempore, cum piaculo capitis non dubitauit occidere. Præterea secundũ Victorinum enthimematis est altera diffinitio ex sola propositione, sicut iam dictum est: quæ ita constat: Si tempestas vitanda est, non est nauigatio requirenda. Ex sola assumptione, vt est illud: Si inimicus est, occidit, inimicus autem est. Et quia illi deest cõclusio, enthimema vocatur. Sequitur epichirema, descendens de ratiocinatione latior & executior rhetoricis syllogismis, latitudine distans & productione sermonis à Dialecticis syllogismis propter quod rhetoribus datur. Hic autem constat modis tribus: primus modus tripertitus est: secũdus quadripertitus: tertius quinque pertitus. Tripertitus epichirematis syllogismus est: qui constat membris tribus, id est, propositione, assumptione, conclusione. Quadripertitus est, qui constat ex membris quatuor: prima propositione: secunda assumptione, & vna propositionis siue assumptionis coniunctione: tertia probatione & conclusione. Quinq; partitus est, qui cõstat ex membris quinque, id est, prima propositione: secunda eius probatione: tertia assumptione: quarta eius probatione: quinta conclusione. Hunc Cicero ita facit in arte Rhetorica: Si deliberatio & demonstratio genera sunt causarum, non possunt rectè partes alicuius generis causæ putari. eadem enim res alij genus, alijs pars esse potest. Idem genus & pars non potest. cætera quousque syllogismi huius membra clauduntur.

De Lege. CAP. X.

LEx est constitutio populi, quam maiores natu cum plebibus sanxerunt. Nam quid Rex aut Imperator edicit, Constitutio vel Edictum vocatur. Institutio æquitatis duplex est, nunc in legibus, nunc in moribus. Inter legem autẽ & mores hoc interest, quòd lex scripta est: mos verò est vetustate probata eõsuetudo:

© Biblioteca Nacional de España

siue lex non scripta. Nam lex à legendo vocata: quia scripta est. Mos autem longa consuetudo est, de moribus tracta tantundem. Consuetudo autem ius quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur cùm deficit lex, nec scriptura aut ratione consistat: quando & legem ratio commendat. Porrò si ratione lex consistat, lex erit omne iam quod ratione constiterit, dumtaxat quod religioni congruat, quod disciplinæ conueniat, quod saluti proficiat. Vocata autem consuetudo, quia est in communi vsu. Omnis autem lex aut permittit aliquid, vt est illud, Vir fortis petat præmium: aut vetat, vt Sacrarum virginum nuptias nulli petere liceat: aut punit, vt, Qui cædem fecerit, capite plectatur. Factæ sunt autem leges, vt earum metu humana coerceatur audacia, tutaq; sit inter improbos innocentia: & in ipsis improbis formidato supplicio refrenetur nocendi facultas. Legis enim præmio aut pœna vita moderatur humana. Erit autem lex honesta, iusta, posibilis, secundum naturam, secundum consuetudinem patriæ, loco temporiq; conueniens, necessaria, vtilis, manifestaque, ne aliquid per obscuritatem captionem contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.

De sententia. CAP. XI.

SEntentia est dictum impersonale, vt Obsequium amicos, veritas odium parit. Hinc si persona fuerat adiecta, id est, iudicium * chria erit: ita offendit Achilles Agamemnonem vera dicendo: Metrofanes promeruit gratiam Mithridatis obsequendo. Nam inter chrian & sententiam hoc interest, quòd sententia sine persona profertur, chria sine persona nunquam dicitur. Vnde si sententiæ persona adijciatur, fit chria: si detrahatur, fit sententia.

De Catasceue & Anasceue.

CAtasceue est confirmatio propositæ rei. anasceue autem contraria superiori est. Reuincit enim nõ fuisse aut nõ esse quod natum, aut factum, aut dictum esse proponitur: vt si quis Chimeram neget fuisse: aut fuisse confirmet. Inter has & thesin hoc interest, quòd thesis quamuis & ipsa habeat disputationem in vtramq; partem scilicet negandi & confirmandi, tamen incertæ rei quasi quædam deliberatio vel coarctatio est. Catasceue autem & anasceue in his rebus quæ verisimiles non sunt, sed pro veris ponuntur, plerumque versantur. Anasceue prima diuisio est, inconueniens & mendacium. Inconuenientis species sunt, quod inhonestum est, & quod inutile. Item inhonestum tractatur, aut in dictis, aut in factis. In dictis, vt si quis indecora & non respondentia auctoritati dixisse dicatur: velut si aliquis infamet Catonem illum Censorium, * iuuentutem illam ad nequitiam & luxuriam coartatum. In factis, vt si quis abhorrens aliquid à sanctimonia & nomine suo fecisse dicatur, vt est fabula de adulterio Martis & Veneris. Mendacium autem tres habet species: incredibile, quod factum non esse credatur: vt adolescentem qui de Siculo littore ingredientes Africam classes videret. Impossibile est, vt Clodius insidias Miloni fecerit, & idem occisus sit à Milone. Contrarium est: Nam si insidias fecit, occidit. Qui occisus est, non fecit insidias. Hæc distributio in contrariũ, vt Clodius insidias fecit Miloni, & occidit, Cõfirmatio est. Reformata catasceue proderit. Oportebit tamen principia sic ordinare, vt aut credendum esse veterum auctoritati, aut fabulis fidem non habendam esse dicamus. Et id postremum in anasceue requiramus, ne quid aliud significare voluerint, qui ista finxerunt: vt Scillam non marinam, sed maritimam fœminam: nec succinctam canibus, sed rapacem aliquam & inhospitalem venientibus extitisse.

crisis

iuuentute illa

De Prosopopœia.

PRosopopœia est cùm inanimalium rerum & persona & sermo fingitur: sicut Cicero in Catilina: Etenim si mecum patria mea, quæ mihi vita mea multo est charior loqueretur, dicens, &c. Sic & montes, & flumina vel arbores loquentes inducimus, personam imponentes rei, quæ non habet naturam loquendi: quod & tragœdis vsitatum est, & in orationibus frequentissimè inuenitur.

De Ethopœia.

EThopœiam verò illam vocamus, in qua hominis personam fingimus, pro exprimendis affectibus ætatis, studij, fortunæ, lætitiæ, sexus, mœroris, audaciæ. Nam cùm piratæ persona suscipitur, audax, abrupta, temeraria erit oratio: cùm fœminæ sermo simulatur, sexui conuenire debet oratio: iam verò adolescentis improuida: & senis, debilis: & militis fortis: & imperatoris, grauis: & parasiti suasibilis: & rustici, inculta: & philosophi, perornata, diuersa oratio dicenda est. Aliter enim loquitur gaudio affectus, aliter vulneratus. In quo genere dictionis illa sunt maximè cogitanda, quis loquatur, & apud quem, & de quo, & vbi, & quo tempore: quid egerit, quid acturus sit, aut quid pati posit, si hæc consulta neglexerit.

De generibus quæstionum.

GEnera quæstionum duo sunt: quorum vnum est finitum, alterum infinitum. Finitum hypothesis Græcè, Latinè causa dicitur, vbi cum certa persona controuersia est. Infinitum quod Græcè thesis, Latinè propositum nominatur. hoc personam non habet certam, nec inest in aliqua certa circumstantia, id est, nec locus, nec tempus. In causa verò certa omnia sunt, vnde quasi pars causę est propositum.

De elocutione.

IAm verò in elocutionibus illo vti oportebit, vt res, locus, tempus, persona audientis efflagitat,

© Biblioteca Nacional de España

flagitat, ne profana religiosis, ne inuerecunda castis, ne leuia grauibus, ne lasciua serijs, ne ridicula tristibus misceantur. Latinè autem & & perspicuè loquendum. Latinè autem loquitur, qui verba rerum vera & naturalia persequitur; nec à sermone atque cultu præsentis temporis discrepat. Huic non sit satis videre quid dicat: nisi id quoque suauiter & apertè dicere, ne id quidem tantùm: nisi id quod dicit & facere.

De trimodo dicendi genere.

DIcenda sunt quoque summissa leniter, incitata grauiter, inflexa moderatè. Hoc est enim illud trimodum genus dicendi, humile, medium, grandiloquum. Cùm enim magna dicimus, granditer proferenda sunt: cum parua subtiliter, cum mediocria temperatè. Nam in paruis causis nihil grande, nihil sublime dicendum est, sed leni ac pedestri more loquendum. In causis autem maioribus, vbi de Deo vel hominum salute referimus, plus magnificentiæ & fulgoris exhibendum. In temperatis verò causis vbi nihil agitur vt agat, sed tantùmmodo vt delectetur auditor, inter vtrumque est moderatè dicendum: sed & quamuis de magnis rebus quisque dicat, non tamen semper granditer docere debet, sed summissè cùm docet, temperatè cùm aliquid vel laudat vel vituperat: granditer cùm ad conuersionem auersos animos prouocat. Vtenda tamen verba in summisso genere sufficientia, in temperato splendentia, in grandi vehementia.

De colo, themate, & periodis.

COmponitur autē instruiturq; omnis oratio verbis, cōmate, colo & periodo. Comma particula est sententiæ. Colon membrum. Periodos ambitus vel circuitus. Fit autem ex coniunctione verborū comma, ex commate colon, ex colis periodos. Comma est iuncturæ finitio, vtputa, Etsi vereor iudices; ecce vnum comma. sequitur & aliud comma, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere: & factum est colon, id est, membrum, quod intellectum sensui præstat, sed adhuc pendet oratio. sicque deinde ex pluribus membris fit periodos, id est, extremæ sententiæ clausula. ita veterē iudiciorum morē requirunt. Periodos autem longior esse non debet, quàm vt vno spiritu proferatur.

De vitijs literarum & verborum & sententiarum cauendis.

PRæterea purum & honestum oratoris eloquium carere debet omnibus vitiis tam in literis quàm in verbis, quàm etiam in sententijs. In literis, vt iunctura apta & conueniens sit. & sic obseruandum, ne præcedentis verbi extrema vocalis in eandem vocalem primam incidat verbi sequentis, vt fœminæ Ægyptiæ. quæ structura melior fit, si cōsonantes vocalibus applicentur. triumque consonantium, quæ in se incidtntes stridere & quasi rixari videntur, vitanda iunctura est, id est, r. s. x. vt est ars studiorum, rex Xerxes, error Romuli. Fugienda est & consonans m, illisa vocalibus, vt verum enim. Præterea carere debet oratio & omnibus vitijs, quæ inter prima Grammaticorum studia cognoscuntur.

De iuncturis verborum.

IN verbis quoque cauenda sunt vitia, vt non impropria verba ponantur, quæ Græci Acyrologian vocant. Amanda est ergo proprietas: sic tamen vt aliquando propter humilitatem sordidi aut spurci vocabuli translatis nominibus sit vtendum. non tamen longè acciti, sed vt veris proxima & cognata videantur. Fugienda etiam Hyperbata longiora, quæ fieri sine aliorum sensuum confusione non possunt. Ambiguitas quoq; & vitium illud cauendum: cùm quidam * iactatione eloquentiæ ducti, quod vno aut duobus verbis significare poterant, interpositis inanibus vocibus longa & circumplexa ambage cōcludunt: quod vitium Perissologia vocatur. Cui contrarium vitium est breuitatis studio etiam necessaria verba furari. Fugienda sunt quoque sicut in literis & verbis, ita & in sententijs vitia, quæ inter prima Graminaticorum studia cognoscuntur. Sunt autem Cacemphaton, Tautologia, Ellipsis, Acyrologia, Macrologia, Perissologia, Pleonasmos, & his similia. At contra orationem extollit & exornat Energia & Emphasis, quæ plus quiddam quàm dixerat, intelligi facit: vt si dicas Ad gloriam Scipionis ascendet & Virgilius, Demissum lapsi per funem. Cùm enim dicit lapsi, altitudinem imaginis suggerit. Huic contraria virtus est, verbis minuere quæ natura sua magna sunt.

*iactantiā

De Figuris verborum & sententiarum.

AVgetur & ornatur oratio etiam figuris verborum ac sententiarum. Nam quia directa & perpetua oratio fatigationem atque fastidium tam dicendi quàm audiendi creat: flectenda est & in alias versanda formas, vt & dicentem reficiat & ornatior fiat, & iudicem diuerso vultu audituque deflectat. De quibus plurimæ superius à Donato in schematibus artis Grammaticæ annotatæ sunt. Vnde tantùm illa hic interponi oportuit, quæ in poemate aut nunquam aut difficulter fiunt, in oratione autem libera fiunt.

Anadiplosis est congeminatio verborum, vt, hic tamen viuit, imō viuit & iam in senatum venit.

Climax est gradatio cùm ab eo verbo quo sensus superior terminatur, inferior incipit: ac dehinc quasi per gradus dicendi ordo seruatur, vt est illud Africani: Ex innocentia nascitur dignitas: ex dignitate honor: ex honore im-

© Biblioteca Nacional de España

perium, ex imperio libertas. Hanc figuram nonnulli catenam appellant, propter quod aliud in alio quasi nectitur nomine, atque ita res plures in geminatione verborum trahuntur. Fit autē hoc schema non solùm in singulis verbis, sed etiam in contexione verborum, vt apud Gracchum, *Pueritia tua adolescentiæ tuæ inhonestamentum fuit, adolescentia senectutis dedecoramentum, senectus reipublicæ flagitium*. Sic & apud Scipionem: *Vi atque gratis coactus cum illo sponsionem feci, facta sponsione ad iudicem adduxi, adductum primo cœtu damnaui, damnatum ex voluntate dimisi.*

Antitheta quæ Latinè contraposita appellantur: quæ dum ex aduerso ponuntur sententiæ pulchritudinem faciunt, & in ornamento locutionis decentissima existunt, vt Cicero: *Ex hac parte pudor expugnat, illinc petulantia: hinc pudicitia, illinc stuprum: hinc fides, illinc fraudatio: hinc pietas, illinc scelus: hinc constantia, illinc furor: hinc honestas, illinc turpitudo: hinc continentia, illinc libido: hinc denique æquitas, temperantia, fortitudo, prudentia, & virtutes omnes certant: cum iniquitate luxuria: ignauia cum temeritate, & cum vitijs omnibus: postremò copia cum egestate: bona ratio cum perdita: mens sana cum amentia: bona denique spes cum omnium rerum desperatione confligit.* In huiusmodi certamine ac prælio, huiusmodi locutionis ornamento liber Ecclesiasticus vsus est, dicens: Contra malum bonum, & contra mortem vita: sic contra pium peccator: & sic intuere in omnia opera altissimi. bina & bina, vnum contra vnum.

Synonymia est quoties in connexa oratione pluribus verbis vnam rem significamus, vt ait Cicero: Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas. Item, Non feram, non patiar, non sinam.

Epanados quam regressionē nostri vocant, Principium dignitatis erat penè par, non par fortasse eorum quæ sequebantur.

Antapodosis, quoties media primis & vltimis conueniunt, vt ibi: Vestrum hoc factum reprehendo Patres conscripti, non meum, ac pulcherrimum quidem factum: verùm, vt dixi, non meum sed vestrum.

Paradiastole est, quoties id quod dicimus interpretatione discernimus, cum te pro astuto sapientem appellas: pro inconsiderato fortem, pro inliberali diligentem.

Antanaclasis est quæ eodem verbo contrarium exprimit sensum. Querebatur quidam de filio cur mortem suam expectaret: respondente, Non expecto: imò peto, inquit, vt expectes.

Antimetabole est conuersio verborum, quæ ordine mutato contrarium efficit sensum: Non vt edam viuo, sed vt viuam edo. Et illud: Si consul Antonius, Brutus hostis: Si conseruator reipublicæ Brutus, hostis Antonius.

Exoche, Quis eos appellauit? Appius. Quis produxit, Appius.

Nunc figuras sententiarum, quas opere pretium est cognoscere persequamur.

Sententia est dictum impersonale, vt Obsequium amicos, veritas odium parit. Huic si persona fuerit adiecta, Chria erit, ita: Offendit Achilles Agamemnonem vera dicendo. Metrophanes promeruit gratiam Mithridatis, obsequendo. Nam inter chriam & sententiam hoc interest, quòd sententia sine persona profertur, chria sine persona nunquam dicitur. Vnde si sententiæ persona adijciatur, fit chria: si detrahatur, fit sententia.

Sententiarum species multę sunt: Alię enim indicatiuæ, aliæ pronunciatiuæ: vt, Nusquam tuta fides. aliæ imperatiuæ: vt,

Vade, age nate, voca zephiros, & labere pennis.

Aliæ admiratiuæ: vt,

— Tantæne animis cœlestibus iræ?

Aliæ comparatiuę, vt est: Si vinco & pereo, quid ibi me vincere præstat? Aliæ superlatiuæ, quæ cum aliquo motu animi & indignatione pronuntur, vt ibi:

— Quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames —. Aliæ interrogatiuæ: vt,

— iuuenes quæ causa subegit
Ignotas tentare vias? —
Quod genus, vnde domus? pacē ne huc fertis an arma?

Aliæ responsiuæ, vt illinc, istinc. Alię deprecatiuæ: vt, *Eripe me his inuicte malis*. Aliæ promissiuæ: vt, *Parce metu Cytheræa, manent immota tuorū.* Aliæ concessiuæ, quæ cum impulsione prohibeant, vt: *Sequere Italiā ventis pete regna per vndas.* quæ tamen ne non intellecta sit persuasio, permixta sunt aliqua quæ vetent latenter, vt,

— ventis pete regna per vndas. Aliæ demonstratiuæ: vt, *en, ecce*. Aliæ optatiuæ: vt,

O mihi præteritos referat si Iupiter annos.

Aliæ * derogatiuæ: vt nequaquam. Aliæ quæ cum exclamatione proferuntur. vt, * negatiuæ

Quis furor ô ciues pacem conuertit in arma?

Et Cicero, *O dij immortales, vbi nam gētium sumus?* Aliæ exhortatiuæ, cùm ad sententiā prouocamus: vt, *Aude hospes contemnere opes.* Aliæ dehortatiuæ, cùm à contrario vitio peccatoq; reducimus. Sunt & affirmatiuæ: vt, quid ni quippe. Pręceptiuæ: vt,

Nudus ara, sere nudus, habebis frigore messes.

Vetatiuæ: vt, Ne ve inter vites corilum fere, ne ve flagella Summa pete. Negatiuæ: vt, non, minimè. Sunt & miratiuæ, vt *Pape, viuere non licet, & fornicari libet?* Dolentis:

Heu mihi quòd nullis amor est sanabilis herbis.

Flentis similitudinis sic: vt,

Creta vt fertur quondam labyrinthus in alta.

Admonentis, irridentis, gementis, exhortatiuæ, consolatiuæ, commiserantis: quorum quot sunt genera vel figuræ, tot & in pronunciando voces. Sunt & Amphidoxæ: quarum pars honesta est, pars inhonesta: vt,

— non est tua tuta voluntas: Magna petis Phaëton.

Sunt & aliæ, procatalepsis: cùm id quod nobis objici poterat, antè præsumimus ad diluendū: vt, Si quis vestrūm iudices, aut eorū qui assunt fortè mirantur. Sunt & aporiæ, dubitatio simulantis nescire se quæ scit, aut quomodo dicatur.

Kœ-

© Biblioteca Nacional de España

Kœnosis autem dicitur communicatio consilij cum iudicibus aut aduersarijs, vt si dicas: Vos cõsulo iudices, aut vos aduersarij: quid me facere conuenit, aut quid vos facturi fueritis.

Paradoxon est cùm dicimus inopinatum aliquid accidisse, vt pro Flacco Cicero: Cuius laudis prædicator esse debuerit; eius periculi deprecatorem se esse factum.

Epitrope, id est, permissio, cum aliquid ipsis iudicibus aut aduersarijs permittimus existimanda: vt Caluus in Vaticinio: Perfrica frontem, & dic te digniorem qui prætor fieres quã Catonem.

Parrhesia est oratio libertatis & fiduciæ plena: vt ibi, Occidi nõ Spurium Meliũ, & cætera. Qua figura cautè vtendum est, vt Cicero: premisit enim rationem.

Ethopœia est, cùm sermonem ex aliena persona inducimus: vt prò Cęlio Tullius facit Appium Cæcum cum Clodio loquentem.

Energia est rerũ gestarum aut quasi gestarũ sub oculis inductio, de qua locuti iam sumus.

Metathesis est, quæ mittit animos iudicum
„ in res præteritas aut futuras, hoc modo: Reuo-
„ catæ mentes ad spectaculum expugnatæ mise-
„ ræ ciuitatis, & videre vos credite incendia, cæ-
„ des, rapinas, direptiones, liberorum corporum
„ iniurias, captiuitates matronarum, trucidatio-
„ nes senum. In futurum autem, anticipatio eo-
„ rum quæ dicturus est aduersarius: vt Tullius
„ pro Milone, cùm mittit animos iudicum in e-
„ um reipublicæ statũ qui futurus est, etiamsi oc-
„ ciso Milone Clodius viueret.

Aposiopesis est cùm id quod dicturi videbamur, silentio intercipimus, ita:

Quos ego, sed motos præstat componere fluctus.

„ Epanalepsis est digressio, ita: Tulit calor me
„ dicendi, & dignitas rerum paulò longius quàm
„ volebam: sed redeo ad causam.

Anamnesis est, cõmemoratio eius rei quam oblitos fuisse nos fingimus.

Apaetesis est cùm id quod in animos iudicũ quasi deposueramus, oportunè reposcimus.

Ætiologia est; cùm proponimus aliquid, eiusq; causam & rationem reddimus.

Characterismus est descriptio figuræ alicuius expressa: vt,

Omnia Mercurio similis vocemq; colorem,
Et crines & flauos & membra decora iuuenta,

Αθροισμὸς; cùm plures sensus breuiter expeditos in vnum locum coaceruat, & cum quadam
festinatione decurrit: vt Cicero, sic: Rempubli-
cam Quirites vitamq; omnium vestrũm, bona,
fortunas, coniuges, liberosq; vestros, &c.

Ironia est cùm per simulationem diuersum, quàm dicit, intelligi cupit. Fit autem, aut cùm laudamus eum quem vituperare volumus, aut vituperamus quem laudare volumus. Vtriusq; exemplum erit: si dicas, Amatorem reipublicæ Catilinam: hostem reipublicæ Scipionem.

Diasyrmos, ea quæ magna sunt verbis minuit: aut minima extollit.

Hyphe est quoties in eodem sensu diutius immoramur, sic: Cui tandem pepercit? cuius amicitiæ fidem custodiuit? cui bono inimicus non fuit? quando non aut accusauit aliquem, aut verberauit, aut prodidit?

Epangelia est promissio, quã iudicem attentum facimus: pollicentes nos aliqua magna aut minima dicturos.

Prosopopœia est, cùm inanimalium & personæ & ferino fingitur. Cicerò in Catilina: *Etenim si mecum patria mea, quæ mihi vita mea multo est charior loqueretur, dicens, &c.*

Parathesis est cùm quasi deponimus aliquid imperfectum apud memoriam iudicum repetituros nos dicentes cùm oportunum fuerit.

Peusis, id est, soliloquium, cùm ad interrogata ipsi nobis respondemus.

Synæresis est, cùm differimus aliquid petentes, vt aliud interim nos non permittant dicere.

Incipiunt capitula de Dialectica.

1 *De Dialectica.*
2 *De differentia Dialecticæ & Rhetoricæ artis.*
3 *De Diffinitione Philosophiæ.*
4 *De Isagogis Porphirij.*
5 *De categorijs Aristotelis.*
6 *De perihermenijs Aristotelis.*
7 *De syllogismis Dialecticis.*
8 *De diuisionibus diffinitionum.*
9 *De topicis.*
10 *De oppositis.*

De Dialectica.

Dialectica est disciplina ad discernendas rerum causas inuenta. Ipsa est Philosophiæ species, quæ Logica dicitur, id est, rationalis, diffiniendi, quærendi & disserendi potens. Docet enim in pluribus generibus quæstionum, quemadmodum disputando vera & falsa dijudicentur. Hanc quidam primi Philosophi in suis dictionibus habuerunt; non tamen ad artis redegere peritiam. Post hos Aristoteles ad regulas quasdam huius doctrinæ argumenta produxit, & Dialecticam nuncupauit, pro eo quod in ea de dictis disputatur. Nam λέξις dictio dicitur. Ideo autem post Rhetoricam disciplinam Dialectica sequitur: quia in multis vtrique communia existunt.

De differentia Dialecticæ & Rhetoricæ artis.

Dialecticam verò & Rhetoricam Varro in nouem disciplinarum libris, tali similitudine diffiniuit: Dialectica & Rhetorica est quod in manu hominis pugnus astrictus & palma distensa: illa verba contrahens, ista distendens. Dialectica quidem ad differendas res acutior: Rhetorica ad illa quæ nititur docendà facundior. Illa ad scholas nonnunquam venit: ista iugiter procedit in forum. Illa re-

© Biblioteca Nacional de España

quirit rarissimos studiosos: hęc autem frequenter & populos. Solent autem Philosophi antequam ad isagogen veniant exponendam, diffinitionem Philosophiæ ostendere: quò facilius ea, quæ ad eam pertinent, demonstrentur.

De diffinitione Philosophiæ.

PHilosophia est rerum humanarum diuinarumque cognitio cum studio bene viuendi coniuncta. Hæc autem duabus ex rebus constare videtur, scientia & opinatione. Scienentia est cùm res aliqua certa ratione percipitur. opinatio autem cùm adhuc incerta res latet, & nulla ratione firmata videtur, vtputa: Sol vtrum ne tantus quantus videtur, an maior sit quàm omnis terra: item luna globosa sit an concaua. & stellæ vtrum ne adhæreant cœlo an per aerem libero cursu ferantur: cœlum ipsum qua magnitudine, qua materia constat: vtrum quietum & immobile sit: an incredibili celeritate voluatur: quanta sit terræ crassitudo: aut quibus fundamentis librata & suspensa permaneat. Ipsum autem nomen Philosophiæ Latinè interpretatum, amorem sapientiæ profitetur. Nam Græci φιλὸν amicum, Σοφίαν sapientiam dicunt. Philosophiæ species tripertita est: vna naturalis, quæ Græcè Physica appellatur: in qua de naturæ inquisitione differitur: altera moralis, quę Græcè Ethica dicitur, in qua de moribus agitur: tertia Rationalis, quæ Græco vocabulo Logica appellatur, in qua disputatur quemadmodum in rerũ causis vel vitæ moribus veritas ipsa quæratur. In Physica igitur causa quærendi, in Ethica ordo viuendi, in Logica ratio intelligendi versatur. Physicâ apud Græcos primus perscrutatus est Thales Milesius, vnus ex septem sapientibus. Hic enim ante alios cœli causas atque vim rerum naturalium cõtemplata ratione suspexit, quam postmodum Plato in quatuor diffinitiones distribuit, scilicet Arithmeticam, Geometriam, Musicam & Astronomiam. Ethicâ Socrates primus ad corrigendos componendosque mores instituit, atque omne studium eius ad bene viuendi disputationem perduxit: diuidens eam in quatuor virtutes, id est, prudentiam, iustitiam, fortitudinem & temperantiam. Prudentia est in rebus, qua discernuntur à bonis mala. Fortitudo, qua aduersa æquanimiter tolerantur. Temperantia, qua libido, concupiscentiaq; frenatur. Iustitia, qua rectè iudicando sua cuique distribuuntur. Logicam, quæ rationalis vocatur, Plato subiunxit, per quam discussis rerum morumque causis; vim earum rationabiliter perscrutatus est: diuidens eam in Dialecticam & Rhetoricam. dicta autẽ Logica, id est, rationalis. λόγος enim apud Græcos & sermonem significat & rationem. In his quippe tribus generibus Philosophiæ, etiam eloquia diuina consistunt. Nam aut de natura disputare solent, vt in Genesi & Ecclesiaste: aut de moribus, vt in Prouerbijs & in omnibus sparsim libris: aut de Logica, pro qua nostri Theologicam sibi vendicant, vt in Cantico canticorum, & Euangelijs. Item aliqui doctorum Philosophiã in nomine & partibus suis ita diffinierũt: Philosophia est diuinarum, humanarumq; rerum, in quantum homini possibile est, probabilis scientia. Aliter: Philosophia est ars artiũ, & disciplina disciplinarũ. Rursus: Philosophia est meditatio mortis: quod magis cõuenit Christianis, qui seculi ambitione calcata, conuersatione disciplinabili, similitudine futurę patriæ viuũt. Philosophia diuiditur in duas partes: prima in spectatiuã: secunda in actualẽ. Alij diffinierunt Philosophiæ rationem in duabus consistere partibus, quarum prior inspectatiua est, secunda actualis. Inspectatiua diuiditur in tribus modis, id est, prima in naturalem: secunda in doctrinalem: tertia in diuinalem. Doctrinalis diuiditur in quatuor partes, id est, prima in Arithmeticam, secunda in Musicam, tertia in Geometriam, quarta in Astronomiam. Actualis diuiditur in tribus, id est, prima in moralem, secunda in dispẽsatiuam, tertia in ciuilem. Inspectatiua dicitur qua supergressi visibilia, de diuinis aliquid & cœlestibus contemplamur, eaque mente solummodo inspicimus; quę corporeum supergrediuntur obtutum. Naturalis dicitur, vbi vniuscuiusque rei natura discutitur, quia nihil generatur in vita: sed vnumquodq; in ijs vsibus deputatur, in quibus à creatore diffinitũ est: nisi fortè cum voluntate Dei aliquod miraculum prouenire monstratur. Diuinalis dicitur, quando aut ineffabilem naturam Dei: aut spiritales creaturas ex aliqua parte profundissima qualitate differimus. Doctrinalis dicitur scientia, quæ abstractam considerat quantitatem. Abstracta enim quantitas dicitur, quam intellectu à materia separantes, vel ab alijs accidentibus, vt est par, impar, vel ab huiuscemodi, in sola ratiocinatione tractamus. Cuius species sunt quatuor, scil. Arithmetica, Geometria, Musica, & Astronomia. Arithmetica est disciplina quantitatis numerabilis secundum se. Geometria est disciplina magnitudinis immobiliumq; formarum. Musica est disciplina quæ de numeris loquitur, qui ad aliquid sunt his qui inueniuntur in sonis. Astronomia est disciplina, quæ cursus cœlestium, syderumque figuras contemplatur omnes, & habitudines stellarum circa se & circa terram indagabili ratione percurrit. Porrò actualis dicitur, quæ res propositas operationibus suis explicat. Cuius partes sunt tres, moralis, dispensatiua, & ciuilis. Moralis dicitur, per quam viuendi mos honestus appetitur, & instituta ad virtutem tendentia præparantur. Dispensatiua dicitur, cùm domesticarum rerum sapienter ordo disponitur. Ciuilis dicitur, per quam totius ciuitatis vtilitas administratur.

De Isagogis Porphirij.

POst Philosophiæ diffinitiones, in quibus generaliter omnia continentur, nunc Isagogas

© Biblioteca Nacional de España

gogas Porphyrij expediamus. Isagoga quippe Græcè, Latinè introductio dicitur, eorum scilicet qui Philosophiam incipiunt: continens in se demonstrationem primarum rationum de qualibet re quid sit, suaque certa ac substantiali diffinitione declaratur. Nam posito primo genere, deinde species & alia quæ vicina esse possunt subiungimus, ac discretis communibus separamus: tamdiu interponentes differentias, quousque ad proprium de quo quærimus signata eius expressione perueniamus; vt puta: Homo est animal rationale, mortale, terrenum, bipes, risusque capax. Genus animal cùm dictum est, substantia ipsius hominis declarata est. Est enim ad hominem genus animal. sed quia latè patebat, adiecta est species, terrenum: & iam exclusum est id quod aut æthereum aut humidum. Differentia verò, vt bipes, quæ propter animalia posita est, quę multis pedibus innituntur. Item rationale, propter illa quæ ratione egeant. mortale autem propter id quod non angelus est. Postea discretis atque disclusis adiectum est proprium in parte postrema, risus capax: est enim solum hominis quod ridet. sic perfecta est omnis ex parte diffinitio, ad hominem declarandum. Cuius disciplinæ diffinitionem plenam existimarunt Aristoteles & Tullius ex genere & differentijs consistere. Quidam postea pleniores in docendo, eius perfectam substantialem diffinitionem in quinque partibus velut in membris suis diuiserunt. Quarum prima est de genere: secunda de specie: tertia de differentia: quarta de proprio: quinta de accidente. Genus, vt animal. Est enim animal commune & generale omnium animam habentium. Species, vt homo. est enim specialitas, qua separatur à cæteris animantibus. Differentia, vt rationale, mortale. His enim duobus differt homo à cæteris. Cùm enim dicitur rationale: discernitur ab irrationabilibus & mutis, quæ non habent rationem. Cùm mortale, discernitur ab angelis, qui nesciunt mortem. Proprium, vt risibile. Homo est enim qui ridet, & hoc præter hominem nullius animalis est. Accidens, vt color in corpore, doctrina in animo. Hæc enim temporum varietate & accedunt & mutantur: vt est ex omnibus his quinque partibus oratio plenæ sententiæ, ita: Homo est animal rationale, mortale, risibile, boni maliqué capax. sic enim in omni oratione substantiali tamdiu interponere debemus species & doctrinas, quàm diu seclusis omnibus, quæ hoc idem possunt esse: ad id perueniatur, vt proprietas iam certa teneatur. Isagogas autem ex Græco in Latinum transtulit Victorinus orator, commentumque eius quinque libris Boetius edidit.

De categorijs Aristotelis.

SEquuntur Aristotelis categoriæ: quæ Latinè prædicamēta dicuntur: quibus per varias significationes omnis sermo conclusus est.

Instrumenta categoriarum sunt tria, scilicet prima æquiuoca: secunda vniuoca: tertia denominatiua. Æquiuoca sunt, quando multarum rerum nomen vnum est: sed non eadem diffinitio, vt leo. Nam quantum ad nomen pertinet, & verus & pictus & cœlestis leo dicitur. Quantum ad diffinitionem pertinet, aliter verus diffinitur, aliter pictus, & aliter cœlestis.

Vniuoca sunt, quando duarum aut plurimarum rerum vnum nomen est & diffinitio, vt vestis. nam & birrus & tunica nomen vestis possunt accipere & eius diffinitionem. Ergo hoc vniuocum in generibus esse intelligitur: quia & nomen & diffinitionē dant formis suis. Denominatiua & deriuatiua dicuntur quæcunque ab aliquo solo differentiæ casu secundum nomen habent & appellationem: vt à bonitate bonus, à malitia malus.

Categoriarum autem species decem sunt, scilicet Substantia, quantitas, qualitas, relatio, situs, locus, tempus, habitus, agere & pati.

Substantia est quæ propriè & principaliter substare dicitur, quæ neq; de subiecto prędicatur. neq; in subiecto est, vt aliquis homo, aliquis equus. Secundę autē substantię dicūtur, in quibus illæ quæ principaliter substantiæ primo dictæ insunt atque clauduntur: vt in homine Cicero. Quantitas est mensura, per quam aliquid vel magnum vel minus ostenditur: vt longus, breuis. Qualitas est: vt qualis sit orator, aut rusticus niger, aut candidus. Relatio est, quæ refertur ad aliquid. Cùm enim dicitur filius: demonstratur & pater. Hæc relatiua simul incipiunt. Nam seruus & dominus vno tempore exordiū nominis sumunt: nec aliquādo inuenitur dominus prior seruo, nec seruus prior domino. Alterū enim alteri præesse nō potest. Porrò situs à positione dictus est, vt quis aut stet, aut sedeat, aut iaceat. Locus est vbi sit, in foro, in platea. Loci autem motus habet sex partes, dexteram & sinistram, antè & retrò, sursum & deorsum. Partes quoque istæ sex duo habent, longè & propè. Tempus: vt hodie, heri. Habitus ab habendo aliquid dictus, vt habere scientiam in mente, virtutem in corpore. circa corpus vestimentum, & cętera quæ ad habendi modum designato à doctoribus numero comprehenduntur. Iam verò agere & pati ab agentis & patientis significatione consistunt. Nam scribo vocis actum habet: quū facientis rem indicat. Scribor patientis est, quam pati se ostendit. In his enim nouem generibus, quorum exempli gratiā quædam posita sunt, vel in ipso substantiæ genere, quod est ὀυσία, innumerabilia reperiuntur. Nam & ea quæ intellectu capimus, id ad alterum horum decem prædicamentorum sermone vulgamus. Plena enim sententia de his ita est. Augustinus magnus prædicator, filius illius, stans in templo, hodie infulatus, prædicando fatigatur. ὀυσία autem substantia est, id est,

© Biblioteca Nacional de España

proprium. quæ cæteris subiacet: reliqua nouem accidentia sunt. Substantia autem dicitur ab eo, quòd omnis res ad se ipsam subsistit. Corpus enim subsistit, & ideo substantia est. Illa verò accidentia, quę in subsistente atq; subiecto sunt: substantiæ non sunt: quia non subsistunt, sed mutãtur, vt color vel forma. De subiecto autẽ & in subiecto quasi de ipso & in ipso. Vbi enim dicitur de subiecto, substãtia est, quasi dicatur de substantia. Vbi autem dicitur in subiecto, accidentia sunt, id est, quæ accidunt in substantia, vt quantitas, qualitas, vel figura. De subiecto igitur genera & species: in subiecto accidentia sunt. Ex his nouem accidentibus tria intra ousiam sunt, scilicet quãtitas, qualitas & situs. Hæc enim sine ousia esse non possunt. Extra ousiam verò sunt locus, tempus & habitus. intra & extra ousiam sunt relatio, facere & pati. Appellatas autem categorias constat: quia nõ possunt nisi ex subiectis agnosci. Quis enim quid sit homo possit agnoscere, nisi aliquem hominem sibi ponat ante oculos, quasi subiectum nomini? Hoc opus Aristotelis intelligendum est, quoniam sicut dictum est, quicquid homo loquitur, inter decem prædicamenta habetur. Proficiet etiam ad libros intelligendos, qui sine Rhetoribus & Dialecticis apponuntur.

De perihermenijs Aristotelis.

SEquitur dehinc liber Perihermenias subtilissimus nimis, & per varias formas * iterationesq; quautissimus, de quo dicitur. Aristoteles quando perihermenias scriptitabat, calamum in mente tingebat.

Omnis quippe res quæ vna est, & vno significatur sermone, aut per nomen significatur, aut per verbum: quæ duæ partes orationis interpretantur totum quicquid concepit mens ad eloquendum. Omnis enim elocutio conceptæ rei mentis interpres est. Hanc Aristoteles vir in rerum expressione & faciendis sermonibus peritissimus, Perihermeniam nominat, quam Interpretationem nos appellamus, scil. quòd res mente conceptas prolatis sermonibus interpretatur per cataphasin & apophasin, idest, per affirmationem & negationem. Per affirmationem, vt homo currit: per negationem, vt homo non currit. In his itaque perihermenijs supradictus philosophus de septem speciebus tractat, id est, de Nomine, de Verbo, de Oratione, de Enunciatione, de Affirmatione, de Negatione, de Contradictione. Nomen est vox significatiua secundum placitum. sine tempore: cuius nulla pars significatiua separata, vt Socrates. Verbum est quod significat tempus, cuius pars nihil extra significat: sed semper eorum quæ de altero dicuntur notata, vt cogitat, disputat. Oratio est vox significatiua ad placitum: cuius partium aliquid separatum significatiuum est, vt Socrates disputat. Enunciatiua oratio est vox significatiua, de eo quod est aliquid vel non est: vt Socrates est, Socrates non est. Affirmatio est enunciatio alicuius de aliquo, vt Socrates est. negatio est alicuius ab aliquo, vt Socrates non est. Contradictio est affirmationis & negationis oppositio, vt Socrates disputat, Socrates non disputat. Vtilitas perihermeniarũ hæc est, quòd ex his interpretamentis syllogismi fiunt. Vnde & analytica pertractantur.

De syllogismis Dialecticis.

SEquuntur dehinc Dialectici syllogismi, vbi totius eius artis vtilitas & virtus ostenditur: quorum conclusio plurimum adiuuat lectorem ad veritatem inuestigandam: tantùm vt absit ille error decipiendi aduersarium per sophismata falsarum conclusionum.

Formulæ categoricorum, id est, prædicativorum syllogismorum sunt tres. Primæ formulæ modi sunt nouem:

Primus modus est, qui conducit, id est, qui colligit ex vniuersalibus dedicatiuis, dedicatiuum vniuersale directim: vt, Omne iustum honestum: omne honestum bonum: ergo omne iustum bonum.

Secundus modus est, qui conducit ex vniuersalibus dedicatiuo & abdicatiuo, abdicatiuum vniuersale directum: vt, Omne iustum est honestum: nullum honestum turpe: ergo nullum iustum turpe.

Tertius modus est, qui conducit ex dedicatiuis particulari & vniuersali, dedicatiuum particulare directum: vt, Quoddam iustum honestum: omne honestum vtile: ergo quoddam iustum vtile.

Quartus modus est, qui conducit ex particulari dedicatiua, & vniuersali abdicatiua, dedicatiuum particulare directum: vt, Quoddam honestum iustum: nullum honestum turpe: ergo quoddam iustum non est turpe.

Quintus modus est, qui conducit ex vniuersalibus dedicatiuis particulare dedicatiuum per reflexionem: vt, Omne iustum honestum: omne honestum bonum: ergo quoddam bonum iustum.

Sextus modus est, qui conducit ex vniuersali dedicatiua & vniuersali abdicatiua, abdicatiuum vniuersale per reflexionem: vt, Omne iustum honestum: nullum honestum turpe: ergo nullum turpe iustum.

Septimus modus est, qui conducit ex particulari & vniuersali dedicatiuis, dedicatiuum particulare per reflexionem: vt, Quoddam iustum honestum: omne honestum vtile: igitur quoddam vtile iustum.

Octauus modus est, qui conducit ex vniuersalibus, abdicatiuo & dedicatiuo, particulare abdicatiuum per reflexionem: vt, nullum turpe honestum: omne honestũ iustum: ergo quoddam turpe non est iustum.

Nonus modus est, qui conducit ex vniuersali

© Biblioteca Nacional de España

ſali abdicatio & particulari dedicatio, dedicatiuum particulare per reflexionem: vt, nullum turpe honeſtum: quoddam honeſtum iuſtum: igitur quoddam iuſtum non eſt turpe.

Formulæ ſecundi modi ſunt quatuor.

Primus modus eſt, qui cõducit ex vniuerſalibus dedicatiuo & abdicatiuo, abdicatiuum vniuerſale directim: vt, omne iuſtum honeſtũ: nihil turpe honeſtum: ergo nullum turpe iuſtum.

Secundus modus eſt, qui conducit ex vniuerſalibus abdicatiuo & dedicatiuo, abdicatiuum vniuerſale dictum: vt, nullum turpe honeſtum: omne iuſtum honeſtum: ergo nullum turpe iuſtum.

Tertius modus eſt qui conducit ex particulari dedicatiuo & vniuerſali abdicatiuo, particulare abdicatiuum directim. vt, quoddam iuſtum honeſtum: nullum turpe honeſtum: igitur quoddam iuſtum non eſt turpe.

Quartus modus eſt qui conducit ex vniuerſali dedicatiuo, & particulari abdicatiuo, abdicatiuum particulare directim. vt, omne iuſtum eſt turpe: quoddam malum nõ eſt turpe, quoddam ergo malum non eſt iuſtum.

Formulæ tertij modi ſunt ſex:

Primus modus, qui conducit ex dedicatiuis vniuerſalibus, dedicatiuũ particulare tam directim quàm reflexim. vt, omne iuſtum honeſtum: omne honeſtum iuſtum: omne iuſtum bonum: quoddam ergo honeſtum bonum, quoddam bonum honeſtum.

Secundus modus eſt, qui conducit ex dedicatiuis particulari & vniuerſali, dedicatiuum particulare directim. vt, quoddam iuſtum honeſtum: omne iuſtum bonum: quoddam ergo honeſtum bonum.

Tertius modus eſt, qui conducit ex dedicatiuis vniuerſali & particulari, dedicatiuum particulare directim. vt, Omne iuſtum honeſtum: quoddam iuſtum bonum: ergo quoddam honeſtum bonum.

Quartus modus eſt, qui conducit ex vniuerſali dedicatiuo, & particulari abdicatiuo, abdicatiuum particulare directim. vt, Omne iuſtum honeſtum: nullum iuſtum malum: ergo quoddam honeſtum non eſt malum.

Quintus modus eſt, qui conducit ex dedicatiuo particulari & abdicatiuo vniuerſali, abdicatiuum vniuerſale directim. vt, Quoddam iuſtum honeſtum: nullum iuſtum malum: ergo quoddam iuſtum non eſt malum.

Sextus modus eſt, qui conducit ex dedicatiuo vniuerſali, & abdicatiuo particulari, abdicatiuũ particulare directim. vt, Omne iuſtum honeſtum: quoddam iuſtum non eſt malum: Ergo quoddam honeſtum non eſt malum. Has formulas categoricorum ſyllogiſmorum, qui plenè noſſe deſiderat, librum legat qui inſcribitur Perihermenias Apulei, & quæ ſubtilius ſunt tractata cognoſcet. Diſtincta enim atque conſiderata ad magnas intelligentię vias lectorem, præſtante Domino, vtiliter introducunt.

Nunc ad Hypotheticos ſyllogiſmos ordine ſequẽti veniamus. Modi ſyllogiſmorũ Hypotheticorũ qui fiunt cum aliqua cõcluſione ſunt vj.

Primus modus eſt, Si dies eſt, lucet: Eſt autem dies: Ergo lucet.

Secundus modus eſt, Si dies eſt, lucet: Non autem lucet: Ergo non eſt dies.

Tertius modus eſt ita, Non eſt dies, ergo non lucet. atqui dies eſt, lucet igitur.

Quartus modus eſt ita: Aut dies eſt aut nox, Vtique dies eſt: nox ergo non eſt.

Quintus modus eſt ita: Aut dies eſt aut nox: Vtique nox non eſt, Igitur dies eſt.

Sextus modus eſt ita: Nõ eſt dies: Ergo non lucet: Dies autem eſt: Nox ergo non eſt.

Septimus modus eſt ita: Non eſt dies & nox: Vtique nox non eſt: Ergo dies eſt. Modos autem ſyllogiſmorum Hypotheticorum ſi quis plenius noſſe deſiderat, librum legat Marij Victorini, qui inſcribitur de Syllogiſmis hypotheticis. Hinc ad Dialecticas diffinitionum ſpecies accedamus, quæ tanta dignitate præcellũt, vt poſsint iudiciorum apertè manifeſtationes & quædam indicia dictionum oſtendere.

De diuiſione diffinitionum ex Marij Victorini libro abbreuiata.

Diffinitio eſt Philoſophorũ, quæ in rebus exprimendis explicat quod res ipſa ſit, qualis ſit, & quemadmodũ membris ſuis conſtare debeat. Eſt enim oratio breuis vniuſcuiuſq; naturã à communione diuiſam propria ſignificatione concludens. Diuiſio diffinitionũ in partes xiiij habetur. Prima ſpecies diffinitionis eſt. οὐσιώδης. i. ſubſtantialis: quæ propriè & verè dicitur diffinitio, vt eſt: Homo eſt animal rationale, mortale, ſenſus diſciplinæque capax. Hæc enim diffinitio per ſpecies & differentias deſcendens venit ad proprium, & deſignat pleniſsimè quid ſit homo. Secunda ſpecies diffinitionis eſt, quæ Græcè ἐννοηματική dicitur, Latinè notio nuncupatur: quã notionem cõmuni non proprio nomine poſſumus dicere. Hæc iſto modo ſemper efficitur: Homo eſt quod rationali cõceptione & exercitio præeſt animalibus cunctis. Non enim dixit quid ſit homo, ſed quid agat: quaſi quodam ſigno in notitiam deuocato. Iſta enim & reliquis notitia rei profertur, non ſubſtantialis explicatio declaratur. & quia illa ſubſtantialis eſt, diffinitionũ omnium obtinet principatum. Tertia ſpecies diffinitionis eſt, quæ Græcè ποιότης dicitur, Latinè qualitatiua vocatur: quia ex qualitate nomen accepit pro eo quod, quale ſit id quod quæritur, euidenter oſtendit. Cuius exemplũ tale eſt: Homo eſt qui ingenio valet, artibus pollet, & cognitione rerũ: aut quod agere debet, eligit, aut animaduerſione quid inutile ſit contemnit. His enim qualitatibus expreſſus ac diffinitus eſt homo. Quarta ſpecies diffinitionis eſt, quæ Græcè ὑπογραφική, Latinè à Tullio deſcriptio nuncupatur: quæ adhibita circuitione dictorũ facto-

© Biblioteca Nacional de España

rumq; rem, quæ sit, descriptione declarat. Quæritur enim, quid sit auarus, quid crudelis, quid luxuriosus, & vniuersa luxuriosi auari & crudelis natura describitur. vt si luxuriosum volumus diffinire, dicimus: Luxuriosus est victus non necessarij, sed sumptuosi & honoris appetens, in delicijs affluens, in libidine promptus. Hæc & alia diffiniũt luxuriosum: sed per descriptionem diffiniunt. Quæ species diffinitionis Oratoribus magis apta est quàm Dialecticis: quia latitudines habet, quæ simili modo in bonis rebus ponitur & malis. Quinta species diffinitionis est, quam Græcè κατὰ ἀντίλεξιν, Latinè aduerbium dicimus. Hæc vocem illam de cuius *notione* re quæritur, alio sermone designat, vno & singulari, & quodãmodo quid illud sit in vno verbo positum, vno verbo alio declarat. vt, Conticescere est tacere. Item cùm terminum dicimus finem: aut populatas interpretamur esse vastatas. Sexta species diffinitionis est, quam Græci κατὰ διαφορὰν, nos per differentiam dicimus. Scriptores verò artium de eodem & de altero nominant: vt cùm quæritur, quid sit inter Regem & tyrannũ: adiecta differẽtia quid vterq; sit diffinitur, id est, rex est modestus & temperans: tyrannus verò impius & immitis. Septima species diffinitionis est, quam Græci κατὰ μεταφορὰν, Latini per translationem dicunt: vt Cicero in Topicis: Littus est, quia fluctus elidit. hoc variè tractari potest. Modò enim vt moneat, modò vt designet, modò vt laudet ac vituperet. Vt moneat, Nobilitas est virtutis, modorum apud posteros sarcina. Vt designet, Apex est arx corporis. Vt laudet, Adolescentia est flos ætatis. Vt vituperet, Diuitiæ sunt breuis vitæ longũ viaticum. Octaua species diffinitionis est, quam Græci κατὰ ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου, Latini per priuantiam contrarij eius quod diffinitur, dicunt: Bonum est, quod malum non est. Iustum est, quod iniustum non est, & his similia. Hoc autem genere diffinitionis vti debemus cùm cõtrarium est notum: vt, Si bonum est quod prodest cum honestate, id quod tale non est, malũ est. Nona species diffinitionis est, quã Græci κατὰ ὑποτύπωσιν, Latini per quandam imaginationem dicũt: vt, Æneas est Veneris & Anchisæ filius. Hæc semper in indiuiduis versatur, quæ Græci ἄτομα appellant. Decima species ipsius diffinitionis est, quã Græci καὶ ἐκ τῶν πολλῶν ὁμοίων γένους, Latini per indigentiam pleni ex eodem genere dicũt. vt si quæratur, Quid sit thesis? respondeatur, Cui vis deest, vt sit arsis. Vndecima species diffinitionis est, quam Græci κατὰ ἀναλογίαν, Latini iuxta *rationẽ dicunt, vt si quæratur, Quid sit animal? respõdeatur, vt homo. Rem enim quæsitam prædictum declarauit exemplum. Hoc est autem proprium definitionis, quid sit illud quod quæritur declarare. Duodecima species diffinitionis est, quam Græci κατὰ ἐπαινὸν vocant, id
„ est, per laudem: vt Tullius pro Cluentio: Lex
„ est mens & consilium, & animus, & sententia
„ ciuitatis. Et alter: Pax est tranquilla libertas.

proportionem.

Fit & per vituperationem, quam Græci κατὰ ψόγον vocant: vt, Seruitus est postremum omnium malorum, non modò bello, sed morte quoque repellenda. Tertiadecima species diffinitionis est, quam Græci κατὰ τὸ πρός τι, Latini ad aliquid vocant, vt est illud: Pater est, cui est filius. Dominus est, cui est seruus. Quartadecima species diffinitionis est κατὰ τὸν ὅρον, Latinè generalis. Cicero in Rhetoricis: Genus est, quod plures amplectitur partes. Item pars est, quæ subest generi. Quintadecima species diffinitionis est, quam Græci κατὰ αἰτιολογίαν, Latini secundum rei rationem vocant: vt, Dies est sol supra terras: nox est sol sub terris. Scire autem debemus prædictas species diffinitionum topicis meritò esse sociatas: quoniam inter quædam argumenta sunt positæ, & nonnullis locis commemorantur in Topicis. Nunc autem ad Topica veniamus, quæ sunt argumentorum sedes, fontes sensuum, & origines dictionum.

De Topicis.

TOpica est disciplina inueniendorum argumentorum. Diuisio Topicorum siue locorum, ex quibus argumenta ducuntur, triplex est. Nam alia in eo ipso de quo agitur hærent: alia quæ dicũtur effecta, quæ quodammodo ex rebus alijs tracta noscuntur: alia quæ assumuntur extrinsecus. Argumenta quæ in eo ipso de quo agitur, hærent in tribus diuisa sunt. Prima à toto: secunda à parte: tertia à nota.

Argumentũ à toto, cùm diffinitio adhibetur ad id quod quæritur, sicut ait Cicero: Gloria est
laus rectè factorum, magnorumque in republi-
ca fama meritorum.

A partibus est argumentum, cùm is qui se defendit, aut negat factum, aut factum esse iure defendit.

A nota est argumentum, cùm sui nominis argumento aliquod dicitur, vt Cicero: Consu-
lem, inquit, quærebam, quem in isto magali in-
uenire non poteram.

Effecta argumenta sunt, quæ quodammodo ex rebus alijs tracta noscuntur. Sunt autem numero xiiij, id est, primùm à coniugatis argumentum est, cùm declinatur à nomine & fit verbum. vt Cicero Verrem dicit euertisse prouinciam: vel nomen à verbo, cùm latrocinari dicitur latro. Nomen est à nomine, Terentius: Inceptio est amentium, haud amantium. dummodo distat vnius appellationis postremitas, in alia vocis declinatione formata. Secundum argumentum à genere est, cùm de eodem genere sententia dicitur, vt Virgilius: Varium & mutabile semper fœmina. Tertium à
specie argumentum est, cùm generali quæstioni fidem species facit: vt,

At non sic Phrygius penetrat Lacedæmona pastor.

A simili argumentum est, quando rebus aliquibus similia proferuntur: vt,

Suggere tela mihi, non illum dextera frustra

Tor.

© Biblioteca Nacional de España

Torserit in Rutulos, steterità, in corpore Graiûm
Iliacis campis.

A differētia argumentum est, quando per differentiam aliqua separantur, vt Virgilius,

Non Diomedis equos, nec currum cernis Achillis.

A contrarijs argumentum dicitur, quando res discrepantes sibimet opponuntur: vt Virgilius,

Mortali ne manu factæ, immortale carinæ
Fas habeant, certusq; incerta pericula lustret Aeneas.

A consequentibus argumentum ducitur, quando positam rem aliquid ineuitabiliter consequitur, vt Virgilius:

Non ea vis animo, nec tanta superbia victis.

Ab antecedentibus argumentum est, quando aliqua ex ijs quę prius gesta sunt, comprobantur, „ vt Cicero pro Milone, Cum non dubitauerit aperire quod cogitauerit, vos potestis dubitare quid fecerit? A repugnantibus argumētum est, quando illud quod obijcitur, aliqua contrarie„ tate destruitur, vt Cicero: Is igitur nō modo de „ tali periculo liberatus, sed honore amplissimo „ ditatus, domi te interficere voluisset? A cōiugatis argumentum est, cum probabiliter ostenditur quid sit ex re quaq; venturum, vt Virgilius:

Nos si pellant, nihil abfore credunt,
Quin omnem Hesperiam sua sub iuga mittant.

A causis argumentum est, quando consuetudine communi res quæq; tractatur, vt Terentius.

Ego non nihil veritus sum dudum abs te cauere:
Ne faceres quod vulgus seruorum solet, dolis vt me deluderes.

Ab effectis argumentum est: cum ex ijs quæ facta sunt aliquid approbatur, vt Virgilius:

Degeneres animos timor arguit.

A comparatione argumentum est, quando per collationem personarum siue causarū, sentētiæ ratio sub imputatione formatur, vt Virgilius:

Tu potes Aeneam manibus subducere Graiûm,
Nos aliquid contrà Rutulos iuuasse nefandum est?

Item argumenta quæ ducūtur extrinsecus, quę Grecè ἄτεχνα, id est, artis expertia vocātur, vt est testimonium. Testimonium verò constat re: & diuiditur quinq; modis, id est, primo ex persona, secundo ex naturę auctoritate, tertio ex temporibus auctoritatum, quarto ex dictis factisq; maiorum, quinto ex tormentis. Tertius ergo superior modus qui est ex temporibus, in octo species deriuatur. Prima ingenio, secunda opibus, tertia ętate, quarta fortuna, quinta arte, sexta vsu, septima necessitate, octaua concursione fortuitorum. Testimonium omne est quod ab aliqua externa re sumitur ad faciendā fidem. Persona non qualiscunq; est, quæ testimonij pondus habet ad faciendā fidē, sed morū probitate debet esse laudabilis. Naturæ auctoritas est, quę maxima virtute cōsistit. Testimonia multa sunt quę afferunt auctoritatē, id est, ingenium, opes, ętas, fortuna, ars, vsus, necessitas & cōcursio rerum fortuitarum. A dictis factisq; maiorū petitur fides, cum priscorum dicta factaq; memorantur. A tormentis fides præbetur, post quæ nemo creditur velle mentiri. Ea verò quæ tractantur in tempore, quia suis nominibus plena sunt, diffinitione non indigent. Memoriæ quoque cōdendū est, Topica oratoribus, Dialecticis, poetis, & iurisperitis communiter quidem argumenta præstare: sed quando aliquid specialiter probant, ad Rhetores, poetas, iurisperitosq; pertinet: quando verò generaliter disputant, ad philosophos pertinere manifestum est. Mirabile planè genus operis, in vnum potuisse colligi quicquid mobilitas ac varietas humanæ mentis in sensibus exquirēdis per diuersas causas poterat inuenire conclusum liberum ac voluntarium intellectum. Nam quocunq; se verterit, quascunq; cogitationes intrauerit: in aliquid eorum quæ prędicta sunt necesse est vt cadat ingenium.

De oppositis.

Contrariorum genera quatuor sunt: quæ Aristoteles ἀντικείμενα, id est, opposita vocat. Propter quod sibi velut ex aduerso videntur obsistere, vt contraria: nec tamen omnia quæ sibi opponuntur, contraria sunt, sed omnia contraria opposita sunt. Primum genus est contrariorum, quod iuxta Ciceronem diuersum vocatur, pro eo quōd tantum contraria sibi opponuntur, vt non eorum sint quibus opponuntur, vt sapientia, stulticia. Quod genus in tres species diuiditur. Nam sunt quædam ex eis quæ medium habent: & sunt quædam quæ sine medio sunt: & quædam sunt quæ habent medium, & tamen sine nomine sunt: nisi vtrumq; contrariorum ei vocabulum creet. Candidum & nigrum medium habent. quia inter eos sępe color pallidus vel fuscus inuenitur. sine medio sunt quoties vnum de duobus accidit, vt sanitas vel infirmitas. Horum nihil est medium. Ea autem quorum media sine nomine sunt, vt felix, infelix, medium habent: videlicet, neq; à toto felix, neq; in toto infelix. Secundum genus est relatiuorum: quæ ita sibi opponuntur, vt ad se conferantur, sicut duplum, simplum. Horum solum oppositorum genus ad se refertur. Non enim est maius, nisi referatur ad minus, & simplum nisi ad duplum: aut eius cui opponitur. Nam relatiuum relatiuo ita opponitur: vt hoc ipsum quod opponitur, aut eius sit cui opponitur, aut ad id quocunq; modo referatur. Dimidium enim opponitur duplo, eiusq; dupli medium est: sed ita illi opponitur, vt eius sit cui opponitur. Sic & paruum opponitur magno: ita vt ipsum paruum ad magnum cui opponitur, sit paruum. Nam quæ superiora dicuntur contraria ita sibi opponuntur: vt eorū non sint quibus opponūtur, nec ad ea quocūq; modo referātur. Siquidē iniquitas iustitiæ ita cōtraria est, vt non eiusdē iustitiæ iniquitas sit, aut ad illā sit iniquitas. Tertiū genus oppositorū est habitus vel orbatio. Quod genus Cicero priuationē vocat, qua ostēdit aliquid quempiā habuisse, vnde

© Biblioteca Nacional de España

priuatus est. Cuius species sunt tres: quarũ prima est in re, secunda in loco, tertia in tempore congruo. In re, vt cæcitas & visio in oculis. In loco, vt cæcitatis & visionis in oculis locus est. In tempore congruo, vt infantem non dicere, sine dentibus: eum cui dentes ætas adhuc parua negauit. Nõ enim est priuatus dentibus quos nõdum habuit. Quartum verò genus ex confirmatione & negatione opponitur, vt Socrates disputat, Socrates non disputat. Hæc à superioribus ideo differunt, quòd illa sigillatim dici possunt, hæc nisi connexè dici non possunt. Quod genus quartum apud Dialecticos multum habet conflictum, & appellatur ab eis valde oppositũ: siquidem & tertium non recipit. Nam ex illis quædam habere tertium possunt, vt in contrarijs, candidum & nigrum. Tertium eius nec candidum nec nigrum, sed fuscum vel pallidum. In relatiuis quoq; , vt multa & pauca. Tertiũ eius, nec multa nec pauca, sed mediocria. In habitu vel orbatione, vt visio & cæcitas. Tertium eius, nec cæcitas, nec visio, sed lippitudo. Hic ergo legit, non legit: tertium nihil habet.

ISIDORI HISPALENSIS
EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM
LIBER III.

Præfatio lib. Tertij de quatuor sequentibus disciplinis.

Mathematica Latinè dicitur doctrinalis scientia, quæ abstractã cõsiderat quantitatem. Abstracta enim quantitas est, quam intellectu à materia separantes vel ab alijs accidentibus, vt est, par, impar: vel ab alijs huiusmodi in sola ratiocinatiõe tractamus. Cuius species sunt quatuor, id est, Arithmetica, Musica, Geometria & Astronomia. Arithmetica est disciplina quantitatis numerabilis secundũ se. Musica est disciplina quæ de numeris loquitur, qui inueniuntur in sonis. Geometria est disciplina magnitudinis & formarum. Astronomia est disciplina quæ cursus cælestiũ siderum atq; figuras contemplatur, atq; omnes habitudines stellarũ. Quas disciplinas deinceps paulo latius indicabimus, vt earum causæ competenter possint agnosci.

Incipiunt capitula de Arithmetica.

1 *De vocabulo Arithmeticæ disciplinæ.*
2 *De autoribus eius.*
3 *Quid sit numerus.*
4 *Vnde numeri sint dicti.*
5 *Quid præstent numeri.*
6 *De prima diuisione parium & imparium.*
7 *De secunda diuisione totius numeri.*
8 *De doctrina Arithmeticæ. Musicæ & Geometriæ artis.*
9 *Quot numeri infiniti existunt.*

DE VOCABVLO ARITHMETICÆ DISCIPLINÆ.

Arithmetica est disciplina numerorum. Græci enim numerũ ἀριθμὸν dicunt. Quam scriptores secularium literarum inter disciplinas mathematicas ideo primã esse voluerunt, quoniam ipsa vt sit, nulla alia indiget disciplina. Musica aũt & Geometria, & Astronomia quę sequũtur, vt sint atq; subsistãt, istius egẽt auxilio.

De autoribus eius.

NVmeri disciplinam apud Græcos primũ Pythagoram autumant conscripsisse: ac deinde à Nicomacho diffusius esse compositam: quam apud Latinos primus Apuleius, deinde Boetius transtulerunt.

Quid sit numerus.

NVmerus autem est multitudo ex vnitatibus constituta. Nam vnum semen numeri esse, non numerum volunt.

Vnde numeri sint dicti.

NVmero nummus nomẽ dedit, & à sui frequentatione vocabulum indidit. Vnus ex Græco nomẽ trahit. Græci enim vnitatem μονάδα dicunt: sic ij. iij. quos illi δύω & τρία appellant. Quãtuor vero à figura quadrata nomẽ sumpserunt. Quinq; autem non secundum naturã: sed secundum placitum voluntatis vocabulum acceperunt ab eo, qui numeris nomina indidit. Sex autem & septem à Græco veniunt. Multis enim nominib. quæ in Græco aspirationem habent, nos pro aspiratione. s. literam ponimus.

© Biblioteca Nacional de España

ponimus. Inde pro ἕξ sex, pro ἑπτὰ septem, sicut pro herpillo herba, serpillum. Octo verò per translationē, sicut illi ὀγδόω, & nos octo: illi ἐννέα, nos nouem: illi δέκα, nos decem. Dicti autem decem à Græca etymologia, eo quòd ligēt & coniungant infra iacētes numeros. Nam δεσμὸς, coniungere vel ligare apud eos dicitur: Porro viginti dicti, quòd sint decem bis geniti, v pro b, litera posita. Triginta, quòd à ternario denario gignantur: sic vsq; ad nonaginta. Cētum verò vocati à canto, quod est circulus. ducenti à duo & centum. sic & reliqui vsq; ad mille. Mille autem à multitudine, vnde & militia, quasi multicia: inde & milia, quæ Græci mutata litera scilicet r pro l. myriades vocant.

Quid præstent numeri.

RAtio numerorum contemnenda non est. In multis enim sacrarum scripturarum locis, quantum mysterium habeant, elucet. Non enim frustra in laudibus Dei dictū est, Omnia in mensura & numero & pondere fecisti. Senarius namq; qui partibus suis perfectus est, perfectionem mundi quadam numeri sui significatione declarat. Similiter & xl. dies quibus Moyses & Helias, & ipse Dominus ieiunauerūt, sine numerorum cognitione nō intelliguntur. Sic & alij in scripturis sanctis numeri existunt: quorum figuras non nisi huius artis scientia soluere possumus. Datum est etiā nobis ex aliqua parte sub numerorū cōsistere disciplina: quādo horas per eā, discimus quando de mensiū curriculo disputamus, quando anni spacium redeuntis agnoscimus. Per numerum siquidem nē confundamur instruimur. Tolle numerum in rebus omnibus, & omnia pereunt. Adime seculo computū, & cuncta ignorantiæ cæcatio complectitur. nec differre potest à cæteris animalibus qui calculi nescit rationem.

De prima diuisione parium & imparium.

NVmerus diuiditur paribus & imparibus. Par numerus diuiditur in ijs, pariter par, & pariter impar, & impariter par, & impariter impar. Impar numerus diuiditur in ijs, primum & simplum, secūdum & compositum, tertium mediocrem, qui quodammodo primus & incompositus est. Alio verò modo secundus & compositus est. Numerus par est, qui in duabus æquis partibus diuidi potest. vt ij. iiij. viij. Impar verò numerus est, qui diuidi æquis partibus nequit, vno medio vel deficiente vel superante, vt iij. v. vij. ix. & sic de alijs. Pariter par numerus est, qui secundum parem numerum pariter diuiditur, quousq; ad indiuisibilem perueniat vnitatem: vt puta sexagintaquatuor habet mediū xxxij. hic autem xvj. Sedecim verò, viij. octonarius iiij. quaternarius ij. binarius vnum. qui singularis indiuisibilis est. Pariter impar est: qui in partes æquas recipit sectionē, sed partes eius mox indiuisibiles permanent. vt vj & x & xij. triginta & quinquaginta. Mox enim vt hunc numerum diuiseris: incurris in numerum quem secare non possis. Impariter par numerus est, cuius partes etiam diuidi possunt: sed vsque ad vnitatem nō perueniunt, vt xxiiij. Hij autem in medietatem diuisi, faciunt xij. rursumq; in aliam medietatem, vj. deinde in aliam tres. & vltra diuisionem non recipit sectio illa, sed ante vnitatem inuenitur terminus quem secare non possis. Impariter impar est, qui ab impari numero impariter mensuratur, vt xxv. xlix. qui dum sint impares numeri: ab imparibus etiam partibus diuiduntur, vt septies septem: quadragies nouies, & quinquies quini xxv. Imparium numerorum: alij simplices sunt, alij compositi, alij mediocres. Simplices sunt qui nullam aliam partem habent nisi solam vnitatem; vt ternarius solam tertiam, & quinarius solam quintam, & septenarius solam septimam. His enim vna pars sola est. Compositi sunt qui non solum vnitatem metiuntur, sed etiam alieno numero procreantur: vt nouem, xv, xxj. & xxv. Dicimus enim ter ter nouem: & septies ter xxj. ter quini xv. & quinquies quini xxv. Mediocres numeri sunt: qui quodammodo simplices & incompositi esse videntur. Alio verò modo secundi & compositi. Verbi gratia: Nouem ad xxv dum cōparatus fuerit, primus est & incompositus: quia non habet communem numerum, nisi solum monadicum. xv verò si comparatus fuerit: secundus est & compositus: quoniam inest illi communis numerus præter monadicū, id est ternarius numerus: quia nouem mēsurat ter terni. & quindecim ter quini. Item parium numerorum alij sunt superflui; alij diminuti, alij perfecti. Superflui sunt quorū partes simul ductæ plenitudinē suam excedūt: vt puta duodenarius. habet enim partes quinque. Duodecimam, quod est vnum. sextam, quod duo: quartam quod tria: tertiam quod quatuor, dimidiam quod sex. Vnū enim & duo & tria, & quatuor, & sex simul ductæ faciūt, xvj. & longe à duodenario excedunt: sic & alij similes plurimi, vt duodeuicesimus, & multi superflui tales. Diminuti numeri sunt, qui partibus suis cōputati, minorem summam efficiunt: vt puta denarius, cuius partes sunt tres: Decima quod est vnū: quinta, quod duo: dimidia quod quinq;. Vnum enim & duo & quinq; simul ductæ, octonarium faciunt, longè à denario minorem. Similis est huic octonarius vel alij plurimi: qui in partes redacti infra consistunt. Perfectus numerus est, qui suis partibus adimpletur, vt senarius. habet enim tres partes, sextam, tertiam & dimidiam. Sexta enim eius est vnum, tertia duo, dimidia tres. Hæ partes in summam ductæ, id est, vnum & duo & tres simul eundem consummant, perficiūtq; senariū. Sunt aūt perfecti numeri inter denariū sex, inter centenariū xxviij. inter millenarium. CCCCxcvj.

© Biblioteca Nacional de España

De secunda diuisione totius numeri.

OMNIS numerus aut secundum se consideratur, aut ad aliquid refertur. Iste qui est secundum se, diuiditur sic: Alij enim sunt æquàles, vt duo: alij sunt inæquales vt, tres. Iste qui refertur ad aliquid diuiditur sic: Alij sunt maiores, vt duo, alij sunt minores, vt vnum. Duo enim ad vnum duplum. Maiores diuidũtur sic, multiplices, superparticulares, superpartientes, multiplices superparticulares, multiplices superpartientes. Minores diuiduntur sic. submultiplices, subsuperparticulares, subsuperpartiẽtes, submultiplices subsuperparticulares: submultiplices subsuperpartientes. Per se numerus est, qui sine relatione aliqua elicitur. vt, 1. ij. iij. iiij. v. vj. & cæteri similes. Ad aliquid est numerus qui relatiuè ad alios numeros comparatur, Verbi gratia. iiij ad. ij. dum comparatus fuerit duplex dicitur & multiplex. sex ad iij. octo ad iiij. & iterum tres ad vnũ triplex. sex ad ij. ix ad tria &c. Æquales numeri dicũtur, qui secundũ quantitatẽ æquales sunt. Verbi gratia, duo ad ij. tria ad tria. x. ad x. c ad c. Inæquales numeri sunt, qui ad inuicẽ cõparati inęqualitatẽ demõstrãt, vt. iij. ad ij. iiij ad iij. v ad iiij. x ad vj. & vniuersaliter maior minori, aut minor maiori. huiuscemodi dum cõparatus fuerit inæquales dicitur. Maior numerus est qui habet in se illum minorem numerum, ad quem comparatur, & aliquid plus: vt, verbi gratia: quinarius numerus trinario numero fortior est, eo quòd quinarius numerus habet in se trinarium & alias partes eius duas, & reliqui tales. Minor numerus est qui continetur à maiore ad quem comparatur cum aliqua parte sui, vt ternarius ad quinarium continetur ab eo cum duabus partibus suis. Multiplex numerus est, qui habet in se illum minorem numerũ bis aut ter aut quater, aut multipliciter. Verbi gratia: duo ad vnum dum comparati fuerint, duplex est. iij ad vnum triplex. iiij ad vnũ, quadruplex, & reliqui. Ecõtra & illi superiores qui continent intra se minores, appellantur duces, isti verò comites. submultiplex numerus est, qui inter multiplicem continetur bis, aut ter, aut quater, aut multipliciter. Verbi gratia. Vnus à duobus bis continetur, à tribus ter, à quatuor quater, & ab alijs multipliciter. Superparticularis numerus est, dum fortior continet inter se inferiorem numerum circa quem comparatur, similiter & vnam partem eius, Verbi gratia. iij ad ij. dum comparati fuerint, continent inter se duos & alium vnum qui media pars est duorũ. Quatuor ad iij. dum comparati fuerint, continent in se iij. & alium vnum, qui est tertia pars trium. Item quinq; ad iiij. dum comparati fuerint, habent in se quaternarium numerum, & alium vnum qui quarta pars esse dicitur quaternarij numeri, & cæteri tales. Superpartiens numerus est, qui in se inferiorem numerum totũ continet, & super hoc alteras partes eius duas, aut iij, aut iiij, aut v, aut alias. Verbi gratia v. ad iij, dum cõparati fuerint, habet in se quinarius numerus trinarium, & super hoc alias partes eius duas. vij ad iiij, dum comparati fuerint, habent in se quatuor, & alias tres partes eius, & vocatur supertripartiens quartas. Nouẽ ad v, dum comparati fuerint, habent in se quinq;, & alias quatuor partes eius. Iste dicitur supertripartiẽs quintus. Subsuperpartiens numerus est, qui cõtinetur in numero superparatienti cũ aliquibus partibus suis duab. aut tribus aut pluribus. Verbi gratia, Tria cõtinentur à v, cum alijs duabus partibus suis: v, à ix, cum iiij partibus suis. Subsuperparticularis numerus est minor, qui continetur in fortiori numero cum aliqua parte sua, aut media, aut tertia, aut quarta, aut quinta. Verbi gratia, Duo ad iij. ij ad iiij. iiij ad v. & cæteri similes. Multiplex superparticularis numerus est, qui dum comparatus fuerit ad numerum sibi inferiorem, cõtinet in se totum inferiorem numerum multipliciter, aut dupliciter, aut tripliciter, aut quadrupliciter cum aliqua parte eius. Verbi gratia. v ad duo dum comparati fuerint, continet in se bis binos & vnam partem eius. Nouem ad iiij, dum comparati fuerint, continent in se bis quaternos octo, & vnam partẽ eius, videlicet quæ est vnum. Submultiplex superparticularis numerus est, qui dum comparatus ad inferiorem sibi numerũ fuerit, continet eũ multipliciter cũ alijs partibus eius. Verbi gratia, viij ad tria dum comparati fuerint, continẽt in se bis ternos, cũ alijs duabus partibus eius. xiiij ad xij, dum comparati fuerint, cõtinent in se bis senos cũ alijs duabus partibus eius. xvj ad vij. dum comparati fuerint continent inter se bis viij, cũ alijs tribus partibus eius. xxj ad ix. dũ comparati fuerint, continent inter se bis ix cũ alijs tribus partibus eius. Submultiplex superpartionalis numerus est, qui dũ ad fortiorẽ sibi comparatus fuerit, continetur ab eo multipliciter, cũ aliquibus partibus suis. Verbi gratia. iij ad viij, continentur bis cũ duabus partibus eius. iiij ad xj, continentur bis cum tribus partibus suis.

De tertia diuisione totius numeri.

NVmeri aut discreti sunt, aut continentes. Iste diuiditur sic. linealis, vt vnus, duo. Superficiosi, vt tres. Ternarius enim primus latitudinem pandit. Solidi, vt octo. Is enim est primus cubus. Discretus numerus est, quia discretis monadibus continetur. Verbi gratia, iij. iiij. v. vj. & reliqui. Continens numerus est, qui coniunctis monadibus continetur, Vt verbi gratia, Ternarius numerus in magnitudine intelligitur, id est linea aut spatium, aut solidum dicitur. Continens similiter: vt quaternarius & quinarius numeri. Linealis numerus est qui inchoans à monade linealiter describitur usq; ad infinitum. Vnde alpha ponitur pro designatione linearum. quoniam hæc litera vnũ significat apud Græcos. ista est figura linealis.

Superficialis numerus est, qui non solũ longitu-

© Biblioteca Nacional de España

gitudine, sed & latitudine continetur, vt trigonus, quadratus, quinquangulus vel circulares numeri, & cæteri: qui semper in plano pede, id est superficie continentur.

Circularis dum similiter multiplicatus fuerit, à se inchoans ad se cõuertitur. Verbi gratia, quinquies quini, vicies quinq;. Solidus numerus est qui longitudine & altitudine cõtinetur, vt sunt pyramides, qui in modum flammæ consurgũt. Cubus sunt tesseræ. Shpæræ quibus est æqualis vndiq; rotunditas. Sphæricus autem numerus est, qui circulato numero multiplicatus à se inchoat, & in se conuertitur, vt quinquies quini, vigintiquinq;. Hic circulus dũ in seipso multiplicatus fuerit: facit sphærã, id est, quinquies xxv, Cxxv.

De differentia Arithmeticæ Geometriæ, & Musicæ.

INter Arithmeticam autem, & Geometriam, & Musicam hoc interest, vt media inuenias. In Arithmetica primo sic quæris. Coniungis extrema, & diuidis, & facis medium: vtputa fac extrema esse vj & xij, simul iungis & faciunt xviij. partiris media & facis ix. quod est analogicum arithmeticæ, vt medius, quot monadibus superat primum, ijs superetur ab extremo. Superant enim ix vj tribus monadibus. ijs superatur à xij. Secundum verò geometriam ita quæris. Extrema multiplicata tantum faciunt, quantum & media multiplicata, vtputa, vj & xij multiplicata facient septuagesies dipondius, media, viij & ix. multiplicata tantundem faciunt. Secũdum musicam ita: Qua parte superat medius primum, eadem parte superatur medius ab extremo, vtputa, vj & viij. duabus partibus media superant: quæ duæ partes tertia media viij. superantur ab vltima nona.

Quot numeri infiniti existunt.

NVmeros autem infinitos esse certissimũ est. quoniam in quocunq; numero finem faciendum putaueris, id est, posse non dico vno addito augeri: sed quãlibet sit magnus, & quamlibet ingentem multitudinem continens, in ipsa ratione atq; scientia numerorũ nõ solum duplicari: verũm etiam multiplicari potest. Ita uerò suis quisq; numerus proprietatibus terminatur, vt nullus eorum par esse cuicunq; alteri possit. Ergo & dispares inter se atq; diuersi sunt, & singuli quiq; finiti sunt, & omnes infiniti sunt.

Capita Geometriæ.

1 *De inuentoribus Geometriæ & vocabulo eius.*
2 *De quadripartita diuisione geometriæ.*
3 *De figuris geometriæ.*
4 *De numeris geometriæ.*

De Geometriæ inuẽtorib. & vocabulo eius.

GEometria disciplina primum ab Aegyptijs reperta dicitur. quia inundante Nilo & omnibus possessionibus eius limo obductis, initium terræ diuidendæ per lineas & mensuras nomen arti dedit. Quæ deinde longius acumine sapientum producta, & maris & cœli, & aeris spacia metitur. Nã prouocati * studiosi ceperũt post terræ dimensionẽ & cœli, spacia quærere: quãto interuallo luna à terris, à luna sol ipse distaret, & vsq; ad verticẽ cœli quanta se mẽsura distenderet. sicq; interualla ipsa cœli, orbisq; ambitũ per numerũ stadiorum ratione probabili distinxerunt. Sed quia ex terræ dimensione hæc disciplina cepit: ex initio sui & nomen seruauit. Nam geometria de terra & de mensura nuncupatur. Terra enim Græcè γῆ, vocatur. μέτρον mensura. Huius disciplinæ ars continet in se lineamenta, interualla & magnitudines, & figuras, & in figuris dimensiones & numeros.

al studio sic.

De quadripartita diuisione artis Geometriæ.

GEometriæ quadripartita diuisio est, in planum, in magnitudinem numerabilem, in magnitudinem rationabilem, & in figuras solidas. Planæ figuræ sunt quæ longitudine & latitudine cõtinentur, quę sunt iuxta Platonem numero quinq; Trigonus, tetragonus, pentagonus, hexagonus heptagonus. Iam octonarius in cubũ, id est, in solidã pergit figurã. Numerabilis magnitudo est: quæ numeris arithmeticæ diuidi potest. Magnitudines rationales sunt, quarũ mẽsurã: scire possumus: irrationales verò sunt, quarum mensuræ quantitas cognita non habetur.

De figuris Geometriæ.

FIguræ solidæ sunt: quæ longitudine & latitudine & altitudine cõtinẽtur, vt est cubus, cuius species sunt quinq; in plano. Quarũ prima circulus est, plano pede figura plana, quę vocatur circũducta. cuius in medio pũctus est, quo cuncta conuergunt, quod cẽtrum Geometræ, Latini punctum circuli nuncupant.

Quadrilatera figura est plano pede quadrata quæ sub quãtuor lineis rectis iacet.

Dianatheton grammaton, figura plana.

Orthogonium, id est rectangulum figura plana in plano pede. Est enim triangulum, & habet angulum rectum.

Isopleuros: figura est plana, recta & subtiliter constituta in solidum,

Sphæra est figura in rotũdum formata, partibus cunctis æqualis in solidum.

Cubus est figura propria solida: quæ longitudine & latitudine & altitudine continetur in solidum.

Cilindrus est figura quadrata, habens superius semicirculum in solidum.

Conon: figura quæ ab amplo in angustum finit, sicut orthogonium.

Piramis est figura, quæ in modum ignis ab amplo in acumen consurgit.

© Biblioteca Nacional de España

Ignis enim apud Græcos πῦρ. appellatur. Sicut enim intra x omnis est numerus, ita intra circulum omnium figurarum concluditur ambitus. Prima aût figura huius artis punctus est, cuius pars nulla est. Secunda est linea præter latitudinem. Longitudo recta linea est: quæ ex æquo in suis punctis iacet. Superficies verò, quòd longitudines & latitudines solas habet. Superficiei verò fines lineæ sunt, quorum formæ ideò in superioribus x figuris positæ non sunt, quia inter eas inueniuntur.

De numeris Geometriæ.

NVmeros autem secundum Geometriam ita quæris: Extrema quippe eius multiplicata tantum faciunt, quantũ & media multiplicata: vtputa, vj & xij multiplicata faciũt septuagies dipondo, media viij & ix multiplicata tantundem faciunt.

Incipiunt capitula Musicæ artis.

De Musica & eius nomine, id est, De inuẽtoribus eius.
2 *Quid possit Musica.*
3 *De tribus partibus Musicæ.*
4 *De triformi Musicæ diuisione.*
5 *De prima diuisione Musicæ quæ harmonica dicitur*
6 *De secunda diuisione, quæ organica dicitur.*
7 *De tertia, quæ rithmica nuncupatur.*
8 *De numeris Musicæ.*

De Musica & eius nomine.

MVsica est peritia modulationis sono cantuq; cõsistens: Et dicta Musica per deriuationẽ à Musis. Musæ autem appellatæ ἀπὸ τοῦ μᾶσθαι, id est, à quærendo, quòd per eas sicut antiqui voluerunt vis carminum & vocis modulatio quæreretur. Quarum sonus, quia sensibilis res est, præterfluit in præteritum tempus, imprimiturq; memoriæ. Inde à poetis Iouis & Mineruæ filias Musas esse confictũ est. Nisi enim ab homine memoria teneantur soni, pereunt, quia scribi non possunt.

De innentoribus eius.

MOyses dicit repertorem Musicæ artis fuisse Tubal, qui fuit de stirpe Cain ante diluuium. Græci verò Pithagoram dicunt huius artis inuenisse primordia, ex malleorum sonitu & cordarum extensione percussa. Alij Linum Thebeũ & Zetũ & Amphiona in arte Musica primos claruisse ferunt. Post quos paulatim directa est præcipuè hæc disciplina & aucta multis modis. eratq; tã turpe Musicã nescire, quàm literas. Interponebatur autem nõ modo sacris, sed & omnibus solẽnibus, omnibusq; lætis, vel tristioribus rebus. Vt enim in veneratione diuina hymni: ita in nuptijs Hymenæi, & in funeribus threni, & lamenta ad tibias canebantur. In cõuiuijs verò lira vel cithara circũferebatur, & accubantibus singulis ordinabatur conuiuiale genus canticorum.

Quid possit Musica.

ITaq; sine Musica nulla disciplina potest esse perfecta: nihil enim est sine illa. Nam & ipse mundus quadam harmonia sonorum fertur esse compositus; & cęlum ipsum sub harmonię modulatione reuoluitur. Musica mouet affectus, prouocat in diuersum habitũ sensus. In prælijs quoq; tubæ cõcentus pugnantes accendit, & quanto vehementior fuerit clangor: tanto fit fortior ad certamen animus. Siquidem & remiges cantus hortatur. ad tolerandos quoq; labores musica animũ mulcet, & singulorũ operum fatigationem modulatio vocis solatur. Excitos quoq; animos musica sedat; sicut legitur de Dauid, qui à spiritu immundo Saulem arte modulationis eripuit. Ipsas quoq; bestias, necnon & serpentes, volucres, atque delphinos ad auditũ suæ modulationis musica prouocauit. Sed & quicquid loquimur vel intrinsecus venarũ pulsibus cõmouemur; per musicos rythmos harmonię virtutibus probatur esse sociatum.

De tribus partibus musicæ.

MVsicæ partes sunt tres, id est, harmonica. rythmica, metrica. Harmonica est quę discernit in sonis acutum & grauem. Rythmica est quæ requirit incursionem verborum, vtrũ bene sonus an malè cohæreat. Metrica est, quæ mensuram diuersorũ metrorũ probabili ratione cognoscit: vt verbi gratia, heroicũ, iambicum, elegiacũ, &c.

De triformi Musicæ diuisione.

AD omnem aût sonũ qui materies cantilenarum est, triformem constat esse naturã. Prima est harmonica, quæ ex vocum cantibus constat. Secũda organicã, quæ ex flatu consistit. Tertia rythmica, quæ impulsu digitorum numeros recipit. Nam aut voce editur sonus, sicut per fauces: aut flatu, sicut per tubam, vel tibiam: aut impulsu, sicut per citharam: aut per quodlibet aliud quod percutiendo sonorũ est.

De prima diuisione musicæ quæ Harmonica dicitur.

PRima diuisio Musicæ quæ harmonica dicitur, id est, modulatio vocis, pertinet ad comœdos, tragœdos, vel choros, vel ad omnes quivoce propria canunt. Hæc ex animo & corpore motũ facit, & ex motu sonum, ex quo colligitur Musica, quæ in homine vox appellatur.

Vox est aer spiritu verberatus, vnde & verba sunt nuncupata. Propriè aût vox hominum est, seu irrationabilium animantium. Nam in alijs abusiuè non propriè sonitus vox vocatur: vt,

Vox tubæ infremuit, fractasq; ad littora voces.

Nam propriũ est vt littore resonent scopuli: &

At tuba terribilem sonitum procul ære canoro.

Harmon.

© Biblioteca Nacional de España

Harmonica est modulatio vocis & concordantia plurimorum sonorum, vel coaptatio.

Symphonia est modulationis temperamentum ex graui & acuto concordantibus sonis, siue in voce, siue in flatu, siue in pulsu. Per hanc quippe voces acutiores, grauioresq; concordat, ita vt quisquis ab ea dissonuerit, sensum auditoris offendat. Cuius contraria est diaphonia, id est voces discrepantes vel dissonæ.

Euphonia est suauitas vocis. Hæc & melos à suauitate & melle dicta.

Diastema est vocis spacium ex duobus vel pluribus sonis aptatum.

Diesis est spacium quoddam, & deductiones modulandi, atq; vergẽtes de vno in alterũ sonũ.

Tonus est acuta enunciatio vocis. Est enim harmoniæ differentia & quantitas, quæ in vocis accentu vel tenore consistit: cũius genera in xv partibus musici diuiserunt: ex quibus hyperlidius nouissimus & acutissimus. hypodorius omnium grauissimus est.

Cantus est inflexio vocis: nã sonus directus est. præcedit autem sonus cantum.

Arsis est vocis eleuatio, id est initium. Thesis vocis positio, hoc est finis.

Suaues voces sunt subtiles & spissæ, claræ atq; acutæ. Perspicuæ voces sunt quæ longius protrahuntur: ita vt omnem impleant cõtinuò locum, sicut clangor tubarum. Subtiles voces sunt quibus nõ est spiritus spissus, qualis est infantium, vel mulierum, vel ægrotãtium. sicut in neruis. Quæ enim subtilissimæ cordæ sunt, subtiles ac tenues sonos emittunt. Pingues sunt voces, quando spiritus multus simul egreditur, sicut virorũ. Acuta vox, tenuis, alta, sicut in chordis videmus. Dura vox est, quæ violenter emittit sonos, sicut toniltruum; sicut incudis sonus. quoties in durũ malleus percutit ferrum. Aspera vox est rauca, & quæ dispergitur per minutos & indissimiles pulsus. Cæca vox est, quæ mox vt emissa fuerit, conticescit, atq; suffocata nequaquam lõgius producitur, sicut est in fictilibus. Vinnolata vox, est leuis & mollis atq; flexibilis. Et vinnolata dicta à vinno, hoc est cincinno molliter flexo. Perfecta aũt vox, est alta suauis & clara. Alta, vt in sublimi sufficiat: Clara, vt aures impleat: suauis, vt animos audientiũ blandiat. Si ex his aliquid defuerit, vox perfecta non erit.

De secunda diuisione quæ organica dicitur.

SEcunda diuisio organica est in ijs quæ spiritu reflante completa, in sonum vocis animantur: vt sunt tubæ, calami, fistulæ, organa, pandoria, & ijs similia instrumenta.

Organum, vocabulum est generale vasorum omnium musicorum. Hoc autem cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant. Vt aũt organum dicatur: magis ea vulgaris est consuetudo Græcorum.

Tuba primum à Tyrrhenis inuenta, de quibus Virgilius:

Tyrrhenusq; tubæ mugire per æthera clangor.

Adhibebatur autem non solum in prælijs: sed & in omnibus festis diebus propter laudes vel gaudij claritatem. Vnde & in Psalterio dicitur, Canite initio mensis tuba, in die insigni solemnitatis vestræ. Præceptum enim fuerat Iudæis, vt initio nouæ lunæ tuba clangerent, quod etiã hucusq; faciunt.

Tibias excogitatas in Phrygia ferũt: has quidem diu funeribus tantùm adhibitas: mox & sacris gentilium. Tibias autem appellatas putant, quòd primùm de ceruinis tibijs cruribusq; hinnulorum fierent: deinde per abusionem ita cęptas vocari etiam, quę non de cruribus ossibusq; essent. Hinc & tibicen quasi tibiarum cantor.

Calamus nomen est arboris proprium, à calendo, id est. fundendo voces vocatum.

Fistulam quidam putant à Mercurio inuentam: alij à Fauno quem Greci vocãt Pana. Nonnulli eam ab Idi pastore Agrigentino ex Sicilia. Fistula autem dicta, quòd vocem emittat.

Sambuca in musicis species est symphoniarũ. Est enim genus ligni fragilis vnde & tibiæ componuntur.

Pandorius abinuentore vocatus. de quo Virgilius,

Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit, Pan curat oues, ouiumq; magistros.

Fuit enim apud gẽtiles Deus pastoralis, qui primus dispares calamos ad cantum aptauit, & studiosa arte composuit.

De tertia diuisione quæ rythmica nuncupatur.

TErtia est diuisio rythmica pertinẽs ad neruos & pulsus, cui dantur species citharari diuersarum, timpanum, & cimbalũ, sistrũ, acitabula aenea & argentea, vel alia quæ metallico rigore percussa reddunt cum suauitate tinnitum, & cætera huiusmodi.

Citharæ ac psalterij repertor Tubal, vt prædictũ est, phibetur. Iuxta opinionem autem Græcorum citharæ vsus repertus fuisse ab Apolline creditur. Forma citharæ initio similis fuisse traditur pectori humano, quod veluti vox de pectore, ita ex ipsa cãtus ederetur, appellataq; eadem de causa. Nam pectus Dorica lingua κιθάρα vocatur. Paulatim autẽ plures eius species extiterunt, vt psalteria, liræ, barbita, phœnices & pectides, & quæ dicuntur Indicæ, & feriuntur à duobus simul. Item aliæ autem & alię, & quadrata forma vel trigonali.

Cordarum etiã numerus multiplicatus est, & commutatum genus. Veteres autem citharã fidiculam, vel fidicem nominauerunt: quia tam concinunt inter se cordæ eius, quàm bene conueniunt inter quos fides sit. Antiquitus autem citharа septemcordis erat. Vnde Virgilius,

Septem discrimina vocum.

Discrimina autẽ ideò, quod nulla corda vi-

© Biblioteca Nacional de España

cinæ cordæ similē vocē reddat. sed ideo vij cordæ, vel quia totam vocem implent: vel, quòd septem motibus sonat cœlum.

Cordas autem dictas à corde: quia sicut pulsus est cordis in pectore, ita pulsus cordæ in cithara. Has primus Mercurius excogitauit: idēq; prior in neruos sonum strinxit.

Psalterium quod vulgo canticum dicitur, à psallendo nominatum: quòd ad eius vocē chorus consonando respondeat. Est autem similitudo citharæ barbaricæ in modū Δ literæ: sed psalterij & citharę hæc est differētia, quòd psalteriū lignum illud concauum vnde sonus redditur superius habet, & deorsum feriuntur cordę, & desuper sonāt. Cithara aūt è cōtrà cōcauitatem ligni inferius habet. Psalterio autē Hębrei decachordo vsi sunt propter numerū decalogi legis.

Lyra dicta à varietate vocum, quòd diuersos sonos efficiat. Lyram primum à Mercurio dicunt inuentam fuisse, hoc modo. Cum regrediens Nilus in suos meatus varia in campis reliquisset animalia, relicta etiam testudo est. Quæ cum esset putrefacta, & nerui eius remansissent extenti inter corium: percussa à Mercurio sonitum dedit, ad cuius speciem Mercurius liram fecit, & Orpheo tradidit, qui erat huius rei maximè studiosus. Vnde & æstimatur eadem arte nō feras tantum, sed & saxa atq; siluas cantus modulatione applicuisse. Hanc musici propter studij amorem & carminis laudem, etiam inter sidera suarum fabularum commentis collocatam esse finxerunt.

Timpanum est pellis vel corium ligno ex vna parte extensum. Est enim pars media symphoniæ in similitudinem cribri. Timpanum autem dictum, quòd medium est. Vnde & margaritum medium timpanum dicitur, & ipsum vt symphonia ad virgulam percutitur.

Cymbala & acitabula quędam sunt, quę percussa inuicem se tangunt & sonum faciunt. Dicta autem cymbala, quia cū ballematica simul percutiuntur. Ita enim Græci dicunt cimbala ballematica.

Sistrū ab inuētrice vocatū. Isis enim Aegyptiorū regina id genus inuenisse ꝓbatur. Iuuenalis,

Isis & irato feriat mea lumina sistro.

Inde & hoc mulieres percutiunt, quia inuentrix huius generis est mulier. Vnde & apud Amazonas sistro ad bellum fœminarum exercitus vocabatur.

Tintinnabulum de sono vocis nomen habet, sicut & plausus manuum, stridor valuarum.

Symphonia vulgo appellatur lignum cauū ex vtraq; parte: pelle extensa, quā virgulis hinc & inde musici feriunt. Fitq; in ea ex concordia grauis & acuti suauissimus cantus.

De musicis numeris.

NVmeros aūt secūdum musicam ita quæris. Positis extremis, vtputa vj & decies dipondius, vides quòt monadib. superetur, vj à xij. & vj monadibus dictis per quadrātum, sexies seni faciunt xxxvj. Cōiungis extrema illa, vj ad xii: simul efficiunt xviij. Partiris tritiēs sexies per decies octo, efficit dipōdius. Hos iungis cum summa minore scilicet, sexies, erūt viij. & erit medium inter vj & xij. Quapropter viij superāt vj duab. monadibus, id est, tertia de sexies, & superātur viij a xij. iiij monadibus, tertia portione. Qua parte ergo superat, eadem superatur. Sed hæc ratio quemadmodum in mundo est ex volubilitate circulorum: ita & in microcosmo in tantum pręter vocem valet, vt sine ipsius perfectione etiam homo symphonijs carens non consistat. Eiusdem musicæ perfectione, etiam metra constant, in arsi & thesi, id est, eleuatione & positione.

Capita de Astronomia.

1 *De Astronomiæ nomine, id est, de inuentoribus eius.*
2 *De institutoribus eius.*
3 *De differentia astronomiæ & astrologiæ.*
4 *De astronomiæ ratione.*
5 *De mundo & eius nomine.*
6 *De forma mundi.*
7 *De cœlo eiusq; nomine.*
8 *De situ sphæræ cælestis.*
9 *De motu eiusdem.*
10 *De cursu eiusdem sphæræ.*
11 *De celeritate cœli.*
12 *De axe cœli.*
13 *De cœlestibus polis.*
14 *De cardinibus cœli.*
15 *De conuexis cœli.*
16 *De ianuis cœli.*
17 *De gemina facie cœli.*
18 *De quatuor partibus cœli.*
19 *De hemisphærijs.*
20 *De quinq; circulis cœli.*
21 *De zodiaco circulo.*
22 *De candido circulo.*
23 *De magnitudine solis.*
24 *De magnitudine lunæ.*
25 *De natura solis.*
26 *De cursu solis.*
27 *De defectu solis.*
28 *De itinere solis.*
29 *De lumine lunæ.*
30 *De formis lunæ.*
31 *De interlunio lunæ.*
32 *De cursu lunæ.*
33 *De vicinitate lunæ ad terras.*
34 *De eclipsi solis.*
35 *De eclipsi lunæ.*
36 *De differentia siderum, stellarum atq; astrorum.*
37 *De lumine stellarum.*
38 *De situ stellarum.*
39 *De cursu stellarum.*
40 *De vario cursu stellarum.*
41 *De interuallis stellarum.*
42 *De circulari numero stellarum.*
43 *De stellis planetis.*
44 *De præcedentia & antegradatione stellarum.*
45 *De remotione vel retrogradatione stellarum.*
46 *De statu stellarum.*
47 *De nominib. stellarū quib. ex causis noīa acceperūt.*

Sequitur.

© Biblioteca Nacional de España

De Astronomiæ nomine.

ASTronomia est astrorum lex, quæ cursus siderum ac figuras & habitudines stellarum circa se, & circa terram indagabili ratione percurrit.

De inuentoribus eius.

ASTronomiam primi Ægyptij inuenerunt. Astrologiam verò & natiuitatis obseruantiam Caldæi primi docuerunt. Abraham autem instituisse Aegyptios Astrologiam, Iosephus asseuerat. Græci autem dicunt, hanc artē ab Athlante prius excogitatam: ideoq; dictus est sustinuisse cœlum. Quisquis autem ille fuit motu cœli & ratione animæ excitatus per temporum vices, per astrorū * rotatus diffinitosq; cursus, per interuallorum spacia moderata, considerauit dimēsiones quasdam & numeros, quæ diffiniendo ac secernendo in ordinem nectens Astrologiam reperit.

* al. ratos.

De institutoribus eius.

IN vtraq; autem lingua diuersorum quidem sunt de astronomia scripta volumina: inter quos tamen Ptolemæus rex Alexandriæ apud Græcos habetur præcipuus: hic etiam & canones instituit: quibus cursus astrorum inueniatur.

De differentia astronomiæ & astrologiæ.

INter Astronomiam autem & Astrologiā aliquid differt. Nam Astronomia conuersionem cœli ortus, obitus, motusq; siderū continet: vel qua ex causa ita vocentur. Astrologia verò partim naturalis, partim superstitiosa est. Naturalis dum exequitur solis & lunæ cursus, vel stellarum, certasq; temporum stationes. Superstitiosa verò est illa quam mathematici sequuntur, qui in stellis augurantur, quiq; etiam xij cœli signa per singula animæ vel corporis membra disponunt, siderumq; cursu necessitates hominum & mores prædicere cōnantur.

De Astronomiæ ratione.

ASTronomiæ ratio modis plurimis constat. Diffinit enim quid sit mundus, quid cœlū, quid sphęrę situs & cursus, & quid axis cœli & poli, quæ sint climata cœli. qui cursus solis & lunæ atq; astrorum, &c.

De mundo & eius nomine.

MVndus est hic, qui constat ex cœlo & terra, & mari, cunctisq; sideribus. Qui idcirco mūdus est appellatus, quia semper in motu est: nulla enim requies eius elementis concessa est.

De forma mundi.

FOrmatio mundi ita demonstratur. Nam quemadmodum erigitur mūdus in septentrionalem plagam, ita declinatur in australem. Caput autem eius & quasi facies, orientalis regio est, vltima pars septentrionalis est.

De cœlo & eius nomine.

COelum physici rotundum, volubile atque ardens esse dixerunt: vocatumq; hoc nomine, eo quod tanquam vas cœlatum impressas habeat figuras stellarum. Distinxit enim id Deus claris luminibus, & impleuit sole scilicet, & lunæ orbe fulgenti, & astrorum micantiū splēdentibus signis adornauit. Hoc autē Græcè οὐρανὸς dicitur ἀπὸ τοῦ ὁρᾶσθαι, — idest, à videdo, eo quod aer perspicuus sit, & ad speculādū purior.

De situ sphæræ cœlestis.

SPhęra cœli est species quædam in rotundū formata, cuius centrū terra est ex omnibus partibus æqualiter conclusa. Hanc sphęram nec principium habere dicunt, nec terminum, ideo quod in rotundum quasi circulus, vnde incipiat, vel vbi desinat non facilè comprehenditur. Philosophi autem, mundi septem cœlos, id est, planetas globorum cōsono motu introduxerunt, quorum orbibus connexa memorant omnia, quos sibi innexos & velut insertos versari retro, & è contrario cæteris motibus suis ferri arbitrantur.

De motu eiusdem.

SPhęræ motus duob. axibus voluitur: Quorum vnus est septentrionalis, qui nunquam occidit: appellaturq; Borealis: alter Australis, qui nunquam videtur, & Austronotus dicitur. His duobus polis moueri sphæram cœli dicunt, & cum motu eius sidera in ea fixa ab oriente vsq; ad occidentem circumire: septentrionibus breuiores giros iuxta cardinē peragētibus.

De cursu eiusdem sphæræ.

SPhæra cœli ab oriente & occidente semel in die & nocte vertitur xxiiij horarum spacijs, quibus sol cursum suum supra terras & sub terra sua volubilitate concludit.

De celeritate cœli.

TAnta celeritate cœli sphæra dicitur currere, vt nisi aduersus precipitē eius cursum astra currerent, quæ eam remorarentur, mundi ruinam facerent.

De axe cœli.

AXis est septentrionalis linea recta, quę per mediam pilam sphęrę tendit. & dicta axis, quod in ea sphæra, vt rota voluitur, vel quia ibi plaustrum est.

De cælestibus polis.

POli sunt circuli qui currunt per axem. Horum alter est Septentrionalis: qui nunquā occidit, appellaturq; Boreus: alter Australis, qui nunquam videtur, Et Austronotus dicitur. & dicti poli, quod sint axium cicli ex vsu plaustrorum, à poliendo scilicet nominati: sed polus Boreus semper videtur, Austronothus nunquam: quia dextra cœli altiora sunt, pressa Austri.

© Biblioteca Nacional de España

De cardinibus cœli.

CArdines cœli extremæ partes sunt axis. Et dicti cardines, eo quòd per eos vertitur cœlum, vel quia sicut cor voluuntur.

De conuexis cœli.

COnuexa autem cœli, extrema eius sunt. à curuitate dicta, vt est illud:

Conuexum quoties claudit nox humida cœlũ.

Conuexum enim curuum est quasi cõuersum seu inclinatum, & ad modum circuli flexum.

De ianuis cœli.

IAnuæ cœli duæ sunt, oriens & occidẽs. Nam vna parte sol procedit, alia se recipit.

De gemina facie cœli.

FAcies cœli vel caput, orientalis regio: vltima, septentrionalis. De qua Lucanus,

Sic mundi pars ima iacet, quam zona niualis
Perpetuæq; premunt hiemes.

De quatuor partibus cœli.

CLimata cœli, id est plagæ, vel partes quatuor sunt, ex quibus prima pars orientalis est, vnde aliqui stellæ oriuntur. Secũda occidẽtalis, vbi nobis aliquæ stellæ occidunt. Tertia, septentrionalis, vbi peruenit sol in diebus maioribus. Quarta Australis, vbi sol peruenit noctibus maioribus. Oriens autẽ ab exortu solis est nuncupatus. Occidens quòd diem faciat occidere & interire. Abscondit enim lumẽ mundo, & tenebras superinducit. Septentrio autẽ, à septem stellis axis vocatus, quæ in ipso reuolutæ rotantur. Hic propriè & vertex dicitur, eo quòd vertitur. Meridies autẽ vocatur, vel quòd ibi sol facit mediũ diem quasi medidies, vel quia tunc purius micat ether. Merum enim purum dicitur. Sunt & alia vij climata cœli quasi vij lineæ ab oriente in occidentẽ, sub quibus & mores hominum dispares, atque animalia speciali ter diuersa nascũtur: quę vocata sunt à locis qui busdam famosis, quorum primum est Merois, secundum Somis vel Sienes, tertium cataco-rius, id est Aphrica. quartum Rhodus, quintum Hellespontus. sextum Mesopontus. septimum Boristhenes.

De hemisphæriis.

HEmisphærium dimidia pars sphæræ est. Hemisphęrion supra terras est ea pars cœli, quæ à nobis tota videtur: Hemisphęriõ sub terra est, quæ videri non potest, quàm diu sub terra fuerit.

De quinq; circulis cœli.

ZOnę cœli quinq; sunt: quarũ distinctionibus quędã partes tẽperie sua incoluntur, quædã immanitate frigoris aut caloris inhabitabiles existunt. Quæ ideo & zonæ vel circuli appellantur, eo quòd in circumductione sphęræ existunt. Quorum primus circulus ideo Arcticus appellatur, eo quòd inter eum Arcturi signa inclusa prospiciuntur. Secundus circulus θερινὸς, qui & tropicus dicitur, quia in eo circuiens sol Aquilonis finibus æstatem facit, & vltra eum circulum non transit, sed statim reuertitur, & inde tropicus appellatur. Tertius circulus hiemerinus, qui à latinis ideo æquinoctialis appellatur, eo quòd sol cum ad eum orbem peruenerit æquinoctium facit. ἡμέρη enim latinè, dies dicitur atq; nox: quo circulo dimidia sphęræ pars constituta perspicitur. Quartus circulus Antarcticus vocatus: eo quòd contrarius sit circulo quem Arcticum nominamus. Quintus circulus χειμερινὸς tropicus qui à Latinis hiemalis siue brumalis appellatur. ideo sol cum ad eum circulum peruenerit, hiemem ijs qui ad Aquilonẽ sunt facit, & æstatem ijs qui in Austri partibus commorantur.

De circulo zodiaco.

ZOdiacus autem circulus est, qui ex lineãrum quinq; angulis & ex vna linea cõstat.

De candido circulo.

LActeus circulus via est, quæ in sphæra videtur, à candore dicta, quia alba est. quam aliqui dicũt viam esse qua circuit sol, & ex splendoris ipsius transitu ita lucere.

De magnitudine solis.

MAgnitudo solis fortior est terra; vnde & eodem momento quo oritur, & orienti simul & occidẽti æqualiter apparet. Quia verò tanquam cubitalis nobis videtur, considerare oportet quãtum sol distat à terris: quæ longitudo facit, vt paruus videatur nobis.

De magnitudine lunæ.

MAgnitudo quoq; lunæ minor fertur esse quàm solis. Nam dum sol superior sit à luna, & tamen à nobis maior quàm luna videatur: iam si prope nos accessisset: multo maior quàm luna conspiceretur. Sicut autem fortior est sol terra ita terra fortior est luna per aliquam quantitatem.

De natura solis.

SOl dum igneus sit: præ nimio motu conuersionis suæ amplius incalescit. Cuius ignem dicunt philosophi aqua nutriri, & è contrario elemẽto virtutẽ luminis & caloris accipere. Vnde dicimus eum sepius madidũ & rorantẽ.

De cursu solis.

SOlem per seipsum moueri, non cum mũdo verti dicunt. Nam si fixus cœlo maneret, omnes dies & noctes æquales existerent: sed cum alio loco cras occasurum: alio occidisse hesterno videmus: apparet eum per seipsum moueri, non cum mundo verti. spacijs enim inæqualibus orbes annuos conficit ꝓpter temporum mutationes. Oriens diem facit: occidens noctem inducit. Nam vadens longius ad meridiem hyemem facit, vt hibernis humoribus at-

pruinis

© Biblioteca Nacional de España

pruinis terra pinguescat. Accedens propius ad septentrionem, æstatem reddit, vt fruges maturitate durentur, & quę sunt in humidis incocta: feruefacta* mitescant.

* al. maturescant.

De effectu solis.

SOl oriens diem facit, occidens noctem inducit: nam dies est sol super terras, nox est sol sub terra. Ex ipso enim sunt horæ: ex ipso dies, cum ascenderit: ex ipso etiam nox, cũ occiderit: ex ipso menses & anni numerantur: ex ipso vicissitudines fiunt temporum. Quãdo autem per meridiem currit, vicinior est terræ: quando verò iuxta septentrionem, sublimis attollitur. Cui ideo Deus diuersos cursus constituit, loca & tempora, ne dum semper eisdẽ moraretur locis: quotidiano vapore eius* vniuersa consumerentur. sicut Clemens ait: Cursus diuersos accipit quibus aeris tẽperies pro ratione temporum dispensatur, & ordo vicissitudinum *permutationũq; seruatur. Nã dum ad superiora conscenderit, ver temperat: vbi autẽ ad summum cœli venerit, æstiuos accẽdit calores: descendens rursus autumno temperiẽ reddit. Vbi verò ad inferiorem redit circulum: ex glaciali compage cœli rigorem nobis hiberni frigoris derelinquit.

* al. terra consumeretur, sed vt C.

* al. mutationum motus accipit.

De itinere solis.

SOl oriens per meridiem iter habet. qui postquã ad occasum venerit, & Oceano se* intinxerit, per incognitas sub terra vias vadit, & rursus ad orientem recurrit.

* al. iunxerit.

De lumine lunæ.

LVnam quidam philosophi dicũt propriũ lumen habere, globiq; eius vnam partem esse lucifluam, aliam verò obscurã, & paulatim se vertendo diuersas formas efficere. Alij è contrà aiunt, lunam non suum lumen habere: sed solis radijs illuminari. Vnde & eclipsim patitur: si inter ipsam & solem vmbra terræ interueniat. Sol enim longè ipsa superior est. Hinc euenit, vt quoniam sub illo est, parte superiore luceat, inferiore verò quam habet ad terras parte obscura sit.

De formis lunæ.

PRima figura lunæ bicornis est. Secunda sectilis. Tertia dimidia. Quarta plena. Quinta iterum dimidia ex maiore. Sexta iterum sectilis. Septima bicornis.

Septima autem semis, & vicesima secunda semis in suo ordine mediæ sunt: ceteræ autẽ proportionales sunt.

De interlunio lunæ.

INterlunium lunæ est tempus illud inter deficientẽ & nascentẽ lunã. Est aũt trigesimus dies, quo luna non lucet. Quæ ideo videri nõ potest, quia soli coniuncta obscuratur: sed eodem momento renascens paulatim ab eo recedendo videtur.

De cursu lunæ.

LVna amissi ac recepti luminis vicib. menstrua spacia moderatur. Quę ideo obliquo & non recto incedit cursu, vt sol: ne incidat in centrum terræ & frequenter patiatur eclipsim. Vicinus est enim circulus eius terræ. Crescẽs autem orientem cornibus spectat: decrescens, occidentem: merito, quia occasura & amissura est lumen.

De vicinitate lunæ ad terras.

LVna terris vicinior est quàm sol. Inde & breuiori orbe celerius peragit cursum suũ. Nam iter quod sol in diebus cccl xv: ista per xxx dies percurrit. Vnde & antiqui menses in luna, annos autẽ in solis cursu posuerunt.

De eclipsi solis.

EClipsis solis est quoties luna trigesima ad eandẽ lineã qua sol vehitur peruenit, eiq; se obijciens solem obscurat. Nam deficere nobis sol videtur: dũ illi orbis lunæ opponitur.

De eclipsi lunæ.

EClipsis lunæ est quoties in vmbrã terræ luna incurrit. Non enim suum lumen habere, sed à sole illuminari putatur: vnde & defectum patitur si inter ipsam & solem vmbra terræ interueniat. Patitur autem hoc decimaquinta luna eousq;, quàm diu centrum atq; vmbra obstantis terræ exeat, videatq; solem, vel à sole videatur.

De differentia stellarum, siderum, & astrorum.

STellæ, & sidera, & astra inter se differunt. Nam stella est quęlibet singularis. Sidera verò sunt stellis pluiinis facta, vt Hyades, Pleiades. Astra autem sunt stellæ grãdes, vt Orion, Bootes. Sed hæc nomina scriptores confundũt, & astra pro stellis, & stellas ꝑ sideribus ponũt.

De lumine stellarum.

STellæ non habere proprium lumen: sed à sole illuminari dicuntur, sicut & luna.

De stellarum motu.

STellæ immobiles sunt, & cũ cœlo fixæ perpetuo motu feruntur: neq; cadũt per diem, sed à solis splendore obscurantur.

De cursu stellarum.

SIdera autem feruntur, aut mouentur. Feruntur, quæ cœlo fixa sunt, & cũ cœlo voluuntur. Mouentur verò quædã, sicut planetæ, id est erraticæ, quæ cursus suos vagos certa tamen diffinitione conficiunt.

De vario cursu stellarum.

STellæ dicũtur pro eo quòd per diuersos* orbes cælestiũ planetarũ feruntur. nã quædã celerius exortæ, tardius occidunt: quædam tardius exortæ citius ad occasum peruenium.

* al. ordines

© Biblioteca Nacional de España

aliæ pariter oriuntur & non simul occidunt: omnes autem suo tempore ad suum cursum proprium reuertuntur.

De interuallis stellarum.

STellæ inter se diuersis interuallis distant à terra: propterea dispari claritate magis minusue nostris oculis apparent. Nam multæ maiores sunt ijs quas videmus conspicuas, sed longius positæ paruæ videntur à nobis.

De numero circulari stellarum.

NVmerus circularis stellarum est, per quē cognosci dicitur, in quanto tempore circulum suum vnaquæq; stella percurrat, siue per longitudinem: siue per latitudinem. Latitudo intelligitur per signiferum, longitudo per propriū excursum. Nam luna viij annis fertur explere circulum suū. Mercurius annis xx. lucifer annis ix. sol annis xix. vesper xv. Phaeton. xij. Saturnus xxx. Quibus peractis ad reuersionem circuli sui ijsdem signis & partibus reuertuntur. Quædam sidera radijs solis præpedita anomala fiūt, aut retrograda, aut stationaria: iuxta quod & poeta meminit dicens,

—Sol tempora diuidit æui:
Mutat nocte diem, radijsq; potentibus astra
Ire vetat, cursusq; vagos ratione moratur.

De stellis planetis.

QVædam stellę ideo planetæ dicuntur, id est errantes, quia per totum mundū vario motu discurrunt. Vnde pro eo quod errant, retrogradæ dicuntur: vel anomalæ efficiuntur, idest, quando particulas addunt & detrahunt. Cæterùm quando tantum detrahunt retrogradæ dicuntur: stationem autem faciunt quando stant.

De præcedentia & antegradatione stellarum.

PRæcedentia vel antegradatio stellarū est, dum stella motum suum consuetum agere videtur, & aliquid pręter consuetudinem præcedit.

De remotione vel retrogradatione stellarum.

REmotio vel retrogradatio stellarum est, quando stella dum motum suum agit, simul & retrorsum moueri videtur. Ista omnia in absidis colliguntur.

De statu stellarum.

STatus stellarū est, dum stella semper mouetur: tamen in aliquibus locis stare videtur.

De nominibus stellarum, quibus ex causis nomina acceperunt.

SOl appellatus eo quòd solus appareat, obscuratis fulgore suo cunctis sideribus.

Luna dicta quasi Lucina, ablata media syllaba: de qua Virgilius:

Casta faue Lucina.

Sumpsit autem nomen per deriuationem à solis luce: eo quòd ab eo lumē accipiat, acceptūq; reddat.

Stellæ dictæ à stando, quia semper fixæ stant in cœlo: nec cadunt. Nā quòd videmus de cœlo stellas quasi labi, non sunt stellæ, sed igniculi ab æthere lapsi: qui fiunt dum ventus altiora petens æthereum ignem secum trahit, qui tractu suo imitatur stellas cadentes. Nam stellæ cadere non possunt: immobiles enim (vt prædictum est) sunt, & cum cœlo fixæ feruntur.

Sidera dicta eo quòd ea nauigantes considerando iter dirigunt ad cursus consilium, ne fallacibus vndis aut ventis aliò deducantur. Quędam autem stellæ idcirco signa dicuntur, quia eas nautæ obseruant in gubernandis remigijs, contemplantes aciem fulgoremq; eorum, quibus rebus status cœli futurus ostenditur. sed & omnes homines ea intendūt ad pręuidendum aeris qualitates per æstatem & hiemem vernalemq; temperiē. Ortu enim vel occasu suo, certis stationibus temporum qualitates significāt.

Signorū primus Arctos qui in axe fixus, vij stellis in se reuolutis rotatur. nomē est græcum quod latinè Vrsa dicitur: quæ quòd in modum plaustri vertitur, nostri eam septentrionem dixerunt. Triones enim propriè sunt boues aratorij, dicti eo quòd terram terant. q. teriones. Septentriones autem non occidere axis vicinitas facit: quia in eo sunt.

Arctophylax dicitur, quòd Arctō id est Helicē vrsam sequitur. Eundēq; & Booten dixerāt, eo quòd plaustro hæret: signum multis spectabile stellis, inter quas Arcturus est, sidus post caudam maioris vrsæ positum in signo Bootis. Vnde & Arcturus dictus est, quasi ἀρκτοῦ οὐρά: quia Bootis præcordijs socia collocata est. Oritur autem autumnali tempore.

Orion astrum ante Tauri vestigia fulget: & dictus Orion ab vrinā, id est, ab inundatione aquarum. Tempore enim hiemis obortus mare & terras aquis & tempestatibus turbat. Hūc Latini Iugulā vocant, quòd sit armatus, vt gladius, & stellarum luce terribilis atq; clarissimus: in quo si hæc fulgeant omnia serenitas portenditur, si obscuratur huius acies, tempestas cernitur imminere.

Hyades dictę ἀπὸ τοῦ ὕειν, id est, à succo & à pluuijs. Nā pluuiæ græcè ὕετος dicuntur. Ortu quippe suo efficiunt pluuias. vnde & eas Latini suculas appellauerunt: quia quando nascuntur pluuiarum signa monstrātur: de quibus Virgilius:

Arcturum, pluuiasq; Hyadas geminosq; Triones.

Sunt autem in fronte Tauri vij. & oriuntur tempore vernali. Pleiades à pluralitate dictæ. Sunt autem stellæ septem ante genua Tauri, ex quibus sex videntur: nam latet vna. Has Latini Vergilias dicunt, à tēporis significatione, quòd Verè exoriuntur. Nam occasu suo hyemem, ortu æstatem, primæq; nauigationis tempus ostendunt.

Canicula stella, quæ & Sirius dicitur, æstiuis mensibus

© Biblioteca Nacional de España

mensibus in medio centro cœli est: & dum sol ad eam ascenderit. coniuncta cum sole duplicatur calor ipsius, & dissoluuntur corpora, & vaporantur. Vnde & ex ipsa stella dies caniculares dicuntur: quando & molestæ sunt purgationes. Canis autem vocatur propterea quòd corpora morbo afficiat: siue propter flammæ candorem, quod eiusmodi sit, vt præ cæteris lucere videatur. Itaq; quo magis eam cognoscerent, Sirion appellasse.

Cometes stella dicta est, eò quòd comas luminis fundat ex se. Quod genus sideris quãdo apparuerit, aut pestilẽtiam, aut famem, aut bella significat. Cometę autem Latinè crinitæ appellantur, quòd in modum crinium flammas spargunt, quas Stoici dicunt esse vltra xxx: quarum nomina & effectus quidam Astrologi scripserunt.

Lucifer dictus, eò quòd inter omnia sidera plus lucem ferat. Lucifer enim est vna ex planetis. Hæc propriè & iubar dicitur, eò quòd iubas lucis ex se fundat: sed & splendor Solis & lunæ ac stellarum iubar vocatur: quòd in modum iubæ radij ipsorum extendantur.

Vesperus stella occidentalis, quam cognominatam perhibent ab Hespero rege Hispanię. Est autem & ipsa ex quinque stellis planetis, noctem ducens & sequens solem. Fertur autem quòd hæc stella oriens luciferum, occidens vesperum facit. de qua Statius:

—— *& alterno deperditur* vnus in ortu.*

* humor

Planetæ stellæ sunt, quæ non sunt fixæ in cœlo, vt reliquæ, sed in aere feruntur. Dicti autem planetæ ἀπὸ τῆς πλάνης. i. ab errore. Nam interdum in Austrum, interdum in Septentrionem, plerumq; contra mundum nonnunquam cum mundo feruntur.

Hos Romani nominibus deorum suorum, scilic. Saturni, Lunę, Iouis, Martis, Veneris & Mercurij sacrauerũt. Decepti enim & decipere volentes, in eorũ adulationem, qui sibi aliquid secundum amorem præstitissent, sidera ostendebant in cœlo, dicentes, quòd illud sidus esset Iouis, & illud Mercurij: & cõcepta est opinio vanitatis. Hanc opinionem erroris diabolus confirmauit, Christus euertit. Iam verò illa, quæ ab ipsis gentilibus signa dicuntur, in quibus & animantium imago de stellis formatur: vt, Aries, Taurus, libra & huiusmodi alia; ij qui sidera præuiderunt in numerum stellarum speciem corporis superstitiosa vanitate permoti finxerunt, ex causis quibusdam deorum suorum & imagines & nomina conformantes.

Nam Arietem primum signum, cui vt libræ mediam mundi lineã tradunt, propter Ammonem, id est, Iouem vocauerunt: quia in eius capite, qui simulachra faciunt Arietis cornua fingunt. Quod signum Gentiles ideo inter signa primum constituerunt, quòd in mense Martio, qui est anni principium, solem in signo illo cursum suum peragere dicunt: sed & Taurum inter sidera collocant, & ipsum in honorem Iouis, eò quòd in bouem sit fabulosè conuersus, quando Europam transuexit.

Castorem quoq; & Pollucem post mortem inter notissima sidera constituerunt: quod signum Gemini dicitur.

Cancrum quoque inde dixerunt, eò quòd cùm ad id signum mense Iunio sol venerit, retrograditur in modũ cancri, breuioresq; facit dies. Hoc enim an mal incertam habet partem primã. deniq; ad vtramq; partẽ gressum dirigit, ita vt prior pars sit posterior, & posterior prior.

Leonem ingentem Hercules in Græcia occidit, & propter virtutem suam hunc inter duodecim signa constituit. Hoc signum sol cùm attigerit nimium calorem mundo reddit. & annuos flatus & æstus facit maiores quàm in toto reliquo anno.

Virginis etiam signũ idcirco intra astra collocauerũt, propter quod eisdem diebus in quibus sol per illud decurrit, terra exusta solis ardore nihil pariat. Est enim hoc tempus caniculariũm dierum.

Libram autẽ vocauerunt ab ęqualitate mensis ipsius, quod viij kal. Octobris sol per illud signum currens æquinoctium facit. Vnde & Lucanus: —— ** Ad iustæ pondera libræ.* * Adustæ

Scorpium quoq; & sagittarium propter fulgura mensis ipsius appellauerunt.

Sagittarius vir equinis cruribus deformatur, cui sagittam & arcum adiungunt, vt ex eo mensis ipsius fulmina demonstrentur. Vnde & sagittarius est vocatus.

Capricorni figuram ideo inter sidera finxerunt propter capram Iouis nutricem: cuius posteriorem partẽ corporis in effigiem piscis ideò finxerunt, vt pluuias eiusdem temporis designarent, quas solet idem mensis plerumque in extremis habere.

Porrò Aquarium & Pisces, ab imbribus temporum vocauerunt, quòd hyeme quando in his signis sol vertitur, maiores pluuiæ profunduntur. Et miranda gentilium dementia, qui non solùm pisces, sed etiam arietes & hircos & tauros, vrsas & canes, cancros, & scorpiones transtulerunt. Nam & aquilam & cygnum propter Iouis fabulas inter cœli astra eius memorię causa collocauerunt.

Perseum quoque & vxorem eius Andromedam posteaquàm sunt mortui in cœlum receptos esse crediderunt: ita vt imagines eorũ stellis designarent, eorumque appellare nominibus non erubescerent.

Aurigam etiam Erichthonium inter cœli astra collocauerunt: propter quod vidissent eum primum quadrigam iunxisse. Mirati sunt enim ingenium eius ad imitationem Solis accessisse: & propter hoc nomen eius post mortem inter sidera posuerunt. sic Calisto, Licaonis filia, dum ab Ioue compressa & fabulosè ab Iunone in vrsæ fuisset speciem conuersa, quæ Græcè ἄρκτος appellatur, post interfectionem ipsius nomen eius Iouis cum filio in stellis Septentriona-

© Biblioteca Nacional de España

libus transtulit, eamque Arcton: filium autem eius Arctophylaca ea appellauit. Sic lira pro Mercurio in cœlũ locata. sic Centaurus Chiron propter quod nutrierat Æsculapium & Achillem, inter astra dinumeratus est. sed quolibet modo superstitiones hæ ab hominibus nuncupentur, sunt tamen sydera quæ Deus in mundi principio condidit, ac certo motu distinguere tempora ordinauit. Horum igitur signorum obseruationes, vel geneses, vel cætera superstitiosa, quæ se ad cognitionem syderum coniungunt, id est, ad notitiam fatorum, quæ fidei nostræ sine dubitatione contraria sunt, sic ignorari debent à Christianis, vt nec scripta esse videantur. sed nonnulli syderum pulchritudine, & claritate pellecti, in lapsus stellarũ cæcatis mentibus corruerunt, ita vt per supputationes noxias, quæ mathesis dicitur, euentus rerum præscire conentur: quos non solùm Christianæ religionis doctores, sed etiam gentilium Plato, Aristoteles, atque alij rerum veritate commoti concordi sententia damnauerunt, dicentes: Confusionem rerum potius de tali persuasione generari. Nam si genus humanum ad varios actus nascendi necessitate premeretur, cur aut laudem mereantur boni, aut mali legum percipiant vltionem? Et quamuis ipsi non fuerint cœlesti sapientiæ dediti, veritatis tamen testimonio errores eorum meritò perculerunt. Ordo autem iste septem sęcularium disciplinarum ideo à Philosophis vsque ad astra perductus est, scilicet vt animos seculari sapientia implicatos à terrenis rebus abduceret, & in superna contemplatione collocaret.

ISIDORI HISPALENSIS
EPISCOPI, ORIGINVM
SIVE ETYMOLOGIARVM
LIBER IIII.

CAPITA LIBRI QVARTI.

1 *De Medicina.*
2 *De nomine eius.*
3 *De inuentoribus eius.*
4 *De tribus hæresibus medicorum.*
5 *De quatuor humoribus corporis.*
6 *De acutis morbis.*
7 *De cronicis morbis.*
8 *De alopecia.*
9 *De medicinis & medicaminibus.*
10 *De libris medicinalibus.*
11 *De instrumentis medicorum.*
12 *De odoribus & vnguentis.*
13 *De initio Medicinæ.*

De Medicina.

EDICINA est quæ corporis vel tuetur vel restaurat salutem: cuius materia versatur in morbis & vulneribus. Ad hanc itaque pertinent, non ea tantũ quę ars eorum exhibet, qui propriè Medici nominãtur, sed etiam cibus & potus, tegmen & regimen. Defensio denique omnis atq; munitio qua sanum corpus nostrum aduersus externos ictus casusq; seruatur.

De nomine eius.

NOmen autem Medicinæ à modo, id est, temperamento impositum æstimatur, vt non satis, sed paulatim adhibeatur. Nam in multo contristatur natura, mediocri autem gaudet. vnde & qui pigmenta & antidota satis vel assiduè biberint, vexantur. Immoderatio enim omnis non salutem, sed periculum affert

De inuentoribus Medicinæ.

MEdicinæ autem artis auctor ac repertor apud Græcos perhibetur Apollo. Hanc filius eius Æsculapius laude vel opere ampliauit. Sed postquam fulminis ictu Æsculapius interijt, interdicta fertur medendi cura, & ars simul cum auctore defecit, latuitque per annos penè quingentos vsque ad tempus Artaxerxis regis Persarum. Tunc eam reuocauit ad lucem Hippocrates Asclepio patre genitus in insula Coo.

De tribus hæresibus Medicorum.

ITaque tres viri totidem hæreses inuenerunt. Prima methodica inuenta est ab Apolline, quæ remedia sectatur & carmina. Secunda Empirica, id est, experientissima, inuenta est ab Æsculapio, quæ non indiciorum signis, sed solis constat experimentis. Tertia Logica, id est, rationabilis, inuenta ab Hippocrate. Iste enim discussis ætatum, regionum, vel ægritudinum qualitatibus, artis curam rationabiliter perscrutatus est. Empirici ergo experientiam solam sectantur: Logici experientię rationem adiungunt: Methodici nec elementorum rationem obseruant, nec tempora, nec ætates, nec causas, sed solas morborum substantias.

De

© Biblioteca Nacional de España

De quatuor humoribus.

SAnitas est integritas corporis, & temperantia naturæ ex calido & humido, quod est sanguis. vnde & sanitas dicta est, quasi sanguinis status.

Morbi generali vocabulo omnes passiones corporis continentur, quod inde veteres morbum nominauerunt: vt ipsa appellatione, mortis, vim quæ ex ea nascitur demonstrent. Inter sanitatem autem & morbum media est curatio, quæ nisi morbo congruat, non producit ad sanitatem. Morbi enim omnes ex quatuor nascuntur humoribus, id est, ex sanguine & felle, melancolia & phlegmate. Ex ipsis enim reguntur sani, ex ipsis læduntur infirmi. Dum enim amplius extra cursum naturæ creuerint, ægritudines faciunt. Sicut enim quatuor elementa, sic & quatuor humores, & vnusquisque humor suum elementum imitatur. sanguis aerem, cholera ignem, melancolia terram, phlegma aquã. Et sunt quatuor humores, sicut quatuor elementa, quæ conseruant corpora nostra.

Sanguis ex Græca etymologia vocabulum sumpsit, quòd ex eo corpus vegetetur & sustentetur & viuat. Choleram Græci vocauerunt, quod vnius diei spacio terminetur: vnde & colera, id est, fellicula nominata est, hoc est, fellis effusio. Græci enim fel χολὴν dicunt.

Melancholia dicta, eò quòd ex nigri sanguinis fece admixta sit abundãtia fellis. Græci enim μέλαν nigrum vocant, fel autem χολὴν appellant.

Sanguis Latinè vocatus quòd sit suauis. vnde & homines quibus dominatur sanguis dulces ac blandi sunt.

Phlegma autem dixerunt quòd sit frigida. Ex his quatuor humoribus reguntur sani: ex his læduntur infirmi. Dum enim amplius excursum naturæ creuerint, ægritudines faciunt. Ex sanguine autem & felle acutæ passiones nascuntur, quas Græci ὀξέα vocant. Ex phlegmate verò & melancholia veteres causæ procedunt, quas Græci χρόνια dicunt.

De acutis morbis.

Ὀξέα est acutus morbus, qui aut citò transit aut celerius interficit, vt pleurisis, phrenesis. ὀξὺ enim acutũ apud Græcos & velocem significat. Χρόνια est prolixus corporis morbus, qui multis temporibus remoratur, vt podagra, phtisis. χρόνος enim apud Græcos tempus dicitur. Quædam autem passiones ex proprijs causis nomen acceperunt.

Febris à feruore dicta est. est enim abundantia caloris.

Φρένησις appellata siue ab impedimento mentis: quia Græci mentem φρένας vocant. seu quòd dentibus infrendant. Nam frendere est dentes concutere. Est autem perturbatio cum exagitatione & dementia ex colerica vi effecta.

Cardiace vocabulum à corde sumpsit, dum ex aliquo tumore aut dolore afficitur. Cor enim Græci καρδίαν vocant. Est enim cordis passio cum formidabili metu.

Lethargus à somno vocata. Est enim oppressio cerebri cum obliuione & somno iugi, velut stertentis.

Synanche à continentia spiritus & præfocatione dicta. Græci enim Συνάγχειν continere dicunt. Qui enim hoc vitio laborant, dolore faucium præfocantur.

Phlegmone est feruor stomachi cũm extensione & dolore, siue φλεγμονὴ est inquietudo cũ rubore & dolore & extensione & duricia & vastitate. Quæ cùm ceperit fieri, inquietudo & febris consequitur. Vnde & dicta est φλεγμονὴ ἀπὸ τοῦ φλέγειν. Sic enim sentitur & inde nomen accepit.

Pleuritis est dolor lateris acutus cum febre & sputo sanguinolẽto. Latus enim Græcè πλευρὰ dicitur: vnde & pleuritica passio nomẽ accepit.

Peripneumonia est pulmonis vitium cũ dolore vehementi & suspirio. Græci enim pulmonem πνεύμονα vocant. inde & ægritudo dicta est.

Apoplexia est subita effusio sanguinis, qua suffocati intereunt. Dicta autẽ apoplexia, quòd ex letali percussu repentinus casus fiat. Græci enim percussionem ἀποπληξίν vocant.

Spasmus Latinè contractio subita partium aut neruorum cum dolore vehementi. Quam passionem à corde nominatam dixerunt: quia in nobis principatũ vigoris habet. Fit autẽ duobus modis: aut ex repletione, aut ex inanitione.

Tetanus maior est contractio neruorum à ceruice ad dorsum.

Telum lateris dolor est. dictum est autem ita à medicis, quòd dolore corpus transuerberet, quasi gladius.

Ileos dolor intestinorum. Vnde & ilia dicta sunt. Græcè enim ἰλεῖν obuoluere dicitur, quòd se intestina præ dolore inuoluant. Hi & torminosi dicuntur ab intestinorum tormento.

ὑδροφοβία, id est, aquæ metus. Græci enim ὕδωρ aquam vocant: φόβον timorẽ dicunt. vnde & Latini hunc morbũ ob aquæ metum limpharicũ vocant. Fit autem vel ex canis rabidi morsu, aut ex *aeris spuma in terram proiecta, quam si homo vel bestia tetigerit, aut dementia repletur: aut in rabiem vertitur. * eius

Carbunculus dictus, quòd in ortu suo rubẽs sit vt ignis: postea niger, vt carbo extinctus.

Pestilentia est contagium, quod dum vnũ apprehẽderit, celeriter ad plures transit. Gignitur autem ex corrupto aere, & in visceribus penetrando innititur. Hæc etsi plerumq; per aerias potestates fiat, tamen sine arbitrio omnipotẽtis Dei omnino nõ fit. dicta autem pestilẽtia, quasi pastulentia, quòd veluti incendium depascat:

— Et toto descendit corpore pestis.

Idẽ & contagium à contingendo: quia quẽ tetigerit, polluit. Ipsa & inguinia ab inguinũ percussione. Eadem & lues à labe & luctu vocata, quæ tantopere acuta est, vt nõ habeat spacium temporis, quo aut vita speretur aut mors, sed repentinus languor simul cum morte venit.

© Biblioteca Nacional de España

De Chronicis morbis.

CHronica est prolixus morbus, qui multis temporibus remoratur, vt podagra, phtisis. χρόνος enim apud Græcos tempus dicitur.

Cephalea ex capite vocabulũ habet. capitis enim passio est. Græci .n. caput κεφαλὴν vocant.

Scotoma ab accidente nomen sumpsit, quòd repentinas tenebras ingerat oculis cum vertigine capitis. Vertigo autem est, quotiescunque ventus cõsurgit, & terram in circuitu mouet. Sic & in vertice hominis arteriæ & venæ ventositatẽ ex resoluta humectatione gignunt, & in oculis girum faciunt. Vnde & vertigo nuncupata est.

Epilepsia vocabulum sumpsit, quòd mentem apprehendens pariter etiam corpus possideat. Græci enim apprehensionẽ ἐπιλήψιαν vocãt. Fit autem ex melancholico humore quoties exuberauerit, & ad cerebrum aduersus fuerit. Hæc passio & caduca vocatur, eò quòd cadens æger spasmum patiatur. Hos etiam vulgus lunaticos vocat, quòd per hunc cursum * comitetur eos insania dæmonum. Eadem & laruatio: ipse est & morbus comitialis, id est, maior & diutinus, quo caduci tenentur. Cuius tanta vis est, vt homo valens concidat spumetque. Comitialis autem dictus, quòd gentiles cum comitiorum die cuiquam accidisset, comitia dimittebantur. Erat autem apud Romanos comitiorum dies solennis in kalend. Ianuarijs.

* comitẽtur eos insidiæ

Mania ab insania vel furore vocata. Nam Græcorum vetustas furorem μανίαν appellabat, siue à diuinatione, quia diuinare Græcè μαντεύειν dicitur.

Melancolia dicta est à nigro felle. Græci enim nigrum μέλαν vocant: fel autem χολὴν appellant. Epilepsia autem in fantasia fit, melancolia in ratione, mania in memoria.

Typhi sunt frigidæ febres, quæ abusiuè typhi appellantur ab herba quæ nascitur in aqua, quæ Latinè forma atque status dicitur. Est enim accessionum reuolutio per statuta temporum interualla.

Reuma Græcè, Latinè eruptio siue fluor appellatur.

Catarrus est fluor reumæ iugis ex naribus, quæ dum ad fauces venerit βράγχος vocatur. dum ad thoracem vel pulmonem φθίσις dicitur.

Coriza est quoties infusio capitis in ossa venerit narium. & præfocationem fecerit cũm sternutatione. vnde & coriza nomen accepit.

Branchos est præfocatio faucium à frigido humore. Græci enim guttur βράγχος dicunt. circa quod fauces sunt, quos nos corruptè brancia dicimus.

Raucedo amputatio vocis. Hæc & arteriasis vocatur, eò quòd vocem raucam & clausam reddat ab arteriarum iuiurijs.

Suspirium nomen sumpsit, quia inspirationis difficultas est, quam Græci δύσπνοιαν dicunt, id est, suffocationem.

Peripneumonia à pulmonibus nomen accepit. Est enim pulmonis tumor cum spumarum sanguinearum effusione.

Hęmoptysis emissio sanguinis per os. vnde & nomen accepit. αἷμα enim sanguis dicitur.

Phtisis est vlceratio & tumor in pulmonibus qui iuuenibus facilius euenire solet. φθίσις autem apud Græcos dicta, quòd sit totius corporis consumptio.

Tussis Græcè ab altitudine vocatur, quòd à profundo pectoris veniat. cuius contraria est superior in faucibus vbi vua distillat.

Apostema à collectione nomen accepit. nam collectiones Græci apostemas vocant.

Ἐμπύησις dicta est apostema intrinsecus vel in latere, vel in stomacho cum dolore & febribus, & tussi & abundantibus spumis & purulentijs.

ἡπατικὴ morbus à iecoris passione nomẽ accepit. Græci enim iecur ἧπαρ vocant.

Lienosis à splene vocabulum sumpsit. Græci enim σπλὴν lien vocant.

Hydrops nomen sumpsit ab aquoso humore cutis. Nam Græci ὕδωρ aquam vocauerunt. est enim humor subcutaneus cum inflatione turgente & anhelitu fœtido.

Nephritis à renium languore nomen accepit. Renes enim Græci νεφροὺς dicunt.

Paralysis dicta à corporis impensatione: facta ex multa infrigidatione, aut in toto corpore, aut in parte.

Cachexia nomen sumpsit à corporis iniuria vel malo habitu. καχεξίαν enim Græci malam vexationem vocauerunt. Fit autem hæc passio ex intemperantia ęgrotantis, vel curatione medicaminis. aut post ægritudinem tardà resumptio.

Atrophia nomen accepit à diminutione corporis. Nam Gręci nutrimenti cessationem ἀτροφίαν dicunt. Est enim tenuitas corporis ex causis latentibus, & paulatim conualescentibus.

Sarcoma est superfluum carnis incrementũ, quo vltra modum corpora saginantur. Græci enim carnem σάρκα vocant.

ἰσχιὰς vocata à parte corporis quam vexat. Nam vertibulorum ossa quorum summitas iliorum initio terminatur, Græci ἰσχία vocant. Fit autem quoties descenderit in recta ossa, & efficitur ibi glutinatio.

Podagram Græci à retentione pedum dicũt nominatam, & à ferali dolore. Siquidem omne quod immite fuerit abusiuè agreste vocamus.

Arthritis morbus ab articulorum passione vocabulum sumpsit.

Calculus lapis est qui in vesica fit. vnde & nomen accepit. Gignitur autem ex materia phlegmatica.

Stranguria dicta est, eò quòd stringat vrinarum difficultatem.

Σατυρίασις iuge desiderium Veneris cum extensione naturalium locorum: dicta passio à Satyris.

Diarrhœa iugis ventris cursus sine vomitu.

Dysen-

© Biblioteca Nacional de España

Dysenteria est diuisio continuationis, id est, vlceratio intestini. Δυς enim difficultatem significat, ἔντερα intestina. Fit autem antecedente fluore, quam Græci Διάῤῥοιαν vocant.

Lienteria dicta, quòd cibum tanquam per lineam intestina nullis obstantibus facit prolabi.

Colica passio nomen sumpsit ab intestino, quod Græci κῶλον appellant.

Ragades dicuntur, eò quòd fissuræ sint rugis collectæ circa orificium. Hæ & hæmorroides à sanguinis fluore dictæ. Græci enim sanguinem αἷμα dicunt.

De morbis qui in superficie corporis videntur.

ALopecia est capillorum fluor circumscriptis pilis fuluis, aeris qualitatem habentibus: vocata hoc nomine à similitudine animalis vulpeculæ quam Græci ἀλώπεκα vocãt.

Parotides sunt duritiæ vel collectiones, quæ ex febribus vel aliquo alio nascuntur in aurium vicinitates: vnde & παρωτίδες sunt appellatæ. οὖς enim Græci auriculam dicunt.

Lentigo est vestigia macularũ paruula in rotunditatem formata. à specie lenticulæ dicta.

Erisipelas est quam Latini sacrum ignem appellant, id est, execrandum per antiphrasim. Siquidem in superficie rubore flammeo cutes rubescunt. Tunc mutuo rubore quasi ab igne vicina inuadũtur loca, ita vt etiã febris excitetur.

Serpedo est rubor cutis cum pustularum extantia, & nomen sumpsit à serpendo, eò quòd serpat per membra.

Impetigo est sicca scabies: prominens à corpore cum asperitate & rotũditate formæ. Hanc vulgus sarnam appellat.

Prurigo vocata à perurendo & ardendo.

Νυκτάλωπία est passio qua per diẽ visus patẽtibus oculis denegatur, & nocturnis irruentibus tenebris redditur, aut versa vice (vt pleriq; volunt) die redditur, nocte negatur.

Verrucæ aliud sunt: Satyriasis aliud. Verrucæ singulatim sunt: satyriasis verò illa fortior, ac circa ipsam plures inueniuntur.

Scabies quoque & lepra vtraq; passio asperitas cutis cum pruritu atq; squammatione: sed scabies tenuis asperitas & squammatio est. Hinc deniq; nomen accepit, *quę ita veluti pur gamẽta admittat. Nam scabies quasi squamies.

Lepra verò cutis asperitas squãmosa lepidæ herbę similis, vnde & nomen sumpsit: cuius color nunc in nigredinem vertitur, nunc in alborem, nunc in ruborem. In corpore hominis ita lepra dinoscitur: si variatim inter sanas cutis partes color diuersus appareat: aut si ita se vbique diffundat, vt omnia vnius coloris quamuis adulterini faciat.

Elephantiasis morbus dicitur ex similitudine elephanti: cuius naturaliter dura & aspera pellis, nomen morbo in hominibus dedit: quia corporis superficiem similem facit elephantorum cuti: siue quia ingẽs passio est, sicut animal ipsum ex quo deriuatum ducit nomen.

Icteris Græci appellant à cuiusdã animalis nomine, quòd sit coloris * fellei. Hunc morbũ Latini arcuatum appellant ad similitudinem cœlestis arcus. Auriginẽ erò Varro appellari ait à colore auri. Regium autem morbum inde æstimant dictum, quòd vino bono & regalibus cibis citius curetur. * id est, nigri

Cancer à similitudine maritimi animalis vocatum, vulnus sic medici dicunt nullis medicamẽtis sanabile. Aut ergo pręcidi debet à corpore membrum vbi nascitur, vt aliquantulũ viuat: tamẽ inde mortem quamlibet tardius affuturã.

Ordeolus est paruissima & purulẽta collectio in capillis palpebrarũ constituta, in medio lata, & ex vtroq; conducta, hordei granum similans: vnde & nomen accepit.

Furunculus est tumor in acutum surgens, dictus quòd ferueat, quasi feruunculus: vnde & Græcè ἄνθραξ dicitur, quòd sit ignitus.

Oscedo est, in qua infantum ora exulcerantur, dicta ex languore oscitantium.

Frenusculi vlcera circa rictum oris: similia his, quæ fiunt iumentis asperitate frenorum.

Vlcus putredo ipsa: vulnus quod ferro fit quasi vi vlcus. Et vlcus quod olet quasi olcus.

Pustula est in superficie corporis turgida veluti collectio.

Papula est paruissima cutis erectio, circumscripta cum rubore: & ideo papula dicta, quasi * pupula sirimpia. * pupilla

Sanies dicta quòd ex sanguine nascitur: excitato enim calore vulneris, sanguis in saniem vertitur. Nam sanies non fit in quocunq; loco, nisi vbi sanguis aduenerit: quia omne quod putrescit, nisi calidum & humidum fuerit, quod est sanguis, putrefieri non potest. Sanies autem & tabes sibi differunt. Fluere enim sanie viuorum est, tabe mortuorum.

Cicatrix est obductio vulneris, naturalem colorem partibus seruans: dicta quòd obducat vulnera & obcæcat.

De remedijs & medicaminibus.

MEdicinæ curatio non est spernenda. Meminimus enim & Esaiam Ezechiæ languenti aliquid medicinale mandasse: & Paulus apostolus Timotheo modicum vinum prodesse dixit. Curatio autẽ morborum tribus generibus constat: Pharmacia, quã Latini medicamina vocant: Chirurgia, quam Latini manuum operationem appellant: manus enim apud Græcos χείρ vocatur: diæta, quam Latini regulã appellant: est enim obseruatio legis & vitę. Sunt autem omni curationi species tres: primũ genus diætetícum: secundũ pharmaceuticum: tertium chirurgicum. Diæta est obseruatio legis & vitæ. Pharmaceutica est medicamentorũ curatio. Chirurgia est ferramentorum incisio. nam ferro excidũtur quę medicamentorum nõ senserint medicinã. Antiquior autẽ medicina herbis tantùm ex succis erat. Talis.n. medẽdi vsus cepit: deinde ferro & cęteris medicamentis.

© Biblioteca Nacional de España

Omnis autem curatio aut ex contrarijs aut ex similibus adhibetur. Ex contrarijs: vt frigidum calido. vel siccum humido. sicut & in homine superbia sanari non potest, nisi humilitate sanetur. Ex similibus verò, sicut ligamentum vel rotundo vulneri rotundum: vel oblõgo oblongum apponitur. Ligatura enim ipsa non eadem membris & vulneribus omnibus, sed similis simili coaptatur. quæ duo etiam ipsa adiutoria nominibus suis significant. Nam antidotum Græcè, Latinè ex contrario datũ dicitur. Contraria enim contrarijs medicinæ ratione curantur. At contrà ex simili: vt πικρὰ quod interpretatur amara: quia gustus eius amarus est. Ex conuenienti enim nomen accepit, quia amaritudo amaritudinem morbi soluere solet.

Omnia autem medicamẽta ex proprijs causis habent vocabula. Hiera enim dicta quasi diuina. Arteriaca, quòd apta sint gutturis meatui, & tumores faucium & arteriarum leniant. Theriaca est antidotum serpentinum, quo venena pelluntur, vt pestis peste soluatur. Cathartica Græcè, Latinè purgatoria dicuntur.

Catapotia, eò quòd modicum potetur seu inglutiatur. Diamoron à succo mora nomen sumpsit, ex quo conficitur. sicut diacodion: quia ἐκ τῆς κωδείας, id est, ex papauere fit. sicut diaspermaton: quia ex seminibus componitur. Electuarium vocatum eò quòd molle sorbeatur. Trociscos dictus: quia in modum rotulæ deformatur. τρόχος enim Græcè rota dicitur. Colliria Latinum sonat, quòd vitia oculorum detergant. Epithema eò quòd supponatur, alijs adiutorijs præcedentibus. Cataplasma, eò quòd inductio sola fit. emplastrum eò quòd inducatur. Malagma eò quòd sine igne maceretur & comprehendatur. Enema Græcè, Latinè relaxatio dicitur. Pressaria dicta quòd intus initiantur.

Medicinam iumentorum Chiron quidam Græcus inuenit. inde pingitur dimidia parte homo: dimidia equus. dictus autem Chiron ἀπὸ τοῦ χείρ ἔχειν, quia chirurgus fuisse dicitur: vnde appellatus.

Criticos dies medici vocãt, quibus vt credo ex iudicio infirmitatis illud nomen impositum est. quòd quasi iudicent hominem, & sententia sua aut puniant aut liberent.

De libris medicinalibus.

APhorismus est sermo breuis, integrũ sensum propositæ rei scribens.

Prognostica præuisio ægritudinum, à prænoscendo vocata. Oportet enim medicum & præterita agnoscere, & præsentia scire, & futura præuidere.

Dynamia, potentia herbarum & vis & possibilitas. Nam in herbarũ cura vis ipsa δυνάμις dicitur. vnde & δυνάμεια nuncupatur, vbi eorum medicinæ scribuntur.

Botanicum herbarium dicitur, quòd ibi herbę notentur.

De instrumentis Medicorum.

ENchiridion dictum quòd manu astringatur, dum plurima contineat ferramenta. χείρ enim Græcè manus vocatur.

Phlebotomum ab incisione vocatum. Nam incisio Latinè, Græcè τομὴ dicitur.

Similaria, angistrum.* Spatomeleguna quæ à Latinis à similitudine cucurbitæ, à suspirio ventosa vocatur. Denique animata spiritu per igniculum, dehinc præciso corpori superposita omne quod inter cutem vel altius æstuat, siue humorem, siue sanguinẽ, vocat in superficiem * glisceré.

Pisa à pinsendis seminibus & terendis. Hinc & pigmenta eò quòd in pilà & pilo aguntur quasi piligmenta: Est enim pilà vas concauum & medicorum aptum vsui, in qua propriè ptisanæ * fieri & pigmenta concidi solent. Varro autem refert Pilumnium quendam in Italia fuisse, qui pinsendis præfuit aruis: vnde & pilumni & pistores: Ab hoc ergo pilum & pilam inventa quibus far pinsitur, & ex eius nomine ita appellata: Pilum autem est vnde contunditur quicquid in pila mittitur.

Mortarium, quòd ibi iam semina in pulverem redacta & mortua condiantur.

Citicula est, in qua circunducta colliria resoluuntur: erit enim lenis. Nam aspera frangi potius quàm resolui collirium facit.

De odoribus & vnguentis.

ODor vocatus ab aere.

Thymiama lingua Græca vocatur, quòd sit odorabile. Nam timos dicitur flos qui odorem refert. de quo Virgilius:

— redolentq; timo flagrantia mella.

Incẽsum dictum: quia igne consumitur dum offertur.

Tetraidos formulæ incensi in longitudinem porrectæ, quæ fiunt ex quatuor pigmẽtis. Quatuor enim Græcè τέτταρες, formula εἶδος dicitur.

Stacte est incensum quod ex pressura manat, dictum à Græcis ἀπὸ τοῦ στάζειν, quod est manare & distillare.

Mirobalanum: quia fit ex glande odorata. de quo Horatius: *Et pressa tuis balanus capillis.*

Vnguẽtum verò est omne quod ex communi oleo confectum, aliarum specierum commixtione augetur, odoris iocunditatem sumens & longius redolens.

Vnguenta autem quædam dicuntur à locis vt telinum. cuius Iulius Cęsar meminit, dicens: *Corpus suaui * telino vnguimus.* Hoc conficiebatur in insula Delo, quę est vna ex Cycladibus. Sunt & quædam ab inuentorum nomine, vt amaracinum. Nam quidam tradunt regium quendam puerum Amaracum nomine quamplura vnguentorum genera ferentem, casu prolapsum esse, & maiorem ex commixtione odorẽ creasse.

Vnde

* Spatomeleguna, id est, gunnalia exemplaria habent guuia. id gunuia.

* clysteré

* feriri

* telino, forsè Deliaco

© Biblioteca Nacional de España

Vnde nunc optima vnguenta amaracina dicuntur: sunt autem ex genere florum. Item quæ à materiæ suæ qualitate dicuntur: vt rosaceum à rosa: cyprinum à flore Cypri: * quæ proinde & propriæ materiæ odorem referunt. Ex his quædam simplicia vnguenta sunt, quæ vna tantùm specie existunt: vnde & sui nominis referunt odoratum, vt anetinum: est enim syncerum ex oleo & aneto tantũ. Composita autem sunt quæ pluribus admixtis fiunt: vnde & nominis sui odorem non habent: quia obtinentibus alijs quę admiscentur, incertum odorem ducunt: vt cerotum, calesticum, marciatum.

*vnde &

De initio Medicinæ.

QVæritur à quibusdam, quare inter cæteras artes liberales ars Medicinæ non contineatur. Propterea, quia illæ singulares continẽt causas: ista verò omniũ. Nam & Grammaticam medicus scire iubetur, vt intelligere vel exponere possit quæ legit. similiter & Rhetoricam, vt veracibus argumẽtis valeat diffinire quæ tractat. necnon & Dialecticam propter infirmitatum causas ratione adhibita perscrutandas atque curandas. Sic & Arithmeticam propter numerum horarũ in accessionibus, & periodis dierum: non aliter & Geometriam propter qualitates regionum, & locorum situs: in quibus doceat, quid quisque obseruare debeat. Porrò Musica incognita illi non erit. Nam multa sunt quæ in Græcis hominibus per hanc disciplinã facta leguntur: sicut habetur de Dauid, qui à spiritu immundo Saulem arte modulationis eripuit. Asclepiades quoque medicus Phreneticum quendam per symphoniam pristinæ sanitati restituit. Postremò & Astronomiam notam habebit, per quam contempletur rationem astrorum & mutationem temporum. nam sicut ait quidam medicorũ, cum ipsorum qualitatibus & nostra corpora commutantur. hinc est quòd Medicina secunda Philosophia dicitur. Vtraque enim disciplina totum sibi hominem vendicat. Nam sicut per illam anima, ita per hanc corpus curatur.

ISIDORI HISPALENSIS
EPISCOPI, ORIGINVM
SIVE ETYMOLOGIARVM
LIBER V.

CAPITA LIBRI QVARTI.

1 *De authoribus legum.*
2 *De legibus diuinis & humanis.*
3 *Quid differunt inter se ius, leges, & mores.*
4 *Quid sit ius naturale.*
5 *Quid ius ciuile.*
6 *Quid ius gentium.*
7 *Quid ius militare.*
8 *Quid sit ius publicum.*
9 *Quid sit ius Quiritum.*
10 *Quid lex.*
11 *Quid scita plebium.*
12 *Quid senatus consultum.*
13 *Quid constitutio & edictum.*
14 *Quid responsa prudentium.*
15 *De legibus consularibus & tribunitijs.*
16 *De lege satyra.*
17 *De legibus Rhodijs.*
18 *De priuilegijs.*
19 *Quid possit lex.*
20 *Quare facta est lex.*
21 *Qualis debeat fieri lex.*
22 *De causis.*
23 *De testibus.*
24 *De instrumentis legalibus.*
25 *De rebus.*
26 *De criminibus in lege conscriptis.*
27 *De pœnis in legibus constitutis.*

De authoribus legum.

Moyses genti Hebraicæ primus omnium diuinas leges sacris literis explicauit. Foroneus rex Græcis primus legis iudiciaque constituit. Mercurius Trismegistus primus leges Ægyptijs tradidit. Solon primus leges Athenienſibus dedit. Lycurgus primus Lacedęmonis iura legum ex Apollinis authoritate confinxit. Numa Pompilius qui Romulo successit in regno, primus leges Romanis edidit: deinde cùm populus seditiosos magistratus ferre non posset, Decemviros legibus scribendis creauit, qui leges ex libris Solonis in Latinum sermonem translatas xij tabulis exposuerunt. Fuerunt autem hi Appius Claudius, Genutius, Veterius, Iulius, Manilius, Sulpitius, Sextius, Curatius, Romelius, Posthumius. Hi Decemviri legum conscribendarum electi sunt.

Leges autem redigere in libris primus consul Pompeius instituere voluit, sed non perseuerauit, obtrectatorum metu: deinde Cęsar cepit id facere, sed antè interfectus est. Paulatim autem antiquæ leges vetustate atq; incuria exoleuerunt: quarum etsi nullus iam vsus est, notitia tamen necessaria videtur.

Leges nouę à Constantino Cæsare cœperũt, & reliquis succedentibus: erantq; permixtæ & inordinatæ. Postea Theodosius minor Augu-

© Biblioteca Nacional de España

ſtus ad ſimilitudinem Gregoriani & Hermogeniani codicem factum conſtitutionum à Conſtantini temporibus, ſub proprio cuiuſque Imperatoris titulo diſpoſuit, quem à ſuo nomine Theodoſianum vocauit.

De legibus diuinis & humanis.

OMnes autem leges aut diuinæ ſunt, aut humanæ. Diuinæ natura: humanæ moribus conſtant: ideoq; hæc diſcrepant, quoniam aliæ alijs gentibus placent.

Fas lex diuina eſt: ius lex humana. Tranſire per agrum alienum fas eſt, ius non eſt.

Quid differunt inter ſe ius, leges, & mores.

IVs generale nomen eſt: lex autem iuris eſt ſpecies. Ius autem dictum, quia iuſtum eſt: omne autem ius legibus & moribus conſtat.

Lex eſt conſtitutio ſcripta. Mos eſt vetuſtate probata conſuetudo: ſiue, lex non ſcripta. Nam lex à legendo vocata eſt: quia ſcripta eſt.

Mos autē longa conſuetudo eſt de moribus tracta tantū. Conſuetudo autem eſt ius quoddam moribus inſtitutum: quod pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex: nec differt ſcriptura an ratione conſiſtat, quando & legem ratio commendat. Porrò ſi ratione lex conſtat, lex erit omne iam quod ratione conſtiterit, duntaxat quòd religioni congruat: quòd diſciplinæ conueniat: quòd ſaluti proficiat. vocata autem conſuetudo, quia in communi eſt vſu.

Quid ſit ius naturale.

IVs naturale eſt, aut ciuile, aut gentium. Ius naturale eſt commune omnium nationum, eò quòd vbiq; inſtinctu naturæ, non conſtitutione aliqua habeatur: vt viri & fœminæ coniunctio: liberorum ſucceſsio & educatio: communis omniū poſſeſsio: & omniū vna libertas, acquiſitio eorum, quæ cœlo, terra, mariq; capiuntur. Item depoſitæ rei vel cōmendatæ pecuniæ reſtitutio: violentiæ per vim repulſio. Nam hoc aut ſi quid huic ſimile eſt, nunquam iniuſtum, ſed naturale æquumque habetur.

Quid ſit ius ciuile.

IVs ciuile eſt, quod quiſq; populus vel ciuitas ſibi proprium, humana diuinaque cauſa conſtituit.

Quid ſit ius gentium.

IVs gentium eſt ſedium occupatio, ædificatio, munitio, bella, captiuitates, ſeruitutes, poſtliminia, fœdera pacis, induciæ, legatorū non violandorum religio, connubia inter alienigenas prohibita: & inde ius gentium, quòd eo iure omnes ferè gentes vtuntur.

Quid ſit ius militare.

IVs militare eſt belli inferendi ſolennitas: fœderis faciendi nexus, ſigno dato * congreſsio in hoſtem vel commiſsio. Item ſigno dato receptio: item flagitij militaris diſciplina, ſi locus deferatur: item ſtipendiorum modus: dignitatum gradus: præmiorum honor, veluti cum corona vel torques donatur. Item prædæ deciſio: & pro perſonarum qualitatibus & laboribus iuſta diuiſio ac principis portio.

*egreſsio

Quid ſit ius publicum.

IVs publicum eſt in ſacris & ſacerdotibus & in magiſtratibus.

Quid ſit ius Quiritum.

IVs Quiritum eſt propriè Romanorū, quod nulli tenent niſi Quirites, id eſt, Romani tanquam de legitimis hæreditatibus, decretionibus: de tutelis: de vſucapione, quæ iura apud nullum alium populum reperiuntur, ſed propria ſunt Romanorum: & in * eiſdem ſolis conſtituta. Conſtat autem Quiritum ius ex legibus & plebiſcitis, conſtitutionibus principum & edictis, ſiue prudentium reſponſis.

* eoſdē ſolos

Quid lex.

LEx eſt conſtitutio populi, qua maiores natu ſimul cum plebibus aliquid ſanxerunt.

Quid ſcita plebium.

SCita ſunt quæ * plebs tantùm conſtituunt: & vocata ſcita, quòd ea plebs ſciat, vel quòd ſciſcitatur & rogat vt fiat.

* plebs

Quid ſenatusconſultum.

SEnatusconſultum, eſt quod tantùm ſenatores populis conſulendo decernunt.

Quid conſtitutio & edictum.

COnſtitutio vel edictum quod rex vel imperator conſtituit vel edicit.

Quid reſponſa prudentium.

REſponſa ſunt quæ iuriſconſulti reſpondere dicuntur conſulentibus: vnde & reſponſa Pauli dicta fuerunt enim quidam prudētes & arbitri æquitatis, qui inſtitutiones ciuilis iuris compoſitas ediderunt: quibus diſſidentium lites contentioneſque ſopirent.

De legibus conſularibus & tribunitijs.

QVædam eſſe leges dicuntur ab ijs qui condiderunt, vt conſulares, tribunitiæ Iuliæ, Corneliæ. Nam & ſub Octauiano Cæſare ſuffecti conſules Papius & Pompeius legēm tulerunt: quæ à nominibus eorum appellatur Papia & Pompeia, continens primùm præmia pro ſuſcipiendis liberis. Sub eodem quoque Imperatore Falcidius tribunus plebis legem fecit, ne quis plus in extraneis teſtamento legaret, quàm vt quarta pars ſupereſſet heredibus. Ex cuius nomine lex Falcidia nuncupata eſt. Aquilius quoque legem condidit, quæ hactenus Aquilia vocatur.

De

© Biblioteca Nacional de España

De Lege satyra.

SAtyra verò lex est, quæ de pluribus rebus simul loquitur, dicta à copia rerũ, & quasi à sacietate: vnde & satyram scribere est poemata varia condere, vt Horatij, Iuuenalis & Persij.

De legibus Rhodijs.

RHodiæ leges naualiũ commerciorũ sunt, ab insula Rhodo cognominatę, in qua antiquitus mercatorum fuit vsus.

De priuilegijs.

PRiuilegia autem sunt leges priuatorũ, quasi priuatæ leges. Nam priuilegium inde dictum, quòd in priuato feratur.

Quid possit lex.

OMnis autem lex aut permittit aliquid, vt Vir fortis petat præmiũ: aut vetat, vt Sacrarum virginũ nuptias nulli petere liceat: aut punit, vt Qui cædẽ fecerit capite plectatur: aut enim præmio, aut pœna vita moderatur humana.

Quare facta sit lex.

FActę sunt leges, vt earũ metu humana coerceatur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & in ipsis improbis formidato supplicio, refrenetur nocendi facultas.

Qualis debeat fieri lex.

ERit autem lex honesta, iusta, possibilis, secundũ naturam, secundũ patriæ consuetudinem, loco temporiq; cõueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captione cõtineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.

De causis.

PRagma Græcum est, quod Latinè causa dicitur: vnde & pragmatica negocia dicũtur, & actor causarum & negociorum pragmaticus nuncupatur.

De testibus.

TEstes sunt à quibus quæritur veritas in iudicio, quos quisq; ante iudiciũ sibi placitis alligat: ne cui sit postea liberũ aut dissimulare, aut subtrahere se: vnde & alligati appellantur. Item testes dicti, quòd testamẽto adhiberi solẽt: sicut signatores qui testamẽta signãt.

De instrumentis legalibus.

VOluntas generale nomen omniũ legalium instrumentorum, quæ quia nõ vi, sed voluntate procedit, ideo tale nomẽ accepit.

Testamentũ vocatum: quia nisi testator mortuus fuerit, nec cõfirmari potest, nec sciri quod in eo scriptum sit: quia clausum & obsignatum est. & inde dictũ testamentum: quia non valet nisi post testatoris monumentũ: vnde Apostolus, *Testamentũ*, inquit, *in mortuis confirmatur*. Testamentũ sanè in scripturis sacris nõ hoc solũ dicitur: quòd nõ valet nisi testatoribus mortuis, sed omne pactũ & placitum, testamentũ vocabant: nam Laban & Iacob testamentũ fecerunt, quod vtiq; etiã inter viuos valeret, & in Psalmis; *Aduersum te testamentum disposuerunt*, hoc est, pactum: & innumerabilia talia.

Tabulæ testamenti ideo appellatæ sunt: quia ante chartę & membranarũ vsum in tabulis dolatis non solũm testamentũ, sed etiam epistolarum alloquia scribebãtur: vnde & portitores earum tabularij vocantur.

Testamentũ iuris ciuilis est quinq; testium signis signatum, subscriptione firmatum.

Testamentũ iuris prętorij est septem testium signis signatum: sed illud apud ciues fit, inde ciuile: istud apud prætores, inde iuris prætorij. Testamentum aũt signare, notare est, vt notum sit quod scriptum est.

Holographũ testamentum est manu autoris totũ conscriptũ atq; subscriptũ: vnde & nomen accepit. Græci enim ὅλω totã, γραφὴν literã dicũt.

Irritum testamentum est, si is qui testatus est, capite diminutus est, aut si non ritè factum sit.

Inofficiosum testamẽtum est, quod frustrà liberis exhæredatis, sine officio naturalis pietatis in extraneas personas redactum est.

Ruptum testamẽtum inde vocatur, eò quòd nascente posthumo, neq; exhæredato nominatim, neque hærede instituto disrumpitur.

Suppressum testamentũ est, quod in fraudẽ hęredum vel legatariorum seu liberorũ non est palã prolatũ: quod si nõ latet, tamen si prędictis personis nõ proferatur, supprimi tamẽ videtur.

Nuncupatio est, quam in tabulis cerisq; testator recitat, dicens: *Hæc vt in his tabulis cerisq; scripta sunt, ita videtur, ita dico, ita lego: itaq; vos ciues Romani testimonium mihi perhibete*, & hoc dicitur nuncupatiõ: nũcupare enim est in palam nominare & confirmare.

Ius liberorũ est coniugum sine liberis inuicẽ pro loco pignorũ hęreditatis alternacõscriptio.

Codicellũ, vt veteres aiunt, sine dubio ab autore dictũ, qui hoc scripturę genus instituit. Est autẽ scriptura nulla indigens solennitate verborũ, sed sola testatoris voluntate qualicunq; scripturæ significatione expressa: cuius beneficio voluntatibus defunctorũ esse constat subuentum propter legalium verborum difficultatem, aut certè propter necessitatem adhibendorum solenniũ: ita vt qui titulũ scribit eiusdẽ scripturæ codicellum vocet: sicut autem codicellus fit vice testamenti: ita epistola vice codicellorum.

Cretio est certus dierũ numerus, in quo institutus hæres aut accipit hæreditatẽ, aut finito tempore cretionis excluditur, nec liberum est illi vltra capiendi hæreditates. Cretio autem appellata est quasi decretio, id est, decernere vel constituere: vtputa, *ille hæres esto mihi*: additur, *cernitoque infra tot dies*. Adeundarum autem hæreditatum centesimus statutus erat dies, quibus non esset cretio adiecta.

Fideicommissum dictum, vt fiat quod à defuncto committitur. Nam fides dicta, eò quòd fiat: quòd tamen non in directis verbis, sed precatiuis exposcitur.

© Biblioteca Nacional de España

Pactum dicitur inter partes ex pace conueniens scriptura, legibus ac moribus comprobata: & dictum pactum quasi ex pace factum; ab eo quod est pango, vnde, & pepigit fœdus.

Placitum quoque similiter ab eo quod placet. Alij dicunt pactum esse quod volens quis facit: placitum verò quo quisquam nolens compellitur, veluti quando quisquam paratus sit in iudicio ad respondendũ: quod nemo potest dicere pactum, sed placitum. 10

Mandatum dictum, quod olim in commisso negocio, alter alteri manum dabat.

Ratum verò quasi rationabile & rectum: vnde & qui pollicetur dicit: *Ratum esse profiteor*, hoc est, firmum atq; perpetuum: ritè autem esse non rectè, sed ex more.

Chirographum, cautio vel scriptio duarum instar chartarum. Græcè enim manuscriptum, Latinè dicitur cautio.

Emptio & venditio est rerum commutatio 20 atq; contractus: ex conuenientia veniens. Emptio autem dicta, quòd à me tibi sit: venditio quasi venundatio, id est, à nundinis.

Donatio est cuiuslibet rei transactio. Dictam autem dicunt donationem, quasi domi actionem: & dotem, quasi do item. Præcedente enim in nuptijs donatione, dos sequitur. Nam antiquus nuptiarum erat ritus, quòd se maritus & vxor inuicem emebant, ne videretur ancilla vxor: sicut habemus in iure. Inde est 30 quod præcedente donatione viri, sequitur dos vxoris.

Donatio vsufructuaria ideo dicitur: quia donator ex ea vsumfructum adhuc retinet, seruato cui donatum est iure.

Donatio directa ideo nuncupatur: quia & iure & vsu statim transit in alterum: nec vltra inde aliquid ad ius donatoris retorquetur.

Conditiones, testium sunt propriè: & dictæ conditiones à condicendo, quasi condictiones: 40 quia non ibi testis vnus iurat, sed vel duo vel plures. Non enim in vnius ore, sed in duorũ aut trium testium stat omne verbum. Item conditiones, quòd inter se conueniat sermo testium, quasi condictiones.

Stipulatio est quasi promissio vel sponsio: vnde & promissores stipulatores vocantur: dicta autem stipulatio à stipula. Veteres enim quando sibi aliquid promittebant, stipulam tenentes frangebãt: quam iterũ iungentes, spon- 50 siones suas agnoscebant.

Sacramẽtum est pignus sponsionis: vocatum autem sacramentum, quia violare quod quisq; promittit perfidiæ est.

De rebus.

HEreditas est res quæ morte alicuius ad quempiam peruenit, vel legato testamento, vel possessione retenta. Dicta autem hæreditas à rebus additis: siue ab ære, quia qui 60 posidet agrum & censum soluit: inde & res.

Res sunt quæ in nostro iure consistunt.

Iura autem sunt, quæ à nobis iustè posidentur, nec aliena sunt.

Dicta autem res à rectè habendo: ius à iustè posidendo. Hoc enim iure posidetur quòd iustè: hoc rectè quod benè. Quod autem malè posidetur alienum est. Malè autem posidet, qui vel suis malè vtitur, vel aliena præsumit. Posidet autem iustè, qui non * irritatur cupiditate. Qui autem cupiditate tenetur, possessus est, non possessor. * irretitur

Bona sunt honestorum seu nobilium: quæ proinde bona dicuntur, vt nõ habeant turpem vsum, sed ea homines ad res bonas vtantur.

Peculium propriè minorum est personarum siue seruorum. Nam peculium est, quòd pater vel dominus filium suum vel seruum pro suo tractare * arbitrio patitur. Peculium autem à pecudibus dictum: in quibus veterum constabat vniuersa substantia. * iure

Bonorum possessio est ius possessionis, certo ordine certoque titulo acquisita.

Intestata hæreditas est, quæ testamento scripta non est: aut si scripta sit, iure tamen nequaquam est edita.

Caduca inde dicuntur, quia eius hęredes ceciderunt.

Familia herciscunda, est diuisio hæreditatis inter hæredes. Herciscunda enim apud veteres diuisio nuncupatur.

Communis diuisio est inter eos, quibus communis res est: quæ actio iubet postulantibus ijs arbitrum dari, cuius arbitratu res diuidantur.

Finium regendorum actio dicta, eò quòd per eam regantur fines * vtrique ne dissipentur: dummodo non angustiore quinque pedum loco ea controuersia sit. * vtriusque

Locatio est res ad vsum data cum diffinitione mercedis.

Conductio est res in vsum accepta, cum constituta mercede.

Res credita est, quæ in obligatione ita deducta est, vt ex tempore quo res contrahebatur, certum sit eas deferri.

Vsura est incrementum fœnoris, ab vsu æris crediti nuncupata.

Commodum est id quod nostri iuris est, & ad alios temporaliter translatum est * commodum temporis quamdiu apud eum sit: vnde & commodum dictum est. * commodo

Precarium est dum prece creditor rogatus permittit debitorem in possessione fundi sibi obligati demorari, & ex eo fructus capere. Et dictum precarium, quia prece * additur: quasi precadium, r pro d litera commutata. * aditur

Mutuum appellatum est: quia id quod à me tibi datur, ex meo tuum fit.

Depositum est pignus commendatum ad tempus, quasi diu positum. Deponere autem quis videtur, cùm aliquid metu furti, incendij, naufragij, apud alium custodiæ causa deponit.

Interest

© Biblioteca Nacional de España

Interest autem in loquendi vsu inter pignus & arram. Nam pignus est quod datur propter rem creditam: quæ dum redditur, statim pignus aufertur. Arra verò est primum quod pro re bonæ fidei * contracta empta, ex parte datur, & postea completur. Est enim arra complenda, non auferenda: vnde qui habet arram, non reddit sicut pignus, sed desiderat plenitudinem. & dicta arra à re pro qua traditur. Item inter pignus & fiduciam & hypothecam hoc interest.

* contractu

Pignus est enim quod propter rem creditam obligatur: cuius rei possessionem solam ad tempus consequitur creditor. Cæterùm dominium penes debitorem est.

Fiducia est cùm res aliqua sumendæ mutuæ pecuniæ gratia vel mancipatur: vel in iure creditur.

Hypotheca est, cùm res aliqua commodatur sine depositione pignoris, pacto vel cautione sola interueniente.

Momentum dictum à temporis breuitate, vt tam citò quàm statim saluo negocio reformetur, nec in vllam moram produci debeat quod repetitur: sicut nec vllum spacium est momenti, cuius tam breuis est temporis punctus, vt in aliquam moram nullo modo producatur.

Instrumentum est vnde aliquid cõstruimus: vt calamus, ascia, culter.

Instructum, quod per instrumentum efficitur: vt baculus, codex, tabula.

Vsus, quo in re instructa vtimur: vt in baculo inniti: in codice legere, in tabula ludere: sed & ipse fructus agrorum, quia eo vtimur, vsus vocatur. Hæc sunt tria illa.

Vsusfructus autem vocatus: quia solo vsu habetur eius fructus, manẽte apud alium iure.

Vsucapio est adeptio dominij, per continuationem iustæ possessionis, vel biennij, vel alicuius temporis.

Mancipatio dicta est: quia res manu capitur. Vnde oportet eum qui mancipiũ accipit, comprehendere idipsum, quod ei mancipio datur.

Cessio est propriè rei concessio, sicut est illud: Cedo iure propinquitatis. Cedere enim dicimus quasi concedere, & quæ propria sunt: nam aliena restituimus, non cedimus. Nam cedere propriè dicitur, qui contra veritatem alicui consentit: vt Cicero, *Cessit*, inquit, *amplissimi viri authoritati, vel potius paruit.*

Interdictum est: quia à iudice non in perpetuum, sed pro reformando momento ad tempus interim dicitur: salua propositione actionis eius.

Precium vocatum, eò quòd prius illud damus, vt pro eius vice rem quam appetimus possidere debeamus.

Commercium dictum à mercibus, quo nomine res venales appellamus. Vnde mercatus dicitur cœtus multorũ hominum, qui res vendere & emere solent.

Integri restitutio est causæ vel rei reparatio.

Causa redintegratur quæ vi potestatis expleta non est. Res redintegratur quæ vi potestatis ablata atque extorta est.

De criminibus in Lege constitutis.

CRimen à carendo nomen accepit: vt furtum, falsitas, &c. quæ non occidunt, sed infamant.

Facinus dictum à faciendo malum, quòd noceat alteri.

Flagitium à flagitãdo corruptelam libidinis, quòd noceat sibi. Hæc duo sunt genera omnium peccatorum.

Vis est virtus potestatis, per quam causa siue res vel aufertur vel extorquetur.

Vis priuata est si quisquam ante iudicium armatis hominibus, quenquam à suo deiecerit vel expugnauerit.

Vis publica est, si quis ciuem ante populũ vel iudicem vel regem appellantem necauerit, aut torserit, siue verberauerit, vel vinxerit.

Dolus est mentis calliditas, ab eo quòd deludat. Aliud enim agit & aliud simulat. Petronius aliter æstimat, dicens: Quid est iudicis dolus? Nimirũ vbi aliquid factum est quod legi dolet: habetis dolum, accipite nunc malum.

Calumnia est iurgium alienæ litis: à caluendo, id est, decipiendo dicta.

Falsitas appellata à fãdo aliud quàm verũ est.

Iniuria est iniustitia: hinc est apud Comicos: Iniure sequi: vel, Iniuria est qui audet aliquid contra ordinem iuris.

Seditio dicitur dissensio ciuium, quòd seorsum alij ad alios * eunt. Nam hi maximè turbatione rerum & tumultu gaudent.

* sæuiunt

Sacrilegium propriè est sacrarũ rerum furtũ: postea & in idolorũ cultu hæsit hoc nomen.

Adulterium est illusio alieni coniugij, quòd quia alter alterius torum commaculauit: adulterij nomen accepit.

Stuprum, id est, raptus, propriè est illicitus coitus, à corrumpendo dictus: vnde & qui rapto potitur, stupro fruitur.

Homicidij vocabulum compositũ est ex homine & cęde. Qui enim cædẽ in hominẽ fecisse cõpertus erat: homicidam veteres appellabãt.

Parricidij actio non solùm in eum dabatur, qui parentẽ, id est, qui patrem vel matrem interemisset: sed & in eum qui fratrem occiderat, & dictum parricidium quasi parentis cædium.

Interneciei iudicium in eum dabatur, qui falsum testimonium fecerat, & ob id hominem occiderat. Accusatorem eius possessio bonorum sequebatur. Interneciei autem significatio est, quasi hominis quædam necatio. Nam propositionem Inter, ponebant antiqui pro E. Neuius: *Mare interbibere*. Et Plautus: *Interluere mare*, id est, ebibere & eluere.

Furtum est rei alienæ clandestina contractio. à furuo, id est, fusco vocatũ: quia in obscuro fit. Furtum autem capitale crimen apud maiores fuit ante pœnam quadrupli.

© Biblioteca Nacional de España

Persuasio est rei alienæ manifesta præsumptio. Furtum autem earundem rerum fit, quæ de loco in locum transferri possunt: persuasio autem & earum quæ transferuntur, & earum quæ immobiles sunt.

Inficiatio est negatio debitæ rei cùm à creditore deposcitur. Item & * abiuratio, id est, rei creditæ abnegatio. * ebiuratio.

Ambitus iudicium in eum est, qui largiorem honorem capit & ambit, amissurus dignitatem quàm munere inuadit.

Peculatus iudicium in eos datur, qui fraudem ærario faciunt, pecuniamq; publicam interuertũt. Nam à pecunia peculatus est dictus. Non autem sic iudicatur furtum publicæ rei, sicut rei priuatæ. Nam ille sic iudicatur vt sacrilegus, quia fur est sacrorum.

Repetundarum accusatur, qui pecunias à socijs cepit. In hoc iudicio reus si antè moriatur: in bona eius iudicium redditur.

Incesti iudicium in virgines sacratas, siue in propinquas sanguine, constitutũ est. Qui enim talibus miscentur, incesti, id est, incasti habẽtur.

Maiestatis reatu tenentur ij, qui regiam maiestatem deseruerũt, vel violauerunt, vel qui rempublicam prodiderunt, vel cum hostibus consenserunt.

Piaculũ dictum quod expiari potest: cõmissa sunt enim quæ erant quoquo ordine expianda.

De pœnis in legibus constitutis.

DVpliciter malum appellatur: vnum quod homo facit: alterum quod patitur. Quod facit, peccatum est, quod patitur pœna. Malum autem tunc plenum est, cùm & præteritum est, & impetit vel impendet, vt sit dolor & metus.

Pœna dicta quòd puniat. Est autẽ epithetum nomen, & sine adiectione non habet plenũ sensum: adijcis pœna carceris, pœna exilij, pœna mortis & imples sensum.

Supplicium propriè dicitur nõ quo quis punitur: sed qui ita damnatur vt bona eius consecrentur & in publico redigantur. Nam supplicia dicebantur supplicamenta. Et supplicium dicitur de cuius damnatione delibatur aliquid Deo: vnde & supplicare.

Octo genera pœnarum in legibus contineri Tullius scribit, scil. damnum, vincula, verbera, talionem, ignominiam, exilium, seruitutem & mortem. His namque pœnis vindicatur omne perpetratum peccatum.

Damnum à diminutione rei vocatum.

Vincula à vinciendo, id est, artando dicta, eò quòd constringant atque retineant: vel quia vi ligant colla.

Compedes dictæ, quia continent pedes.

Pedicæ sunt laquei, quibus pedes illaqueantur, dictæ à pedibus capiendis.

Catenę autem quòd accipiendo tenent vtraque vestigia, ne progrediantur. Item catenæ quòd se capiendo teneant plurimis nodis.

Manicæ sunt vincula, quibus manus capiuntur, licet & manicæ tunicarum sint.

Neruus est vinculum ferreum, quo pedes vel ceruices impediuntur.

Boya est torques damnatorum, quasi iugum * boum: ex genere vinculorum est. * in boue

Carcer, in quo custodiuntur noxij. Et dictus carcer, quòd eo homines coerceantur, includantur q; : quasi arcens, ab arcendo scil. Locũ autem in quo seruantur noxij carcerẽ dicimus numero tantùm singulari: vnde verò emittũtur quadrigę, carceres vocamus numero tantũ plurali.

Verbera dicta: quia cũ agitantur, aerẽ verberant. Hinc flagra & plagæ & flagella: quia cũ flatu & strepitu in corpore sonãt. Nam plagę quasi flagæ: sed plagæ & flagra primæ positionis sunt: flagella autem per diminutionem dicta.

Anguilla est, qua coercentur in scholis pueri, quæ vulgò scutica dicitur.

Fustes sunt, quibus pro criminibus iuuenes feriuntur: appellati quòd præfixi in fossis stent: quos palos rustici vocant.

Vectes dicti, quòd manibus vectentur: vnde ostia saxaq; velluntur: sed hi ad pœnas legum non pertinent.

Virgæ sunt summitates frondiũ arborumq; dictæ quòd virides sunt: vel quòd vim habeant arguendi: quę si lenis fuerit, virga est. si certè nodosa vel aculeata scorpio rectissimo nomine vocatur: quia arcuato vulnere in corpus infigitur.

Ictus propriè flagellorum sunt ab agitando vocati.

Vngulæ dictę, quòd effodiãt: hæc & fidiculę, quia ijs rei in eculeo torquentur, vt fides inueniatur.

Eculeus autem dictus, quòd extendatur.

Tormẽta verò quòd torquendo mentem inueniant.

Est & * lautumna supplicij genus ad verberandum aptum, inuentum à Tarquinio superbo ad pœnas sceleratorum. Iste enim prior latumnas, tormenta, fustes, metalla atq; exilia adinuenit, & ipse prior ex regibus exilium meruit. * latomia

Talio est similitudo vindictæ, vt taliter quis patiatur: vt fecit. Hoc enim & natura & lege est institutum: vt lædentem similis vindicta sequatur. Vnde & illud est legis: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Talio autem non solùm ad iniuriam referendam: sed etiam pro beneficio reddendo ponitur. Est enim communis sermo & iniuriæ & beneficentiæ.

Ignominium dictũ, eò quòd desinat habere honestatis nomen, is qui in aliquo crimine deprehẽditur. Dictum autẽ ignominium quasi sine nomine: sicut ignarus sine sciẽtia, sicut ignobilis sine nobilitate. Hoc quoq; & infamiũ, quasi sine bona fama: fama autem dicta: quia fando & loquendo peruagatur per traduces linguarum & aurium serpens. Est autem nomen & bonarum rerum & malarum. Nam fama felicitatis interdum est, vt illud est, *Illustris fama* quod laus est: malarum, vt Virgilius:

Fama,

© Biblioteca Nacional de España

Fama malum quo non aliud velocius vllum.

Famæ autem nomen certi locũ non habet. quia plurimum mendax est, adijciens multa, vel demutans de veritate: quę tamdiu viuit quamdiu non probatur. At vbi probaueris, esse cessat, & exinde res nominatur: non fama.

Exilium dictum quasi extra solum. Nam exul dicitur qui extra solum est. Vnde postliminium redeuntibus hoc est de exilio reducendis, qui sunt eiecti in iniuria, id est extra limen patriæ. Diuiditur aũt exiliũ in relegatis & deportatis.

Relegatus est quem bona sua sequuntur: deportatus quem non sequuntur.

Proscriptio exilij procul damnatio; quasi porrò scriptio. Item proscriptus, quia palã scriptus.

Metallum est vbi exules deputãtur ad eruendam venã, marmoraq; secanda in crustis.

Seruitus à seruando vocata. apud antiquos enim qui in bello à morte seruabantur, serui vocabantur. Hæc est sola malorũ omnium postrema, quæ liberis omni supplicio grauior est. nam vbi libertas perijt, vnà ibi perierunt & omnia.

Mortium verò diuersi casus. ex quibus crux vel patibulum in quo homines appensi cruciantur vel patiuntur. vnde & nomina habent.

Patibulum enim vulgo furca dicitur, quasi ferens caput. suspensum enim & strangulatũ hæc examinat: sed patibuli minor pœna, quàm crucis. Nam patibulum appensos statim exanimat, crux aũt suffixos diu cruciat: vnde & in Euangelio latronibus, vt morerentur, & de ligno ante sabbatum deponerentur, crura cõfracta sunt: quia ligno suspensi cito mori non poterant. In ipso quoq; genere necis differt. Crudelius est enim in aqua spiritũ torquẽtis extingui: ignibus vri, frigore & fame necari, canibus & bestijs exponi. Nam ferro mori, ætas quoq; maior optauit. Gladius enim sine grauiori cruciatu cõpendiosa morte vitam finire nouit.

Culeus est parricidale vasculum ab occulendo, id est claudendo dictum. Est autem vter ex corio factus, in quo parricidæ cum simia & gallo & serpente inclusi, in mare præcipitantur. Omnium autem istarũ mortiũ genus animaduersio nominatur.

Animaduersio est, quando iudex reum punit, & dicitur animaduertere, id est animum illuc vertere. intẽdere vtiq; ad puniendũ reum, quia iudex est. Ideo autem Romani aquam & ignem interdicebãt quibusdam damnatis: quia aer & aqua cunctis patet, & omnibus data sunt: vt illi non fruerentur, quod omnibus per naturam concessum est.

De temporibus.

1 *De Chronicæ vocabulo.*
2 *De momentis & horis.*
3 *De diebus.*
4 *De nocte.*
5 *De hebdomada.*
6 *De mensibus.*
7 *De solstitijs & æquinoctijs.*
8 *De temporibus anni.*
9 *De annis & iubileis.*
10 *De olimpiadibus & lustris.*
11 *De seculis & ætatibus.*
12 *De discretione temporum.*

De Chronicæ vocabulo.

CHronica Græcè dicitur quæ Latinè temporum series appellatur: qualẽ apud Græcos Eusebius Cæsariensis episcopus edidit, & Hieronymus presbiter in latinam linguam conuertit. χρόνος enim Græcè, Latinè tempus interpretatur.

De momentis & horis.

TEmpora autem momentis, horis, diebus, mensibus, annis, lustris, seculis, ætatibus diuiduntur. Momentum est minimum atque angustissimum tempus, à motu siderum dictum. Est enim extremitas horę in breuibus interuallis, cũ sol aliquid sibi cedit atq; succedit. Hora græcum est nomen, & tamen latinum sonat. Ora enim finis est temporis: sicut & oræ sunt fines maris, fluuiorum & vestimentorum.

De diebus.

DIes est præsentia Solis: siue sol super terras: sicut nox, sol sub terris. Vt enim dies aut nox sit: causa est, aut super terram sol, aut sub terris. Dies legitimus xxiiij horarũ est, usq; dum dies & nox spacia sui cursus ab oriente vsq; ad alium orientalem solem cœli volubilitate concludat. Abusiuè autem dies vnus est spatium ab oriente sole vsq; ad occidentẽ. Sunt autem diei spacia duo interdianum & nocturnum: & est dies quidem horarum xxiiij, spatiũ autem horarum xij. Vocatus autẽ dies à parte meliore. Vnde & in vsu est, vt sine commemoratione noctis, numerum dicamus dierum: sicut & in lege diuina scriptum est:

Factum est vespere & mane dies vnus.

Dies secundum Aegyptios inchoat ab occasu solis: secundum Persas, ab ortu solis: secundũ Athenienses, à sexta hora diei: secũdum Romanos à media nocte. Vnde & tunc galliciniũ est, quorum vox diei ostendit pręconium, quando & mesonictius afflatus fit.

Dies dicti à dijs, quorum nomina Romani quibusdam sideribus sacrauerunt. Primũ enim diem à sole appellaueruut: qui princeps est omnium siderum: sicut & idem dies caput est cunctorum. Secundum à luna, quæ Soli & splendore & magnitudine proxima est: & ex eo mutuat lumẽ. Tertium à stella Martis, quę Vesperuo catur. Quartum à stella Mercurij, quam quidam candidum circulum dicunt. Quintum à stella Iouis, quam Phaetontem aiunt. Sextum à Veneris stella, quam Luciferum afferunt: quia inter omnia sidera plus lucis habet. Septimum à

© Biblioteca Nacional de España

stella Saturni, quæ sexto cœlo locata, xxx annis ferrur explere cursum suum. Proinde autem ex his septem stellis nomina diebus gentiles dederunt, eo quòd per eosdem aliquid sibi effici æstimarent, dicentes habere à sole spiritum, à luna corpus, à Mercurio ingenium & linguam, à Venere voluptatem, à Marte sanguinẽ, à Ioue temperantiam, à Saturno humorem: Talis quippe extitit gẽtilium stultitia: qui sibi finxerant tam ridiculosa figmenta.

Apud Hebræos autem dies prima, vna sabbati dicitur: quę apud nos dies dominicus est, quẽ gentiles Soli dedicauerunt. Secunda sabbati, secunda feria: quem seculares diem lunæ vocant. Tertia sabbati, tertia feria: quẽ illi diem Martis vocant. Quarta sabbati, quarta feria: qui Mercurij dies dicitur à paganis. Quinta sabbati, quinta feria est: idest quintus à die dominica, qui apud gentiles Iouis vocatur. Sexta sabbati, sexta feria est, quæ apud eosdem paganos Veneris nuncupatur. Sabbatum autem septimus à dominico die est: quem gentiles Saturno dedicauerũt, & Saturni nominauerunt. Sabbatum autẽ ex Hebręo in latinum requies interpretatur, eo quod Deus in eo requieuisset ab omnib. operibus suis. Melius aũt in vocabulis dierum de ore Christiano ritus loquendi Ecclesiasticus procedit. Tamen si quem fortè consuetudo traxerit, vt illud exeat ex ore quod improbat corde: intelligat illos omnes, de quorum nominibus appellati sunt hi dies homines fuisse, & propter beneficia quædam mortalia, quia plurimum potuerũt & inuenerunt in hoc seculo, delati sunt eis ab amatoribus suis diuini honores, & in diebus, & in sideribus: sed prius à nominibus hominum sidera nuncupata, & à sideribus dies sunt appellati.

A fando autem feriæ nũcupatæ sunt, quòd in eis nobis sit tẽpus dictionis, id est, in diuino vel humano officio fari. sed ex ijs festi dies hominũ causa instituti sunt: feriati, causa diuinorum sacrorum.

Partes diei tres sunt: mane, meridies, & suprema.

Mane, lux matura & plena: nec iam crepusculum. Et dictum mane à manu. manum enim antiqui bonum dicebãt. Quid enim melius luce? Alij mane existimant vocari à manibus, id est, à dijs quorum conuersatio à luna ad terram est. Alij putant ab aere: quia manus id est rarus est atq; perspicuus.

Meridies dictus quasi medidies, hoc est medius dies: vel quia tunc purior dies est. Merũ enim purũ dicitur. In toto enim die nihil clarius meridie: quando sol è medio cœlo rutilat: & omnem terram pari claritate illustrat.

Suprema est postrema pars diei, quando sol cursum suum in occasum vertit: dicta eo quòd superest ad partem vltimam diei.

Serum vocatum à clausis seris, quãdo iã nox venit, vt vnusquisq; somno tutior sit.

Hodie, quasi hoc die, & quotidie non cotidie, vt sit quot diebus.

Cras, quod est postea.

Hesternum est pridie: & dictum hesternũ ab eo quòd iam dies ipse sit à nobis extraneus & prętereundo alienus.

Pridie autem quasi priori die.

Perendie, idest per ante die vel in antecessu & prius.

De nocte.

NOx à nocendo dicta, eo quòd oculis noceat. Quæ idcirco lunæ ac siderum lucẽ habet, ne indecora esset, & vt consolaretur omnes nocte operantes: & vt quibusdã animantibus quę lucẽ solis ferre nõ possunt ad sufficientiam temperaretur. Noctis autẽ & diei alternatio propter vicissitudinem dormiendi & vigilandi effecta est, & vt operis diurni laborem noctis requies temperet. Noctem autem fieri dicunt, aut quia longo itinere lassatur sol, & cũ ad vltimum cœli spatium peruenit elanguescit ac tabefactus efflat suos ignes: aut quia eadem vi sub terras cogitur, qua super terras pertulit lumen, & sic vmbra terræ noctem facit. Vnde & Virgilius,

—ruit Oceano nox,
Inuoluens vmbra magna terramq; polumq;.

Noctis partes septem sunt, id est vesper. crepusculum, conticinium, intempestum, gallicinium, matutinum, diluculum.

Vesper à stella occidentali vocatur, quæ solẽ occiduum sequitur & tenebras sequentes precedit. De qua Virgilius,

Antè diem clauso componet vesper Olimpo.

Tenebrę autem dictę, quòd teneant vmbras.

Crepusculum est dubia lux. Nam creperum dubium dicimus, hoc est inter lucem & tenebras.

Conticinium est quando omnia silent. Conticescere enim silere est.

Intempestum est medium & inactuosum noctis tempus: quãdo agi nihil potest & omnia sopore quieta sunt. Nam tempus per se non intelligitur, nisi per actus humanos. Medium aũt noctis actu caret. Ergo intempesta, inactuosa quasi sine tempore, hoc est sine actu, per quẽ dinoscitur tempus. vnde est, Intẽpestiuè venisti. ergo intempesta dicitur, quia caret tempore, id est actu.

Gallicinium propter Gallos lucis prenuntios dictum.

Matutinum est inter abscessum tenebrarum, & aurorę aduentum: & dictum matutinũ quod hoc tempus inchoantes manè sit.

Diluculũ quasi iam incipiens parua diei lux. Hæc & aurora quę solem precedit.

Est autem aurora diei clarescẽtis exordium, & primus splendor aeris, qui Græce ἠὼς dicitur, quam nos per deriuationẽ auroram vocamus: quasi eo roram. Vnde est illud,

Lætus Eois Eurus equis, & Eoásq; acies.

De

© Biblioteca Nacional de España

De hebdomada.

HEbdomada dicta à numero septem dierũ quorum repetitione, & menses, & anni, & secula peragũtur. ἑπτὰ enim Græci septem dicunt. hanc nos septimanã vocamus, quasi septem luces. Nam mane lux est. Octauus aũt dies, id est primus, est ad quẽ reditur, & à quo rursus hebdomadis series orditur.

De mensibus.

MEnsis nomen est Græcum de lunę nomine tractum. Luna enim μὴν Græco sermone vocatur. vnde & apud Hebræos menses legitimi, nõ ex solis circulo, sed ex lunę cursu enumerantur, quod est de noua ad nouam. Aegyptij autem primi propter lunæ velociorẽ cursum, & ne error computationis eius velocitate accideret, ex solis cursu diem mensis ad inuenerunt: quo tardior solis motus facilius poterat comprehendi.

Ianuarius mensis à Iano dictus, cui fuit à gentilibus consecratus, vel quia limes & ianua sit anni. Vnde & bifrõs idem Ianus pingitur: vt introitus anni & exitus demonstretur.

Februarius nuncupatur à Februo, id est Plutone cui eo mẽse sacrificabatur. Nam Ianuariũ dijs superis, Februarium dijs manibus Romani consecrauerũt. Ergo Februarius à februo, idest à Plutone, non à febre, id est ægritudine nominatur.

Martius appellatur propter Martem Romane gentis auctorem, vel quòd eo tempore cuncta animantia ad marem agantur, & ad concumbendi voluptatem. Idem appellatur & mensis nouorum, quia anni initiũ mensis est Martius. Idem & Nouẽber ab indicijs scilicet germinũ: quia in eo viridescentibus fructibus nouis transactorum probatur occasus.

Aprilis pro Venere dicitur quasi Afrodis. Grecè enim ἀφροδίτη Venus dicitur, vel quia hoc mense omnia aperiuntur in florẽ: quasi aperilis. Maius dictus à Maia matre Mercurij, vel à maioribus natu: qui erant principes reipublicę. Nã hunc mensem maioribus, sequentẽ verò minoribus Romani consecrauerunt.

Vnde & Iunius dicitur. Antè enim populus in centurias seniorum & iuniorũ diuisus erat.

Iulius verò & Augustus de honoribus hominũ Iulij & Augusti Cæsarũ nuncupati sunt. Nã prius Quintilis & sextilis vocabantur: quintilis, quia quintus erat à Martio: quẽ principem anni testantur esse Romani, sextilis similiter qd sextus sit.

September nomen habet à numero & imbre quia septimus est à martio & imbres habet. Sic & october, nouẽber atq; decẽber ex numero & imbribus acceperunt vocabula: quẽ numerum decurrentem december finit. pro eo quòd denarius numerus pręcedentes numeros claudit.

Kalendas autẽ Nonas & idus propter festos dies Romani instituerũt, vel propter officia magistratuũ. In ijs enim diebus conueniebatur in vrbibus. Quidam autem kalendas à colendo appellari existimant. Apud veteres enim omnium mensium principia colebãtur: sicut & apud Hebręos. Idus aũt pleriq; latinorũ ab edẽdo dictas putãt: quod ij dies apud veteres epularũ essent.

Nonę à nundinis vocatę. nundinę enim sunt publicę conuentiones: siue mercimonia.

De solstitijs & æquinoctijs.

SOlstitium dictum: quasi solis statium: quòd tunc sole stãte crescant dies vel noctes. Aequinoctiũ appellatũ quòd tũc dies & nox horarũ spatio æquali cõsistunt. Duo aũt sunt solstitia. vnũ æstiuũ octauo kalendarũ Iuliarũ, de quo tẽpore remeare sol ad inferiores incipit circulos. aliud hiemale, octauo kalẽdarum Ianuariarum, quo tempore sol altiores incipit circulos petere. Vnde & hiemalis solstitij dies minimus, sicut ęstiui maximus inuenitur. Item duo sunt æquinoctia, vnũ vernale & aliud autumnale, quæ Græci ἰσημερίας vocant. Sunt aũt hæc æquinoctia die octaua kalendarũ Apriliũ & octauo kalendarũ octobriũ, quia annus in duas partes tantũ diuidebatur: hoc est in ęstiuũ & in hiemale solstitium & in duo hemisphæria.

De temporibus anni.

TEmpora anni sunt quatuor: ver, ęstas, autumnus, & hiems. dicta sunt aũt tempora à cõmunionis tẽperamento, qd inuicẽ se humore, siccitate, calore & frigore tẽperẽt. Hæc & curricula dicũtur: quia nõ stant sed currunt.

Cõstat aũt post factũ mũdũ ex qualitate cursus solis tempora in ternos menses fuisse diuisa. Quorũ tẽporũ talẽ veteres discretionẽ faciunt, vt primo mense ver nouũ dicatur, secundo adultum, tertio præceps. Sic & æstas in suis tribus mensibus, noua, adulta, & pręceps. Item hyems noua, adulta, & præceps siue extrema. Vnde & illud.

Extremæ sub casum hyemis.

Ver autẽ dictũ quod vireat. Tũc enim post hyemẽ vestitur tellus herbis, & in florẽ cuncta* prumpunt. * al. rumpuntur.

Aestas dicitur ab æstu, id est à calore. & æstas quasi vsta, id est exusta & arida. Nam calor aridus est.

Autumnus à tẽpestate vocatur: quãdo & folia arborũ cadunt & omnia maturescunt.

Hyemem aũt ratio hæmisphęrij nuncupauit. quia tũc breuiori sol voluitur circulo. Vnde & hoc tẽpus bruma dicitur: quasi βραχεῖα ἡμέρα, id est breuis, vel à cibo quod maior tũc sit vescẽdi appetitus. Edacitas enim Græcè bruma appellatur. vnde & inbrumati dicũtur quibus fastidiũ est ciborũ. Hibernus aũt inter hyemẽ & vernũ est quasi hyeuernus. qui plerũq; à parte totam hyemẽ significat. Hæc tẽpora singulis etiã cœli partibus ascribũtur. Ver quippe orienti datur. quia tunc ex terris omnia oriuntur. æstas verò meridiano, eo quòd pars eius calore flagrãtior sit. hyems Septẽtrioni, eo quòd frigorib. & perpetuo gelu torpeat. autũnus occiduo, propter quod graues morbos habet. vnde & tunc folia arborum defluunt. Vt autem autumnus

© Biblioteca Nacional de España

abundet morbis: facit hoc confinium frigoris & caloris, & compugnantia inter se contrariorum aerum.

De annis.

ANnus est solis anfractus: cum peractis trecentis lxv diebus ad eadem loca siderum redit. Annus autem dictus: quia mensibus in se recurrentibus voluitur. Vnde & anulus quasi annuus, idest circulus, quod in se redeat. Virgilius,

Atq; in se sua per vestigia voluitur annus:

Sic enim apud Aegyptios indicabatur ante inuentas literas, picto dracone caudam suā mordente. quia in se recurrit. Alij annum dicunt, ἀπὸ τοῦ ἀναπέουσθαι, id est ab innouatione: renouatur enim semper.

Tria sunt autem tempora annorū. Aut enim lunaris annus est triginta dierū: aut solstitialis qui xij continet menses: aut magnus, omnibus planetis in eundem locum recurrentibus, qui fit post annos solstitiales plurimos.

Era singulorum annorum constituta est à Cęsarę Augusto: quando primum censum exegit ac Romanum orbem descripsit. Dicta autē Era ex eo quòd omnis orbis, æs reddere professus est reipublicæ.

De olimpiadibus & lustris & iubileis.

OLimpias apud Græcos constituta apud Elidem Græciæ ciuitatem. * Elijs agentibus agonem: & quinquennale certamē quatuor medijs annis vacantibus: & ob hoc Elidum certaminis tempus olimpiadem vocauerūt, quadriennio in vna olimpiade supputato.

*Elidijs.

Lustrum verò est πεντετηρίς, id est quinquennium, quòd quinto anno dicitur condi propter olimpiadas à Romanis: adhuc enim consules. adhuc era nondum erant. Est enim quinquennale tempus. Ideo verò sic vocatur: eo quòd censu per quinquennium in republica peracto, vrbs Roma lustrabatur.

Iubileus interpretatur remissiōis annus. Est enim Hebraicus & sermo & numerus, qui septenis annorū hebdomadibus, id est, quadraginta nouem annis texitur, in quo clangebatur tubis, & ad omnes reuertebatur antiqua possessio, debita absoluebantur, confirmabantur libertates. Hunc numerū etiam in diebus pentecostes & ipsi celebramus post Domini resurrectionē remissa culpa: & totius debiti chirographo euacuato, ab omni nexu liberi suscipientes aduenientem in nos gratiam spiritus sancti.

De seculis & ætatibus.

SEcula generationibus constant: & inde secula quod se sequātur. Abeuntibus enim alijs, alia succedunt. Hunc quidam quinquagesimum annum dicunt, quē Hebręi iubileum vocant. Ob hanc causam & ille Hebræus qui propter vxorem & liberos amat Dominum suum, aure pertusa, seruitio subiugatus, seruire iubetur in seculum: hoc est vsq; ad annum quinquagesimum. Aetas plerunq; dicitur & pro vno anno, vt in annalibus, & pro septē, vt hominis: & pro centum, & pro quouis tempore. Vnde & ætas tempus quod de multis seculis instruitur. Et dicta ætas quasi æuitas, idest similitudo ęui. Nā æuum est ętas perpetua: cuius neq; initium neque extremitas nascitur: quod Graeci αἰῶνας vocant: quod aliquando apud eos pro seculo, aliquando pro ęterno ponitur. Vnde & apud latinos est deriuatum.

Ætas autem propriè duobus modis dicitur: aut enim hominis, sicut infantia, iuuentus, senectus: aut mundi, cuius prima ætas est ab Adam vsq; ad Noe. secuda à Noe vsq; ad Abraham. tertia ab Abraham vsq; ad Dauid. quarta à Dauid vsq; ad transmigrationem Iudæ in Babiloniam. quinta deinde ad aduētum Saluatoris in carne. sexta quę nunc agitur vsq; quo mundus iste finiatur. Quarum decursus per generationes & regna ita inspicitur.

De discretione temporum.

PRima ætas continet in exordio sui creationem mundi. Primo enim die Deus in lucis nomine condidit angelos. secundo in firmamenti appellatione cœlos. tertio in discretionis vocabulo speciem aquarum & terrę. quarto luminaria cœli, quarto animantia ex aquis. sexto animantia ex terra, & hominem, quem appellauit Adam.

ADam anno ccxxx genuit Seth à quo filij Dei. ccxxx.
Seth anno ccv genuit Enos: qui primus cæpit inuocare nomen Domini. ccccxxxv.
Enos anno clxxxx genuit Cain. Dcxxv.
Cain an. cētesimo lxx genuit Malaleel. Dccxcv.
Malaleel anno clxv genuit Iareth. Dcccc.lx.
Iareth anno centesimo lxij genuit Enoch qui translatus est. M cxxij.
Enoch anno lxv genuit Matusalem M cc lxxxvij.
Matusalem anno clxvij genuit Lamech. M ccccliiij.
Lamech anno clxxxviij genuit Noe. arca ædificatur. M Dcxlij.
Noe aūt anno Dc. factū est diluuiū. IIM ccxlij.

Secunda etas.

SEm post diluuium secundo anno genuit Arfaxat, à quo Caldæi IIM ccxliiij.
Arfaxat anno cxxxv genuit Sala: à quo antiqui Samaritę vel Indi fuerūt IIM ccclxxix.
Sala anno cxxx genuit Heber à quo Hebræi IIMD ix.
Heber anno cxxxiiij genuit Faleg. Turris ędificatur. IIM Dcxliij.
Faleg anno cxxx genuit Ragau. dij primum adorantur. IIM Dcclxxiij.
Ragau anno cxxxij genuit Seruch. regnum inchoat Scytharum. IIM Dccccv.
Seruch anno cxxx genuit Nachor. Regnū Aegyptiorum

© Biblioteca Nacional de España

gyptiorum nascitur. IIIMxxxv.
Nachor an. lxxix. genuit Tharam. Regnum Assyriorum & Siciniorum exoritur. IIIMcxiiij.
Thara an. lxx. genuit Abraham.
Zoroastes magicam artē reperit. IIIMclxxxiij.

Tertia ætas.

ABraham an. centesimo genuit Isaac ex Sara libera. Nam prius & Ismahel à quo & Ismahelitæ. IIIMcclxxxiiij.
Isaac an. sexagesimo genuit Iacob. Argiuorum regnum inchoat. IIIMcccxliij.
Iacob an. xcj. genuit Ioseph.
Phoroneus Græciæ leges dedit. IIIMccccxxxv.
Ioseph an. cv vixit. Græcia segetes habere cæpit. IIIMdxlv.
Hebræorum seruitutis in Aegypto anno cxliiij.
Atlas Astrologiam inuenit IIIMDclxxxix.
Moyses an. xl. rexit populū in heremo. Hebræi legē & literas habere ceperūt. IIIMDccxxix.
Iosue an. xxvij. Erictonius in Troia quadrigam iunxit. IIIMDcclv.
Gothoniel an. xl. Catmus literas Græcis dedit. IIIMDcxxv.
Aoth an. lxxx. fabulæ fictæ sunt. IIIMDccclxxv.
Debbora an. xl. Apollo medicinæ artem inuenit & citaram reperit. IIIMDccccxvj.
al. cōdidit. Gedeon an. xl. Mercurius liram *reperit & Orpheo tradidit. IIIMDcccclvj.
Abimelech an. tres: Chorus in Græcia inuentus est. IIIMDcccclix.
Tola an. xxij. Priamus regnauit in Troia IIIMDccccclxxxj.
Iair an. xxij. Carmentis Latinas literas reperit. IIIMiij.
Iephte an. vj. Hercules se flammis iniecit. IIIIMix.
Esebon an. vij. Alexander Helenam rapuit. IIIIMxvj.
Lapdon an. viij. Troia capta est & Aeneas in Italiam venit. IIIIMxxiiij.
Sampson an. xx. Ascanius Albam condidit ciuitatem: à qua Albani. IIIIMxliiij.
Heli sacerdos an. xl. Arca testamenti capitur. IIIIMlxxxiiij.
Samuel & Saul an. xl. Homerus fuisse putatur. IIIIMcxxviij.

Quinta ætas.

DAuid an. quadrag. Cartago à Didone conditur. Gad. Nathan & Asaph prophetauerunt. IIIIMclxiiij.
Salomon an. xl. Templum Hierosolymis ædificatur. IIIIMcciiij.
Roboam an. xvij. Regnum Israel & Iuda diuiditur IIIIMccxxj.
Abia an. tribus, sub quo Abimelech pontifex fuit. IIIIMccxxiiij.
Asa an. xlj. Achias Amos Ieu. Iohel & Azarias prophetauerunt. IIIIMcclxv.
Iosaphat an. xxv. Prophetauit Helias & Helizeus Abdias & Micheas IIIIMccxc.
Ioram an. viiij. Prophetauit Helias & Heliseus. IIIIMccxcix.
Ochozias an. vno. Helias rapitur. IIIIMccxcix.
Athalia an. vij. Ionadab sacerdos claruit IIIIMcccvj. * Gotholia.
Ioas an. xl. Zacharias propheta occiditur inter templum & altare. Heliseus moritur. IIIIMcccxlvj.
Amasias an. xxix. Cartago condita est. IIIIMccclxxv.
Ozias an. lij Olimpias à Græcis instituitur, Assiriorumq; regnum in Medos transfertur. IIIIMccccxxvij.
Ioathan an. xvj. Remus & Romulus nascuntur. IIIIMccccxliij.
Achaz an. xvj. Roma conditur. IIIIMcccclviiij.
Ezechias an. xxix. Senatus Romæ fit. IIIIMccccclxxxviij.
Manasses an. lv. Sibilla Samia claruit. IIIIMDxliij.
Amon an. xij. Census primum agitur. IIIIMDlv.
Iosias an. xxxij. Thales philosophus agnoscitur. IIIIMDlxxxvij.
Ioachim an. xj. Nabuchodonosor Iudæā capit. IIIIMDxcviij.
Sedechias an. xj. Templum Hierosolymis incensum. Sappho mulier diuerso poemate claruit. IIIIMDcix.

Quinta ætas.

HEbræorum captiuitas an. septuaginta. Iudith historia scribitur. IIIIMDclxxix.
Darius an. xxxiiij. Iudæorum captiuitas soluitur. IIIIMDccxiij.
Xerxes an. xx. Sophocles & Euripides, tragœdi celebrantur insignes. IIIIMDccxxxiij.
Artaxerxes an. xl. Esdras incensam legem renouat. IIIIMDcclxxiij.
Darius qui & nothus an. xix. Hæc ætas habuit Platonem primum rhetorem. IIIIMDccxcij.
Artarxerxes an. xl. Hester historia scribitur. IIIIMDcccxxxij.
Artarxerxes qui & Ochus an. xxvj. Demosthenes & Aristoteles prædicantur. IIIIMDcclviij.
Xerxes an. iiij. Xenocrates illustris habetur. IIIIMDcccixij.
Darius an. vj. Alexander Hierosolymam cepit. IIIIMDccclxviij.
Alexander magnus an. v. Asiam obtinuit. IIIIMDcccclxxiij.
Ptolomæus an. xl. Machabæorum liber inchoat primus. IIIIMDccccxij.
Philadelphus an. xxxviij. Septuaginta interpretes agnoscuntur. IIIIMDcccclj.
Euergetes an. xxvj. Iesus sapientiæ librum componit IIIIMDccccclxxvij.

© Biblioteca Nacional de España

Philopator an.xvij. Machabæorum secundi libri historia componitur. IIIIM Dccccxciiij.
Epiphanes an. xxiiij. Romani Græcos obtinuerunt. VMxix.
Philometor an. xxxv. Scipio Africam vicit. VMliij.
Euergetes an. xxiiij. Brutus Hispaniam subegit. VMlxxxij.
Soter an. xvij. Thraces Romanis subijciuntur. VMxcix.
Alexander an. x. Siria Romanis subiecta est. VMcix.
Ptolæmeus an. viij. Rhetorica ars Romæ cepit. VMcxvij.
Dyonisius an. xxx. Pompeius Iudæam capit. VMcxlvij.
Cleopatra an. ij. Aegyptus Romanis subditur. VMcxlix.
Iulius Cæsar an. v. Hic primus Monarchiam tenuit. VMcliiij.

Sexta ætas.

OCtauianus an. lvj. Christus nascitur. VMccxx.
Tiberius an.xxiij. Christus crucifigitur. VMccxxiij.
Caius Caligula an. iiij. Matthæus Euangeliũ scripsit VMccxxxvij.
Claudius an. xiiij. Marcus Euangelium edidit. VMccli.
Nero an. xiiij. Petrus & Paulus necantur. VMcclxv.
Vespasianus an. x. Hierosolyma à Tito subuertitur. VMcclxxv.
Titus an. ij. Hic facundus & pius fuit. VMcclxxvij.
Domitianus an. xvj. Ioannes in Pathmos relegatur. VMccxciij.
Nerua an. j. Ioannes Ephesum redit. VMccxciiij.
Traianus an. xviiij. Ioannes apostolus requiescit. VMcccxiij.
Adrianus an. xxj. Aquila interpres habetur. V.Mcccxxx
Antoninus pius an. xxij. Valentinus & Marcion agnoscuntur. VMccclvj.
Antoninus verus an. xix. Catafrigarum hæresis oritur. VMccclxxv.
Commodus an. xiij. Theodotion tertius interpres habetur. VMccclxxxviij.
Elius pertinax an. i. Nihil habet historiæ. VMccclxxxviij.
Seuerus an. xviij. Symmachus interpres quartus habetur. VMcccvij.
Antoninus Caracalla an. vij. Quinta editio Hierosolymis inuenitur. VMcccxiij.
Macrinus an. j. Huius breuitas vitę nihil gestorum habetur. VMcccxv.
Aurelius Antoninus anno iiij. Sabellij hæresis oritur. VMcccxix.
Alexander annis xiij. Origenes insignis habetur. VMcccxxxij.
Maximus an. iij. Iste Germanos vicit. VMcccxxxv.
Gordianus an. vj. Iste de Parthis & Persis triumphauit. VMcccxlj.
Philippus an. vij. Hic primus Christianus imperator fuit. VMcccxlviij.
Decius an. j. Antonius monachus claruit. VMcccxlix.
Gallus an. ij. Nouatus hæresim condit. VMccclj.
Valerianus an. xv. Ciprianus martirio coronatur. VMccclxvj.
Claudius an. ij. Iste Gothos ab Illirico expulit. VMccclxviij.
Aurelianus an. v. Iste Christianos persequitur. VMccclxxiiij.
Tatius an. j. Huius breuitas vitæ nihil habet historiæ. VMccclxxv.
Probus an. vj. Manichæorum hæresis orta est. VMccclxxxj.
Carus an. ij. Iste de Persis triumphauit. VMccclxxxiij.
Diocletianus an. xx. Iste diuinis libris adustis, martyria facit. VMDiij.
Galerius an. ij. Huius breuitas vitæ nihil dignum historiæ contulit. VMDv.
Constantinus an. xxx. Nicæna synodus congregatur. VMDxxxv.
Constantinus an. xxiiij. Anthropomorphitarum hæresis oritur. VMDlviij.
Iulianus annis ij. Hic ex Christiano paganus effectus est. VMDlxj.
*Iouinianus an. j. Iste iterum Christianus effectus est. VMDlxj. * al. Iouinianus.
Valentinianus an. xiiij. Gothi hæretici efficiuntur. VMDlxxxvj.
Gratianus an. vj. Priscillianus agnoscitur. VMDlxxxij.
Valentinianus an. vij. Hieronymus in Bethleem prædicatur. VMDlxxxx.
Theodosius an. iij. Ioannes Anachoreta claruit. VMDxcij.
Arcadius an. xiij. Ioannes Chrysostomus floruit. VMDcv.
Honorius an. xv. Augustinus Episcopus claruit. VMDcxx.
Theodosius an. xxvij. Nestorius hæresiarches extitit. VMDcxlvij.
Martianus an. vj. Chalcedonensis synodus agitur. VMDcliij.
Leo maior an. xvj. Aegyptus errore Dioscori *languet. VMDclxix. * al. laurat
Zenon an. xvij. Acephalorum hæresis orta est. VMDclxxxvj.
Anastasius an. xxvij. Fulgentius Episcopus prædicatur. VMDccxiij.
Iustinus an. vij. Acephalorum hæresis abdicatur. VMDccxxj.
Iustinianus xxix. an. Vandali in Africa à Belisario extinguuntur. VMDcclx.
Iustinus an. xj. Armenij fidem Christi suscipiunt. VMDcclxxj.

Tibe-

© Biblioteca Nacional de España

Tiberius an. vij. Longobardi Italiam capiunt. VMDcclxxviij.

Mauritius an. xxj. Gothi catolici effecti sunt. VMDccxcix.

Focas an. viij. Romani cæduntur à Persis. VMDcccvj.

*Eraclius an. xxvij. Residuũ sextæ ætatis tempus Deo soli est cognitum. Colligitur omne tempus ab exordio mundi vsq; in præsentem annum decimum gloriosissimum principis, qui est Eraclius. VM.DcccLvij.

Annotat. *In alijs exemplaribus additum inuenio post Eraclius an. xxvij hæc verba.*

Huius quarto & quinto religiosissimi principis Sisebuti, in Hispania Iudæi baptizantur: aliud vero exemplar, pro Sisebuti habet sepulti.

Quarum decursus per generationes & regna: primus ex nostris Iulianus Africanus sub Imperatore Marco Aurelio Antonino, simplicis historię stilo elicuit. dehinc Eusebius episcopus Cæsariensis: atq; sanctę memoriæ Hieronymus presbiter, chronicorum canonem multiplicem ediderunt Historiã regnis simul & temporibus ordinatã. Dehinc alij atq; alij inter quos præcipuè Victor Turonensis ecclesiæ Episcopus recensitis priorum historijs gesta sequentium ætatum vsq; ad consulatum Iustini iunioris imperatoris expleuit. Horum nos temporũ summam ab exordio mundi ad Augusti Heraclij imperatoris vel Sumptilani regis Gottorũ: quanta potuimus breuitate notauimus tempora, adiacente è latere descendente linea temporũ cuius indicio summa pręterita seculi cognoscatur.

Sequentia habentur in quodam codice excuso ante titulũ. Annotat. De discretione temporum: *In manuscriptis verò exemplaribus non leguntur.*

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM LIBER VI.

Capita libri sexti.

1 *De nouo & veteri testamento.*
2 *De scriptoribus & vocabulis sanctorum librorum.*
3 *De bibliothecis.*
4 *De eo qui primùm Romam libros aduexit.*
5 *Qui apud nos bibliothecas instituerunt.*
6 *Qui multa scripserunt.*
7 *De generibus opusculorum.*
8 *De ceris.*
9 *De cartis.*
10 *De pergamenis.*
11 *De libris conficiendis.*
12 *De librorum vocabulis.*
13 *De libris & eorum instrumentis.*
14 *De canonibus euangeliorum.*
15 *De canonibus conciliorum.*
16 *De cyclo paschali.*
17 *De reliquiis festiuitatibus.*
18 *De officijs.*

LIBER SEXTVS DE VETERI & NOUO TESTAMENTO.

Vetus testamẽtum ideo dicitur: quia veniente nouo cessauit. de quo Apostolus meminit, dicens: *Vetera transierunt, & ecce omnia facta sunt noua.* Testamentũ aũt nouũ ideo nũcupatur, quia innouat. Non enim illud discũt, nisi homines renouati ex vetũstate per gratiã, & pertinentes iam ad testamentũ nouũ: quod est regnum cœlorum.

Hebræi aũt vetus testamentum, Esdra auctore, iuxta numerũ literarũ suarũ, viginti duobus libris accipiunt: diuidentes eos in tres ordines, legis scilicet, & prophetarum, & agiographorũ. Primus ordo legis in quinque libris accipitur: quorũ primus est Beresith, quod est Genesis. secũdus Veelle Semoth, quod est Exodus. tertius Vaicra, qd est Leuiticus. quartus Vaiedabber: quod est Numeri, quintus Elle addebarim, qd est Deuteronomiũ. Hj sunt quinq; libri Moysi: quos Hebræi Thorat vocant, Latini legẽ appellãt. Propriè aũt lex appellatur: quæ per Moysen data est. Secundus est prophetarũ in quo cõtinẽtur libri octo, quorũ primus Iosuę Ben Nun: qui latinè Iesu Naue dicitur, secũdus Sophetim, quod est Iudicũ, tertius Samuel, qui est Regũ primus, quartus Malachim, qui est Regũ secundus, quintus Esaias, sextus Ieremias, septimus Ezechiel, octauus Tarisra: qui dicitur duodecim prophetarũ: qui libri quia pro breuitate adiuncti sunt, pro vno accipiuntur. Tertius est ordo agiographorũ, idest sancta scribentium: in quo sunt libri nouẽ: quorũ primus Iob, secũdus Psalterium, tertius Misle, quod est Prouerbia Salomonis. quartus Coheleth: quod est Ecclesiastes, quintus Sir hassirim: quod est Cantica canticorũ. sextus Daniel. septimus, Dibre haiamim quod est verba dierũm: hoc est Paralipomenõ: qui & Chronicon: qui in duos libros diuiditur. apud Græcos & Latinos. octauus Esdras: nonus Hester: qui simul omnes. v. viij. & ix. fiunt. xxij. sicut superius comprehensi sunt. Quidam autẽ Ruth & Rimoth, quod Latinè dicitur La-

© Biblioteca Nacional de España

mẽtatio Ieremiæ agiographis adijciũt, & xxiiij. volumina testamenti veteris faciunt, iuxta vigintiquatuor seniores, qui ante cõspectum Domini assistunt.

Quartus est apud nos ordo veteris testamẽnti, eorum librorum qui in canone Hebraico nõ sunt. Quorum primus Sapientię liber est, secundus Ecclesiasticus. Tertius Thobias. Quartus Iudith. Quintus & sextus Machabæorum: quos licet Hebræi inter apocrypha separent, Ecclesia tamen Christi inter diuinos libros & honorat & prædicat.

In nouo autem testamẽto duo sunt ordines. primus euangelicus, in quo sunt Mathęus, Marcus, Lucas & Ioannes. Secundus apostolicus: in quo sunt Paulus in quatuordecim epistolis. Petrus in duabus. Ioannes in tribus. Iacobus & Iudas in singulis, Actus apostolorum & Apocalypsis Ioannis.

Summa autem vtriusq; testamenti trifariè distinguitur, id est, in historia, in moribus, in allegoria. Rursus ista tria multifariè diuiduntur, id est, quid à Deo, quid ab angelis vel hominibus gestũ dictumq; sit: quid à prophetis nuntiatum de Christo & corpore eius: quid de diabolo & membris eius: quid de veteri & nouo populo: quid de præsenti seculo & futuro regno atque iudicio.

De scriptoribus & vocabulis sanctorum librorum.

VEteris testamenti secundum Hebręorum traditionem hi perhibentur auctores. Primus Moyses diuinæ historiæ cosmographiam in quinque voluminibus edidit, quod Pentateuchum nominatur.

Pentateuchrum autẽ à quinq; voluminibus dicitur. πέντε enim Græcè quinq;: τεῦχος volumẽ vocatur.

Genesis liber inde appellatur, eo quod exordium mundi & generatio seculi in eo continetur.

Exodus verò exitum ab Aegypto vel egressum populi Israel digerit: & ex ea causa nomen accepit.

Leuiticus appellatur, eo quod Leuitarũ ministeria & diuersitatem victimarum exequitur, totusq; in eo ordo leuiticus annotatur.

Numerorum liber vocatur, eo quod in eo egressę de Aegypto tribus dinumerãtur, & quadraginta duarum per heremum mansionum in eo descriptio continetur.

Deuteronomium Græco sermone appellatur: quod Latinè interpretatur Secunda lex, id est repetitio & euãgelicę legis pręfiguratio: quę sic ea habet quæ priora sunt, vt tamẽ noua sint omnia: quæ in eo replicantur.

Iosue liber nomen accepit à Iesu filio Naue: cuius historiam continet: scriptorem verò eius eundem Iosue Hebræi asseuerant: in cuius textu post Iordanis transitum regna hostium subuertũtur: terra populo diuiditur, & per singulas vrbes, viculos, montes atq; cõfinia ecclesię cælestisq; Hierusalẽ spiritualia regna pręfigurãtur.

Iudicum nominantur à principibus populi: qui præfuerunt in Israel post Moysen & Iosue antequam Dauid & cęteri reges existerent. Hũc librum & Ruth edidisse creditur Samuel.

Liber Samuel eiusdem Samuelis natiuitatem & sacerdotium & gesta describit, idcirco & ab eo nomẽ accepit. Et quamuis hic liber Saul & Dauid historiam contineat, vtriq; tamẽ ad Samuel referuntur, quia ipse vnxit Saul in regnum, ipse Dauid in regem futurum. Cuius libri primam partem conscripsit idem Samuel. sequentia verò eius vsq; ad calcem scripsit Dauid.

Melachim proinde appellatur: eo quôd reges Iudę & Israeliticæ gentis gestaq; eorum per ordinem digerat temporum. Melachim enim Hebraicè, Latinè Regum interpretatur. Hunc librum Ieremias primus in vnũ volumẽ coegit. Nam anteà sparsus erat per singulorum regum historias.

Paralipomenon Græcè dicitur: quod præter missorum vel reliquorũ nos dicere possumus: quia eà quæ in lege vel in regum libris vel omissa vel non plenè relata sunt, in isto summatim & breuiter explicantur.

Librũ Iob quidam Moysen scripsisse arbitrantur: alij vnum ex prophetis: nonnulli uerò eundem Iob post plagam suæ passionis scriptorem fuisse existimant, arbitrantes, vt qui certamina specialis pugnæ sustinuit, ipse narraret quas victorias expediuit. Principia aũt & fines libri Iob apud Hebręos prosaica oratione contexta sunt: media autẽ ipsius ab eo loco in quo ait: *pereat dies in qua natus sum*, vsq; ad eum locum: *idcirco ego me reprehendo & ago pœnitentiam*, omnia heroico metro discurrunt.

Psalmorũ liber Græcè psalterium, Latinè organũ dicitur. Vocatus autem liber Psalmorum, qd' vno propheta canente ad psalteriũ, Chorus cõsonando respõderet. Titulus autẽ in psalmis Hebraicus Thehilim, quod interpretatur Volumen hymnorũ. Auctores autẽ psalmorum sunt quæ ponuntur in titulo, Moyses scilicet & Dauid & Salomon, Asaph, Ethan, Idithim & filij Core, Eman. & reliquorum: quos Esdras vno volumine cõprehendit. Oẽs autẽ psalmos apud Hebręos metrico carmine cõstat esse cõpositos. Nã in more Romani Flacci: & Græci Pindari, nũc alij iambo currunt: nũc elegiaco personãt: nunc Sapphico nitẽt trimetro: vel tetrametro pede incedentes.

Salomon filius Dauid regis Israel iuxta numerũ vocabulorũ suorũ tria volumina edidit: quorũ primus est Hebraicè Misle: quẽ Gręci Parabolas: latini Prouerbiorũ nominãt, eo quod in ipso sub cõparatiua similitudine figuras verborũ & imagines veritatis ostenderit. Ipsam aũt veritatẽ ad intelligẽdum legentibus reseruauit. Secũdũ librũ Coheleth vocauit, q Gręcè Ecclesiastes dicitur, Latinè Cõcionator: eo qd' sermo eius nõ specialiter ad vnũ sicut in Prouerbijs, sed ad

© Biblioteca Nacional de España

ad vniuersos generaliter dirigatur: docens omnia quæ in mundo cernimus caduca esse & breuia, & ob hoc minime appetenda.

Tertium librũ Sir hasirim prenotauit: qui in Latinã linguam vertitur Cantica canticorum: vbi per epithalamiũ carmẽ cõiunctionẽ Christi & Ecclesię misticè canit. Dictum aũt Canticum canticorũ: eo qd omnib. cãticis preferatur: quę in scripturis sacris habẽtur: sicut quędã in lege dicũtur sancta: quib. maiora sũt, Sãcta sanctorũ.

Horum autẽ trium librorum carmina, hexametris & pentametris versibus apud suos composita perhibentur, vt Iosephus & Hieronymus scribunt.

Esaias euangelista potius quàm propheta edidit librum suum: cuius omnis textus eloquentiæ prosa incedit. Canticum verò hexametro & pentametro versu discurrit. Hieremias similiter edidit librum suum cum threnis suis: quos nos Lamenta vocamus: eo quòd in tristioribus rebus funeribusq; adhibeantur, in quibus quadruplex diuerso metro cõposuit alphabetum. quorum duo prima quasi sapphico metro scripta sunt: quia tres versiculos qui sibi nexi sunt, & ab vna tantùm litera incipiunt, heroicum coma concludunt. Tertium alphabetum trimetro conscriptum est: & à ternis literis ijdem versus terni incipiunt. Quartum alphabetũ simile primo & secundo habetur.

Ezechiel & Daniel à viris quibusdam sapientibus scripti esse perhibentur: quorũ Ezechiel principia & fines multis habet obscuritatibus inuoluta. Daniel verò claro sermone regna mundi pronuntiat & tempus aduentus Christi manifestissima prædicatione annotat. Hi sunt quatuor prophetæ qui maiores vocãtur: quia prolixa volumina condiderunt. Liber autem duodecim prophetarum auctorum suorum nominibus prænotatur: qui propterea dicuntur minores, quia sermones eorum breues sunt. Vnde & connexi sibimet inuicem in vno volumine continentur: quorum nomina sunt: Osee, Iohel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggeus, Zacharias & Malachias.

Esdræ liber auctoris sui titulo prenotatur, in cuius textu eiusdem Esdræ Neemiæq; sermones pariter continentur. Nec quenquam moueat, quòd vnus Esdræ dicitur liber: quia secũdus, tertius & quartus non habentur apud Hebræos: sed inter apocriphos deputantur.

Hester librum Esdras creditur conscripsisse. In quo eadẽ regina sub figura Ecclesiæ Dei populum à seruitute & morte eripuisse scribitur: atque interfecto Aman: qui interpretatur * iniquitas, diei celebritas in posteros mittitur.

*nequitia.

Liber sapientię apud Hebræos nusquam est: vnde & ipse titulus græcam magis eloquẽtiam redolet. Hunc Iudæi Philonis esse affirmãt, qui proinde Sapientiæ nominatur: quia in eo Christi aduentus qui est sapientia Patris, & passio eius euidenter exprimitur.

Librum aũt Ecclesiasticum certissimè Iesus filius Sirach Hierosolimita nepos Iesu sacerdotis magni composuit: cuius meminit Zacharias: qui liber apud latinos propter eloquij similitudinem Salomonis titulo prænotatur: dictus autem Ecclesiasticus, eo quòd de totius ecclesiæ disciplina religiosæ conuersationis magna cura & ratione sit editus. Hic liber apud Hebræos reperitur: sed inter apocriphos habetur.

Iudith verò & Tobias siue Machabæorum libri: quibus auctoribus scripti sint, minimè constat. Habent autem vocabula ex eorum nominibus quorum gesta scribuntur.

Quatuor libros Euangeliorum, quatuor Euangelistæ singulariter conscripserunt. Primus Mathæus conscripsit Euangelium literis Hebraicis & sermonibus in Iudæa initians euangelizare ab humana Christi natiuitate dicens: *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid; filij Abrahã:* significans descendisse corporaliter ex semine patriarcharum Christum: sicut promissum erat in prophetis per Spiritum sanctum. Secundus Marcus plenus spiritusancto scripsit Euangeliũ Christi eloquio Græco in Italia secutus Petrũ, vt discipulus. Is initiũ à spiritu prophetali fecit dicẽs, *Vox clamantis in deserto, parate viam Domino:* & reliqua, vt ostenderet Christum post assumptionem carnis Euangelium prædicasse in mundo. Ipse enim Christus & propheta dictus est, sicut scriptum est, *Et prophetam in gentibus posui te.* Tertius Lucas inter omnes euangelistas Græci sermonis eruditissimus, quippe vt medicus in Græcia Euangelium scripsit Theophilo Episcopo, initians à sacerdotali spiritu dicens: *Fuit in diebus Herodis regis Iudææ sacerdos quidam nomine Zacharias*, vt manifestaret Christum post natiuitatem carnis & prædicationem Euangelij, hostiã fuisse effectum pro salute mundi. Ipse est enim sacerdos de quo dictum est in psalmis; *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Vbi enim Christus aduenit: sacerdotium Iudæorum obmutuit: lex & prophetia cessauit. Quartus Ioannes scripsit Euangelium vltimus in Asia, incipiens à Verbo, vt ostenderet eundẽ saluatorem, qui pro nobis dignatus est nasci & pati: ipsum ante secula Dei Verbum esse: ipsum à cœlo venisse, & post mortem iterum ad cœlum remeasse.

Hi sunt quatuor Euangelistæ quos per Ezechielẽ Spiritus sanctus significauit in quatuor animalibus. Propterea autem quatuor animalia: quia per quatuor mundi partes, fides Christianæ religionis eorum prædicatione disseminata est. Animalia autem dicta sunt: quia propter animam hominis per eos prędicatur Euangelium Christi. Nam & oculis plena erant intus & foris, quoniam preuidentur ea Euangelia quæ dicta sunt à prophetis, & quæ promiserãt in priori tempore. Crura aut eorum recta: quia nihil prauum in Euangelijs est. & alas senas tegentes crura & facies suas: reuelata sunt enim quæ tegebantur in aduentu Christi.

© Biblioteca Nacional de España

Euangelium autem interpretatur bona annuntiatio. Græcè enim εὖ bene. ἀγγελία dicitur annunciatio. Vnde & angelus nuncius dicitur.

Paulus Apostolus suas scripsit epistolas quatuordecim, ex quibus nouem, septem ecclesijs scripsit, reliquas discipulis suis Timotheo, Tito, & Philemoni. Ad Hebræos autem epistola à plerisque Latinis eius esse incerta est, propter dissonantiam sermonis. eandemq; alij Barnabam conscripsisse, alij à Clemente scriptam fuisse suspicantur.

Petrus scripsit duas nominis sui epistolas, quę catholicæ ideo nominantur, quia non vni tantũ populo vel ciuitati, sed vniuersis gentibus generaliter scriptæ sunt.

Iacobus & Ioannes & Iudas suas scripserunt epistolas.

Actus apostolorum primordia fidei Christianæ in gentibus & nascentis ecclesiæ historiam digerit. Actuum apostolorum scriptorem Lucã esse * affirmãt euangelistã: in quo opere nascentis Ecclesiæ infantia texitur, & apostolorum historia * continetur. Vnde & actus Apostolorum dicitur.

* constat.

* al. retinetur.

Apocalypsim librum Iohannes euangelista conscripsit, eo tempore quo ob euangelij prædicationem in insula Pathmos * traditur relegatus. Apocalypsis autem ex græco in latinum reuelatio interpretatur. Reuelatio enim dicitur manifestatio eorum quæ abscondita erãt. iuxta quod & ipse Iohannes dicit, *Apocalypsim Iesu Christi quam dedit illi Deus palam facere seruis suis.*

* creditur.

Hi sunt scriptores sacrorum librorũ, qui per Spiritum sanctum loquentes ad eruditionem nostram & præcepta viuendi, & credendi regulam conscripserunt.

Præter hęc & alia volumina apocrpyha nuncupãtur. Apocrypha autem dicta, id est secreta, quia in dubium veniunt. Est enim eorum occulta origo, nec patet Patribus ex quibus usq; ad nos auctoritas veracium scripturarũ certissima & notissima successione peruenit. In ijs apocryphis etsi inuenitur aliqua veritas, tamẽ propter multa falsa, nulla est in eis canonica auctoritas, quę rectè à prudentibus iudicantur nõ esse eorũ credenda, quibus ascribuntur. Nã multa & sub nominibus prophetarum, & recentiora sub nominibus apostolorũ ab hęreticis proferũtur, quę omnia sub nomine apocryphorum auctoritate canonica diligenti examinatione remota sunt.

De bibliothecis.

Bibliotheca à Græco nomen accepit, eo qd bi recondantur libri. Nam βιβλίου librum θήκη repositionem interpretatur. Bibliothecã veteris testamenti Esdras scriba post incensam legẽ à Chaldæis, dum Iudæi regressi fuissent in Hierusalem: diuino afflatus spiritu reparauit. cunctaq; legis ac prophetarum volumina, quæ fuerunt à gentibus corrupta correxit, totumq; vetus testamentum in viginti duos libros constituit, vt tot libri essent in lege, quot & literæ habebantur.

Apud Græcos autem bibliothecã primus instituisse Pisistratus creditur, Ahenienſium tyrannus: quam deinceps ab Athenienſibus auctam Xerxes incensis Athenis euexit in Persas, lõgoq; post tempore Seleucus Nicanor rursus in Græciam retulit. Hinc studium regibus vrbibusq; cæteris natum est comparandi volumina diuersarum gentium, & per interpretes in Græcam linguam vertendi. dehinc magnus Alexander vel successores eius instruendis omnium librorum bibliothecis animum intenderũt, maxime Ptolemæus cognomento Philadelphus omnis literaturę sagacissimus, cùm studio bibliothecarum Pisistratum æmularetur, non solum scripturas, sed etiam & diuinas literas in bibliothecam suam contulit. Nã septuaginta milia librorum huius tẽporibus Alexandriæ inuenta sunt.

De interpretibus.

Hic etiam & ab Eleazaro pontifice scripturas petens veteris Testamẽti, in Græcam vocem ex Hæbraica lingua per septuaginta interpretes transferre curauit: quas in Alexandrina bibliotheca habuit. Siquidem singuli in singulis cellulis separati: ita omnia per Spiritum sanctum interpretati sunt, vt nihil in alicuius eorum codice inuentum esset: quod in ceteris vel in verborũ ordine discreparet. Fuerunt & alij interpretes, qui ex Hebraica lingua in Græcum sacra eloquia trãstulerunt: sicut Aquila, Symmachus & Theodotion. sicut etiam & Vulgaris illa interpretatio, cuius autor non apparet: & ob hoc sine nomine interpretis Quinta editio nuncupatur, Præterea sextã & septimã editionem Origenes miro labore reperit, & cũ cęteris editionibus cõparauit. Presbyter quoq; Hieronymus trium linguarum peritus: ex Hebræo in latinũ eloquium easdẽ scripturas conuertit, eloquenterq; transfudit. Cuius interpretatio merito cæteris antefertur. Nam est & verborũ tenacior, & perspicuitate sentẽtię clarior.

De eo qui primum Romam libros aduexit.

Romæ primus librorum copiam aduexit Aemilius Paulus, Perse Macedonum rege deuicto. deinde Lucullus è Pontica præda. Post hos Cæsar dedit Marco Varroni negocium causa maximè bibliothecæ cõstruendæ. Primum autem Romæ bibliothecas publicauit Pollio, Græcas simul atq; Latinas, additis autorũ imaginibus in atrio quod de manubijs magnificentissimum instruxerat.

Qui apud nos bibliothecas instituerunt.

Apud nos quoq; Pamphilus Martyr, cuius vitam Eusebius Cæsariensis conscripsit, Pisistratum in sacræ bibliothecæ studio adæquare primus contendit. Hic enim in bibliotheca sua ꝓpe triginta voluminũ milia habuit.

Hierony-

© Biblioteca Nacional de España

Hieronymus quoq; atq; Gennadius ecclesiasticos scriptores toto orbe quærentes ordine prosecuti sunt, eorūq; studia in vno voluminis indiculo comprehenderunt.

Qui multa scripserunt.

MArcus Terētius Varro apud Latinos innumerabiles libros scripsit. Apud Græcos quoq; *Caliterius miris attollitur laudibus, quod tantos libros ediderit, quātos quisque nostrum * aliena & scribere propria manu vix posit. De nostris quoq; apud Græcos Origenis in scripturarū labore tam Græcos quàm latinos operum suorū numero superauit. Deniq; Hieronymus sex milia librorum eius se legisse fatetur. Horum tamen omnium studia Augustinus ingenio vel scientia sua vicit. Nā tanta scripsit, vt diebus ac noctibus non solum scribere libros eius quisquam, sed nec legere quidem posit.

*Cassiterus.

* al. nullatenus.

De generibus opusculorum.

OPusculorum genera sunt tria. Primū genus excerpta sunt: quæ Græcè scholia nuncupantur, in quibus ea quæ videntur obscura vel difficilia, summatim ac breuiter præstringuntur.

Secundum genus, homeliæ sunt, quas Latini verba appellant, quæ proferuntur in populis. Tertiū, tomi: quos nos libros vel volumina nuncupamus. Homeliæ autē ad vulgus loquuntur: tomi verò, id est, libri maioris sunt disputatiōis. Dialogus est collatio duorum vel plurimorum, quem Latini sermonem dicunt. Nam quos Græci dialogos vocant: nos sermones vocamus. Sermones aut dictus, quia inter vtrūq; feritur. Vnde & in Virgilio,

Multa inter se longo sermone serebant.

Tractatus, aut est vnius rei multiplex expositio, eo quod trahat sensum in multa, sentiendo contractando secum.

Differt aut sermo, tractatus, & verbum. Sermo enim altera eget persona: tractatus specialiter ad seipsum est: verbum autē ad omnes. Vnde & dicitur, *Verbum fecit ad populum.*

Commentaria dicta quasi cū mente. Sunt enim interpretationes, vt commenta iuris. commenta euangelij. Nam quicquid breuiter componitur commentarium dicitur: quod verò elongatur expositio nominatur.

Apologeticum est excusatio, in quo solent quidam accusantibus respōdere. In defensione enim aut negatione sola positum est, & est nomen Græcum.

Panagiricum est licentiosum & lasciuiosum genus dicendi in laudibus regum: in cuius compositione homines multis mendacijs adulātur. Quod malum à Græcis exortum est: quorum leuitas instructa dicendi facultate & copia incredibili multas mendaciorum nebulas suscitauit.

Fastorum libri sunt, in quibus reges vel consules scribuntur, à fascibus dicti, id est potestatibus. Vnde & Ouidij libri Fastorum dicuntur, quia de regibus & consulibus editi sunt.

Procemium est initiū dicēdi. Sunt enim procemia principia librorum, quæ ante causæ narrationē ad instruendum audientium aures coaptantur. Cuius nomen pleriq; latinitatis periti sine translatione posuerunt. Hoc autē vocabulum apud nos interpretatum, præfatio nuncupatur, quasi prælocutiō.

Præcepta sunt, quæ aut quid faciendum, aut quid non faciendū sit docent. Quid faciendū, vt

Diliges Deum tuum: & honora patrem tuum, & matrem tuam.

Quid non faciendum, vt, *Non mœchaberis, non furtum facies.*

Similiter & gentilium præcepta vel iubent vel vetant. Iubent faciendum, vt

Nudus ara, sere nudus.

Vetant, vt

Neue inter vites corilum sere, neue flagella, Summa pete.

Primus autem pręcepta apud Hebręos Moyses scripsit: apud Latinos Martius vates primus pręcepta composuit. Ex quibus est illud,

Postremus dicas, primus taceas.

Parabolæ & problemata nominibus suis indicant altius se perscrutari oportere. Parabola quippe alicuius rei similitudinem per se gerit. quod licet sit vocabulum Græcum, iam tamen pro Latino vsurpatur. Et notum est quod in parabolis quæ dicuntur per rerum similitudines, rebus de quibus agitur comparantur.

Problemata autem quæ Latinæ appellantur propositiones, quæstiones sunt habentes aliquid quod disputatione soluendum sit.

Quæstio aut est quęsitio cum quęritur, an sit, aut quid sit, aut quale sit.

Argumentum verò dictum quasi argutum, vel quasi argutè inuentum, ad comprobandas res.

Epistolam propriè Græci vocant, quod interpretatur Latinè missa.

Antè cartæ & membranarum vsum, in dolatis ex ligno codicellis epistolarū *colloquia scribebantur. Vnde & portitores earum tabellarios vocauerunt.

* eloquia.

De ceris.

CEræ literarum materies paruulorum nutrices. ipsæ dant ingenium pueris primordia sensus, quarū studium primi Græci tradidisse produntur. Græci enim & Tusci primùm ferro in ceris scripserunt. posteà Romani inserūt, ne graphium ferreum quis haberet. Vnde & apud scribas dicebatur. *Ceram ferro ne cedito.*

Postea institutum est, vt in cera ossibus scriberent, sicut indicat Atta in satira dicens,

Vertamus vomerem in ceram mucroneq; aremus Osseo. — Graphium autem Græce: Latinè scriptorium dicitur. Nam γραφη dicitur scriptura.

© Biblioteca Nacional de España

De cartis.

CArtarum vsum primum Aegyptus ministrauit, cęptum apud Memphiticam vrbẽ. Memphis namq; ciuitas Aegyptiorũ est. vbi cartæ vsus inuentus est primum, sicut ait Lucanus,

Conficitur bibula Memphitis carta papiro.

Bibulam autem papirum dixit quod humorem bibat. Carta aũt dicta, qd carptim papiri tegmẽ decerptum glutinatur. Cuius genera quàm plura sunt. Prima & præcipua Augustea regia maioris formæ in honorem Octauiani Augusti appellata. secunda Libiana ad honorem Libiæ prouinciæ. tertia hieratica dicta, eò quod ad sacros libros eligebatur, similis Augusteę, sed sub colorata. Quarta Teneotica à loco Alexandriæ qui ita vocatur vbi fiebat. Quinta Saltica à oppido Salo. sexta Corneliana à Cornelio Gallo præfecto Aegipti primùm confecta. septima emporetica, quòd ea merces inuoluuntur, cum sit scripturis minus idonea.

ANNOTAT.

Plin. lib. 13. cap. 12. primum genus cartæ tribuit Augusteę: secundum Liuiæ, à coniuge Augusti. Tertiũ amphitheatricæ: quartum Saiticæ, quintum Tænioticæ.

De pergamenis.

PErgameni reges cũ carta indigerent, membranas primo excogitauerũt. Vnde & pergamenarum nomen hucusq; tradente posteritate sibi seruatum est. Hæc & membrana dicuntur, quia ex membris pecudum detrahuntur. Fiebant autem primùm coloris lutei, id est crocei, postea verò Romæ candida membrana reperta sunt: quòd apparuit inhabile esse: quòd & facile sordescant, aciemq; legentium ledant. cum peritiores architecti neq; aurea lacunaria ponenda in bibliothecis putent, neq; pauimenta alia quã * eucaristeo marmore, quòd auri fulgor hebetat. & * eucaristi viriditas reficiat oculos. Nam & qui nummulariam discũt: denariorum formis mirteos pannos subijciunt, & gemmarum sculptores, scarabęorum terga quibus nihil est viridius subinde respiciunt. & pictores idem faciunt vt laborem visus eorum viriditate recreent.

* Caryfteo
* Caryfti.

Membrana autem aut candida: aut lutea: aut purpurea sunt. Candida naturaliter existũt. Luteum membranum bicolor est: quod à cõfectore vna tingitur parte, id est crocatur. de quo Persius,

Iam liber & positis bicolor membrana capillis.

Purpurea verò inficiuntur colore purpureo: in quibus aurum & argentum liquescens, patescat in literis.

De libris conficiendis.

QVædam * nomina librorum apud gentiles certis modulis conficiebantur. breuiore forma, carmina atq; epistolæ. At verò historiæ maiore modulo scribebantur. & non solum in carta vel membranis: sed etiam & * mementis elephantinis textilibusq; maluarum folijs atque palmarum. Cuius generis Cinna sic meminit.

* Genera.

* Ita omnia exempl, sed legendũ censeo in omentis.

* *Hæc tibi areteis multum inuigilata lucernis*
Carmina, quæ ignes nouimus aeres.
Leuis in aridulo maluæ descripta libello
Persica vexi munera nauicula.

Circumcidi libros Siciliæ primum increbruit. Nam initio pumicabãtur. Vnde & ait Catullus.

Cui dono lepidum nouum libellum
Arido modo pumice expolitum?

ANNOTAT.

Vet. codices habent. Quéis ignes nouimus aereos, *alij:* quæ signis nouimus aereis. *& paulo post pro Persica. V. c. habet* Prusiaca. *alij* Pruxaica.

* *De librorum vocabulis.*

CODex multorum librorum est: liber vnius voluminis. Et dictus codex per translationem à corticibus arborum, seu vitiũ, quasi caudex: quòd in se multitudinem librorum quasi ramorum contineat.

Volumen liber est à voluendo dictus: sicut apud Hebræos volumina legis, volumina prophetarum.

Liber est interior tunica corticis quæ ligno cohæret: in qua antiqui scribebant. De quo Virgilius.

Sic alta liber hæret in vlmo.

Vnde & liber dicitur in quo scribimus. quia ante vsum cartæ vel membranorum de libris arborum volumina fiebant, id est compaginabantur. Vnde & scriptores à libris arborum librarios vocauerunt.

De librarijs & eorum instrumentis.

LIbrarios constat ante bibliopolas dictos. Librum enim Græci βιβλον vocant. Librarij autem, id est idem & antiquarij vocantur: sed librarij sunt qui & noua & vetera scribunt. antiquarij qui tantummodo vetera, vnde & nomen sumpserunt.

A scribendo autem scriba nomen accepit: officium exprimens vocabuli qualitate.

Instrumenta scribę, calamus & penna. Ex his enim verba paginis infiguntur: sed calamus arboris est, penna auis, cuius acumen diuiditur in duo: in toto corpore vnitate seruata. credo propter mysterium, vt in duobus apicibus vetus & nouum testamentum signaretur, quibus exprimitur verbi sacramentum sanguine passionis effusum.

Dictus autem calamus quod liquorẽ ponat. Vnde & apud nautas calare ponere dicitur.

Penna autem à pendendo vocata, id est, volando. Est enim, vt diximus, auium.

Folia

© Biblioteca Nacional de España

Folia autem librorum appellata: siue ex similitudine foliorum arborum: seu quia ex follibus fiunt, id est, ex pellibus quæ de occisis pecudibus detrahi solent: cuius partes paginę dicuntur, eò quòd sibi inuicem compingantur.

Versus autem vulgò vocati: quia sic scribebant antiqui sicut aratur terra. A sinistra enim ad dexteram primùm deducebant stilum: deinde conuertebantur ab inferiore & rursum ad dexteram versus: quos & hodie rustici * versus vocant.

* Vorsus

Scheda est quod adhùc emendatur, & nec dum in libris redactum est, & est nomen Græcum, sicut & tomus.

De canonibus Euangeliorum.

CAnones euangeliorum Ammonius Alexandriæ Episcopus primus excogitauit: quē postea Eusebius Cæsariensis secutus plenius composuit. Qui ideo facti sunt: vt per eos scire & inuenire possimus, qui reliquorum Euangelistarū similia aut propria dixerūt. Sunt autem numero decem; quorum primus continet numeros, in quibus quatuor eadem dixerunt: Matthæus, Marcus, Lucas & Iohannes. Secundus, in quibus tres, Matthæus, Lucas, Marcus. Tertius, in quibus tres, Matthæus, Lucas & Iohannes. Quartus, in quibus tres, Matthæus, Marcus, Iohannes. Quintus, in quibus duo, Matthæus, Lucas. Sextus, in quibus duo, Matthæus, Marcus. Septimus, in quibus duo, Matthæus, Ioannes. Octauus, in quibus duo, Lucas, Marcus. Nonus, in quibus duo, Lucas, Iohannes. Decimus, in quibus singuli eorū propria quædā dixerunt: quorū expositio hæc est. Per singulos enim Euangelistas numerus quidam capitulis affixus adiacet. quibus numeris subdita est * era quædam minio notata: quę indicat in quoto canone positus sit numerus, cui subiecta est * era. Verbi gratia: Si est * era prima: in primo canone: si secunda in secundo: si tertia in tertio, & sic per ordinem vsq; ad decimū peruenies. Si igitur aperto quolibet euangelio placuerit scire qui reliquorum Euangelistarū similia dixerunt, assumes adiacentem numerum capituli: & requires ipsum numerum in suo canone quem indicat, ibiq; inuenies qui & quid dixerunt: & ita demum in corpore inquisita loca, quæ ex ipsis numeris indicantur per singula euangelia de eisdem dixisse inuenies.

* area
* area
* area

De canonibus Conciliorum.

CAnon autem Græcè, Latinè regula nuncupatur. Regula autem dicta, quòd rectè ducit, nec aliquando aliorsum trahit. Alij dixerunt regulam dictam vel quòd regat, vel quòd normam rectè viuendi præbeat: vel quia distortum prauumque corrigat.

Canones autem generalium conciliorum à temporibus Constantini cœperunt. In præcedentibus namq; annis persecutione feruente: docendarū plebium minimè dabatur facultas. Inde Christianitas in diuersas hęreses est scissa: quia nō erat licētia episcopis in vnū conuenire, nisi tempore supradicti Imperatoris. Ipse.n. dedit facultatē Christianis liberè congregari. Sub hoc etiam sancti Patres in cōcilio Niceno de omni orbe terrarum conuenientes: iuxta fidem euangelicā & apostolicam secundū post Apostolos tradiderunt symbolum.

Inter cætera autem concilia quatuor esse scimus venerabiles synodos: quæ totā principaliter fidem complectuntur, quasi quatuor euangelia, vel totidem paradisi flumina.

Harum prima Nicęna synodus trecentorum octodecim episcoporū Constantino Augusto imperante peracta est. In qua Arianæ perfidię condemnata blasphemia, quam de inæqualitate sanctæ Trinitatis idem Arius asserebat: consubstantialem Deo patri Deum filium eadem sancta synodus per symbolum definiuit.

Secunda synodus centū quinquaginta patrū sub Theodosio seniore Constantinopoli congregata est, quæ Macedonium, Spiritū sanctum Deum esse negantē, condemnans, consubstantialem patri & filio spiritum sanctū demonstrauit, dans symboli formam, quam tota Græcorū & Latinorum confessio in ecclesijs prædicat.

Tertia synodus Ephesina prima, ducentorū Episcoporum sub iuniore Theodosio Augusto edita est, quę Nestoriū duas personas in Christo asserentem iusto anathemate condemnauit: ostendēs manere in duabus naturis, vnam Domini nostri Iesu Christi personam.

Quarta synodus Chalcedonensis sexcentorū triginta sacerdotum sub Martiano principe habita est, in qua Eutychem Constantinopolitanum abbatē Verbi Dei & carnis vnā naturam pronunciantem, & eius defensorē Dioscorum quondam Alexandrinum Episcopum, & ipsum rursum Nestorium cum reliquis hæreticis vna Patrum sententia prædamnauit, prædicans eadem synodus Christum Dominū de virgine sic natum, vt in eo substantiam diuinæ & humanæ confiteamur naturæ. Hæ quatuor sunt synodi principales, fidei doctrinā plenissimè prędicantes: sed & si qua sunt concilia quæ sancti Patres spiritu Dei pleni sanxerunt, post istorum quatuor auctoritatem omni manent stabilita vigore: quorum gesta in hoc opere condita continentur.

Synodus autem ex Greco interpretatur comitatus vel cœtus.

Concilij autem nomen tractū est ex Romano more. Tempore enim quo causę agebantur, conueniebant omnes in vnum, communiq; intentione tractabant. Vnde & concilium à communi intentione dictum. Nam cilia oculorum sunt. Vnde & considium, id est, consilium. d in s literam transeunte.

Cœtus verò conuentus est, vel congregatio à coeundo, id est, conueniendo in vnū. Vnde &

© Biblioteca Nacional de España

conuentus est nuncupatus: sicut à conuentu cœtus vel concilium à societate multorum in vnum.

De cyclo Paschali.

PAschalem cyclum Hyppolitus Episcopus temporibus Alexãdri Imperatoris primus conscripsit. Post quem probatissimi authores Eusebius Cæsariensis, Theophilus Alexandrinus, Prosper quoque natione Aquitanus atque Victorinus amplificatis eiusdem festiuitatis rationibus, multiplices circulos ediderũt. Cuius quidem rationem beatissimus Cyrillus Alexãdrinæ vrbis Episcopus in xcv annos per quinquies decem nouies calculans: quoto* kalendas vel luna debeat paschalis solennitas celebrari, summa breuitate notauit.

*kal. die

Cyclus autem vocatus, eò quòd in orbe digestus sit, & quasi in circulo dispositum ordinẽ complectatur annorum sine varietate, & sine vlla arte. Vnde factum est, vt cuiusque materiæ carmina simplici formitate facta cyclica vocarentur. Hinc & * laterculum dictum, quòd ordinem habeant stratum annorum.

*Latinè Cyclum

Primus cyclus Decem nouenalis

		Lunæ.
B.Com.an.ij.Idus	April.	xx.
C.vj.kal.	April.	xvj.
Em.xvj.kal.	Maij.	xvij.
C.vj.Idus	April.	xx.
B.C.ix.kal.	April.	xv.
E.ij.Idus	April.	xvj.
C.ij.Non.	April.	xix.
E.viij.kal.	Maij	xx.
B.C.v.Idus	April.	xv.
C.ij.kal.	April.	xviij.
E.xij.kal.	Maij	xix.
C.Non.	April.	xv.
B.C.v.kal.	April.	xvij.
E.xvj.kal.	Maij	xvj.
C.vj.Idus	April.	xxj.
C.ix.kal.	April.	xvij.
B.E.Idus	April.	xvij.
C.ij.Non.	April.	xx.
E.viij.kal.	Maij	xxj.

Secundus cyclus lunæ.

		Lunæ.
C.v.Idus	April.	xviij.
B.ij.kal.	April.	xx.
E.xij kal.	Maij	xxj.
C.Non.	April.	xvij.
C.v.kal.	April.	xx.
B.E.xvj.kal.	Maij	xx.
C.kal.	April.	xvj.
E.xj.kal.	Maij	xvij.
C.Idus	April.	xx.
B.C.v.kal.	April.	xv.
E.xv.kal.	Maij	xvj.
C.v.Idus.	April.	xx.
C.viij.kal.	April.	xv.
B.E.Idus	April.	xv.
C.Non.	April.	xviij.
C.v.kal.	April.	xxj.
E.iiij.Idus	April.	xv.
B.C.kal.	April.	xvij.
E.xj.kal.	Maij	xviij.

Tertius cyclus lunæ.

		Lunæ
C.viij.Idus	April.	xv.
C.iiij.kal.	April.	xviij.
B.xv.kal.	Maij	xviij.
C.v.Idus	April.	xxj.
C.viij.kal.	April.	xvij.
E.xviij kal.	Maij	xviij.
B.C.Non.	April.	xx.
E.vij.kal.	Maij	xxj.
C.iiij.Idus	April.	xvij.
C.iiij.Non.	April.	xx.
B.E.xj.kal.	Maij	xx.
C.viij.Idus	April.	xvj.
C.iiij.kal.	April.	xix.
E.xiiij.kal.	Maij	xx.
B.C.iiij.Non.	April.	xv.
C.viij.kal.	April.	xviij
E.xviij.kal.	April.	xviij.
C.iij.kal.	Maij	xix.
B.E.xiiij.kal.	April.	xv.

Quartus cyclus lunæ.

		Lunæ.
C.iij.Idus	April.	xix.
C.vij kal.	April.	xv.
E.xvij.kal.	Maij	xvj.
B.C.viij.Idus	April.	xviij.
C.iiij.kal.	April.	xxj.
E.iij.Idus	April.	xv.
C.iij.Non.	April.	xviij.
B.E.x.kal.	Maij	xviij.
C.xviij.kal.	Maij	xxj.
C.iij.kal.	April.	xvij.
E.xiij.kal.	Maij	xviij.
B.C.iiij.Idus	April.	xx.
C.vij.kal.	April.	xvj.
E.xvij.kal.	Maij	xvij.
C.vij.Idus	April.	xx.
B.C.xj.kal.	April.	xv.
E.iij.Idus	April.	xvj.
C.iij.Non.	April.	xix.
E.ix.kal.	Maij	xx.

Quintus cyclus lunæ.

		Lunæ.
B.C.vij.Idus	April.	xvj.
C.iij.kal.	April.	xix.
E.xiij.kal.	Maij	xx.
C.ij.Non.	April.	xvj.
B.C.vij.kal.	April.	xvij.
E.xvij kal.	Maij	xix.
C.ij.kal.	April.	xv.
E.xij.kal.	Maij	xvj.
B.C.iij.Idus	April.	xviij.

C.iij.Non.

© Biblioteca Nacional de España

C.iij.Non.	April.	xxj.
E.xvj.kal.	Maij	xv.
C.vj.Idus	April.	xviij.
B.C.iij.kal.	April.	xx.
E.xiij.kal.	Maij	xxj.
C.ij.Non.	April.	xvij.
C.vj.kal.	April.	xx.
B.E.xvij.kal.	Maij	xx.
C.ij.kal.	April.	xvj.
E.xij.kal.	Maij	xvij.

A conditione mundi vsq; ad hunc nouissimum cycli annum computantur anni VMdccccxx. post cuius expletionē ad primū exordium recurrendum. Antiquitus ecclesia pascha decima quarta luna cum Iudæis celebrabatur, quocūq; die occurreret. Quē ritum sancti Patres in Nicæna synodo prohibuerunt, constituentes non solùm lunam paschalem & mensem inquirere, sed etiam & diem resurrectionis Dominicę obseruare: & ob hoc pascha à decima quarta luna vsque ad vigesimam primam extenderunt: ne dies Dominicus omitteretur.

Paschæ autē vocabulum non Gręcū, sed Hebraicū est: nec à passione quoniam πάθος Grękè dicitur pati: sed à transitu Hebræo verbo pascha appellatum est, eò quòd tunc populus Dei ex Ægypto transierit. Vnde & in Euangelio: *Cū vidisset*, inquit *Iesus, quòd venit eius hora vt transiret de mundo ad Patrem.* Cuius nox ideo peruigil ducitur, propter aduentum regis ac Domini nostri, vt tempus resurrectionis eius nos non dormientes, sed vigilantes inueniat: cuius noctis duplex ratio est: siue quòd in eadē tunc vitam recepit cùm passus est, siue quòd postea eadem hora qua resurrexerit, ad iudicandum venturus est. Eo autem modo agimus pascha, vt non solū mortem & resurrectionē Christi in memoriam reuocemus, sed etiam cætera quæ circa eum attestantur, ad sacramentorū significationem inspiciamus. Propter initium enim nouæ vitæ, & propter nouum hominē, quem iubemur induere & exuere veterē: expurgamus vetus fermentū, vt simus noua conspersio, quoniā pascha nostrum immolatus est Christus. Propter hanc ergo vitæ nouitatem primus mensis nouorum in anni mensibus celebrationi paschali mysticè attributus est.

Quòd verò tertię hebdomadę die pascha celebratur. i. qui dies occurrit à decima quinta luna vsq; in vicesimā primam, hoc significat: quia in toto tēpore seculi, quod septēario dierū numero agitur, nunc tertiū tempus hoc sacramentum * apparuit. Primū enim tempus est ante legem: secundū sub lege: tertium sub gratia. Vbi iam manifestatū est sacramentum prius occultū in prophetico ęnigmate: ideo & propter hęc tria seculi tempora resurrectio Domini triduana est. Quòd verò à quartadecima luna vsq; ad vigesimā primam per dies septē paschalis dies quæritur: hoc fit propter ipsum numerū septenariū, quo vniuersitatis significatio sępe figuratur, quæ etiā ipsi ecclesiæ tribuitur propter instar vniuersitatis: vnde & Iohannes Apostolus in Apoc. vij scribit ecclesijs. Ecclesia verò in ista adhuc mortalitate carnis constituta propter ipsam mutabilitatem, lunæ nomine significatur in scripturis.

Varia autē obseruantia opinionū paschalis festiuitatis interdū errorem gignit. Latini namque à tert. Non. Martij vsq; in tert. Non. Aprilis primi mensis lunam inquirunt, & si decima quarta luna die Dominico prouenerit, in alio die Dominico pascha pertrahunt. Græci primi mēsis lunā ab octauo idus Martias vsq; in diem nonarum Aprilium obseruāt: & si decima quarta luna die Dominico incurrerit, sanctum pascha celebrant. Huiusmodi igitur dissensio inter vtrosque paschalem regulam turbat.

Communis annus dicitur qui tantū * lunationes, hoc est, dies cccliiij habet. Dictus autē communis: quia sæpe duo coniuncti incedunt, vt inuicem se in paschali solennitate sequantur. Nam embolismus annus est semper solus.

Embolismus annus est, qui tredecim menses lunares, id est, ccclxiiij dies habere monstratur. Ipse est annus sancto Moysi diuinitūs reuelatus, in quo iubentur ij qui lōgius habitant in secundo mense pascha celebrare. Embolismus autem nomen Gręcum est, quod interpretatur Latinè superaugmentum, eò quòd expleat numerum annorum communium: quibus vndecim lunares dies deesse cernuntur.

Embolismi autem anni & cōmunes sic inueniuntur. Si enim à decima quarta luna paschæ præcedentis vsq; ad decimam quartam sequentis ccclxiiij dies fuerint: embolismalis annus est. si cccliiij, communis.

Bisextus est post annos quatuor vnus dies adiectus. Crescit enim per singulos annos quarta pars assis. i. duodecim horæ. At vbi quarto anno assem compleuerit, bisextilem annum facit. Dictus autē bisextus, quia bis sexies ductus assem facit: quod est vnus dies, sicut quadrantem propter quater ductū, quod est bisextus: quem super dierū cursum in anno sol facit: siue quòd nequeat * annum subintroducere: nisi bisextæ nonas Mart. cōputaueris, hoc est & prima die sex. non. Mart. & addito bis sexto alio die sexta non. Mart. iteraueris. A sexto autē non. Mart. vsque in diem pridie kal. Ianuarias, in lunæ cursū bisextus apponitur, atq; inde detrahitur.

Intercalares autē dies idcirco vocātur: quia interponūtur, vt ratio lunę Solisq; cōueniat. Cālare. n. ponere dicitur, intercalare interponere.

Epactas Gręci vocāt, Latini adiectiones annuas lunares, quæ per vndenarium numerū vsque ad tricenariū in se * resoluuntur. Quas ideo Ægyptij adijciunt vt lunaris emēsio rationi Solis æquetur. Luna enim iuxta cursum suum vigintinouē semis dies lucere dinoscitur, & fiunt in annum lunares dies cccliiij, remanēt ad cursum anni solares dies vndecim, quas Ægyptij adijciunt. Vnde & adiectiones vocantur: absque his non inuenies Lunam quota sit in

* aperuit

* lunas

* annus sub introduci.

* reuoluuntur.

© Biblioteca Nacional de España

quolibet anno & mense & die. Istę epactæ semper xj kal. April. reperiuntur in eadem luna quę fuerit eo die. Continentur autem circulo decemnouenali: sed cùm ad xxix epactas peruenerit, qui est circulus decemnouenalis iam sequenti anno non addes super viginti nouem, vndecim, vt decem annuncies detractis triginta, sed inde reuerteris vt vndecim pronuncies.

De reliquis festiuitatibus.

FEstiuitas dicta à fæstis diebus, quasi fæstiditas, eò quòd in eis sola res diuina fit. Quibus contrarij sunt fasti, in quibus ius fatur, id est, dicitur. Solennitas à sacris dicitur, ita suscepta, vt mutari ob religionem non debeat: à * solito, id est, firmo atque solido nominata.

Celebritas autem nominatur, quod non ibi terrena, sed cœlestia tantùm agantur.

Pascha festiuitatum omnium prima est, de cuius vocabulo iam superius dictum est.

Pentecoste sicut & pascha apud Hebræos celebris dies est, quod post quinque decades paschæ celebratur: vnde & vocabulum sumpsit. πέντε enim Græcè quinque, in quo die secundum legem panes Propositionis de nouis frugibus offerebantur. Cuius figuram annus iubileus in testamento veteri gessit: quæ nunc iterum per figuram repromissionis æternâ requiem præfigurat.

Epiphania Græcè, Latinè apparitio siue manifestatio vocatur. Eo enim die Christus sideris inditio apparuit Magis adorandus. Quod fuit figura primitiæ credentium gentium. Quo die & dominici baptismatis sacramentum, & permutatæ in vinum aquæ factorũ per dominum signorum principia extiterunt. Duæ sunt autem epiphaniæ: prima, in qua natus Christus pastoribus Hebræorum angelo nunciante apparuit: secunda, in qua ex gentium populis stella indice præsepis cunabula Magos adoraturos exhibuit.

Scenopegia solennitas Hebręorum, de Græco in Latinum, tabernaculorum dedicatio interpretatur: quæ celebrabatur à Iudæis in memoriam expeditionis, cùm ab Ægypto promoti in tabernaculis agebant, & ex eo scenopegia dicitur. σκηνὴ enim Græcè, Latinè tabernaculum dicitur. Quæ solennitas apud Hebræos Septembri mense celebrabatur.

Neomenia apud nos kalendæ: apud Hebræos autem (quia secundum lunarẽ cursum menses supputantur) & Græcè μὴν luna appellatur: inde neomenia, id est, noua luna. Erant enim apud Hebræos ipsi dies kalendarum ex legali institutione solennes: de quibus dicitur in Psalmo: *Canite initio mensis tuba, in die insigni solennitatis vestræ.*

Encænia autem est noua templi dedicatio. Græcè enim καινὸν dicitur nouum. Quando enim aliquid nouum dedicatur, encænia dicitur. Hanc dedicationis templi solennitatem Iudæi Octobri mense colebant.

Dies palmarum ideo dicitur, quia in eo Dominus & saluator noster, sicut Propheta cecinit, Hierusalem tendens asello sedisse perhibetur. Tunc gradiens cum ramis palmarum multitudo plebium obuiam ei clamauerunt: *Osanna, benedictus qui venit in nomine Domini rex Israel.* Vulgus autem ideo diem hunc Capitilauium vocant: quia tunc moris est, lauandi capita infantium, qui vngẽdi sunt: ne obseruatione quadrãgesimæ sordidata, ad vnctionem accederẽt. hoc autem die symbolum * confitentibus traditur propter confinem Dominicæ paschæ solennitatem: vt qui iam ad Dei gratiam percipiendam festinant, fidem quam confitentur agnoscant.

Cœna Dominica dicta est, eò quòd in illo die Saluator pascha cum discipulis suis fecerit: quod & vsque hodie sicut est traditum, celebratur, sanctumq; in eo chrisma conficitur.

Sabbatum ab Hebræis ex interpretatione vocabuli sui requies nominatur: quòd Deus in ipso, perfecto mundo, requieuisset. Siquidem & eo die requieuit in sepulchro Dominus, vt quietis illius mysterium confirmaret: quod Iudæis obseruandum in vmbra futuri pręceptum est. Sed postquam Christus in sepultura sua eius figurã adimpleuit, obseruatio eius quieuit.

Dominicus dies proinde vocatur: quia in eo resurrectionis Domini nostri gaudium celebratur. Qui dies non Iudæis, sed Christianis in resurrectionem Domini declaratus est, & ex illo cepit habere festiuitatem suam. Illis enim solum celebrandum sabbatum traditũ est: quia erat ante requies mortuorum: resurrectio autem * illius erat, qui resurgens à mortuis non moreretur. Postquam autem facta est talis resurrectio in corpore Domini, vt præiret in capite Ecclesiæ, quod corpus Ecclesiæ speraret in fine, iam dies Dominicus, id est, octauus, qui & primus, celebrari cepit.

De officijs.

OFficiorum plurima sunt genera: sed præcipuum illud quod in sacris diuinisque rebus habetur. Officium autem ab efficiendo dictum, quasi efficium: propter decorem sermonis vna mutata litera: vel certè vt quisque illa agat, quæ nulli officiant, sed prosint omnibus.

Vespertinum officium est in noctis initio vocatum, à stella vespere quæ surgit oriente nocte.

Matutinum verò officium est, in lucis initio à stella lucifero appellatum, quę inchoante manè oritur. Quorum duorum temporum significatione ostẽditur, vt die ac nocte semper Deus laudetur.

Missa tempore sacrificij est: quando catechumeni foras mittuntur, clamante leuita, *Si quis catechumenus remansit, exeat foras*. & inde missa: quia sacramentis altaris interesse non possunt: qui

* absoluto

* confitentibus

* nullius

© Biblioteca Nacional de España

qui nondum regenerati noſcuntur.

Chorus eſt multitudo in ſacris * collectus & dictus chorus, quòd initiò in modum coronæ circa aras ſtarent & ita pſallerent. Alij chorum dixerunt à concordia, quę in charitate conſiſtit, quia ſi charitatem non habeat, reſpondere conuenienter non poteſt. Cùm autem vnus canit Græcè monodia, Latinè * ſicinium dicitur: cùm verò duo canũt, bicinium appellatur: cùm multi, chorus. Nam chorea ludicrum cantilenæ, vel ſaltationes * claſsium ſunt.

* collectis, al. collecta

* Succiniũ

* plauſuum

Antiphona ex Græco interpretatur vox reciproca: duobus ſcil. choris alternatim pſallentibus ordine commutato: ſiue de vno ad vnum. Quod genus pſallendi Græci inueniſſe traduntur. Reſponſorios Itali tradiderunt. * Quod carmen inde reſponſorios cantus vocant, quod alio deſinente id alter reſpondeat. Inter reſponſorios autem & antiphonas hoc differt, quòd in reſponſorijs vnus verſum dicit: in antiphonis autem verſibus alternant chori.

* quos inde

Lectio dicitur, quia non cantatur vt pſalmus vel hymnus: ſed legitur tantùm. Illic enim modulatio, hîc ſola pronunciatio quæritur.

Canticum eſt vox cantantis in lætitiam.

Pſalmus autem dicitur, qui cantatur ad Pſalterium quo vſum eſſe prophetam Dauid in magno myſterio prodit hiſtoria. Hæc autem duo in quibuſdã Pſalmorum titulis iuxta muſicam artem alternatim ſibi apponuntur. Nam canticũ Pſalmi eſt id quod cùm organũ modulatur, vox poſtea cantantis eloquitur. Pſalmus verò * canticum quod humana vox præloquitur, ars organi modulantis imitatur. Pſalmus enim à pſalterio dicitur: vnde nec mos eſt ex alio opere eum componi.

* cantici

Tres autem gradus ſunt in cantando: primus ſuccentoris: ſecundus incentoris: tertius accentoris.

Diapſalma Hebræum verbum quidam eſſe volunt: quo ſignificatur, ſemper, id eſt, quòd illa quibus hoc interponitur ſempiterna eſſe confirment. Quidam verò Græcum verbum exiſtimant, quo ſignificatur interuallum pſallendi: vt pſalma ſit quod pſallitur: diapſalma verò interpoſitum in pſallendo ſilentium: vt quemadmodum ſympſalma dicitur vocum copulatio in cantando: ita diapſalma diſiunctio earum, vbi quædam requies * diſtinctæ continuationis oſtenditur. Vnde illud probabile eſt, non coniungendas ſententias in pſallendo, vbi diapſalma interpoſita fuerit: quia ideo interponitur vt conuerſio ſenſuum vel perſonarum eſſe noſcatur.

* diſtinctæ

Hymnus eſt canticum laudantium, quod de Græco in Latinum interpretatur, pro eo, quòd ſit carmen lætitiæ & laudis. Propriè autem hymni ſunt continentes laudem Dei. Si ergo ſit laus & non ſit Dei: non eſt hymnus. ſi ſit & laus & Dei laus & non cantetur, non eſt hymnus. Si ergo in laudem Dei dicitur, & cantatur, tunc eſt hymnus.

Cui contrarium eſt threnum, quod eſt lamenti carmen & funeris.

Alleluia duum verborum interpretatio eſt, hoc eſt, laus Dei, & eſt Hebręum. Ia enim vnum eſt de decem nominibus, quibus apud Hebræos Deus vocatur.

Amen ſignificat verè ſiue fideliter, quod & ipſum Hebræum eſt. Quæ duo verba amen & alleluia nec Græcis, nec Latinis, nec barbaris licet in ſuam linguam omnino transferre: vel alia lingua annunciare. Nam quamuis interpretari poſsint: propter ſanctiorem tamen auctoritatem ſeruata eſt ab apoſtolis in ijs proprię linguæ antiquitas. Tanto enim ſacra ſunt nomina: vt etiam Iohannes in Apocalypſi referat ſe ſpiritu reuelante vidiſſe & audiuiſſe vocem cœleſtis exercitus tanquam vocem aquarum multarum & tonitruum validorum dicentium: amen & alleluia: ac per hoc ſic oportet in terris vtraque dici ſicut in cœlo reſonant.

Oſanna in alterius linguæ interpretationem in toto tranſire non poteſt. Oſi enim ſaluifica interpretatur: anna interiectio eſt, motũ animi ſignificans ſub deprecantis affectu. Integrè autem dicitur oſianna: quod nos corrupta media vocali litera & eliſa: dicimus oſanna, ſicut fit in verſibus cùm ſcãdimus. Litera enim prima verbi ſequentis extremam prioris verbi veniens excludit, & dicitur Hebraicè oſanna, quod interpretatur ſaluifica. ſubaudiendo vel populum tuum vel totum mundum.

Offertorium tali ex cauſa ſumpſit vocabulũ. Fertum enim dicitur oblatio quæ alteri offertur, & ſacrificatur à Pontificibus, à quo offertorium nominatur, quaſi propter fertum.

Oblatio vocatur: quia offertur.

Dona propriè Dei dicuntur: munera hominum.

Nam munera dicuntur obſequia quę pauperes diuitibus loco munerum ſoluunt. Ita munus homini datur: donum Deo. Vnde etiam in templis donaria dicimus. Munera autem vocantur: quia manibus vel accipiuntur, vel dantur.

Duo autem ſunt quæ offeruntur, donum & ſacrificium.

Donum dicitur quicquid argento auroque aut qualibet alia ſpecie efficitur.

Sacrificium autem eſt victima & quæcunq; cremantur in ara, ſeu ponuntur. Omne autem quod Deo datur, aut dedicatur, aut conſecratur. Quod dedicatur: dicendo datur, vnde & appellatur. Vnde & errant qui dedicationem conſecrationem putant ſignificare.

Immolatio ab antiquis dicta, eò quòd in mole altaris poſita victima cederetur. Vnde & mactatio poſt immolationem eſt. Nunc autem immolatio panis & calicis conuenit: libatio autem tantummodò calicis oblatio eſt. Hinc eſt illud: *Et libauit de ſanguine vuæ.* ſic & ſecularium quidam poetarum: *Nunc*, inquit, *pateras libate Ioui* —. Libare enim propriè fun-

© Biblioteca Nacional de España

dere est. sumptumque nomen de Libero quodam qui in Græcia vsum reperit vitis.

Hostiæ apud veteres dicebantur sacrificia, quæ fiebant antequam ad hostem pergerent.

Victimę verò sacrificia, quæ post victoriam deuictis hostibus immolabantur. Et erant victimæ maiora sacrificia quàm hostiæ. Alij victimam dictam putauerunt: quia ictu percussa cadebat: vel quia vincta ad aras ducebatur.

Holocaustum illud est, vbi totum igne consumitur quod offertur. Antiqui enim cùm maxima sacrificia administrarent: solebant totas hostias in sacrorum consumere flamma: & ipsa erant holocaustomata. ὅλον enim Græcè, totum dicitur, καῦσις incensio: & holocaustum totum incensum.

Cerimoniæ apud Latinos dicuntur sacra omnia, quæ apud Græcos Orgia vocantur. Propriè autem visum est doctoribus à carendo appellari cerimonias, quasi carimonias; eò quòd ea quæ in sacris diuinis offeruntur, in suo vsu carerẽt homines: quod etiam nomen in vsu est literarum sanctarum. Alij cerimonias propriè in obseruationibus Iudæorum credunt: abstinentiam scilicet quarundã escarum secundum veterem legem, eò quòd obseruantes careant his rebus, quibus se abstinuerint.

Sacrificium dictum, quasi sacrum factum: quia prece mystica cõsecratur: in memoriam pro nobis Dominicæ passionis: vnde hoc eo iubente corpus Christi & sanguinem dicimus, quòd dum fit ex fructibus terrę, sanctificatur, & fit sacramentum, operante inuisibiliter Spiritu Dei: cuius panis & calicis sacramentum Græci Eucharistian dicunt, quod Latinè bona gratia interpretatur. Et quid melius corpore & sanguine Christi?

Sacramentum est in aliqua celebratione: cũ res gesta ita fit, vt aliquid significare intelligatur, quod sanctè accipiendum est. Sunt autẽ sacramẽta, baptismum & chrisma: corpus & sanguis Christi: quæ ob id sacramenta dicuntur: quia sub tegumento corporalium rerum, virtus diuina secretius salutem eorundem sacramentorum operatur: vnde & à secretis virtutibus vel sacris sacramenta dicuntur. Quæ ideo fructuosè penes Ecclesiam fiunt: quia sanctus in ea manens spiritus, eorundem latenter sacramentorum operatur effectum: vnde seu per bonos seu per malos ministros intra Dei ecclesiam dispensetur: tamen quia Spiritus sanctus mysticè illa viuificat: quæ quondam Apostolico in tempore, visibilibus apparebat operibus: nec bonorũ meritis dispensatorum amplificantur hæc dona, nec malorum attenuantur: quia neq; qui plantat est aliquid, neque qui rigat: sed qui incrementum dat Deus: vnde & Græcè mysterium dicitur, quòd secretam & reconditam habeat dispensationem.

Baptismum Græcè, Latinè tinctio interpretatur, quæ idcirco tinctio dicitur: quia ibi homo spiritu gratiæ in melius immutatur, & longè aliud quàm erat, efficitur. Prius enim deformitate peccatorum fœdi eramus: in ipsa tinctione reddimur pulchri dealbatione virtutum: vnde in Canticis scribitur canticorum, *Quæ est ista quæ ascendit dealbata?* Cuius mysterium non aliter nisi sub Trinitatis designatione, id est, Patris & Filij & Spiritus sancti cognominatione completur, dicente Domino ad apostolos: *Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Sicut enim in tribus testibus stat omne verbum: ita hoc sacramentum confirmat ternarius numerus nominum diuinorum. Quod autem per aquam baptismum datur, hæc ratio est. Voluit enim Dominus vt res illa inuisibilis, per cõgruens, sed profectò contractabile & visibile impenderetur elementum, super quod etiam in principio ferebatur Spiritus sanctus. Nam sicut aqua purgatur exterius corpus, ita latenter eius mysterio per Spiritum purificatur & animus. Cuius sanctificatio ita est. Inuocato enim Deo descendit Spiritus sanctus de cœlis, & medicatis aquis sanctificat eos de semetipso: & accipiunt vim purgationis, & in eis vt caro & anima delictis inquinata mundetur.

Chrisma Græcè, Latinè vnctio nominatur: ex cuius nomine & Christus dicitur, & homo post lauacrum sanctificatur. Nam sicut in baptismo peccatorum remissio datur: ita per vnctionem sanctificatio spiritus adhibetur: & hoc de pristina disciplina, qua vngi in sacerdotium & in regnum solebant: ex quo & Aaron à Moyse vnctus est. Quę dum carnaliter fit, spiritualiter proficit: quomodo & in ipsa baptismi gratia, visibilis actus est quod in aqua mergimur: sed spiritalis effectus, quod delictis mundamur. Hoc significat illud vnguentum: quod peccatrix mulier super pedes, & ea quæ dicitur non fuisse peccatrix super caput Iesu fudisse scribitur.

Manus impositio ideo fit vt per benedictionem aduocatus inuitetur Spiritus sanctus. Tũc enim ille paracletus post mundata & benedicta corpora, libens à Patre descendit, & quasi super baptismi aquam tanquã super pristinam sedem recognoscẽs quiescit. Nam legitur quòd in principio aquis superferebatur Spiritus sanctus.

Exorcismus Græcè, Latinè coniuratio siue sermo increpationis est aduersus diabolum vt discedat: sicut est illud in Zacharia: *Et ostendit mihi Iesum sacerdotem magnum stantem coram angelo Domini, & sathan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei: & dixit Dominus ad sathan: Increpet Dominus in te sathan, & increpet Dominus in te qui elegit Hierusalem.* Hoc est exorcismus: increpare & coniurare aduersus diabolum: vnde sciendum quòd non creatura Dei in infantibus exorcizatur aut exsufflatur, sed ille sub quo sunt omnes qui in peccato nascuntur. Est enim princeps peccatorum.

Symbolum per linguam Græcam signum vel cogni-

© Biblioteca Nacional de España

cognitio interpretatur. Discessuri enim apostoli ad euangelizandum in gentibus: hoc sibi prædicationis signum vel indicium posuerunt. Continet enim confessionem Trinitatis, & vnitatem Ecclesiæ, & omne Christiani dogmatis sacramentum. Quod symbolum fidei & spei nostræ non scribitur in charta & atramẽto, sed in tabulis cordis carnalibus.

Oratio petitio dicitur. Nam orare est petere, sicut exorare impetrare. Constat autem oratio loco & tempore. Loco, quia non vbiq; cùm prohibeamur à Christo orare in publico: sed vbi oportunitas dederit: aut necessitas importauerit. Neque enim contra præceptum reputatur ab apostolis factum, quia in carcere audientibus custodibus orabant & canebant Deo. De tempore verò dictum est: *Sine intermissione orate*, sed hoc in singularibus. Nam est obseruatio quarundam horarum communium: quæ diei interspacia signant, tertia, sexta & nona: Similiter & noctis. sed ideo orandi hæ horæ diuisæ sunt: vt si fortè aliquo fuerimus opere detenti: ipsum nos ad officium tempus admoneat: quæ tempora in Scripturis inueniuntur. Primùm enim Sanctus spiritus congregatis discipulis hora tertia est infusus. Petrus qua die visionem communicationis in illo vasculo expertus est, sexta hora orandi gratia ascenderat. Idem etiam cum Iohanne hora nona templum adijt quando * claudum sanitate reformauit. Sed & Danielem legimus hæc tempora in oratione obseruasse: & vtique ex Israelis disciplina, vt ne minus quàm ter in die adoremus. Debitores enim sumus trium personarum, Patris & Filij & Spiritus sancti, exceptis vtique & alijs legitimis orationibus, quæ sine vlla admonitione debentur in ingressu lucis ac noctis siue vigiliarum: sed & cibum non prius sumere, quã interposita oratione debemus. Priora enim habenda sunt spiritus refrigeria: quia priora cœlestia quàm terrena. Qui autem vult orationem suam volare ad Dominum: faciat illi duas alas, ieiunium & eleemosynam, & ascendet celeriter & exaudietur.

* paralyticũ

Ieiunium est parsimonia victus, abstinentiaq; ciborum, cui nomen est inditum ex quadã parte viscerum tenui semper & vacua: quod vulgò ieiunum vocatur. Vnde ieiunij nomen creditur deriuatum: quod sui inedia viscera vacuã & exinanita existunt. Ieiunium autem & statio dicitur. Statio autẽ de militari exemplo nomen accepit, pro eo quòd nulla lætitia obueniens castris stationem militum rescindat. Nam lætitia libentius: tristitia sollicitius administrat disciplinam. vnde & milites nunquam immemores sacramenti magis stationibus parent. Discernunt autem quidã inter ieiunium & stationem. Nam ieiunium est indifferenter cuiuslibet diei abstinentia: non secundũ legem, sed secundum propriam voluntatẽ. statio autem est obseruatio statutorum dierum vel temporũ. dierum, vt quartę feriæ & sextę ieiunium ex veteri lege præceptum: de qua statione in Euangelio dixit ille: *ieiuno bis in sabbato*, id est, quarta & sexta sabbati. Temporum autem quæ legalibus ac propheticis institutionibus terminatis temporibus statuta sunt, vt ieiunium quarti, quinti, septimi, & decimi mensis, vel sicut in Euangelio dies illi, in quibus ablatus est sponsus, vel sicut obseruatio quadragesimæ, quæ in vniuerso orbe institutione apostolica obseruatur circa cõfinium Dominicæ passionis. His tertium genus quidã adijciunt: quã Xerophagiam dicunt, abstinentiam scil. humentium ciborum. Vnde & nomen hoc datum, eò quòd siccis quidam escis vtantur.

Pœnitentia appellata, quasi puniẽtia, eò quòd ipse homo in se puniat pœnitendo quod malè admisit. Nam nihil aliud agunt quos veraciter pœnitet: nisi vt id quod malè fecerunt impunitum esse non sinant. Eo quippe modo sibi non parcẽtibus ille parcit: cuius altũ iustumq; iudicium nullus contemptor euadet. Perfecta est autẽ pœnitẽtia, præterita deflere & futura non admittere. Hæc secunda in similitudinẽ fontis est: vt si fortè impugnante diabolo aliquod peccatum irrepserit, huius satisfactione purgetur.

Satisfactio autem est causas peccatorum & suggestiones excludere & vltra peccatum non iterare.

Reconciliatio verò est quæ post complementum pœnitentiæ adhibetur. Nam sicut conciliamur Deo, quando primũ à gentilitate conuertimur: ita reconciliamur, quando post peccatum pœnitendo regredimur.

Exomologesis Græco vocabulo dicitur, quod Latinè confessio interpretatur: cuius nominis duplex significatio est. Aut enim in laude intelligitur confessio, sicut est: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ*. aut dum quisq; confitetur sua peccata ab eo indulgenda, cuius indeficiens est misericordia. Ex hoc ergo Græco vocabulo exprimitur & frequentatur exomologesis; qua delictũ nostrum Domino confitemur: nõ quidẽ vt ignaro, cuius cognitioni nihil occultũ est, sed cõfessio est rei scil. eius quæ ignoratur professa cognitio. Vtile enim ac iocundum quisquam esse existimauerat, rapere, adulterari, furari, sed vbi hæc æternæ damnationi obnoxia esse cognouit, cognitis ijs confitetur errorem.

Confessio autem erroris, professio est desinendi: desinẽdũ ergo à peccatis, dum confessio est. Confessio autem antecedit: remissio sequitur. Cæterùm extra veniam est qui peccatum cognoscit, nec cognitum confitetur. Itaq; exomologesis prosternendi & humiliandi hominis disciplina est: habitu atque victu, sacco & cineri incubare: corpus sordibus obscurare: animum mœroribus deijcere: illa quæ peccauit tristi tractatione mutare.

Letaniæ autem Græco nomine appellantur, quæ Latinè dicuntur rogationes. Inter letanias verò & exomologesin hoc differt, quòd exomologeses pro sola cõfess.one peccatorum agun-

© Biblioteca Nacional de España

* indicũtur tur: letaniæ verò * dicũntur propter rogandum Dominum & impetrandum in aliquo misericordiam eius. Sed nunc iam vtrumq; vocabulum sub vna significatione habetur: nec distat
* indicãtur vulgò vtrũ letaniæ: an exomologesis * dicantur. Supplicationis autem nomen quodammodo nunc ex gentilitate retinetur. Nam feriæ aut legitimæ erant apud eos, aut indictæ. Indictæ autem, quia paupertas antiqua Romanorum ex collatione sacrificabat, aut certè de bonis damnatorum. Vnde supplicia dicuntur supplicationes quę fiebant de bonis passorum supplicia.

Sacræ enim res de rebus execrandorum fiebant.

ISIDORI HISPALENSIS
EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM
LIBER VII.

CAPITA LIBRI SEPTIMI.

1 *De Deo.*
2 *De Filio Dei.*
3 *De Spiritu sancto.*
4 *De eadem Trinitate.*
5 *De angelis.*
6 *De hominibus, qui quondam præsagio nomen acceperunt.*
7 *De Patriarchis.*
8 *De Prophetis.*
9 *De Apostolis.*
10 *De reliquis in Euangelio nominibus.*
11 *De Martyribus.*
12 *De Clericis.*
13 *De Monachis.*
14 *De cæteris fidelium nominibus.*

DE DEO.

EATISSIMVS HIEronymus vir eruditissimus & multarum linguarũ peritus Hebræorum nominum interpretationẽ primus in Latinam linguã convertit. Ex quib. pro breuitate præterimisis multis quædam huic operi adiectis interpretationibus interponenda studui. Vocabulorum enim expositio satis indicat quid velint intelligi. Habent enim quædam ex proprijs causis nominum rationem. In principio autem decem nomina ponimus: quibus apud Hebræos Deus vocatur.

Primum apud Hebræos Dei nomen El dicitur: quod alij Deum: alij etymologiam eius exprimentes, ἰσχυρὸς, id est, fortem interpretati sunt: ideo quòd nulla infirmitate premitur, sed fortis est, & sufficiens ad omnia perpetranda.

Secundum nomen Eloi est.

Tertium Eloe quod vtrumq; in Latinũ Deus dicitur. Est autem nomen in Latinum: ex Græca appellatione translatum. Nam Deus Græcè θεὸς dicitur quasi δέος, id est, timor: vnde tractum est nomen Deus, quòd eum colentibus sit timor. Deus autem propriè nomen est Trinitatis pertinens ad Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Ad quam Trinitatem etiam reliqua quæ in Deo infrà sunt posita vocabula referuntur.

Quartum nomen Dei dicitur Sabaoth, quod vertitur in Latinum, exercituum siue virtutum. de quo in Psalmo ab angelis dicitur: *Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum.* Sunt autem in hu-
10 iusmodi ordinatione virtutes multæ, vt angeli, archangeli, principatus & potestates, cunctiq; cœlestis militiæ ordines: quorũ tamen ille Dominus est. Omnes enim sub ipso sunt, eiusque dominatui subiacent.

Quintum nomen Elion, quod interpretatur in Latinum excelsus: quia supra cœlos est, sicut scriptum est de eo: *Excelsus Dominus supra cœlos gloria eius.* Excelsus autem dictus, pro valde celsus. Ex enim pro valde ponitur: sicut eximius, quasi
20 valde eminens.

Sextũ nomen Eieie, id est, qui est Deus. Deus enim solus, quia æternus est, hoc est, quia exordium non habet, essentiæ nomen verè tenet. Hoc enim nomen ad sanctum Moysen per angelum est delatum. Quærenti enim quod esset nomen eius, qui eum pergere pręcipiebat ad populum ex Ægypto liberandum, Respondit: *Ego sum qui sum: & dices filijs Israel. Qui est, misit me ad vos,* tanquam in eius comparatione qui verè
30 est: quia incommutabilis est: ea quæ commutabilia facta sunt, quasi non sint. Quod enim dicitur fuit, non est: & quod dicitur erit, nondum est. Deus autem esse tantũ nouit: fuisse & futurum esse non nouit. Solus enim Pater cum Filio & Spiritu sancto, veraciter est. Cuius essentiæ comparatum esse nostrum, non esse est. Vnde & in colloquio dicimus: *Viuit Deus*: quia * essentia vita viuit, quam mors non habet. * essentiã

Septimum Adonai, quod generaliter Domi-
40 nus interpretatur, quòd dominetur creaturæ cunctæ, vel quòd creatura omnis dominatui eius deseruiat. Dominus ergo & Deus vel quòd dominetur omnib. vel quòd timeatur à cũctis.

Octauum Ia, quod in Deo tantùm ponitur: quod etiã in alleluia in nouissima syllaba sonat.

Nonum

© Biblioteca Nacional de España

Nonum Tetragrammaton, hoc est, quatuor literarum, quod propriè apud Hebręos in Deo ponitur, ioth, he, vau, he, id est, duabus ia. ia, quæ duplicata ineffabile illud & gloriosum nomen Dei efficiunt. dicitur autē ineffabilis non quia dici non potest, sed quia finiri sensu & intellectu humano nullatenus potest, & quia de eo nihil dignè dici potest, Ineffabilis est.

Decimum Saddai, id est, omnipotens. Vocatus autem omnipotens, eò quòd omnia potest, sed à faciendo quod vult, non à patiendo quod non vult. Quod si ea accideret nequaquam esset omnipotens. facit enim quicquid vult, & inde omnipotens. Dicuntur autem & alia quædā in Deum substātialiter nomina, vt immortalis, incorruptibilis, incommutabilis, ęternus. Vnde & meritò cunctæ præponitur creaturæ.

Immortalis sicut de eo scriptū est, *Qui solus habet immortalitatem*: quia in eius natura nulla est commutatio. Nam omnis mutabilitas nō inconuenienter mortalis dicitur, secundum quam & anima mori dicitur: non quia in corpus vel in aliquam alteram substantiam mutatur & vertitur, sed in ipsa sua substantia quicquid alio modo nunc est, aut fuit. secundum id quod destitit esse quod erat, mortalis vtiq; deprehenditur ac per hoc solus Deus dicitur immortalis, quia solus incommutabilis.

Incorruptibilis appellatur, quia corrumpi & dissolui non potest, nec diuidi. Quicquid enim capit diuisionē & interitum capit. Ille nec diuidi potest, nec interire. Inde incorruptibilis est.

Incommutabilis est, quia semper manet & mutari nescit. Nec proficit: quia perfectus est: nec deficit, quia æternus.

Æternus est, quia sine tempore est. Nō enim habet initium neq; finem. Hinc & sempiternus, eò quòd sit semper æternus. A quibusdā autem æternus ab æthere creditur dictus: quoniā cœlum sedes eius habetur. vnde est illud: *Cœlū cœli Domino*. & hęc ista quatuor vnū significant. nam vna eademque res dicitur, siue dicatur ęternus Deus, siue immortalis, siue incorruptibilis, siue immutabilis.

Inuisibilis, quia nunquam per substantiam suam apparuit oculis mortalium Trinitas, nisi per speciem subiectæ creaturæ eiusdemq; corporeę. Nam nemo potest ipsam *maiestatē essentiæ Dei videre & viuere, sicut & dictū est Moysi. * vnde & Iohannes in Epistola sua dicit: *Deum nemo vidit vnquā*. Res est enim inuisibilis: ideoq; non oculo, sed corde quærendus est.

*manifestationem

* vnde & Dominus in Euangelio dicit:

Impassibilis est, quia nullis perturbationib. afficitur: quibus fragilitas humana succumbit. Nō enim attingūt eum vllę passiones vt libido, iracundia, cupiditas, dolor, mœror, inuidia, &c. quibus humana mens turbatur. Sed cū dicitur, Deus irasci, aut zelari, aut dolere: nostro vsu dicitur. Apud Deum enim perturbatio nulla est, apud quem tranquillitas summa est.

Simplex autem dicitur siue non amittendo quod habet: seu quia non aliud est ipse, & aliud quod in ipso est: sicut in homine, cuius aliud est esse, aliud sapere. Nam & esse quis potest, & sapiens nō esse: Deus autem habet essentiā: habet & sapientiam: sed quod habet, hoc & est, & omnia vnus est: ac proinde simplex est: quia non in eo aliquid accidentis est, sed quod est & quod in ipso est, essentialiter est. excepto quod relatiuè ad quamcunque personam est.

Summè bonus, quia incommutabilis est. Creatura verò bonum, sed non summū est: quia mutabilis est. Et dum sit quidam bonum, non tamen esse potest & summum bonum.

Incorporeus autem vel incorporalis ideo dicitur Deus, vt spiritus credatur vel intelligatur esse, non corpus. Nam dum dicitur spiritus: eius significatur substantia.

Immensus, quia cuncta concludit, sed omnia intra eius omnipotentiam coartantur.

Perfectus dicitur, quia nihil ei possit adijci. Attamen de consummatione alicuius facti perfectio dicitur. Deus autē qui nō est factus, quomodo est perfectus? Sed hoc vocabulū de vsu nostro sumpsit humana inopia, sicut & reliqua verba, quatenus id quod ineffabile est, vtcunq; dici possit: quoniam de Deo nihil dignè humanus sermo dicit, sicut sunt & alia.

Creator dictus pro totius mundi rebus ab ipso creatis. Nihil enim est quod non originem à Deo traxerit. Ipse & vnus, quia diuidi non potest, vel quia nihil esse aliud potest, quod tantundem capiat potestatis.

Hæc igitur quæ de Deo dicta sunt, ad totam pertinent Trinitatē propter vnā & coæternam substantiam, siue in Patre, siue in Filio eius Vnigenito in forma Dei, siue in Spiritu sancto: qui vnus est spiritus Dei Patris & Filij eius vnigeniti.

Sunt autem & quædam vocabula ex vsu nostro ad Deum sumpta: de membris nostris: siue de inferioribus: & quia in propria natura inuisibilis & incorporeus est, pro efficientijs tamen causarum in ipso rerum species ascribuntur. vt more locutionis nostræ facilius seipsum insinuet: vt quia omnia videt, dicatur oculus: propter quod audit omnia, dicatur auris. pro eo quod auertitur: ambulat, pro eo quod spectat: stat. Sic & in cæteris horum similibus ab humanis mentibus trahitur similitudo ad Deum: sicut est obliuiscens & memorans. Hinc est quod & Propheta dicit: *Iurauit Dominus exercituum per animam suam*: non quòd animam Deus habeat, sed hoc nostro narrat affectu. Nam & facies Dei in scripturis sanctis non caro, sed diuina cognitio intelligitur: eadem ratione qua per faciem conspectam quisque cognoscitur.

Hoc enim in creatione dicitur Deo: *Ostende nobis faciem tuam*. ac si dicatur: Da nobis cognitionem tuam. Sic & vestigia Dei dicuntur: quia nunc Deus per speculum agnoscitur: ad perfectum verò omnipotens reperietur, dum in futuro, facie ad faciem quibusque electis præsentabitur, vt ipsam speciem contemplentur: cu-

© Biblioteca Nacional de España

cuius nunc vestigia comprhẽdere cõantur, hoc est, quem videre per speculum dicuntur. Nam & situs & habitus & locus & tempus in Deum non propriè, sed per similitudinem translatiuè dicuntur: quippe *sedere super Cherubin* dicitur, quod est ad situm: & *abyssus tanquam vestimentum amictus*, quod est ad habitum. Et, *Anni tui non deficient*: quod ad tempus pertinet. Et, *Si ascendero in cœlum, tu ibi es*, quod ad locum manet. Nam & in Propheta, *Plaustri portantis fenum* species ad Deum ducitur. Hæc & omnia per figuram Deus: quia nihil est horum ad proprietatem substantiæ eius.

De Filio Dei.

MVltis etiam modis Christus appellari in scripturis inuenitur diuinis. Nam ipse Dei Patris Vnigenitus filius dum esset ęqualis Patri, propter salutem nostram formam serui accepit. Proinde quædam nomina in illo ex diuinitatis substantia: quædam ex dispensatione susceptæ humanitatis assumpta sunt. Christus nanq; à chrismate est appellatus: hoc est, vnctus. Præceptum enim fuerat Iudæis, vt sacrum conficerent vnguentum: quo perungi possent ij qui vocabãtur ad sacerdotium vel ad regnum: & sicut nunc regibus indumentũ purpuræ insigne est regiæ dignitatis: sic illis vnctio sacri vnguenti nomen ac potestatem regiam conferebat: & inde Christi dicti à chrismate, quod est vnctio. Nam chrisma Græcè, Latinè vnctio nuncupatur: quæ etiam Domino nomen accommodauit facta spiritualis: quia spiritu vnctus est à Deo Patre: sicut dicitur in Actibus apostolorum: *Collecti sunt enim in hac ciuitate, aduersus sanctum Filium tuum, quem vnxisti*: non vtique oleo visibili, sed gratiæ dono, quod visibili significatur vnguento.

Non est autem Saluatoris proprium nomen Christus, sed communis nuncupatio potestatis. dum enim dicitur Christus, commune nomen dignitatis est, dum Iesus Christus, proprium est vocabulum Saluatoris. Christi enim nomen nusquam alibi omnino, nec in aliqua gente fuit, nisi tantũ in illo regno vbi Christus prophetabatur, & vnde venturus erat.

Messias autem Hebraicè dicitur, Græcè Christus, Latina autem locutione vnctus.

Iesus Hebraicè, Græcè Σωθὴς, Latinè autem salutaris: siue saluator interpretatur, pro eo quod cunctis gentibus salutifer venit. Etymologiam enim nominis huius etiam Euangelista significat, dicens, *Vocabitur nomen eius Iesus, id est, Saluator: quia ipse saluum faciet populum suum*. Sicut enim Christus significat Regem: ita Iesus significat Saluatorem. Non itaque nos saluos facit quicunque rex, sed rex Saluator. Quod verbum Latina lingua antea non habebat, sed habere poterat: sicut potuit quando voluit.

Emanuel ex Hebræo in Latinum significat, nobiscum Deus, scilicet, quia per virginem natus Deus hominibus in carne mortali apparuit, vt terrenis viam salutis ad cœlum aperiret. Ad diuinitatis autem substantiam quæ pertinent, ista sunt, Dominus & Deus.

Deus autem dictus propter vnitam cum Patre substantiam.

Dominus autem, propter seruientem creaturam.

Deus autem & homo, quia Verbum & caro. Vnde & bis genitus dicitur, siue quia Pater eum genuit sine matre in æternitate, siue quia mater sine patre in tempore.

Vnigenitus autem vocatur secundum diuinitatis excellentiam: quia sine fratribus primogenitus est secundum susceptionem hominis, in qua per adoptionem gratiæ fratres habere dignatus est: quibus esset primogenitus.

Omousios Patri ab vnitate substantiæ appellatur. Substantia enim vel essentia Græcè οὐσία dicitur: ὅμως * vnus. Vtrumque igitur coniunctum sonat vna substantia. Hoc autem vocatur omousion, quod est, Ego & Pater vnum sumus, hoc est, eiusdem cum Patre substantiæ. Quod nomen etsi scriptum in sanctis literis non inueniatur: in assertione tamen totius Trinitatis defenditur: quia datur ratio vnde rectè dici ostendatur: sicut & Pater in illis libris nusquam Ingenitus legitur, sed tamen dicendus esse atq; credendus non dubitatur. Omœusios similis substantiæ: quia qualis Deus: talis est & imago eius. Inuisibilis Deus & imago eius inuisibilis.

* *rectius vna, id est, con. dicitur enim coessentialis.*

Principium, eò quòd ab ipso sint omnia, & quia ante eum nihil.

Finis, vel quia dignatus est in fine temporum humiliter in carne nasci & mori: & iudicium nouissimum ipse suscipere: vel quia quicquid agimus ad illum referimus. Et cùm ad eum peruenerimus vltra quod quæramus non habebimus.

Os Dei est: quia verbum eius est. Nam sicut pro verbis, quæ per linguã fiunt sæpe dicimus, illa & illa lingua: ita & pro Dei verbo os ponitur, quia mos est vt ore verba formentur.

Verbum autem ideo dicitur: quia per eum omnia condidit siue iussit.

Veritas: quia non fallit, sed tribuit quod promisit.

Vita, quia creauit.

Imago Dei, propter parem similitudinem Patris.

Figura est: quia suscipiens formam serui, operum virtutumque similitudinem, Patris in se imaginem atq; immensam magnitudinem designauit.

Manus Dei est, quòd omnia per ipsum facta sunt. Hinc & dextera propter effectum operis totius creaturæ, quæ per ipsum formata est.

Brachium, quia ab ipso omnia continentur.

Virtus pro eo quòd omnem potestatem Patris in semetipso habeat. & omnem cœli terræq; creaturam gubernet, contineat atq; regat.

Sapientia pro eo quòd ipse reuelet mysteria

© Biblioteca Nacional de España

ria scientiæ & arcana sapientiæ. Sed tamen cũ sit Pater & Filius & Spiritus sanctus sapientia & virtus & lux, propriè tamen ijs nominibus Filius nuncupatur.

Splendor autem appellatur propter quod manifestat.

Lumen, quia illuminat.

Lux, quia ad veritatem cõtemplandam cordis oculos reserat.

Sol, quia illuminat omnes.

Oriens, quia luminis fons & illustrator est rerum: & quòd oriri nos faciat ad vitam ęternã.

Fons, quia rerũ omnium origo est. vel quòd satiat sitientes. Ipse quoq; A & Ω. Alpha enim literã nulla pręcedit. Prima est enim literarũ, sicut & Filius Dei. Ipse enim se principiũ Iudæis interrogantibus esse respondit. Vnde & Iohannes in Apocalypsi, propriè ipsam literam ponẽs ait: *Ego sum* A *&* Ω, *primus & nouissimus.* Primus, quia ante eum nihil est. Nouissimus, quia nouissimum iudicium ipse suscipiet.

Mediator, quia inter Deum & hominem medius constitutus est, vt hominem ad Deum perduceret: vnde & illum Græci μεσίτλω vocant.

Paracletus, id est, aduocatus, quia pro nobis intercedit apud Patrem: sicut & de eo dicit Iohannes: *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum.* Paracletus autem Græcum est, quod Latinè dicitur aduocatus. Quod nomen & Filio & spiritui sancto ascribitur. iuxta quod & Dominus in Euangelio ait: *Rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis.*

Intercessor autem ideo vocatur, quia pro culpa nostra remouenda curam gerit. & pro abluendis nostris criminibus curam impendit.

Spõsus, quia descẽdẽs è cœlo, adhęsit Ecclesię, vt pace noui testamẽti essent duo in carne vna.

Angelus dicitur propter annunciationem paternæ ac suę voluntatis. Vnde & apud Prophetam *magni consilij angelus* legitur, dum sit Deus, & Dominus angelorum.

Missus dicitur, eò quòd apparuit huic mundo Verbum caro factũ: vnde & idem dicit, *Ego à Patre exiui, & veni in hunc mundum.*

Homo autem dicitur, quia natus est.

Propheta, quia futura reuelauit.

Sacerdos, quia pro nobis hostiam se obtulit.

Pastor, quia custos.

Magister, quia ostensor.

Nazarenus verò à loco.

Nazaręus à merito, id est, sanctus siue mundus, quia peccatum non fecit.

Siquidẽ & de alijs inferiorib. reb. nominũ species ad se trahit Christus: vt facilius intelligat.

Dicitur enim Panis, quia caro.

Vitis, quia sanguine ipsius redempti sumus.

Flos, quia electus.

Via, quia per ipsum ad Deum imus.

Ostiũ, quia per ipsum ad Deum ingredimur.

Mons, quia fortis.

Petra, quia firmitas est credentium.

Lapis angularis, vel quia duos parietes è diuerso de circumcisione & præputio venientes in vnam fabricam Ecclesiæ iungit: vel quòd pacem in se angelis & hominibus facit.

Lapis offensionis, quia veniens humilis, offenderunt in eum increduli homines: & factus est petra scandali, sicut dicit Apostolus: *Iudæis quidem scandalum.*

Fundamentum autem ideo vocatur, quia fides in eo firmissima est, vel quia super eum catholica Ecclesia constructa est.

Sed & Christus Agnus, pro innocentia.

Ouis, propter patientiam.

Aries, propter principatum.

Hœdus, propter similitudinẽ carnis peccati.

Vitulus, pro eo quòd ꝓ nobis est immolatus.

Leo, pro regno & fortitudine.

Serpens, pro morte & sapientia.

Vermis, quia resurrexit.

Aquila, propter quod post resurrectionẽ ad astra remeauit. Nec mirum si vilibus significationibus figuretur, qui vsque ad nostrarum passionum, seu carnis contumelias descendisse cognoscitur. Qui cùm sit coæternus Dei Patris ante secula Filius, postquam venit plenitudo temporis, propter salutem nostrã formam serui accepit, & factus est Filius Dei, hominis filius. Inde quędam de illo in scripturis sanctis secundum formam Dei, quædam secundum formam serui dicuntur. Quorum exempli gratia duo quędam commemorantur: vt singula ad singula referantur. Secundum formam Dei de seipso dixit: *Ego & Pater vnum sumus:* secundum formã serui, *Quoniam Pater maior me est.* Homines autẽ minus intelligentes quid pro quo dicatur, ea quæ propter formam serui dicta sunt, volunt transferre ad formam Dei: & rursus ea quæ dicta sunt, vt ad se inuicem personæ referantur, volunt nomina esse naturæ atque substantiæ, & faciunt errorem in fide. Sic autem Dei filio conuncta est humana natura, vt ex duabus substantijs fieret vna persona. Solus ergo homo pertulit crucem, sed propter vnitatem personæ & Deus dicitur pertulisse. Hic est quod scribitur: *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*, Filium ergo Dei crucifixum fatemur: non ex virtute diuinitatis, sed ex infirmitate humanitatis: non ex suæ naturæ permansione, sed ex nostra susceptione.

De Spiritu sancto.

SPiritus sanctus ideo prędicatur Deus, quia ex Patre Filioq; procedit: & substantiã eorum habet. Neq; enim aliud de Patre procedere potuit, quàm quòd ipse est Pater. Spiritus sanctus autẽ dictus secundũ id quod ad aliquid refertur spirans. Spirans vtiq; spiritu inspirans est, & ex eo appellatus spiritus est. Proprio autem modo quodã Spiritus sanctus secundũ quod refertur ad Patrem & Filium quòd eorum spiritus sit. Nam & hoc nomen quod spiritus dicitur, non semper secundũ id quod refertur ad aliquid: sed secundũ id quod aliquam naturam significat, intelligitur. Omnis enim incorporea

© Biblioteca Nacional de España

natura ſpiritus in ſcripturis ſacris appellatur. vnde non tantũ Patri & Filio,& Spiritui ſancto, ſed omni rationali creaturæ & animę hoc vocabulũ congruit.Ideo igitur Spiritus Dei ſanctus vocatur, quia Patris & Filij ſanctitas eſt. Nam cũ ſit & Pater ſpiritus,& Filius ſpiritus,& Pater ſanctus &Filius ſanctus:propriè tamen ipſe vocatur Spiritus ſanctus, tanquam ſanctitas coeſſentialis & conſubſtantialis ambòrum.

Spiritus ſanctus ideo non dicitur genitus,ne duo in Trinitate Filij ſuſpicẽtur. Ideo nõ prędicatur ingenitus,ne duo Patres in ipſa Trinitate credãtur. Procedens autem dicitur teſtimonio Domini dicentis: *Multa adhuc habeo quæ vobis loquar, ſed nõ poteſtis illa modò audire. Veniet autẽ Spiritus veritatis, qui à Patre procedit & de meo accipiet: ille vobis indicabit omnia.* Hìc autem non ſolùm natura procedit, ſed ſemper ad peragenda diuinitatis opera * indeficienter procedit.

* indeſinenter

Hoc autem intereſt inter naſcentẽ Filium & procedentẽ Spiritum ſanctũ,quòd filius ex vno naſcitur: Spiritus ſanctus ex vtroq; procedit:& ideo dicit Apoſtolus: *Qui autem ſpiritum Chriſti non habet,hic non eſt eius.*

Spiritus ſanctus ex opere etiã angelus intelligitur. dictũ eſt enim de illo:*Et quæ ventura ſunt annunciabit vobis*:& vtiq; angelus Grękè, Latinè nuncius nterpretatur Vnde & duo angeli apparuerunt Loth, in quibus Dominus ſingulariter appellatur quod intelligimus Filium & Spiritũ ſanctum:nam Pater nunquam legitur miſſus.

Spiritus ſanctus quòd dicitur paracletus, à cõſolatione dicitur. παράκλησις enim Græcè,Latinè conſolatio appellatur. Chriſtus enim eum apoſtolis lugentibus miſit: poſtquã ab eorum oculis ipſe in cœlũ aſcendit. Conſolator enim triſtibus mittitur,ſecundum illam eiuſdem Domini ſententiam,*Beati lugentes,quoniã ipſi conſolabũtur.*Ipſe etiam dixit:*Tùm lugebũt filij ſponſi,cùm ablatus ab eis fuerit ſponſus.*Item paracletus p o eo quòd conſolationem p æſtet animabus, quæ gaudiũ temporale amittunt. Alij paracletũ Latinè oratorẽ vel aduocatum interpretantur. Ipſe enim Spiritus ſanctus dicit: *Ipſe docet,per ipſum datur ſermo ſapiẽtiæ:ab ipſo ſãcta ſcriptura inſpirata eſt.*

Spiritus ſanctus ideo ſeptiformis nuncupatur,propter dona quę de *vnita eius plenitudine particulatim recipientes quiq; vt digni ſunt cõſequi promerẽur. Ipſe enim ſpiritus ſapiẽtiæ & intellectus:ſpiritus cõſilij & fortitudinis:Spiritus ſciẽtię & pietatis:ſpiritus timoris Domini.

* vnitatis

Spiritus autem principalis in Pſalmo quinquageſimo legitur: vbi quia tertio ſpiritus repetitur,nonnulli Trinitatẽ intellexerunt in Deũ, quia ſcriptũ eſt: *Deus Spiritus eſt.* Quod enim nõ eſt corpus,& tamen eſt: videtur reſtare vt ſpiritus ſit. Intelligunt ergo ibi nonnulli Trinitatẽ ſignificari:in ſpiritu principali Patrem: in Spiritu recto Filiũ:in Spiritu ſancto, Spiritũ ſanctũ.

Spiritus ſanctus ideo donũ dicitur, eò quòd datur. A dando enim donum eſt nuncupatum. Notiſsimũ eſt enim dominum Ieſum Chriſtum cùm poſt reſurrectionem à mortuis aſcendiſſet in cœlũ, dediſſe Spiritum ſanctũ:quo credentes impleti,linguis omnium gentium loquebãtur. In tantum autem donũ Dei eſt: inquantum datur eis,qui per eum diligũt Deum. Apud ſe autem Deus eſt: apud nos autem, donum eſt,ſed ſempiternę ſalutis Spiritus ſanctus donum eſt, diſtribuens ſingulis gratiarũ dona, prout vult. Nam & prophetias quibus vult impartit,& peccata quibus vult dimittit. Nam peccata ſine Spiritu ſancto non donantur.

Spiritus ſanctus inde propriè charitas nuncupatur: vel quia naturaliter eos à quibus procedit,coniungit,& ſe vnũ cum eis eſſe oſtendit: vel quia in nobis id agit, vt in Deo maneamus, & ipſe in nobis. vnde & in donis Dei nihil maius eſt charitate: & nullum maius eſt donum Dei quàm Spiritus ſanctus.

Ipſe eſt & gratia, quæ quia non meritis noſtris,ſed voluntate diuina gratis datur,inde gratia nuncupatur. Sicut autem vnicum Dei verbum propriè vocamus nomine ſapientiæ cùm ſit vniuerſaliter & Spiritus ſanctus & Pater ipſe ſapientia: ita Spiritus ſanctus propriè nuncupatur vocabulo charitatis: cùm ſit Pater & Filius vniuerſaliter charitas.

Spiritus ſanctus Digitus Dei eſſe in libris euangeliorum apertiſsimè declaratur. Cùm enim vnus euangeliſta dixiſſet: *In digito Dei eijcio dæmonia*:alius hoc idem ita dixit: *In ſpiritu Dei eijcio dæmonia.* vnde & digito Dei ſcripta lex eſt, data die quinquageſimo ab occiſione Agni: & die quinquageſimo à paſsione Domini venit Spiritus ſanctus.Ideo autẽ digitus Dei dicitur, vt eius operatoria virtus cum Patre & Filio ſignificetur. vnde & Paulus ait: *Hæc omnia operatur vnus atq; idẽ Spiritus diuidens ſingulis prout vult.* Sic autem per Baptiſmũm in Chriſto morimur & renaſcimur: ita Spiritu ſignamur, qui eſt digitus Dei & ſpirituale ſignaculum.

Spiritus ſanctus idcirco in columbæ ſpecie veniſſe ſcribitur,vt natura eius per auem ſimplicitatis & innocentię declaretur.vnde & Dominus:*Eſtote,*inquit,*ſimplices ſicut columbæ.* Hæc enim auis corporaliter ipſo felle caret: habẽs tantùm innocentiam & amorem.

Spiritus ſanctus inde nomine ignis appellatur, propter hoc quòd in actibus apoſtolorum per diuiſionem linguarum vt ignis apparuit, qui & inſedit ſuper vnumquemq; eorum.

Propterea autem diuerſarum linguarũ gratiam apoſtolis dedit, vt idonei efficerentur fidelium eruditione populorum.

Quòd verò ſupra ſingulos ſediſſe memoratur,id cauſæ eſt,vt intelligatur perplures nõ fuiſſe diuiſus, ſed manſiſſe in ſingulis totus, ſicut verè ignibus mos eſt. Hanc enim naturã habet ignis accenſus:vt quanti ad eum,quanti ad crinem purpurei ſplendoris aſpexerint: tantis viſum ſuæ lucis impertiat, tantis miniſterium ſui muneris tribuat, & nihilominus ipſe in ſua integritate permaneat.

Spi-

© Biblioteca Nacional de España

Spiritus ſanctus nomine aquæ appellatur in Euangelio, Domino clamante & dicente, *Si quis ſitit veniat ad me & bibat. Qui credit in me, flumina aquæ viuæ fluent de ventre eius.* Euangeliſta autem expoſuit vnde diceret. Secutus enim ait. *Hoc aũt dicebat de ſpiritu quẽ accepturi erãt credentes in eũ*, ſed aliud eſt aqua ſacramẽti, aliud aqua quę ſignificat ſpiritum Dei. Aqua enim ſacramenti viſibilis eſt. aqua Spiritus ſancti inuiſibilis eſt. Iſta abluit corpus, & ſignificat quod fit in anima. per illum autẽ Spiritũ ſanctũ ipſa anima mundatur & ſaginatur.

Spiritus ſanctus ideo vnctio dicitur, Ioanne apoſtolo teſtante, quia ſicut oleũ naturali pondere ſuperfertur omni liquori, ita in principio ſuperferebatur Spiritus ſanctus aquis. Vnde & Dominus oleo exultationis, hoc eſt Spiritu ſancto legitur fuiſſe vnctus: ſed & Ioannes apoſtolus Spiritum ſanctum vnctionẽ vocat dicens. *Et vos* inquit *vnctionẽ quã accepiſtis ab eo permaneat in vobis, & non neceſſe habetis, vt aliquis doceat vos: ſed ſicut vnctio eius docet vos de omni re.* Ipſe enim Spiritus ſanctus vnctio eſt inuiſibilis.

De eadem Trinitate.

TRinitas appellatur, quod fiat totũ vnũ ex quibuſdam tribus, quaſi Triunitas, vt memoria, intelligẽtia, & voluntas, in quibus mens habet in ſe quandã imaginẽ diuinæ Trinitatis. Nã dum tria ſint, vnum ſunt: quia & ſingula in ſe manent, & omnia in omnibus. Pater igitur & Filius & Spiritus ſanctus Trinitas & vnitas. Idẽ enim vnũ, idẽ & tria. In natura vnum, in perſonis tria. Vnũ propter maieſtatis cõmunionẽ, tria propter perſonarum proprietatẽ. Nam alius pater, alius filius, alius Spiritus ſanctus: ſed alius quidem nõ aliud, quia pariter ſimplex, pariterq; incommutabile bonum & coæternũ. Pater ſolus, non eſt de alio: ideo ſolus appellatur ingenitus. Filius ſolus de patre eſt natus, ideo ſolus dicitur genitus. Spiritus ſanctus ſolus de patre & filio procedit: ideo ſolus amborũ nuncupatur ſpiritus.

In hac Trinitate, alia ſunt appellatiua nomina, alia propria ſunt. Propria enim ſunt eſſentialia, ut Deus, Dominus, omnipotens, incõmutabilis, immortalis. Et inde propria, quia ipſam ſubſtantiã ſignificant, qua vnum ſunt. Appellatiua verò pater & filius & Spiritus ſanctus, ingenitus, & genitus, & procedens. Eadẽ & relatiua: quia ad ſe inuicẽ referuntur. Cũ enim Deus dicitur, eſſentia eſt, quia ad ſeipſum dicitur. Cum verò dicitur pater & filius & Spiritus ſanctus, relatiuè dicuntur, quia ad ſe inuicẽ referuntur. Nã pater nõ ad ſeipſum, ſed ad filium, relatiuè dicitur: quia eſt ei filius: ſic & filius relatiuè dicitur, quia eſt ei pater: ſic Spiritus ſanctus, quia eſt patris filijq; ſpiritus. His enim appellatiõibus hoc ſignificatur, quod ad ſeinuicẽ referuntur, non ipſa ſubſtantia qua vnũ ſunt. Proinde Trinitas in relatiuis perſonarũ nominibus eſt, deitas nõ triplicatur, ſed in ſingularitate eſt: quia ſi triplicatur, deorum inducimus pluralitatem.

Nomen aut deorũ in angelis & ſanctis hominibus ideo pluraliter dicitur, propter quod non ſint merito ęquales. De quibus pſalmus, *Ego dixi dij eſtis.* De patre autem & filio & Spiritu ſancto propter vnã & æqualẽ diuinitatẽ nõ nomẽ deorum: ſed Dei eſſe oſtẽditur: ſicut ait apoſtolus, Nobis tamẽ vnus Deus, vel ſicut voce diuina dicitur, *Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt*, vt ſcilicet Trinitas ſit, & vnus Dominus Deus ſit. Fides apud Græcos de Trinitate hoc modo eſt vna οὐσία, ac ſi dicatur vna natura, aut vna eſſentia. Tres hypoſtaſes, quod reſonat in Latinũ vel tres perſonas, vel tres ſubſtãtias. Nã latinitas propriè nõ dicit de Deo niſi eſſentiã, ſubſtantiã verò nõ propriè dicit ſed abuſiuè: quoniam verè ſubſtantia apud Græcos perſona intelligitur non natura.

De angelis.

ANgeli Græcè vocãtur, Hebraicè dicuntur malooth: Latinè verò nuncij interpretantur, ab eo quòd Domini voluntatẽ populis nuntient. Angelorum autẽ vocabulum, officij nomen eſt, non naturę. ſemper enim ſpiritus ſunt, ſed cũ mittuntur vocantur angeli. Quibus ideo pictorũ licentia pennas facit, vt celerẽ eorũ in cuncta diſcurſum ſignificẽt, ſicut & iuxta fabulas poetarũ venti pẽnas habere dicũtur, propter velocitatẽ ſcilicet. Vnde ſcriptura ſacra dicit. *Qui ambulat ſuper pennas ventorũ.* Nouẽ autem ordines eſſe angelorum ſacræ ſcripturæ teſtantur, id eſt angeli, archangeli, throni dominationes, virtutes, principatus, poteſtates, cherubin & ſeraphin. Quorum officiorũ vocabula cur ita dicta ſint, interpretando exequimur. Angeli vocantur propter quod de cœlis ad annuntiandũ hominibus mittuntur. Angelus enim Grecè Latinè nuntius dicitur.

Archangeli Greca lingua, Latina ſummi nuncij interpretantur. Qui enim parua vel minima annuntiant angeli: qui verò ſumma, archangeli nuncupantur. Archangeli dicti quod primatũ teneant inter angelos. Ἀρχὴ enim Græcè, Latinè principatus interpretatur. Sunt enim duces & principes, ſub quorum ordine vnicuiq; angelorum officia deputata ſunt. Nam quia archangeli angelis præſunt, Zacharias propheta teſtatur dicẽs: *Et ecce angelus qui loquebatur in me egrediebatur, & alius angelus egrediebatur in occurſum eius, & dixit ad eum. Curre & loquere ad puerum iſtum dicens: Abſq; muro habitabitur Hieruſalem.* Si enim in ipſis officijs angelorũ nequaquã poteſtates ſuperiores inferiores diſponerent, nullo modo hoc qd̃ homini diceret angelus ab angelo cognouiſſent. Quidã autẽ archangelorum priuatis nominibus appellantur, vt per vocabula ipſa in opere ſuo quod valeant deſignetur.

Gabriel Hebraicè in linguam noſtram vertitur Fortitudo Dei. Vbi enim potẽtia diuina vel fortitudo manifeſtatur: Gabriel mittitur. Vnde & eo tempore quo erat Dominus naſciturus &

© Biblioteca Nacional de España

triumphatūrus de mundo Gabriel mittitur ad Mariam, vt illū annuntiaret: qui ad debellādas aereas potestates humilis venire dignatus est.

Michael interpretatur, quis vt Deus? Quando enim aliquid in mundo miræ virtutis fit, hic archangelus mittitur. Et ex ipso opere nomen est eius: quia nemo valet facere quod facere pręualet Deus.

Raphael interpretatur curatio, vel medicina Dei. Vbicunq; enim curandi & medendi opus necessarium est, hic archangelus à Deo mittitur, & inde medicina Dei vocatur. Vnde & ad Tobiam idem archangelus missus oculis eius curationē adhibuit, & cæcitate detersa visum eius restituit. Nominis enim interpretatione & angeli officium designatur.

Vriel interpretatur Ignis Dei, sicut legimus apparuisse ignem in rubo. Legimus etiam ignē missum desuper, & implesse quod præceptū est.

Throni autem, & dominationes, & principatus, & potestates, & virtutes: quibus vniuersam cælestem societatem Apostolus complectitur, ordines angelorum & dignitates intelliguntur, & pro hac ipsa distributione officiorū alij throni, alij dominationes, alij principatus, alij potestates dicuntur, pro certis dignitatibus quibus inuicem distinguuntur.

Virtutes angelicæ quædam ministeria perhibentur, per * quæ signa & miracula in mundo fiunt: propter quod & virtutes dicuntur.

*al. quos.

Potestates sunt, quibus virtutes aduersę subiectę sunt, & inde Potestatū nomine nūcupanturquia magni spiritus eorū potestate coercentur, ne tātùm mūdo noceāt, quantū cupiunt.

Principatus sunt hi, qui angelorum agminibus præsunt. Qui pro eo quod subditos angelos ad explendum ministerium diuinum disponunt, principatus vocabulum acceperunt. Nam alij sunt qui administrāt, alij qui assistunt, sicut per Danielem dicitur.

Milia milium ministrabant ei, et decies milies centena milia assistebant ei.

Dominationes sunt ij, qui etiam Virtutibus & Principatibus præeminent: qui pro eo quòd cęteris angelorum agminibus dominantur, Dominationes vocantur.

Throni sunt agmina angelorum, qui latino eloquio sedes dicuntur: & vocati Throni, quia illis conditor præsidet, & per eos iudicia sua decernit vel disponit.

Cherubin autem & ipsę sublimes cœlorum potestates, & angelica ministeria perhibentur: qui ex Hebręo in linguam nostram interpretantur scientiæ multitudo. Sunt autem * sublimiora agmina angelorum: qui pro eo quod vicinius positi diuina sciētia cæteris amplius pleni sunt, Cherubin hoc est, plenitudo scientiæ appellantur. Ipsa sunt duo illa animalia super propiciatorium arcę facta ex metallo, propter significandam angelorum præsentiam, in quorum medio ostenditur Deus.

* sublimiorum.

Seraphin quoq; similiter multitudo angelorum est, qui ex Hebræo in latinum ardentes vel incendentes interpretantur. Qui idcirco ardentes vocantur, quia inter eos & Deum nulli alij angeli consistunt: & ideo quanto vicinius corā Deo consistunt, tanto magis claritate diuini luminis inflammantur. Vnde & ipsi velāt faciem & pedes sedentis in throno Dei: & idcirco cætera angelorum turba videre Dei essentiam plenè non valet: quoniam * Seraphin eam tegit.

* cherubin

Hæc igitur vocabula agminum angelorū ita sunt specialia ordinum singulorū, vt tamen sint ex parte cōmunia omnium. Nam dum Throni sedes Dei in quorundam angelorum ordine specialiter designentur, tamen per Psalmistam, *Qui sedes super Cherubin*, dicitur. Sed ideo isti ordines angelorum priuātis nominibus appellantur: quia hoc ipsum officium in proprio ordine plenius acceperunt. Et cum sint omnibus communia, propria tamen hæc nomina suis ordinibus deputantur.

Vnicuiq; etiam, sicut prædictum est, propria officia sunt iniūcta: quæ eos pmeruisse in mundi cōstat exordio. Nā quia angeli & locis & hominibus præsunt, per prophetam testatur angelus dicens, *Princeps regni Persarum restitit mihi.* Vnde apparet, nullum esse locum cui angeli non præsunt. Pręsunt enim & auspicijs operum omnium.

Hic est ordo vel distinctio angelorū: qui post lapsum malorum in cælesti vigore steterunt. Nā postquam apostatæ angeli ceciderūt, hi in perseuerantia æternæ beatitudinis solidati sunt. Vnde & post cœli creationem in principio repetitur, *Fiat firmamentum, & vocatum est firmamentum cœlum.* nimirum ostendens: quod post ruinā angelorum malorum: hj qui permanserunt, firmitatem æternæ perseuerantiæ consecuti sunt. nullo iam lapsu auersi, nulla superbia cadentes, sed firmiter in Dei amore & contemplatione manentes, nihil aliud dulce habent, nisi eum à quo creati sunt.

Quod aūt duo Seraphim in Esaia legūtur, figuraliter veteris & noui testamenti significationē ostēdūt. Faciēe verò & pedes operiunt Dei, quia præterita aut mundū, & futura post mundum scire non possumus: sed media tantùm eorum testimonia contemplamur. Singuli senas alas habent, quia fabricam tātum mundi, quæ in sex diebus facta est, in præsenti seculo nouimus. Quod clamāt ter sanctus alter ad alterum, Trinitatis in vna diuinitate demonstrant mysterium.

De nominibus quæ quodam præsagio nomen acceperunt.

PLęriq; primorum hominū ex proprijs causis originem nominum habēt. Quibus ita propheticè indita sunt vocabula: vt aut futuris aut præcedentibus eorum causis conueniant. In quibus tamen manēte spiritali sacramento, nunc tantum ad literum intellectum historiæ persequimur. Vbi autem etymologiæ interpretationem

© Biblioteca Nacional de España

pretationem non attingimus: solá ipsam etymologiam in latinum ponimus. Quod autem vnũ nomen Hebraicum aliter atq; aliter interpretatur: hoc secundum accentuum & literarum euenit diuersitatem, vt in varijs significationibus nomina * computentur.

* commutentur.

Adam, sicut beatus Hieronymus tradidit, homo siue terrenus: siue terra rubea interpretatur. Ex terra enim facta est caro, & humus hominis faciendi materies fuit.

Eua interpretatur vita: siue calamitas, siue, Vę vita: qa origo fuit nascẽdi, calamitas: & Vę, quia per præuaricationem causa extitit morienci. A cadendo enim nomen sumpsit calamitas. Alij autẽ dicunt ob hoc etiã Euam uitam & calamitatem appellatam, quia sæpe mulier viro causa salutis est, sæpe calamitatis & mortis origo, quod est Væ.

Cain possessio interpretatur: vnde etymologiam ipsius exprimens pater eius ait: Cain, id est possedi hominem per Deum. Idem & lamentatio, eo quòd pro interfecto Abel interfectus sit, & pœnam sui sceleris dederit.

Abel luctus interpretatur, quo nomine pręfigurabatur occidendus. Idem & vanitas, quia cito solutus est atq; subtractus.

Seth interpretatur resurrectio, eo quòd post fratris interfectionẽ natus sit: quasi resurrectionem fratris ex mortuis resuscitaret. Idem & positio, quia posuit eum Deus pro Abel.

Enos iuxta propriæ linguæ varietatem, homo vel vir dicitur. Et congruè hoc vocabulum habuit. De eo enim scriptum est, *Tunc enim initium fuit inuocandi nomen Domini.* licet plæriq; Hebræorũ arbitrẽtur, quod tũc primiũ in nomine Dñi, & similitudine eius fabricata sunt idola.

Enoch dedicatio. In ipsius enim nomine ciuitatem postea ædificauit Cain.

Cainam lamentatio vel possessio eorum: sicut enim Cain possessio, ita deriuatum nomen, quod est Cainam, facit possessio eorum.

Matusalem interpretatur mortuus est. Euidens est etymologia nominis. quidam enim cũ patre translatum fuisse, & diluuium præteriisse putauerunt. Ob hoc signãter transfertur: mortuus est, vt ostenderetur nõ vixisse eũ post diluuiũ: sed in eodẽ cataclismo fuisse defunctũ. Soli enim octo homines in arca euaserũt diluuium.

Lamech percutiens. Ipse enim percussit & interfecit Cain: quod etiam ipse postea perpetrasse vxoribus confitetur.

Noe requies interpretatur, pro eo quòd sub illo omnia retrò opera quieuerunt per diluuiũ. Vnde & pater eius vocans nomen eius Noe dixit. *Iste requiescere nos faciet ab omnibus operibus nostris.*

Sem dicitur nominatus, eo quòd nomen ex posteritatis præsagio accepit. Ex ipso enim patriarchę & prophetę & apostoli & * populi Dei. Ex eius quoq; stirpe & Christus, cuius ab ortu solis usq; ad occasum magnũ est nomẽ in gẽtib.

* populus.

Kam, calidus: quia ipse ex pręsagio futuri cognominatus est. Posteritas enim eius eam terræ partẽ possedit, quæ vicino sole calẽtior est. Vnde & Aegyptus vsq; hodie Aegyptorum linguakam dicitur.

Iafeth latitudo. Ex eo enim populus gẽtium nascitur, & quia lata est ex gentibus multitudo credẽtium, ab eadẽ latitudine, Iafeth dictus est.

Kanaan filius kam, interpretatur, motus eorũ. Quod quid est aliud nisi opus eorũ? Pro motu enim patris, id est ꝓ opere eius maledictꝰ est.

Arfaxat sanans depopulationem.

Chus Hebraicè æthiops interpretatur: à posteritate sui generis nomen sortitus. Ab ipso enim sunt * propagati Aethiopes.

* progenitii.

Nembroth interpretatur tyrannus. Iste enim prior arripuit insuetam in populos tyrannidẽ: & ipse aggressus est aduersus Deum impietatis ædificare turrem.

Heber transitus. Etymologia eius mystica est, quod ab eius stirpe transiret Dominus: nec perseueraret in eis, translata in gentibus gratia. Ex ipso enim sunt exorti Hebræi.

Faleg diuisio, cui pater propterea tale nomen imposuit, quia tunc natus est, quando per linguas terra diuisa est.

Thara exploratio ascensionis.

Melchisedech rex iustus. Rex, quia ipse posteà imperauit Salem. iustus, pro eo quòd discernens sacramenta legis & Euangelij: non pecudum victimas, sed oblationem panis & calicis in sacrificium obtulit.

Loth declinans. Factis enim Sodomorum non consensit, sed eorum illicita carnis incendia declinauit.

Moab ex patre, & totum nomen etymologiam habet. Concepit enim eum primogenita filia de patre.

Ammon cuius causa nomen redditur filius populi mei: sic deriuatur, vt ex parte sensus nominis, ex parte ipse sit sermo. Ammi enim à quo dicti sunt Ammanitæ, vocatur populus meus.

Sarai interpretatur princeps mea, eo quòd esset vnius tantummodo domus materfamiliâs. Postea causa nominis * immutati ablata de fine litera dicitur Sara, id est princeps. Omniũ quippe gentium futura princeps erat, sicut & Dominus pollicitus fuerat Abraham: *Dabo tibi ex Sara filium, & benedicam ei, & erit in gentes, sed & reges populorum erunt ex eo.*

* immutata.

Agar aduena vel cõuersa. Fuit enim Aegyptia.

Cethura thymiama interpretatur.

Ismahel interpretatur auditio Dei: sic enim scriptum est. *Et vocauit nomen eius Ismahel, quia exaudiuit eum Deus.*

Esau trinomius est, & ex proprijs causa variè nuncupatur. dicitur enim Esau, id est rufus ob coctionẽ rufæ lentis ita appellatus, cuius edulio primogenita perdidit. Edom: aut ob ruborẽ corporis dictus est, qdꝫ Latinè sanguineus dicitur. Seir verò qdꝫ fuerit hispidus, & pilosus: qñ enim natus est, totꝰ sicut pellis pilosus erat. atq; ideo trib. nominib. appellatur, Esau, id est rufus.

© Biblioteca Nacional de España

Edõ, id est sanguineus: Seir, id est Pilosus: quia non habuit lenitatem.

Rebecca, patientia: siue quę multũ accepit.

Lia laboriosa vtiq; generãdo. Plurimos enim dolores quàm Rachel fecunditate pariendi experta est.

Rachel interpretatur ouis, prò eà enim Iacob pauit oues Labam.

Zelfa os hians.

Bala inueterata.

Dina trãsfertur in causam. Iurgij enim in Sichimis causa extitit.

Thamar amaritudo pro viris mortuis. Eadẽ & cõmutans. Mutauit enim se in habitum meretricis, quando cum socero suo concubuit.

Phares diuisio, ab eo quòd diuiserit membranulã secundarum diuisores. Inde & Phares fortitus est nomen. Vnde & Pharisæi qui se quasi iustos à populo separabant, diuisi appellabantur.

Zara frater eius in cuius manu erat coccinũ, interpretatur oriẽs, siue quia primus apparuit, siue quòd plurimi ex eo iusti nati sunt, vt in libro Paralipomenon continetur, Zara id est oriens appellatus est.

Iob in latinum vertitur dolens, & rectè: propter percussionem carnis & passiones dolorũ. Calamitates enim suas nominis etymologia præfigurauit.

Pharao nomen est non hominis sed honoris: sicut & apud nos Augusti appellantur reges cũ proprijs nominibus censeantur. Exprimitur autem in Latinum Pharao denegans eum, vtique Deũ, siue dissipator eius. Populi enim Dei fuit afflictor.

Iamnes marinus, siue vbi est signũ eius. Cessit & defecit signum eius coram signis Moysi. vnde & dixerunt Magi. *Hic digitus Dei est.*

Mambres, mare pelliceũ, siue mare in capite. Deniq; Moyses interpretatur sumptus ex aqua. Inuenit enim eum ad ripam fluminis expositũ filia Pharaonis, quem colligẽs adoptauit filium sibi: vocauitq; nomen eius Moyses, eo quòd de aqua sumpsisset eum.

Aaron mons fortitudinis interpretatur, propter quod thuribulum accipiẽs in medio superstitum & interemptorum obuiam stetit, & ruinam mortis quasi quidam mons fortis exclusit.

Eleazar, Dei adiutorium.

Balac præcipitans siue deuorans.

Balaam vanus populus.

Phinees ori parcens. transfixit enim pugione Zambri cum scorto Madianitide, & Domini furorem placauit, vt parceret.

Zambri stella lacessiens, vel amaricans. Prior enim est nomen ab amaritudine vocatum: quod peccando amaricauerit populum. * *figuratũ.*

Raab latitudo vel fames siue impetus.

Iosue interpretatur saluator. Ipse enim in figura Christi populum à deserto saluauit, & in terram repromissionis induxit.

Caleph quasi cor aut canis.

Gothoniel tempus eius Deus, vel responsio Dei. * Othoniel.

Aoth gloriosus.

Barach, fulgurans.

Debbora Apis vel loquax. Apis, quia fuit ad bellum promptissima, dimicans aduersus Sisaram: quo perempto cecinit canticum: inde loquax.

Iahel ascensio.

Gedeon experimentum iniquitatis eorum. Frequentibus enim documentis informatus est quasi præsagio contra hostes futuram victoriã expediret: ex quo futuro experimtẽo etymologiam nominis sumpsit.

Abimelech pater meus Rex.

Tola vermiculus vel coccinum.

Iair illuminans.

Iephte aperiens vel apertus.

Elebon cogitatio siue vinculum meroris.

Abdo seruus eius.

Samson sol eorum vel solis fortitudo. Fuit enim virtute clarus, & liberauit Israel de hostibus eorum.

Dalila paupercula vel situla.

Booz in fortitudine: siue in quo robur.

Noemi quem interpretari possumus consolatã: eo quòd marito & liberis peregrè mortuis, nurũ Moabitidẽ in consolationẽ suam tenuit.

Ruth interpretatur festinans. Alienigena enim erat ex populo gentili: quæ relicta patria festinauit transire in terram Israel: dicens socrui suę, *Quocunq; perrexeris pergam.*

Anna gratia eius interpretatur, quia dum essent prius sterilis natura: postremò Dei gratia fecundata est.

Eli Deus meus.

Ofni discalciatus. Filius enim fuit Heli electus in ministerium sacerdotij: cuius amissionẽ suo expressit vocabulo. Apostolus enim ait, *Calciati pedes in præparationem Euangelij pacis.* Et propheta: *Quàm speciosi pedes qui annuntiant pacẽ.* Iste ergo discalciatus interpretatur, vt eius nomine veteris Testamenti sacerdotium à veteri populo significaretur ablatum.

Finees frater Ofni, os mutum interpretatur, quo significatur sacerdotij veteris & doctrinæ silentium.

Samuel nomen eius Deus.

Gessai in sole sacrificium vel incensum.

Saul petitio interpretatur. Notum est enim quomodo Hebræorum populus eum sibi regẽ petierit, & accepit nomen non secundũ Deum: sed secundum suam voluntatem.

Dauid manu fortis interpretatur: vtiq; quia fortissimus in prælijs fuit. Ipse & desiderabilis in stirpe scilicet sua, de quo dixerat propheta. *Veniet desideratus cunctis gentibus:* Salomon tribus nominibus fuisse perhibetur. Primum vocabulum eius Salomon dicitur, id est pacificus, eo quòd in regno eius pax fuerit. Secundum nomen Idida: eo quòd fuerit dilectus & amabilis Domino. Tertiũ vocabulũ eius Coeleth quod Græcè

© Biblioteca Nacional de España

Græcè appellatur Ecclesiastes, Latinè Cõciona tor: quod ad populum loqueretur.

Ionathas columbæ donum.

Absalon patris pax per antifrasin: eo quod bellum aduersus patrem gessisset: siue quod in ipso bello Dauid placatus fuisse legitur filio: adeo vt etiam magno cum dolore extinctum plangeret.

Roboam latitudo populi, & ipsum per antifrasin: quod decẽ tribubus ab eo separatis, duæ tantùm ei relictæ sint.

Abia pater Dominus, vel pater fuit.

Asa tollens siue sustollens.

Iosaphat Domini iudicium.

Ioram qui est excelsus.

Achazias apprehendens Dominum.

Athalia tempus Domini.

Ioas spirans vel Domini robur.

Amasias populum tollens.

Ozias fortitudo Domini.

Azarias auxilium Domini.

Ozias autẽ ipse est qui & Azarias duplici nomine. Ipse est qui illicitũ sibi sacerdotiũ vendicare conatus, lepra in fronte percussus est.

Ioatham est perfectus. Pulchram etymologiam nominis habet. Fecit enim rectum in conspectu Domini, & portam templi ædificauit excelsam.

Achaz apprehendens.

Ezechias fortis Dominus.

Manasses obliuiosus. Per multa enim scelera & sacrilegia reliquerat & oblitꝰ fuerat Domini.

Amon fidelis vel honestus.

Iosias vbi est incensum domini, propria etymologia nominis. Iste est enim qui simulacra combussit.

*Ioachaz robustus.

Ioachim, vbi est præparatio.

Eliachim Dei resurrectio.

Ieconias præparatio Domini.

Sedechias iustus Domini.

Ieroboam iudicatio siue causa populi, vel, vt quidã aiunt, diuisio interpretatur, pro eo quòd in regno eius diuisus sit populus Israel, & præcisus à regno stirpis Dauid. Diuisionis enim populi causa iste extitit.

Zambri psalmus, vel canticum meum.

*Amri, crispans meus.

Achab frater patris.

Iezabel fluxus sanguinis: vel fluens sanguinẽ: sed melius vbi est sterquilinium. Precipitatas enim deorsum comederunt carnes eius canes: sicut prędixerat Helias, *Et erunt* inquit *carnes Iezabel, sicut stercus super faciem terræ.*

Ochozias apprehendens Deum.

Ieu, ipse, vel est.

Ioathan robustus.

Sella vmbra eius, vel petitio.

Manaem consolans.

Faceas aperiens.

Nabuchodonosor prophetię lagunculę angustæ, siue prophetans istius modi signum per somnium scilicet futurorum quod vidisse narratur, & Daniel interpretatus est, siue sessio in agnitione angustiæ pro ijs qui in captiuitatem ab eo ducti sunt.

Zorobabel apud Hebræos ex tribus integris nominibus traditur esse compositus. Zo iste, ro magister, babel propriè Babylonium sonat: & efficitur nomen Zorobabel, iste magister de Babilone. In Babylone enim ortus est, vbi & princeps gentis Iudææ extitit.

De patriarchis.

QVorundam patriarcharum etymologiæ notandæ sunt, vt sciamus quomodo suo vocabulo resonent. Nam pleriq; eorum ex causa propria nomina acceperunt. Patriarcha interpretatur patrum princeps Ἀρχὴ enim Græcè principatus est.

Abram primum vocatus est pater videns populum, propter Israelitas scilicet tãtum, postea appellatus est Abraham, quod transfertur pater multarum gentium, quod erat adhuc per fidem futurum. Gentium autẽ nõ habetur in nomine, sed subauditur, iuxta illud: *Erit nomen tuũ Abraham, quia patrem multarum gentium posui te.*

Isaac, ex risu nomen accepit. Riserat enim pater: quando ei promissus est admirãs in gaudio. Risit & mater, quando per illos tres viros promissus est, dubitans in gaudio. Ex hac ergo causa nomẽ accepit Isaac. interpretatur enim risus. Sciendum autem quòd quatuor in veteri testamento absq; vllo velamine nominibus suis antequam nascerentur vocati sunt. Ismahel. Isaac. Salomon & Iosias. Lege scripturas.

Iacob supplantator interpretatur, siue quod in ortu plantam nascentis fratris apprehenderit: siue quod postea deceperit fratrem arte. Vnde Esau dixit: *Iustè vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me ecce secundo.*

Israel vir videns Deum. Tunc enim hoc nomẽ accepit, quando tota nocte luctatus vicit in certamine angelum. & oriente lucifero benedictus est. Inde propter visionem Dei Israel appellatus est, sicut & ipse ait: *Vidi Dominum & salua facta est anima mea.*

Rubẽ interpretatur visionis filius. Sic enim quando eũ peperit Lia: vocauit nomen eius Ruben dicens. *Quia vidit Deus humilitatem meam.*

Simeon interpretatur auditio Dei. Sic enim dixit Lia quando eum peperit, *Quia exaudiuit me Deus.* Leui additus. Dixit enim Lia quando peperit eum non *ambigens de amore viri: *Nũc mecum erit vir meus, quia peperi ei tres filios.*

Iudas confessio dicitur. Quando enim eũ peperit Lia, laudem Domino retulit dicens. *Nunc super hoc confitebor Domino.* & ob id vocatus est Iudas. A confessione itaq; nomen eius dictum est: quod est gratiarum actio.

Isachar interpretatur merces. Hoc aut ideo, quia mandragoris filij Ruben introitũ viri qui Racheli debebatur ad se emerat Lia. Vnde & dũ natus est dixit Lia, *Dedit Deus mercedem meam,*

© Biblioteca Nacional de España

Zabulon interpretatur habitaculum. Sextũ enim hunc filium genuerat Lia: propterea iam secura dixit, *Habitabit mecum vir meus.* Vnde & filius eius vocatus est habitaculum.

*conuersione. Nephtalim de * conuersatione siue cõparatione: causa nominis eius est. Vnde & dixit Rachel, cum eum peperisset ancilla eius Bala: *Habitare me fecit Deus habitationem cum sorore mea.*

Dan interpretatur iudiciũ. Bala enim dũ eũ peperisset, dixit Rachel domina eius: *Iudicauit me Dominus, & exaudiens dedit mihi filiũ.* Causam nominis expressit, vt ab eo quòd iudicasset Dominus: filio ancillæ iudicij nomen imponeret.

Gad ab euentu siue procinctu vocatus est. Quando enim eum peperit Zelpha: dixit domina eius Lia in fortuna, id est quod dicitur, in procinctu vel euentu.

Aser beatus dicitur, dum enim peperisset eũ Zelpha: dixit Lia: *Beata ego, & beatificant me mulieres:* & ab eo quòd beata dicatur: ex etymologia nominis Beatum vocauit.

Ioseph ab eo quòd sibi alium filiũ addi mater optauerat: vocauit augmentum. Hunc Pharao, Cephaneth appellauit, quod Hebraicè absconditor repertorum sonat, pro eo quòd obscura somnia reuelauit, & sterilitatem prædixit. Tamẽ quia hoc nomẽ ab Aegyptio ponitur: ipsius linguæ deberet habere rationem. Interpretatur ergo Cephaneth Aegyptio sermone Saluator mundi, eo quòd orbem terræ ab imminente famis excidio ipse liberaret.

Beniamin interpretatur filius dextræ quod est virtutis. Dextra enim interpretatur Iamin. Mater quippe eius moriens vocauerat nomen eius Benoni, id est, filius doloris mei. Pater hoc mutauit, filium dextræ nominans.

Manasses dictus ab eo quòd sit pater eius oblitus laborum suorum. Ita enim Hebraicè vocatur obliuio.

Ephraim eo quòd auxerit eum Deus, & ex hoc vocabulo in linguam nostram transfertur augmentum.

De prophetis.

QVos gentilitas vates appellat, hos nostri prophetas vocãt, quasi præfatores: quia porrò fantur & de futuris vera prędicũt. Qui autẽ à nobis prophetæ, in veteri testamẽto videntes appellabantur: quia videbant ea quæ cæteri non videbant, & prospiciebant ea, quę in mysterio abscondita erant. Hinc est quod scriptum est in Samuele, *Eamus ad videntem.* Hinc Esaias, *Vidi inquit Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum.* Et Ezechiel, *Aperti sunt cœli & vidi visiones Dei.* Quorundam autem prophetarum nominum etymologiæ annotandæ sunt. Vocabula enim eorum satis ostendunt, quid in futuris factis dictisq; suis prænunciassent.

Helias interpretatur Dominus Deus. Ex futuri ergo præsagio sic vocatur. Nam dum altercaretur in sacrificio cum quadringentis sacerdotibus Baal, inuocato nomine Domini descendit de cœlo ignis super holocaustum. Quod cum vidisset omnis populus cecidit in faciem suam & ait: *Dominus ipse est Deus.* Ex hac ergo causa tale prius nomen accepit, pro eo quòd per eum posteà cognouerit populus Dominum Deum. Idem & fortis Dominus interpretatur: vel propter quod interfecit eosdẽ sacerdotes, vel propter quod Achab aduersitatem tolerauit.

Helisęus Domini salus interpretatur, vocabulum autẽ idẽ ex futuri præsagio suscepit, deniq; & multas virtutes fecit, & famem pellens populum à morte saluauit.

Nathan, dedit, siue dantis.

Isaias interpretatur saluator Domini. Et meritò. Saluator est enim vniuersarum gentium, eiusque sacramenta amplius quàm cæteri prædicat.

Ieremias excelsus Domini, pro eo quòd dictum est ei: *Constitui te super gentes & regna.*

Ezechiel, fortitudo Dei.

Daniel, iudicium Dei, siue quia in presbyterorum iudicio sententiam diuinæ exanimationis exhibuit, dum reperta eorum falsitate Susannam ab interitu liberauit: siue quòd visiones & somnia quibus per signa quædã & ænigmata futura monstrabantur, sagaci mẽte discernens aperuit. Hic & desideriorum vir appellatus est, quia panem desiderij non manducauit, & vinum concupiscentię non bibit.

Ozee saluator aut saluãs. Dum enim irã Dei in populum Israel ob crimen idololatriæ prophetasset: domui Iudæ salutem pronunciauit. Propter quod Ezechias rex Iuda, sublatis idolis quę præcedentes reges consecrauerant, templum Domini purgasse ac purificasse monstratur.

Iohel Dominus Deus, siue incipiẽs Deo, vel fuit Dei. Hoc enim eius vocabulum resonatur, etymologia incerta.

Amos populus auulsus. Prophetia enim eius ad populum fuit Israel, quia iam auulsus erat à Domino, & aureis vitulis seruiebat: siue auulsus à regno stirpis Dauid.

Naun germen siue consolator. Increpat enim ciuitatem sanguinum, & post euersionem illius consolatur Syon dicens: *Ecce super montes pedes euangelizantis & annunciantis pacem.*

Abacuc amplexans, quia vel ex eo qd amabilis Dñi fuit, vocatur amplexatio, vel quod in certamẽ cũ Deo congreditur, amplexantis, id est luctantis sortitus est nomen. Nullus enim tam audaci voce ausus est Deum ad disceptationem iustitiæ prouocare: cur in rebus humanis & mundi istius tanta rerum versaretur iniquitas?

Micheas, quis hic, vel quis iste? Comminatur enim Samariæ ob causam simulachrorum illo modo de quo Heliu dicit: *Quis est iste inuoluens sententias?*

Sophonias speculum vel arcanum Domini interpretatur: vtrumq; ad prophetas conuenit.

Ipsi

© Biblioteca Nacional de España

Ipsi enim sciunt mysteria Dei. Vnde ad Ezechielem dicitur: *Speculatorem te posui domui Israel*. Et alibi; *Non faciet Dominus quicquam, nisi reuelauerit seruis suis prophetis.*

Abdias, seruus Dñi. Sicut enim Moyses seruus Domini & Apostolus seruꝰ Christi: ita iste legatus ad gentes missus videt & prædicat quæ prophetali digna sunt ministerio & seruitute: inde seruus Domini.

Ionas interpretatur columba siue dolens. Cólumba, pro gemitu quando in ventre ceti triduo fuit. Dolens autē vel propter tristitiā quā habuit de salute Niniuitarum: vel propter ederam subito arescentem: cuius vmbraculo tegebatur contra solis ardorem. Ipse est & Amathi Saraptenæ viduæ filius, vt Iudæi affirmant, quē resuscitauit Helias, matre postea ad eum dicente: *Nunc cognoui quoniam vir Dei es tu, & verbū Domini in ore tuo verum est.* Ob hanc causam ipsum puerum Amathi vocatum. Amathi enim ex Hebræo in Latinā linguam veritas dicitur, & ex eo quōd verum Helias locutus est: ille qui suscitatus est, filius nuncupatus est veritatis.

Zacharias memoria Domini. Septuagesimo enim anno desolationis templi cōpleto, Zachária prædicante memoratus est Dominus populi sui: iussuq; Darij reuersus est populus Dei, & reædificata est & vrbs & templum.

Aggeus in Latinum festiuus & lętus resonat. Destructum enim templum ædificandum prophetat, & post luctum captiuitatis regressionis lætitiam prædicat.

Malachias interpretatur angelus Domini, id est nuncius. Quicquid enim loquebatur: quasi à Domino essent mandata, ita credebantur, & inde ita nomen eius Septuaginta transtulerūt dicentes. *Assumptio verbi Domini super Israel in manu angeli eius.*

Esdras adiutor.

Neemias consolator à Domino. Quodam enim præsagio futuroru nomina ista sortiti sunt. Fuerunt enim in adiutoriū & cōsolationē omni illi populo redeunti ad patriā. Nam & templum Domini idē reædificauerūt, & murorum & turrium opus ipsi restauauerunt.

Ananias gratia Dei interpretatur. Idem & Sidrac lingua Chaldęa, quod interpretatur decorus meus.

Azarias auxilium Domini. Idem & Abdenago, quōd in Latinum vertitur Seruiens taceo.

Misahel: qui populus Domini. Ipse & Misac quod interpretatur risus vel gaudium.

Azia frater meus.

Semeia audiens Dominum.

Asap congregans.

Ethan, robustus, siue ascensus.

Idithun transiliens eos, siue saliens eos. Quosdam enim in hærētes humo: curuatos in terrā, & ea quæ in imo sunt cogitantes, & in rebus transeuntibus spem ponentes transiliuit canendo iste, qui uocatur transiliens.

Eman accipiens vel formido eorum.

Barachia benedictus Dominus, vel benedictus Domini.

Oldā districtio, siue diuerticulum.

Iudith laudans, vel confitens Domino.

Hester absconsa.

Zacharias memoria Domini, ob hoc quia canit memoriale testamenti sui sancti.

Ioannes Domini gratia: eo quōd sit limes prophetiæ, prænuncius gratiæ, siue initium baptismatis, per quod gratiā ministratur.

Hi sunt prophetæ veteris nouiq; testamenti: quorum finis Christus, cui dicitur à Patre, *Et prophetam in gentibus posui te.*

Prophetiæ autē genera sunt septē. Primū genus Ecstasis, quōd est mentis excessus, sicut vidit Petrus vas illud summissum de cœlo in stupore mētis cum varijs animalibus. Secundum genus visio, sicut apud Esaiam dicentem: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum.* Tertium genus Somnium, sicut Iacob subnixam in cœlo scalā dormiēs vidit. Quartum genus per nubē, sicut ad Moysem & ad Iob post plagā loquitur Deus. Quintū genus Vox de cœlo, sicut ad Abrahā sonuit dicens: *Ne injicias manum tuam super puerum.* Et ad Saulum in via: *Saule Saule quid me persequeris?* Sextum genus, accepta parabola, sicut apud Salamonē in Prouerbijs, & apud Balaam cum euocaretur à Balac. Septimum genus repletio sancti Spiritus, sicut penè apud omnes prophetas.

Alia tria genera visionum dixerunt esse. Vnū secundum oculos corporis, sicut vidit Abrahā tres viros sub ilicē Mambre: & Moyses ignē in rubo: & discipuli transfiguratum Dominum in monte, inter Moysen, & Heliam, & cætera huiusmodi. Alterum secundum spiritū quo imaginamur ea quæ per corpus sentimus, sicut vidit Petrus, discum illum submitti de cœlo cū varijs animalibus: & sicut Esaias Deum in sede altissima nō corporaliter, sed spiritaliter vidit. Non enim Deum forma corporea circūterminat: sed quēadmodum figuratē, nō propriē multa dicūtur: ita etiā figuratē multa monstrantur. Tertiū aūt genus visionis est, quod neq; corporeis sensibus, neq; ulla parte animæ quā corporaliū rerum imagines capiuntur: sed per intuitum mentis quo intellecta conspicitur veritas: sicut Daniel præditus mente vidit quod Balthasar viderat corpore, sine quo genere illa duo vel infructuosa sunt, vel etiā in errorem mittunt. Omnia tamen hæc genera Spiritus sanctus moderatur.

Habere autem prophetiam non solum bonus, sed etiam malus potest. Nam inuenimus Saulem regē prophetasse. Persequebatur enim sanctum Dauid, & impletus Spiritu sancto prophetare cepit.

De apostolis.

APostoli missi interpretantur. Hoc enim eorum nomen indicat. Nam sicut Græcè ἄγγελοι, Latinè nuntij vocantur: ita Græcè Apostoli, Latinè missi appellantur. Ipsos enim

© Biblioteca Nacional de España

misit Christus Euãgelizare per vniuersum mũdum: ita vt quidam Persas Indosq; penetrarẽt: docentes gentes, & facientes in nomine Christi magna & incredibilia miracula, vt attestãtibus signis & prodigijs crederetur illis in ijs quæ dicebãt & viderant. Habent enim pleriq; eorũ ex ijs causas suorum vocabulorum.

Petrus à petra nomen accepit, hoc est à Christo super quem fundata est ecclesia. Non enim à Petro petra, sed Petrus à petra nomen sortitus est: sicut non Christus à Christiano, sed Christianus à Christo vocatur. ideoq; ait Dominus: *Tu es Petrus & super hanc Petram*, & cætera. quia dixerat Petro. *Tu es Christus filius Dei viui.* deinde ei Dominus, *Super hanc petram*, quam cõfessus es *ædificabo* inquit *ecclesiam meam.* Petra enim erat Christus super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus.

Cephas dictus, eo quod in capite sit constitutus apostolorum. κεφαλὴ enim Græcè, caput dicitur, & ipsum nomen in Petro Sirum est.

Simon bar iona in linguam nostram sonat filius columbæ, & est nomẽ Sirum pariter & Hebræum. Bar quippe Sira lingua filius, Iona Hebraicè columba, vtroq; sermone dicitur bariona. Alij simpliciter accipiũt quod Simon, id est Petrus filius sit Ioannis, iuxta illã interrogationem. *Simon Ioannis diligis me?* & volunt scriptorũ vitio deprauatum, vt pro bar Iohanna, hoc est filius Iohannis, bariona scriptum sit, vna detracta sillaba. Ioanna autẽ interpretatur Domini gratia. Et fuisse constat Petrum, trinomium: Petrũ, Cephan, & Simon Bariona: Simon autem Hebraicè interpretatur * obediens.

* audiens.

Saulus Hebraico sermone tentatio dictus. eo quòd prius in tentatione ecclesiæ sit versatus. Persecutor enim erat, & inde nomen habebat istud, quando persequebatur Christianos. Postea mutato nomine de Saulo factus est Paulus, qd interpretatur mirabilis siue electus. Mirabilis, vel quia multa signa fecit, vel quia ab oriente usq; ad occasum euangelium Christi in omnibus gentibus prædicauit. Electus, sicut in Actibus apostolorum Spiritus sanctus dicit: *Segregate mihi Barnabam & Paulum ad opus ad quod elegi eos.* Latino autem sermone Paulus à modico dictus, vnde & ipse ait, *Ego sum minimus apostolorum omnium.* Quãdo enim Saulus, superbus, elatus. quando Paulus, humilis & modicus. Ideò sic loquimur. paulopòst videbo te, id est post modicũ. Nã quia modicus factus est, ipse dicit. *Ego enim sum nouissimus apostolorum. & Mihi minimo omnium sanctorum.* Cephas autem & Saulus ideo mutato nomine sunt vocati, vt essent etiam ipso nomine noui, sicut Abraham & Sara.

Andreas frater Petri carne, & coheres gratię. Secundum Hebręam etymologiam interpretatur decorus, siue respondens. sermone aũt Græco à viro virilis appellatur.

Ioannes, quodã vatieinio ex merito nomine accepit. Interpretatur enim, In quo est gratia, vel Domini gratia. Amplius enim eum cæteris Apostolis dilexit Iesus.

Iacobus Zebedæi à patre cognominatur, quẽ relinquens, cum Ioanne verum patrem secuti sunt. Hi sunt filij tonitrui, qui etiam Boanerges ex firmitate & magnitudine fidei nominati sunt. Hic est Iacobus filius Zebedæi, frater Ioannis: qui post ascensionem Domini ab Herode manifestatur occisus.

Iacobus Alphęi ob distinctionẽ prioris cognominatus, qui dicitur filius Zebedęi: sicut iste filius Alphęi. Cognomentum igitur ambo à patre sumpserunt. Iste est Iacobus minor, qui in Euangelio frater Domini nominatur, quia Maria vxor Alphæi soror fuit matris Domini, quã Mariam Cleophe Ioannes euangelista cognominat: à patre siue à gentilitate familiæ, aut quacunque alia causa ei nomen imponens. Alphæus autem Hebręo sermone in Latinum exponitur millesimus, siue doctus.

Philippus os lampadarum, vel os manuum.

Thomas abyssus vel geminus, vnde Græcè Didimus appellatur.

Bartholomeus filius suspendentis aquas, vel filius suspendentis me. Syrum est non Hebræum.

Matthæus in Hebræo donatus exprimitur. Idẽ & appellatus Leui ex tribu à qua ortus fuit. In latino autem ex opere publicani nomen accepit, quia ex eis fuit electus, & in apostolatum translatus.

Simon Cananeus ad distinctionem Simonis Petri, de vico Galileæ Cana, vbi aquas Dominus mutauit in vinũ. Ipse est qui in alio euangelistã scribitur Zelotes. Cana quippe zelus interpretatur.

Iudas Iacobi qui alibi vocatur Lebbeus, figuratum nomen habet à corde: quod nos diminutiuè corculum possumus appellare. Ipse in alio euangelista Thaddæus scribitur, quem ecclesiastica tradit historia missum Edessam ad Abgarum regem.

Iudas Ischariotes vel à vico in quo ortus est, vel ex tribu Isachar vocabulum sumpsit, quodam præsagio futuri in condemnatione sui. Isachar enim interpretatur merces, vt significaretur precium proditoris, quo vendidit Dominũ sicut scriptum est. *Et acceperunt mercedem meam, triginta argenteos*, & cætera.

Mathias qui inter Apostolos sine cognomine solus habetur, interpretatur donatus, vt subaudiatur pro Iuda. Ipse enim in locum eius electus est ab Apostolis, cum pro duobus sors mitteretur.

Marcus excelsus mãdato. vtiq; propter Euangelium altissimi quod prædicauit.

Lucas ipse consurgẽs: siue eleuans, eo quòd eleuauerit per prædicationem Euangelium post alios.

Barnabas filius prophetæ vel consolationis.

De reli-

© Biblioteca Nacional de España

De reliquis in Euangelio nominibus.

MAria illuminatrix siue stella maris. Genuit enim lumẽ mundi. Sermone autẽ Syro Maria domina nũcupatur, & pulchrè: quia Dominum genuit.

Elisabeth Dei mei saturitas, vel *Domini mei iuramentum. * al. Dei.

Magdalena turris. Martha irritans vel prouocãs. Sermone aũt Syro interpretatur dominãs.

Nathanael donũ Dei, quia dolus, id est simulatio dono Dei in eo nõ fuit.

Zebedeus donatus, siue fluens iste.

Zacheus iustus, siue iustificatus, sine iustificandus. Syrum est nomen non Hebræum.

Lazarus adiutus, eo quòd sit à morte resuscitatus.

Herodes pelliceus, gloriosus.

Cayphas inuestigator aut sagax, aut vomens ore. Iniquo enim ore suo iustum condemnauit quamuis hoc mysterio prophetali annũciasset.

Pontius declinans concilium vtiq; Iudęorũ. Accepta enim aqua lauit manus suas dicens: *Innocens ego sum à sanguine huius iusti.*

Pilatus os malleatoris, quia dum Christũ ore suo & iustificat & condemnat, more malleatoris *vtraq; ferit. * vtrinq;.

Barraba filius magistri eorũ, absq; dubio Iudæorum magistri, qui est diabolus, homicidiorum autor, qui vsq; hodie regnat in eis.

De martyribus.

MArtyres Gręca lingua Latinè testes dicũtur, vnde & testimonia Græcè martyria nuncupantur. Testes autem ideò vocati sunt, quia propter testimonium Christi passiones sustinuerunt, & vsq; ad mortem pro veritate certauerunt. Quia verò non testes (quod latinè vtiq; possumus) sed Græcè martyres appellamus, familiarius Ecclesiæ auribus hoc Græcum verbum sonat, sicut multa Græca nomina quæ pro latinis vtimur.

Martyrum primus in nouo testamento Stephanus fuit: qui sermone Hebręo interpretatur norma, quod prior fuerit in ministerio ad imitationem fidelium. Idem autem ex Græco sermone in latinũ vertitur coronatus, & hoc propheticè: vt quod sequeretur in re vaticinio quodam futuri prius in vocabulo resonaret. Passus est enim & quod vocabatur accepit. Stephanus enim corona dicitur, humiliter lapidatus sed sublimiter coronatus.

Duo autem sunt martyrij genera, vnum in aperta passione, alterum in occulta animi virtute. Nam multi hostis insidias tolerantes, & cunctis carnalibus desiderij resistentes: per hoc qd se omnipotẽti Deo in corde mactauerũt, etiam pacis tẽpore martyres facti sunt: qui etiã si persecutiõis tẽpus existeret, martyres esse potuerunt.

De clericis.

CLerus, & clericus hinc appellatur, quia Mathias sorte electus est: quem primum per Apostolos legimus ordinatum. Κλῆρος enim Græcè, sors vel hæreditas Latinè dicitur. Propterea ergo dicti sunt clerici, quòd de sorte sunt Domini, vel quia Domini partem habent. Generaliter autem clerici nuncupantur omnes qui in ecclesia Christi deseruiunt, quorum gradus & nomina hæc sunt.

Ostiarius, Psalmista, lector, exorcista, acolitus, subdiaconus, diaconus, presbyter, episcopus.

Ordo episcoporum quadripartitus est, id est in patriarchis, archiepiscopis, metropolitis atq; episcopis.

Patriarcha Græca lingua summus pater interpretatur, quia primum, id est apostolicũ retinet locũ. & ideo quia summo honore fungitur, tali nomine cẽsetur, sicut Romanus, Antiochenus, & Alexandrinus.

Archiepiscopus Gręcè dicitur summus episcoporũ. Tenet enim vicem apostolicã & præsidet tã metropolitanis quàm episcopis cęteris.

Metropolitani autẽ à mẽsura ciuitatũ vocantur. Singulis enim prouincijs præeminẽt, quorũ autoritati & doctrinę cæteri sacerdotes subiecti sunt: sine quibus nihil reliquos episcopos agere licet. sollicitudo enim totius prouinciæ ipsis episcopis commissa est. Oẽs autẽ superius designati ordines vno eodẽq; vocabulo episcopi nominãtur, sed ideo priuato nomine quidã vtuntur propter distinctionẽ potestatum, quã singulariter acceperunt.

Patriarcha patrũ princeps. Ἀρχὸς enim princeps.

Archiepiscopus princeps episcoporum, sicut metropolitanus à mensura ciuitatum.

Episcopatus autẽ vocabulũ inde dictũ, quòd ille qui superefficitur, superintẽdat, curam scilicet gerẽs subditorum. Σκοπεῖν enim Græcè Latinè intendere dicitur. Episcopi autẽ Græcè: Latinè speculatores interpretãtur. Nã speculator est prępositus in ecclesia: dictus eo quod speculetur atq; prospiciat populorum infrà se positorum mores & vitam.

Pontifex princeps sacerdotũ est, quasi via sequentium. Ipse & summus sacerdos, ipse & pontifex maximus nuncupatur. Ipse enim efficit sacerdotes atq; leuitas. ipse omnes ordines ecclesiasticos disponit. ipse quid vnusquisque facere debeat ostendit. Antea autẽ pontifices & reges erãt. Nã maiorũ hæc erat consuetudo, vt rex esset etiã sacerdos * & pontifex. Vnde & Romani imperatores pontifices dicebantur. * al. vel.

Vates à vi mentis appellatus, cuius significatio multiplex est. Nam modò sacerdotẽ, modò prophetam significat, modò poetam.

Antistes sacerdos dictus ab eo quòd ante stat, Primus est enim in ordine Ecclesiæ, & supra se nullum habet.

Sacerdos autẽ nomẽ habet cõpositũ ex Græco & Latino, quasi sacrum dans. sicut enim rex à regendo, ita sacerdos à sacrificãdo vocatus est. Consecrat enim & sanctificat.

Sacerdotes gentilium flamines dicebantur. Hi in capite habebant pilleum in quo erat breuis virga desuper, habens lanæ aliquid. Quod

© Biblioteca Nacional de España

per æstum. cum * pro æstu ferre nõ possent: filo tantùm capita religare ceperunt. Nam nudis eos penitus capitibus incedere nefas erat. Vnde à filo quo vtebantur, flamines dicti sunt: quasi filamines. Verum festis diebus filo deposito: pilleum imponebant pro sacerdotij eminentia.

Presbyter Græcè, Latinè senior interpretatur, non pro ætate vel decrepita senectute: sed propter honorẽ & dignitatem quã acceperunt, presbyteri nominantur. Vnde & apud veteres idem episcopi, & presbyteri fuerunt, quia illud nomen dignitatis: hoc est ætatis. Ideo autem & presbyteri sacerdotes vocantur, quia sacrum dant, sicut & episcopi: qui licet sint sacerdotes, tamen põtificatus apicem nõ habent, quia nec chrismate frontem signãt, nec paracletum spiritum dant: quod solùm deberi episcopis lectio Actuum apostolorum demonstrat.

Leuitæ ex nomine autoris vocati. de Leui enim leuitæ exorti sunt, à quibus in templo Dei *ministeria.* mystici sacramenti * mysteria explebantur. Hi Græcè diaconi: Latinè ministri dicuntur, quia sicut in sacerdote cõsecratio: ita in diacono ministerij dispensatio habentur.

Hypodiaconi Græcè: quos nos subdiaconos dicimus, qui ideo sic appellantur, quia subiacẽt præceptis & officijs leuitarum: qui in Esdra Nathanei appellantur, id est in humilitate Domino seruientes. Oblationes enim in templo Dei à fidelibus ipsi suscipiũt, & leuitis superponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebræos * Nathinnei vocantur. *al. Nathanei.*

Lectores à legendo, & psalmistę à psalmis canendis vocati. Illi enim prędicant populis quid sequantur. isti canunt vt excitent ad cõpunctionẽ animos audientium. licet & quidã lectores ita miseranter pronuncient, vt quosdam ad luctum lamentationemq; cõpellant. Idem etiam pronunciatores vocantur, quod porrò annuncient. Tanta enim & tam clara erit vox eorum, vt quãuis longè positorum aures adimpleant.

Cantor autẽ vocatus, quia vocem modulatur in cantu. Huius duo genera dicũtur in arte musica, sicut ea docti homines Latinè dicere potuerunt, præcentor & succentor.

Pręcentor, qui vocem pręmittit in cantu.

Succentor autem qui subsequenter canendo respondet.

Concentor autem dicitur qui consonat: qui autem non consonat, nec concinit, nec cantor, nec succentor erit.

Acoliti Græcè, Latinè ceroferarij dicuntur, à deportandis cereis quando Euangelium legendum est, aut sacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria ab eis & deportantur: non ad fugandas tenebras, dum sol eodẽ tempore rutilet: sed ad signum letitiæ demonstrandum, vt sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur de qua in Euangelio legitur: *Erat lux vera quæ illuminat*, & cætera.

Exorcistæ ex Græco in Latinum adiuratores siue increpantes vocantur. Inuocant enim super cathecumenos, vel super eos qui habent spiritum immundum, nomen Domini Iesu, adiurantes per eum, vt egrediatur ab eis.

Ostiarij id est ianitores * qui in Esdra custodes tẽpli dicũtur seruorũ Salomonis filij: qui in veteri testamẽto electi sunt ad custodiã templi, vt non ingrederetur eum immundus in omni re. dicti autem ostiarij, quòd pręsint ostijs templi. Ipsi enim tenentes clauem, omnia intus extraq; custodiunt: atq; inter bonos & malos * habentes iudicium, fideles recipiunt, respuunt infideles. *hæc, vsque ad dictionẽ Filij in manu scripta cod. non leguntur. *al. tenẽtes.

De monachis.

Monachus Græca etymologia vocatus, eo quòd sit singularis. μονὰς enim Græcè singularitas dicitur. Ergo si solitarius interpretatur vocabulum monachi: quid facit in turba, qui solus est? Plura autem sunt genera monachorum.

Cenobitæ: quos nos In commune viuentes possumus appellare. Cœnobium enim plurimorum est.

Anachoritæ sunt, qui post cœnobialem vitã deserta petunt & soli habitant per deserta: & ab eo quod procul ab hominibus recesserunt, tali nomine nuncupantur: sed anchoritę Heliam & Ioannem, cœnobitæ apostolos imitantur.

Heremitæ ij sunt: qui & anachoritę, ab hominum conspectu remoti: heremum & desertas solitudines appetentes. Nam * heremum dicitur quasi remotum. *Annotat. ἔρημον dicitur deserta.*

Abba autem Syrum nomẽ, significat in Latinum pater: quod Paulus Romanis scribens exposuit dicens: *In quo clamamus abba pater*: in vno nomine duabus vsus linguis. Dicit enim Abba Syro nomine patrem, & rursus Latinè nominat, id est, patrem.

De cæteris fidelium nominibus.

Christianus, quantum interpretatio ostendit, de vnctione dicitur, siue de nomine autoris & creatoris. A Christo enim Christiani sunt cognominati, sicut à Iuda Iudæi. De magistri quippe nomine cognomen sectatoribus datum est.

Christiani autem olim à Iudæis quasi ob obprobriũ Nazareni vocabantur, pro eo quòd Dominus noster atq; saluator à vico quodam Galileæ Nazaræus sit appellatus.

Non se autem glorietur Christianum qui nomen habet & facta non habet. Vbi autem nomẽ secutum fuerit opus: certissimè ille est Christianus, quia se factis ostendit Christianum, ambulans sicut & ille ambulauit, à quo & nomen traxit.

Catholicus vniuersalis: siue generalis interpretatur. Nam Græci vniuersale καθολικὸν vocant. *Annotat. ὀρθὴ enim sententia, δόξα opinionem sed sententiam significat.

*Orthodoxus est rectè credens, & vt credit rectè viuens. ὀρθῶς enim Græcè rectè dicitur. δόξα gloria:

© Biblioteca Nacional de España

gloriæ: hoc est vir rectæ gloriæ. Quo nomine non potest vocari qui aliter viuit quàm credit.

Neophytus Græcè: Latine nouellus & rudis, fidelis vel nuper renatus interpretari potest.

Cathecumenus dictus ꝓ eo quòd adhuc doctrinam fidei audit, necdum tamen baptismum percepit. Nã κατηχούμενος Græcè: auditor dicitur.

Competens vocatur qui post instructionem fidei competit gratiam Christi, inde & à petendo competens vocatur.

Laicus popularis. λαὸς enim Græcè populus dicitur.

Proselytus, id est aduena & circumcisus, qui miscebatur populo Dei. Græcum est.

ISIDORI HISPALENIS EPISCOPI ORIGINVM, SIVE ETYMOLOGIARVM LIBER VIII.

CAPITVLA LIBRI OCTAVI.

1 *De Ecclesia & synagogá.*
2 *De religione & fide.*
3 *De hæresi & schismate.*
4 *De hæresibus Iudæorum.*
5 *De hæresibus Christianorum.*
6 *De philosophis gentium.*
7 *De poetis.*
8 *De Sybillis.*
9 *De magis.*
10 *De paganis.*
11 *De dijs gentium.*

De Ecclesia & synagoga. Cap. I.

Cclesia Græcum est: quod in Latinum vertitur cõuocatio, propter qd omnes ad se conuocet. Catholica vniuersalis quasi κατὰ ὅλου; id est, secundum totũ. Non enim sicut cõuenticula hæreticorum in aliquibus regionum partibus coarctatur: sed per totum orbem terrarum dilatata diffunditur. Quod etiã Apostolus approbat ad Roma. dicens: *Gratias ago Deo meo pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciatur in vniuerso mundo.* siue quod in vnitate cunctos coniungit credentes. Hinc & vniuersitas ab vno cognominata est, propter quod in vnitatem colligitur. Vnde Dominus in Euangelio: *Qui mecum non colligit, spargit.* Cur autẽ ecclesia cũ vna sit, à Ioanne septem scribuntur, nisi vt vna catholica septiformi plena spiritu designetur. sicut & de Domino noui mus dixisse Salamonẽ: *Sapientia ædificauit sibi domum & exscidit columnas* vij. quę tamen vij. vna esse non ambigitur, dicente Apostolo. *Ecclesia Dei viui, quæ est columna & firmamentum veritatis.*

Inchoauit autẽ Ecclesia à loco vbi venit de cœlo Spiritus sanctus, & impleuit vno loco sedentes.

Pro peregrinatiõe aũt prẹsenti Ecclesia, Sion dicitur, eo quòd ab huius peregrinationis longitudine promissionẽ rerum cælestiũ speculetur: & idcirco Sion, id est speculatio nomẽ accepit. Pro futura verò patriæ pace Hierusalẽ vocatur. nam Hierusalem visio pacis interpretatur. Ibi enim absorpta omni aduersitate: pacẽ, quæ est Christus, præsenti possidebit obtuitũ.

Synagoga Græcè: Latinè congregatio dicitur, quod propriũ nomẽ Iudæorũ populus tenuit. Ipsorũ enim propriè synagoga dici solet: quãuis & Ecclesia dicta sit. Nostram verò Apostoli nunquã synagogã dixerũt: sed super Ecclesiam siue discernẽdi causa, siue quòd inter congregationẽ vnde synagoga, & conuocationem vnde Ecclesia nomen accepit distet aliquid. qd scilicet congregari & pecora solent. quorum & greges ꝓpriè dicimus cõgregari. cõuocari autẽ magis est vtentiũ ratione: sicut sunt homines.

De religione & fide.

DOgma à putando philosophi nominauerũt, id est, hoc puto esse verũ, hoc puto esse bonum. 01

Religio appellata, quòd per eã vni Deo religamus animas nostras ad cultũ diuinũ vinculo seruiendi. Quod verbũ compositũ est à religendo, id est, eligendo, vt ita Latinum videatur religio sicut eligio.

Tria sunt autẽ quæ in religionis cultu ad cõlendũ Deum in hominibus perquirũtur, id est fides, spes, caritas. In fide quid credendũ, in spe quid sperandum, in caritate quid sit amandum. 20

Fides est, quia veraciter credimus id qd nequaquã videre valeamus. Nã credere iã non possumus quod videmus. Propriè autẽ nomẽ fidei inde est dictũ: si omnino fiat quod dictũ est, aut promissum. Et inde fides vocata ab eo quòd sit illud quod inter vtrosq; placitũ est, quasi inter Deum & hominem, hinc & fœdus.

Spes vocata quòd sit pes progredidẽi. quasi, est pes. Vnde cõtrariũ desperatio. deest enim ibi pes, nullaq; progrediendi facultas est, quia dum quisq; punctum amat, futuram gloriam non superat. Charitas Græcè: Latinè dilectio interpretatur, quòd duo in se ligant. Nã dilectio à duobus incipit: quod est amor Dei & proximi. de qua Apostolus, *Plenitudo* inquit *legis dilectio.* Maior est aũt hæc omnibus. quia q diligit, & credit 30

© Biblioteca Nacional de España

& sperat. Qui aũt nõ diligit, quãuis multa bona faciat, frustra laborat. Omnis aũt dilectio carnalis nõ dilectio: sed magis amor dici solet. dilectionis autem nomen tantùm in melioribus rebus accipi solet.

De hæresi & schismate.

HAeresis Græcè ab electiõe vocatur, quod scilicet vnusquisq; id sibi eligat, qd̃ meliõ sibi esse videtur, vt philosophi Peripatetici, Academici, Epicurei & Stoici: vel sicut alij qui peruersum dogma cogitantes, arbitrio suo de Ecclesia recesserunt. Inde ergo hæresis dicta græca voce, ex interpretatione electionis qua quisq; arbitrio suo ad instituenda siue ad suscipienda quelibet ipse sibi eligit. Nobis verò nihil nostro ex arbitrio inducere licet: sed nec eligere quod aliqui de arbitrio suo induxerint. Apostolos autẽ Dei habemus autores: qui nec ipsi quicquã ex suo arbitrio qd̃ inducerẽt elegerunt, sed acceptã à Christo disciplinã fideliter nationib. assignauerũt. Itaq; etiãsi angelus de cœlis aliter euangelizauerit: anathema vocabitur.

Secta aũt à sequẽdo & tenẽdo nominata. Nã sectas dicimus habitus animorũ, ac instituta circa disciplinã vel ꝓpositũ quẽ tenẽdo sequũtur: lõge alia in religiõis cultu opinãtes quã cæteri.

Schisma à scissura animorum nomẽ accepit. Eodẽ enim cultu eodẽq; ritu credit ut cæteri: solo cõgregatiõis delectatur dissidio. Fit aũt schisma cũ dicũt homines, nos iusti sumus, nos sanctificamus immundos, & cætera similia.

Superstitio dicta eo quòd sit superflua, aut * superstatuta obseruatio. Alij dicunt à senibus, quia multis annis superstites per ætatẽ delirant & errãt superstitione quadã, nescientes quę vetera colant, aut quæ veterũ ignari assciscunt. Lucretius autẽ superstitionem dicit superstantium rerũ, id est cælestium & diuinorum quæ super nos stant: sed maledicit. Hæreticorum autem dogmata, vt facilè possint agnosci: causas eorum vel nomina demonstrare oportuit.

** superinstituta.*

De hæresibus Iudæorum.

IVdæi cõfessores interpretãtur. Multos enim ex ijs sequitur cõfessio: quos antea perfidia possidebat.

Hebræi transitores dicuntur. Quo nomine admonentur, vt de peioribus ad meliora transeant, & pristinos errores relinquant.

Pharisæi & Saducæi inter se cõtrarij sunt. Nã Pharisæi ex Hebræo in Latinũ interpretantur Diuisi, eo qd̃ traditionũ & obseruationũ suarũ quas illi δευτερώσεις vocãt, iusticiã præferũt. Vnde & diuisi vocãtur à populo, quasi per iustitiã.

Saducæi interpretantur iusti. vendicãt enim sibi quod non sunt: corporis resurrectionẽ negant, & animã interire cũ corpore prędicant. Hi quinq; tantùm libros legis recipiunt, prophetarum vaticinia respuunt.

* Essei. Efnei dicũt ipsum esse Christum, qui docuit illos omnem abstinentiam.

Morbonei dicunt ipsum esse Christũ, qui docuit illos in omni re sabbatizare.

* Genistei dicti eo quòd de genere Abrahę esse se gloriantur. Nã cum in Babiloniã venisset populꝰ Dei: pleriq; relinquẽtes vxores suas, Babilonicis mulierib. adhæserũt: quidã autẽ Israeliticis tantùm cõiugijs cõtenti vel ex eis geniti, dũ reuersi essent de Babilonia, diuiserunt se ab omni populo & assumpserunt sibi hoc nomen iactantiæ. ** Genesia.*

* Meristei appellati eo quod separant scripturas, non credentes omnibus prophetis, dicẽtes alijs & alijs spiritibus illos prophetasse. μέρος enim Græcè, Latinè pars dicitur. ** Meresia.*

Samaritæ dicti quod legẽ solam custodiunt. Nam prophetas non recipiunt.

Hemerobaptistæ, eo quod cotidie vestimenta sua & corpora lauent.

De hæresibus Christianorum.

QVidam etiam hæretici qui de ecclesia recesserũt ex nomine autorum suorũ nuncupantur. quidam verò ex causis quas eligentes instituerunt.

Simoniani dicti à Simone magicæ disciplinę perito, cui Petrus in Actibus apostolorũ maledixit, pro eo quòd ab Apostolis Spiritus sancti gratiã pecunia emere voluisset. Hi dicũt creaturã nõ à Deo: sed à virtute quadã superna creatã.

Menandriani à Menandro magno discipulo Simonis nuncupati, qui modum nõ à Deo, sed ab angelis factum esse asseruit.

Basilidiani à Basilide appellati, qui inter reliquas blasphemias passum Iesum abnegauit.

Nicolaitæ dicti à Nicolao diacono Ecclesiæ Hierosolymorũ, qui cum Stephano & cæteris cõstitutus est à Petro: qui propter pulchritudinẽ relinquẽs vxorẽ dixerat, vt qui vellet ea vteretur, versa est in stuprum talis consuetudo, vt inuicẽ coniugia mutarentur. Quos Ioannes, in Apocalypsi improbat dicens. *Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum.*

Gnostici ꝓpter excellẽtiã scientię se ita appellare voluerũt. Animã naturã Dei esse dicũt, bonum & malũ Deum suis dogmatibus fingunt.

Carpocratiani à Carpocrate quodam vocantur: qui dixit Christum hominẽ fuisse tantùm, & de vtroq; sexu progenitum.

Cherinthiani à Cherintho quodã nuncupati. Hi inter cætera circumcisionẽ obseruãt: mille annos post resurrectionẽ in voluptate carnis futuros prædicant. Vnde & Græcè Chiliastæ: Latinè Milliastæ sunt appellati.

Nazaræi dicti qui dum Christum qui à vico Nazarænus est appellatus filium Dei confiteantur: omnia tamen veteris legis custodiunt.

Ophitæ à colubro nominati sunt. Coluber enim Græcè ὄφις dicitur. Colunt enim serpentẽ, dicentes ipsum in paradisum induxisse virtutis cognitionem.

Valentiniani à Valentino quodã Platonico sectatore vocati: qui αἰῶνας, id est, secula quædam in originẽ Dei creatoris induxit: Christũ quoq; de virgine nihil corporis assumpsisse, sed per eã quasi per fistulam transisse asseruit.

Apel-

© Biblioteca Nacional de España

Apellitæ, quorum Apelles princeps fuit, qui creatorem angelum nescio quem gloriosum superioris Dei faciens Deum legis Israel: illum igneum affirmans.

Appellitæ quorũ author Appelles, qui dixit Christum non Deum veritate, sed hominem in fantasia apparuisse.

Archontiaci à principibus appellantur, qui vniuersitatem quam Deus condidit: opera esse archangelorum defendunt.

Adamiani vocati, quòd Adę imitentur nuditatem. vnde & nudi orãt, & nudi inter se mares fœminæque conueniunt.

Cainiani proinde sic appellati, quoniã Cain adorant.

Sethiani nomen acceperunt à filio Adam, qui vocatus est Seth, dicentes eundem esse Christum.

Melchisedechiani vocati pro eo, quòd Melchisedech sacerdotem Dei, non hominem fuisse, sed virtutem Dei esse arbitrantur.

Angelici vocati, quia angelos colunt.

Apostolici hoc sibi nomen ideo præsumpserũt, quòd nihil possidẽtes propriũ, nequaquam recipiant eos qui aliquid in hoc mundo vtũtur.

Cerdoniani à Cerdone quodam nominati, qui duo contraria principia asserunt.

Martionistę à Martione Stoico philosopho appellati, qui Cerdonis dogma secutus, alterũ bonum, alterum iustũm Deum asseruit, tanquã duo principia creatoris & bonitatis.

Artoteritæ ab oblatione vocati. Panem enim & caseum offerunt: dicentes primis hominibus oblationem à fructibus terrę & à fructibus ouium fuisse celebratam.

Aquarij appellati, eò quòd aquam solam offerunt in calice sacramenti.

Seueriani à Seuero exorti, vinum non bibunt: vetus Testamentum & resurrectionem non recipiunt.

Tatiani à Tatiano quodam vocati, qui & Encratitæ dicti, quia abominantur carnes.

Alogij vocantur tanquam sine Verbo. λόγος enim Græcè verbum dicitur. Deum enim verbum non credunt, respuentes Iohannis euangelium & Apocalypsim.

Cataphrygijs nomen prouinciæ* Cataphrygia dedit, quia ibi extiterunt authores eorum Montanus & Prisca & Maximilla. Hi aduentũ spiritus sancti non in apostolis, sed in se traditum asserunt.

* Frigia

Cathari propter munditiam ita se nominauerunt. Gloriantes enim de suis meritis, negãt pœnitentibus veniam peccatorum: Viduas si nupserint, tanquã adulteras damnãt: Mundiores se cæteris prædicant. Qui nomen suum si cognoscere vellent, mundanos se potius quàm mundos vocarent.

Pauliani à Paulo Samosateno exorti sunt: qui dixit non semper fuisse Christum, sed à Maria sumpsisse initium.

Hermogeniani ab Hermogene quodam vocati: qui materiam non natam introducẽs, Deo non nato eam comparauit matremq; elementorũm & deam asseruit: quos Apostolus improbat, elementis seruientes.

Manichei à quodam Persa extiteruut: qui vocatus est Manes. Hic Manes duas naturas & substantias introduxit, id est, bonam & malam, & animas ex Deo quasi ex aliquo fonte manare asseruit. Testamentum vetus respuit: Nouum ex parte recipit.

Anomiani, id est, Latinè sine lege dicuntur.

Antropomorphitæ dicti pro eo, quòd simplicitate rustica Deum habere humana membra, quæ in diuinis libris scripta sunt, arbitrantur. Ἄνθρωπος enim Græcè, Latinè homo interpretatur: ignorantes vocem Domini qui ait: *Spiritus est Deus*. Incorporeus est enim, nec membris distinguitur: nec corporis mole censetur.

Eraclitæ ab Eraclio authore exorti. Monachos tantùm recipiunt, coniugia respuunt, regna cœlorum paruulos habere non credunt.

Nouatiani à Nouato Romæ vrbis presbytero exorti: qui aduersus Cornelium cathedram pontificalem conatus inuadere, hæresim instituit, nolens apostatas recipere: & rebaptizans baptizatos.

Montani hæretici dicti, quòd tempore persecutionis in montibus latuerunt: qua occasione à catholicæ Ecclesiæ corpore se diuiserunt.

Ebionitæ ab Ebione dicti: siue à paupertate. Christum enim per* prophetam solum verum iustum putant effectum. Vnde competenter Ebionitæ pro paupertate intelligentiæ compellati sunt. Hi semiiudæi sunt: & ita tenent Euangelium, vt legem carnaliter seruent: aduersus quos Apostolus ad Galatas scribens inuehitur.

* prophetam. al. profectum, quæ lectio verior est.

Fotiniani à Fotino Gallogræciæ Sirmiæ episcopo nuncupati: qui Ebionitarum hæresim suscitans: asseruit Christum à Maria per Ioseph nuptiali coitu fuisse conceptum.

Aetiani ab Aetio quodam nuncupati sunt. Hi offerre sacrificium pro defunctis spernunt.

Aetiani ab Aetio quodam sunt vocati. Idémque Eunomiani, ab Eunomio quodam dialectico Aetij discipulo: ex cuius nomine magis innotuerunt: dissimilem Patri asserentes Filium & Filio Spiritum sanctum. Dicunt etiam nullum imputari peccatum in fide manentium.

Origeniani ab Origene authore exorti sunt, dicentes quòd non possit Filius videre Patrem: nec Spiritus sanctus Filium. Animas quoque in mundi principio dicunt peccasse: & pro diuersitate peccatorum de cœlis vsque ad terras lapsas, diuersa corpora quasi vincula meruisse: eaque causa mundum factum fuisse.

Noetani à quodam Noeto vocati: qui dicebat Christum eundem esse & Patrem, & Spiritum sanctum: ipsamque Trinitatem in officiorum nominibus non in personis ac-

© Biblioteca Nacional de España

cipiunt. Vnde & Patripassiani vocantur: quia Patrem passum aiunt.

Sabelliani ab eodem Noeto pullulasse dicuntur: cuius discipulum perhibent fuisse Sabellium: ex cuius nomine maximè innotuerũt. Vnde & Sabelliani vocati sunt. Hi vnam personam Patris & Filij & Spiritus sancti astruunt.

Arriani ab Ario Alexãdrino presbytero orti sunt, qui coæternum Patri Filium non agnoscens: diuersas in Trinitate substantias asseruit: contra illud quod ait Dominus, dicens: *Ego & Pater vnum sumus*.

Macedoniani à Macedonio Constantinopolitano Episcopo dicti sunt: negantes Deum esse Spiritum sanctum.

Apollinaristæ ab Apollinare vocati sunt, dicentes, Christum corpus tantummodo sine anima suscepisse.

Antidicomaritæ appellati sunt, pro eo quòd Mariæ virginitati contradicunt: asserentes eam post Christum natum viro suo commixtam.

Metangismonitę ideo tale nomen acceperũt: quia ἀγγεῖον vas dicitur. Asserunt enim esse in Patre Filium, tanquã vas minus intra vas maius.

Patriciani à quodã Patricio nuncupati sunt, qui substantiam humanę carnis à diabolo conditam dicunt.

Coliuthani à quodam Coliutho nominati, qui dicunt, Deum non facere malum: contra illud quod scriptum est: *Ego Dominus creans mala*.

Floriani à Florino, qui econtrariò dicunt Deum creasse mala: contra id quod scriptum est: *Fecit Deus omnia bona*.

Donatistæ à Donato quodam Afro nuncupati, qui de Numidia veniens totam penè Africam sua persuasione decepit: asserẽs minorem Patre Filium, & minorem Filio Spiritum sanctum: & rebaptizans catholicos.

Bonosiani à Bonoso quodam Episcopo exorti produntur: qui Christum filium Dei adoptiuum non proprium asserunt.

* Circumcelliones. * Circumciliones dicti, eò quòd agrestes sunt: quos Cotopitas vocant supradictæ hæresis habentes doctrinam. Hi amore martyrij semetipsos perimunt, vt violenter de hac vita discedentes martyres nominentur.

Priscillianistæ à Priscilliano vocati: qui in Hispania ex errore Gnosticorum & Manichęorum, permixtum dogma composuit.

Luciferiani à Lucifero Sirmiæ Episcopo, qui cõtra Episcopos catholicos, qui * Constantij persecutione perfidiæ Arrianorum consentientes erant, & postea correcti * redire in catholicam delegerunt, damnantes, siue quòd crediderant, siue quòd se credidisse simulauerant: quos Ecclesia catholica materno recipit sinu: tanquam Petrum post fletum negationis. Hanc illi matris charitatem superbè accipientes: eósque recipere nolentes à communione recesserunt: & cum ipso Lucifero authore suo, qui manè oriebatur cadere meruerunt.

* Constantio persequente * in catholicã redire delegerunt

Iouinianistæ à Iouiniano quodam monacho dicti: asserentes nullam nuptiarum & virginum esse distantiam: nullumque inter abstinentes & simpliciter epulantes esse discrimen.

Eluidiani ab Eluidio nominati: qui dicunt post natum Christum, alios Mariam filios de viro Ioseph peperisse.

Paterniani à Paterno quodam exorti, qui inferiores corporis partes à diabolo factas opinantur.

Arabici nuncupati, eò quòd in Arabia exorti sunt, dicentes animam cum corpore mori, atq; in nouissimo die vtrumque resurgere.

Tertullianistæ dicti à Tertulliano presbytero Africanæ prouinciæ, ciuitatis Carthaginensis, animam immortalẽ esse, sed corpoream prædicantes: & animas hominum peccatorum post mortem in dæmones verti putantes.

Τεσσαρεσκαιδεκαδίται dicti, quòd xiiij luna pascha cum Iudæis obseruandũ contendunt. nam τέσσαρες quatuor, δέκα decem significat.

Nyctages à somno nuncupati, quòd vigilias noctis respuant: superstitionem esse dicentes: iura temerare diuina, qui noctem ad requiem tribuit.

Pelagiani à Pelagio monacho exorti. Hi liberum arbitrium diuinæ gratiæ anteponunt, dicentes sufficere voluntatem ad implenda iussa diuina.

Nestoriani à Nestorio Constantinopolitano Episcopo nuncupati, qui beatam virginem Mariam, non Dei, sed hominis tantummodo asseruit genitricem: vt aliam personam carnis: aliam faceret Deitatis. neque vnum Christum in verbo Dei & carne credidit, sed separatum atque seiunctim alterum filium Dei: & alterum hominis prædicauit.

Eutychiani dicti ab Eutyche Constantinopolitano abbate, qui Christum post humanam assumptionem negauit existere de duabus naturis, sed solam in eo asseruit diuinam naturam esse.

Acephali dicti, id est, sine capite, quẽ sequuntur hęretici. Nullus enim eorum reperitur author à quo exorti sint. Hi trium Chalcedonensium capitulorum impugnatores duarum in Christo substantiarum proprietatem negant, & vnam in eius persona naturam prædicant.

Theodosiani & Gaianitæ, à Theodosio & Gaiano appellati, qui temporibus Iustiniani principis in Alexãdria populi peruersi electione vno die sunt ordinati Episcopi. Hi errores Eutichetis & Dioscori sequẽtes, Chalcedonense conciliũ respuunt: ex duabus vnã in Christo naturam asserunt, quam Theodosiani corruptam: Gaianitæ incorruptam contendunt.

Gnoitæ & Tritheitæ à Theodosianis exorti sunt, ex quibus Gnoitæ ab ignorãtia dicti: quia peruersitate à qua exorti sunt, id adijciũt, quòd Christi diuinitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die & hora nouissima: non recordantes Christi personam in Esaia loquentis: dies iudicij in

© Biblioteca Nacional de España

dicij in corde meo. Tritheitę verò vocati, quòd sicut tres personas in Trinitate: ita quoque tres astruunt deos esse, contra illud quod scriptum est: *Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus vnus est*.

Sunt & aliæ hæreses sine authore & sine nominibus: ex quibus aliæ triformem putant Deum esse: aliæ Christi diuinitatem passibilem dicunt: aliæ Christi de Patre natiuitati initium temporis dant: aliæ liberationem hominum apud inferos factam Christi descensionem non credunt: aliæ animam imaginem Dei negant: aliæ animas conuerti in dæmones & in quæcunque animalia existimant: aliæ de mundi statu dissentiunt: aliæ innumerabiles mundos opinantur: aliæ aquam Deo coęternam faciunt: aliæ nudis pedibus ambulant: aliæ cum hominibus non manducant.

Hæ sunt hæreses aduersus catholicam fidem exortæ, & ab apostolis & à sanctis Patribus vel Concilijs prędamnatę: quę dum in se multis erroribus diuisæ, inuicem sibi dissentiunt: cõmuni tamen nomine aduersus ecclesiam Dei conspirant. Sed & quicunque aliter Scripturam sacram intelligit quàm sensus Spiritus sancti flagitat, à quo conscripta est: licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus potest appellari.

De Philosophis gentium.

PHilosophi Græca appellatione vocantur, qui Latinè amatores sapientiæ interpretantur. Est enim Philosophus qui diuinarum & humanarum rerum scientiam habet: & omnem bene viuendi tramitem tenet. Nomen Philosophorũ primùm à Pythagora fertur exortum. Nam dum anteà Græci veteres sophistas, id est, sapientes aut doctores sapientiæ semetipsos iactantius nominarent: iste interrogatus, quid profiteretur? verecundo nomine philosophum, id est, amatorem sapientiæ se esse respondit: quoniam sapientem profiteri arrogantissimum videbatur. Ita deinceps posteris placuit: vt quãtalibet de rebus ad sapientiam pertinentibus doctrina quisque vel sibi vel alijs videretur excellere: non nisi philosophus vocaretur. Ijdem autem philosophi triplici genere diuiduntur: nam aut Physici sunt, aut Ethici, aut Logici.

Physici dicti, quia de naturis tractant. Natura quippe φύσις Græcè vocatur.

Ethici, quia de moribus disputant. Mos enim ἦθος apud Græcos appellatur.

Logici autem, quia in naturis & moribus rationem adiungunt. Ratio enim Græcè λόγος dicitur. Diuisi sunt autem Ethici in hæresibus suis: habentes quidam nomina ex authoribus vt Platonici, Epicurei, Pythagorici: alij à locis conuenticulorum, & stationum suarum, vt Peripatetici, Stoici, Academici.

Platonici à Platone philosopho dicti. Hi enim animarum creatorem esse Deum, corporum angelos asserunt: & post multos annorum circulos in diuersa corpora redire animas dicunt.

Stoici à loco dicti. Porticus enim fuit Athenis, quam Pisianactia appellabant: in qua picta erant gesta sapientium, atq; virorũ fortium historiæ. In hac porticu sapientes philosophabantur, ex qua & Stoici dicti sunt. Gręcè enim porticus στοὰ dicitur. Hanc sectam primus Zeno instituit. Hi negant sine virtute effici quemquam beatum. Omne peccatũ vniforme esse asserunt, dicentes sic: Ille nocens erit, qui paleas furatus fuerit, quàm qui aurum: qui mergum occiderit, quàm qui equum. Nõ enim animal crimen, sed animus facit. Hi etiam animam cum corpore perire dicunt. Animam quoq; virtutẽ continentiæ esse negant: affectãt gloriam æternam, cùm se fateantur non esse æternos.

Academici appellati à villa Platonis academia Athenarum, vbi idem Plato docebat. Hi omnia incerta opinantur: sed sicut fatendum est multa incerta & occulta esse, quæ Deus voluit excedere hominis intelligentiã: sic tamen plurima esse, quæ possint & * sensus penetratione comprehendi. Hanc sectam Archesilaus Cyrinaicus philosophus repperit: cuius sectator fuit Democritus, qui dixit tanquam in puteo alto, ita vt nullus fundus sit: ita in occulto iacere veritatem.

* *sensibus capi, & ratione*

Peripatetici à deambulatione dicti, eò quòd Aristoteles author eorum deambulans disputare solitus esset. Hi dicunt quandam particulam animæ esse æternam: de reliquo magna ex parte mortalem.

Cynici ab immunditia impudentiæ nuncupati. Contra humanam enim verecundiam in propatulo coire cum coniugibus eis mos erat: censentes licitum honestumq; esse palàm cum vxoribus concumbere, quia coniugium iustum est, publicè id prædicantes agendum esse, vt canes in vicis vel plateis. Vnde & à canibus, quorum vitam imitabantur, etiam vocabulum nomenque traxerunt.

Epicurei dicti ab Epicuro quodam philosopho amatore vanitatis non sapientiæ, quem etiam ipsi philosophi porcum nominauerunt: quasi * volutans in cœno carnali, voluptatem corporis summum bonum asserens: qui etiam dixit nulla prouidentia diuina instructum esse aut regi mundum: sed originẽ rerum atomis, id est, insecabilibus ac solidis corporibus assignauit: quorum fortuitis concursionibus vniuersa nascantur & nata fint. Asseruit tamen Deum nihil agere: omnia constare corporibus, animam nihil aliud esse quàm corpus. Vnde & dixit: *Non ero postea quàm mortuus fuero.*

* *volutanti*

Gymnosophistæ nudi per opacas Indiæ solitudines perhibentur philosophari, adhibentes tantùm genitalibus tegmina. γυμνὸς enim eò dictum est, quòd iuuenes nudi exercentur in campo, vbi pudenda sola tantùm se operiunt. Hi & à generando se cohibent.

© Biblioteca Nacional de España

Theologi autem idem sunt qui & Physici. dicti autem Theologi: quoniam in scripturis suis de Deo dixerunt. quorum varia constat opinio, quid Deus esset dum quærerent. Quidam enim corporeo sensu hunc visibilem mundum ex quatuor elementis Deum esse dixerunt: vt Dionysius Stoicus. Alij verò spiritualiter intellexerunt mentem esse Deum: vt Thales Milesius. Quidam animum in omnibus commanentem, & lucidum, vt Pythagoras. Quidam Deum sine tempore incommutabilem, vt Plato. Quidam mentem solutam, vt Cicero. Quidam & spiritum & mentem, vt * Maro. Inuentum enim solummodo Deum non vt invenenerunt exposuerunt: quia euanuerunt in cogitationibus suis. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Platonici quidem Deum curatorem & arbitrum & iudicē asserunt. Epicurei otiosum & inexercitatū. De mundo autē Platonici affirmant incorporalē. Stoici corporalē. Epicurus atomis. Pythagoras ex numeris. Eraclitus ex igne. Vnde & Varro ignē mundi animū dicit. proinde quòd in mundo ignis omnia gubernet: sicut animus in nobis. Quamvanissimè: *Qui cùm est*, inquit, *in nobis, ipsi sumus: cùm exit, emorimur.* Ergo & ignis cùm de mundo per fulgura proficiscitur, mundus emoritur. Hi philosophorum errores etiam apud Ecclesiam induxerunt hæreses. Inde αἱρέσεις & formę nescio quę inde apud Arium Trinitas nominis, & apud Valentinum, Platonicus furor. Inde Martionis Deus melior de tranquillitate: à Stoicis enim venerat, & vt anima interire dicatur, Epicurus obseruatur: & vt carnis resurrectio negetur, de vana omnium philosophorum schola sumitur: & vbi materia cum Deo æquatur, Zenonis disciplina est: & vbi quid de igneo Deo legitur, Eraclitus interuenit. Eadem materia apud hęreticos & philosophos volutatur, idem & re tractatus implicatur.

** Varro*

De Poetis.

POetæ vnde sint dicti, sic ait Tranquillus: Cùm primùm homines exuta feritate rationem vitæ habere cepissent, seq; ac deos suos nosse, cultum modicum, ac sermonē necessarium commenti sibi vtriusque magnificentiam ad religionem deorum suorum excogitauerunt. Igitur vt templa illis domibus pulchriora, & simulacra corporibus ampliora faciebant: ita eloquio etiam quasi augustiore honorandos putauerunt, laudesq; eorum & verbis illustrioribus & iocundioribus numeris extulerunt. Id genus quia forma quadam efficitur, quæ ποιότης dicitur: poema vocitatum est, eiusque fictores, poetæ.

Vates à vi mentis appellatos Varro auctor est: vel à viendis carminibus, id est, flectendis, hoc est, modulandis: & proinde poetæ Latinè vates olim: & scripta eorum vaticinia dicebantur, quòd vi quadā, & quasi vesania in scribendo commouerentur: vel quòd modis verba connecterent: Viere enim antiquis pro vincire ponentibus, etiam per furorem.

Diuini eodē erant nomine: quia & ipsi quoque pleraque versibus efferebant.

Lirici poetæ dicti λύρα Θοῦ —, id est, à varietate carminum. Vnde & lira dicta.

Tragœdi dicti, quòd initiò canentibus præmium erat hircus, quem Græci τράγον vocant. Vnde & Horatius:

Carmine qui tragico vilem certauit ob hircum.

Iam dehinc sequentes tragici multum honorem adepti sunt, excellentes in argumentis fabularum ad veritatis imaginem fictis.

Comœdi appellati siue à loco, quia circum pagos agebant: quos Græci κώμας vocant: siue à comessatione. Solebāt enim post cibū homines ad eos audiendos venire. Sed comici priuatorum hominum prædicant acta: tragici verò res publicas & regum historias. Item tragicorum argumenta ex rebus luctuosis sunt: comicorum ex rebus lætis.

Duo sunt autem genera comicorum, id est, veteres & noui. Veteres, qui & ioco ridiculares extiterunt, vt Plautus, Actius, Terentius. Noui qui & Satyrici, à quibus generaliter vitia carpuntur, vt Flaccus, Persius, Iunenalis, & alij. Hi enim vniuersorum delicta corripiunt: nec vetabatur eis pessimum quenque describere: nec cuiuslibet peccata moresque reprehendere. Vnde & nudi pinguntur, eò quòd per eos vitia singula denudentur.

Satyrici autem dicti, siue quòd pleni sint omni facundia: siue à saturitate & copia. De pluribus enim simul rebus loquuntur: seu ab illa lance quæ plena diuersis frugum vel pomorum generibus ad templa gentilium solebat deferri: aut à satyris nomen dictum: qui multa habēt, * ea quæ per violentiam dicuntur.

** eaq; per violentiam distribuunt dicuntur.*

Quidam autem poetæ Theologi dicti sunt: quoniam de dijs carmina faciebant.

Officium autem poetæ in eo est, vt ea quæ verè gesta sunt in alias species obliquis figurationibus cum decore aliquo conuersa transducat. Vnde & Lucanus ideo in numero poetarum non ponitur, quia videtur historias composuisse non poema. Apud poetas autem tres characteres sunt dicendi: vnus in quo tantùm poeta loquitur, vt est in libris Virgilij Georgicorum. Alius dramaticus, in quo nusquam poeta loquitur, vt est in Comœdijs & Tragœdijs. Tertius mixtus, vt est in Æneide. Nam Poeta illic & introductæ personæ loquuntur.

De Sybillis.

SYbillæ generaliter dicuntur omnes fœminæ vates lingua Græca. Nam σιὸς Æolico sermone Deum, βουλὴν Græci mentem nuncupant, quasi Dei mentem. Proinde igitur, quia diuinam voluntatem hominibus interpretari solebant, Sybillæ nominatæ sunt. sicut enim omnis vir prophetans vel vates dicitur, vel propheta:

© Biblioteca Nacional de España

pheta: ita omnis fœmina prophetans Sibylla vocatur. Quod nomen ex officio, non ex proprietate vocabuli est.

Decem autem Sibyllæ à doctissimis auctoribus traduntur fuisse: quarum prima de Persis fuit: secunda Lybica: tertia Delphica in templo Delphici Apollinis genita, quæ ante Troiana bella vaticinata est: eiusq; plurimos versus operi suo Homerus inseruit: quarta Cimmeria in Italia: quinta Erythræa nomine Erophyla in Babylone orta, quæ Græcis Ilium petentibus vaticinata est peritura esse Troiam, & Homerum mendacia scripturum. Dicta autem Erythræa, quia in eadem insula, eius inuenta sunt carmina: sexta Samia, quæ Samonoe dicta est à Samo insula, vnde fuit cognominata: septima Cumana nomine Amalthea, quæ nouem libros attulit Tarquinio Prisco, in quibus erant decreta Romana conscripta. Ipsa est & Cumæa, de qua Virgilius:

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas.

Dicta autē Cumana à ciuitate Cumis, quę est in Campania, cuius sepulchrum in Sicilia adhuc manet: octaua Hellespontia in agro Troiano nata, quæ scribitur Solonis & Cyri fuisse temporibus: nona Phrygia, quæ vaticinata est Ancyræ; decima Tiburtina nomine Albunea. Quarum omnia carmina efferuntur: in quibus de Deo & de Christo, & gentibus multa scripsisse manifestissimē comprobatur. Celebrior autem inter cęteras ac nobilior Erythræa perhibetur.

De Magis.

MAgorum primus Zoroastes rex Bactrianorum extitit, quem Ninus rex Assyriorum prelio interfecit: de quo Aristoteles scribit, quod vicies centummillia versuum ab ipso condita indicijs voluminum eius declarentur. Hanc artem multa post secula Democritus ampliauit: quando & Hippocrates medicinæ disciplina efflorui t. Apud Assyrios autem magicæ artes copiosę sunt testante Lucano:

*— quis noscere * fibra*
Facta queat, quis prodat aues, quis fulgura cœli
Seruet, & Assyria scrutetur sidera curu?

Itaque hęc vanitas magicarum artium ex traditione angelorum malorū in toto terrarum orbe plurimis seculis valuit. Per quandam scientiam futurorum & infernorum, & inuocationes eorum inuenta sunt aruspicia, augurationes, & ipsa quæ dicuntur oracula & necromantia. Nec mirū de magorum præstigijs: quorum in tantū prodiēre maleficiorum artes, vt etiam Moysi simillimis signis resisterent, vertentes virgas in dracones: aquas in sanguinem.

Fertur & quædam maga famosissima Circe: quæ socios Vlyssis mutauit in bestias. Legitur & de sacrificio, quod Arcades Deo suo Lyceo immolabant, ex quo quicunque sumerent, in bestiarum formas conuertebantur. Hinc apparet, non esse in totū dubium quod nobilis ille poeta scripsit de quadam fœmina, quæ magicis artibus excellebat:

Hæc, inquit, se carminibus promittit soluere mētes
Quas velit, ast alijs duras immittere curas.
Sistere aquam fluuijs, & vertere sidera retro,
Nocturnosq; ciet manes, mugire videbis
Sub pedibus terram; & descendere montibus ornos.

Quid plura? Si credere fas est, de Pythonissa, vt prophetæ Samuelis animam de inferni abditis euocāret, & viuorum prēsentaret conspectibus, si tamen animam prophetæ fuisse credamus, & non aliquam phantasinaticā illusionem satanæ fallacia factam.

Prudentius quoq; de Mercurio sic ait:

Traditur extinctas sumpto moderamine virgæ
In lucem reuocasse animas.—
Ast alios damnasse neci —.

Et post paululum adiecit:

Murmure nam magico tenues excire figuras,
Atq; sepulchrales scite incantare fauillas.
Vita itidem spoliare alios ars noxia nouit.

Magi sunt qui vulgò malefici ob facinorum magnitudinem nuncupantur. Hi & elementa concutiunt, turbant mentes hominum, ac sine vllo veneni haustu violentia tantūm carminis interimunt. Vnde & Lucanus:

Mens hausti nulla sanie polluta veneni
Incantata perit —.

Dæmonibus enim accitis audent ventilare: vt quisque suos perimat malis artibus inimicos. Hi etiam sanguine vtuntur & victimis, & sæpe contingunt corpora mortuorum.

Necromantici sunt: quorum præcantationibus videntur resuscitati mortui diuinare, & ad interrogata respondere. Νεκρὸς enim Græcè mortuus. μαντεία diuinatio nuncupatur: ad quos suscitandos, cadaueri sanguis adicitur. Nam amare dæmones sanguinem dicunt. Ideoque quoties necromantia fit: cruor aqua miscetur, vt colore sanguinis facilius prouocentur.

Hydromantij ab aqua dicti. Est enim hydromantia in aquę inspectione vmbras dęmonum euocare, & imagines vel ludificationes eorum videre, ibiq; aliqua ab eis audire, vbi adhibito sanguine etiam inferos perhibentur scisciari. Quod genus diuinationis à Persis dicitur allatum. Varro dicit diuinationis quatuor esse genera, terram, aquam, aerem & ignem. Hinc geomantiam, hydromantiam, aeromantiam, pyromantiam dictam constat.

Diuini dicti, quasi deo pleni: diuinitate enim se plenos * assimulant & astutia quadam fraudulenta hominibus futura coniectant.

Duo sunt autem genera diuinationis: ars & furor.

Incantatores dicti sunt, qui artem verbis peragunt.

Arioli vocati propter quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt: ijsque celebritatibus dæmonum responsa accipiunt.

Aruspices nūcupati, quasi horarū inspectores

* fabre

* simulant

© Biblioteca Nacional de España

res: dies enim & horas in agendis negocijs operibusq; custodiunt, & quid per singula tempora obseruare debeat homo, intendunt. Hi etiam exta pecudum inspiciunt, & ex eis futura prædicunt.

Augures verò sunt qui volatus auium & voces intendunt, aliaque signa rerum vel obseruationes improuisas hominibus occurrentes, ijdem & auspices. Nam auspicia sunt quæ iter facientes obseruant.

Dicta sunt autem auspicia, quasi auium aspicia: & auguria, quasi auiũ garria, hoc est, auium voces & linguæ. Item augurium quasi auigerium quod aues gerunt.

Duo sunt autem genera auspiciorum: vnum ad oculos: alterum ad aures pertinens. Ad oculos scilicet volatus: ad aures, vox auium.

Pythones à Pythio Apolline dictæ, quòd is auctor fuerit diuinandi.

Astrologi dicti, eò quòd in astris augurantur.

Genethliaci appellati propter natalium considerationem dierum. Geneses enim hominũ per duodecim cœli signa describunt, siderumq; cursu nascentium mores, actus & *euentus prædicare conantur, id est, quis quali signo fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ qui nascitur. Hi sunt qui vulgò Mathematici vocantur: cuius superstitionis genus Constellationes Latini vocant, id est, notationes siderum, quomodo se habeat cùm quisque nascitur. Primùm autem ijdem stellarum interpretes magi nuncupabantur: sicut de his legitur qui Euangelio natum Christum annunciauerunt. postea hoc nomine soli Mathematici. Cuius artis scientia vsque ad Euangelium fuit concessa, vt Christo edito nemo exinde natiuitatem alicuius de cœlo interpretaretur.

Horoscopi dicti, quòd horas natiuitatis hominum speculantur dissimili & diuerso *fatu.

Sortilegi sunt qui sub nomine fictæ religionis per quasdam quas sanctorum sortes vocãt, diuinationis scientiam profitentur, aut quarumcunq; scripturarum inspectione futura promittunt.

Salisatores vocati sunt, quia dum eis membrorum quæcunque partes salierint, aliquid sibi exinde prosperum seu triste significare prædicunt. Ad hæc omnia pertinent & ligaturæ execrabilium remediorum, quæ ars medicorum condemnat: siue in præcantationibus, siue in characteribus, vel in quibuscunque rebus suspendendis atque ligandis. In quibus omnibus ars dæmonum est ex quadam pestifera societate hominum & angelorum malorum exorta. Vnde cuncta vitanda sunt à Christiano, & omni penitus execratione repudianda atque damnanda.

Auguria autem auium, Phryges primi inuenerunt.

Præstigium verò Mercurius primus dicitur inuenisse. Dictum autem præstigium, quòd perstringat aciem oculorum.

Aruspicinæ artem primus Etruscis tradidisse dicitur quidam *Stages. Hic ex horis aruspicinam dictauit: & postea non apparuit. Nam dicitur fabulosè arante quodam rustico subitò hunc ex glebis exiliuisse & aruspicinam dictasse, quà die & mortuus est. Quos libros Romani ex Etrusca lingua in propriam mutauerunt.

*euentia

*facto al. fato

*Tages. al. Sages. al. Strages.

De paganis.

PAganiex pagis Athenienſium dicti vbi exorti sunt. Ibi enim in locis agrestibus & pagis gentiles lucos idolaque statuerunt, & à tali initio vocabulum pagani sortiti sunt.

Gentiles sunt, qui sine lege sunt, & nondum crediderunt. dicti autem gentiles, quia ita sunt vt fuerunt geniti, id est, sicut in carne descenderunt sub peccato, scilicet idolis seruientes: & necdum regenerati. Proinde gentiles primitus nuncupabantur: ipsi dicuntur Græcè Ethnici. Ethnici enim ex Græco in Latinum interpretantur gentiles. ἔθνος enim Græcè, gens dicitur. Post fidem autem non debent vocari gentes, siue gentiles, hi qui ex gentibus credunt: sicut post fidem dici iam non potest Iudęus, testante Paulo apostolo, & dicente iam Christianis: *Quoniam cùm gentes essetis*, hoc est, infideles.

Apostatæ dicuntur, qui post baptismum Christi susceptum ad idolorum cultum & sacrificiorum contaminationes reuertuntur. Est autem nomen Græcum.

De dijs gentium.

QVos autem pagani deos asserunt, homines olim fuisse produntur: & pro vniuscuiusque vita vel meritis coli apud suos post mortem cœperunt, vt apud Ægyptum Isis: apud Cretam Iouis: apud Mauros Iuba: apud Latinos Faunus: apud Romanos Quirinus. Eodem quoq; modo apud Athenas Minerua: apud Samum Iuno: apud Paphos Venus: apud Lemnos Vulcanus: apud Naxos Liber: apud Delos Apollo. In quorum etiam laudibus accesserunt poetæ, & compositis carminibus in cœlum eos sustulerunt. Nam quorundam inuentiones artium cultu peperisse dicuntur, vt Esculapio medicina, Vulcano fabrica. Ab actibus autem vocantur, vt Mercurius, quòd mercibus præest: Liber à libertate. Fuerunt etiam & quidam viri fortes aut vrbium conditores: quibus mortuis homines, qui eos dilexerunt, simulachra finxerunt: vt haberẽt aliquod ex imaginũ contemplatione solatium: sed paulatim hunc errorem persuadentibus dæmonibus, ita in posteris constat irrepsisse, vt quos illi pro sola nominis memoria honorauerunt, successores deos existimarent atque colerent.

Simulachrorum vsus exortus est, cùm ex desiderio mortuorum constituerentur imagines vel effigies, tanquam in cœlum *receptæ, pro quibus

*receptæ

© Biblioteca Nacional de España

quibus se in terris dæmones colendi supposuerunt, & sibi sacrificari à deceptis & perditis persuaserunt. Simulachra autem à similitudine nuncupata, eò quòd manu artificis ex lapide aliáve materia eorum vultus imitantur, in quorum honorem finguntur. Ergo simulacra, vel pro eo quòd sunt similia: vel pro eo quòd simulata atq; conficta, vnde & falsa sunt. Et notandum quòd Latinus sermo sit, & non Hebræus. Apud eos enim idolum siue simulacrum Ismael dicitur. Iudęi dicunt quòd Ismael primus simulacrum luto fecerit. Gentiles autem primũ Prometheũ simulacra hominũ de luto finxisse perhibẽt: ab eoq; natã esse artẽ simulacra & statuas fingendi. Vnde & poetæ ab eo homines primũ factos esse confingunt figuratè propter effigies. Apud Gręcos autem Cecrops sub quo primùm in arce oliua orta est, & Athenienſium vrbs ex Miuernę appellatione nomen sortita est. Hic primus omniũ Iouem appellauit: simulacra reperit, aras statuit, victimas immolauit: nequaquã istiusmodi rebus in Græcia vnquam visis.

Idolatria idolorũ seruitus siue cultura interpretatur. Nam λατρεία Græcè, Latinè seruitus dicitur: quę quantũ ad veram religionem attinet, nonnisi vni & soli Deo debetur. Hanc sicut impia superbia siue hominum, siue dęmonum sibi exhiberi vel iubet vel cupit: ita pia humilitas vel hominum vel angelorũ sanctorum sibi oblatam recusat, & cui debetur ostendit. Idolum autem est simulacrum quod humana effigie factum & consecratum est: iuxta vocabuli interpretationem. εἶδος enim Græcè formam sonat, & ab eo per diminutionem idolum deductum: quòd apud nos formulã facit. Igitur omnis forma vel formula idolum se dici exposcit. Inde idolatria omnis circa idolum famulatus & seruitus. Quidam verò Latinè ignorãtes, Græcè imperitè dicũt, idolum ex dolo sumpsisse nomen, quòd diabolus creaturæ cultum diuini nominis inuexit.

Dæmonas à Græcis dictos aiunt, quasi δαήμονας, id est peritos ac rerum præscios. Prę sciunt enim futura multa: vnde & solent respõsa aliqua dare. Inest enim illis cognitio rerum plusquam infirmitati humanæ: partim subtilioris sensus acumine, partim experientia longissimæ vitæ: partim per Dei iussum angelica reuelatione. hi corporum aereorũ natura vigent. Antè transgressionẽ quidem cœlestia corpora gerebãt. Lapsi verò, in aeream qualitatem cõversi sunt: nec aeris: illius puriora spatia, sed ista caliginosa tenere * perpessi sunt, qui eis quasi carcer est vsq; ad tempus iudicij. Hi sunt prævaricatores angeli: quorum princeps diabolus est.

* permiſsi

Diabolus Hebraicè dicitur deorsum fluens: quia quietus in cœli culmine stare cõtemsit: sed superbiæ pondere deorsum corruens cecidit. Græcè verò diabolus criminator vocatur, vel quòd crimina quę ipse inlicit ad Deum referat: vel quia electorum innocẽtiam criminibus accuset fictis: vnde & in Apocalypsi voce angelica dicitur: *Proiectus est accusator fratrum nostrorum qui accusabat illos in conspectu Dei nostri die ac nocte.* Satanas in Latinũ sonat aduersarius siue transgressor. Ipse enim est aduersarius, qui est veritatis inimicus: & semper sanctorũ virtutibus contraire nititur. Ipse & transgressor, quia præuaricator effectus in veritate qua conditus est, non stetit. Idem & tentator, quia tentandam iustorum innocentiã postulat: sicut in Iob scribitur.

Antichristus appellatur, quòd contra Christum venturus est: non quomodo quidam simplices intelligunt: Antichristũ ideo dictũ, quòd ante Christum venturus sit, & post eum veniat Christus: Non sic, sed antichristus Græcè dicitur: quod est Latinè contrarius Christo. ἀντὶ enim Græcè in Latinũ contra significat. Christũ enim se mentietur dum venerit, & contra eum dimicabit: & aduersabitur sacramentis Christi, vt veritatis eius euangeliũ soluat. Nam & templum Hierosolymis reparare, & omnes veteris legis ceremonias restaurare tentabit. Sed & ille Antichristus est qui negat esse Dominum Christum. Cõtrarius enim Christo est. Omnes enim qui exeunt de Ecclesia & ab vnitate fidei pręciduntur, & ipsi Antichristi sunt.

Bel, idolum Babylonium est, quod interpretatur vetus. fuit enim hic Belus pater Nini primus rex Assyriorum, quem quidam Saturnum appellant: quod nomen & apud Assyrios & apud Afros postea cultũ est: vnde & lingua Punica * Bal Deus dicitur. Apud Assyrios autem Bel vocatur, quadam sacrorum suorum ratione, & Saturnus & sol.

* Baal

Beelfegor interpretatur simulachrum ignominiæ. Idolum enim fuit Moab cognomento Baal super montem Fẽgor: quem Latini Priapũ vocant, deum hortorũ. Fuit enim de Lapsaco ciuitate Hellespõti, de qua pulsus est, & propter virilis membri magnitudinem in numerũ deorum suorum eum Gręci transtulerunt, & in nomine sacrauerunt hortorum: vnde & dicitur præesse hortis, propter eorum fœcunditatem.

Beelzebub idolum fuit Accaron, quod interpretatur vir muscarũ. Zebub autem musca vocatur. Spurcissimum igitur idolum, ideo vir muscarum vocatur, propter sordes idololatriæ: siue propter immunditiam.

Belial sine iugo: Belial Hebraicè bel dicitur, idolum Niniuitarum.

Behemoth ex Hebræa voce in Latinam linguam animal sonat: propter quod de excelsis ad terrena cecidit, & pro merito suo vt animal brutum effectus sit. Ipse est & Leuiathan, id est, serpens de aquis, quia in huius seculi mari, volubili versatur astutia. Leuiathan autem interpretatur additamentum eorũ, quorum scilicet, nisi hominum: quibus in paradiso semel per culpam præuaricationis intulit mortem, & hanc vsque ad æternam mortem quotidie persuadendo * adducit vel extendit.

* adicit

Quædam autẽ nomina deorum suorũ gentile sper vanas fabulas ad rationes Physicas co-

© Biblioteca Nacional de España

nantur traducere: eaque in causis elementorum composita esse interpretantur: sed hoc à poetis totum fictum est, vt Deos suos ornarent aliquibus figuris: quos perditos ac dedecoris infamia plenos fuisse historię confitentur. Omnino enim fingendi locus vacat, vbi veritas cessat.

Saturnus origo deorum & totius posteritatis à paganis designatur. Hunc Latini à satu appellatum ferunt, quasi ad ipsum satio omnium perineat rerum, vel à temporis longitudine, quòd saturetur annis. Vnde eum Græci χρόνον nomen habere dicunt, id est, tempus, quod filios suos fertur deuorasse, hoc est, annos, quos tempus produxerit in se reuoluit, vel eò quòd semina vnde oriuntur iterũ redeunt. Hunc Cœli patris abscidisse genitalia dicunt, quia nihil in cœlo de seminibus nascitur. Falcem tenet, inquiunt, propter agriculturã significandam: vel propter tempora & annos quòd in se redeant, vel propter sapientiam quòd intus acuta sit. In aliquibus autem ciuitatibus Saturno liberos suos gentiles immolabant: quia Saturnum poetæ liberos suos deuorasse solitum tradiderunt.

Iouis fertur à iuuando dictus, & Iupiter quasi iuvans pater, hoc est, omnibus præstans. Hunc & priuato titulo Iouem optimum dixerunt, dum fuisset incestus in suis: impudicus in extraneis, quem modò taurum fingunt propter Europæ raptum: fuit enim in naui cuius insigne erat taurus, modò Danaes per imbrem aureum appetisse concubitum: vbi intelligitur pudicitiam mulieris ab auro fuisse corruptã: modò in similitudinem aquilę fuisse, propter quod puerum ad stuprum rapuerit: modò serpẽtem, quia reptauerit: & cygnum, quia cantauerit. Et ideo non figuræ istæ sunt: sed * plana de veritate scelera. vnde turpe erat tales deos credi, quales homines esse non debeant.

Ianum dicũt quasi mundi vel cœli mensium ianuam: duas Iani facies faciunt, propter orientem & occidẽtem. Cùm verò faciunt eum quadrifrontem, & Ianum geminum appellant, ad quatuor mundi partes hoc referunt, vel ad quatuor elementa siue tempora. Sed dum hoc fingunt, monstrum non deum faciunt.

Neptunum aquas mundi prædicant, & dictus ab eis Neptunus, quasi nube tonans.

Vulcanum volunt ignem: & dictus Vulcanus quasi volans candor, vel quasi volicanus, quòd per aerem volet. Ignis enim de nubibus nascitur. Vnde etiã Homerus dicit eum pręcipitatum de aere in terras: quod omne fulmen de aere cadit. Idcirco autem Vulcanus de fœmore Iunonis fingitur natus, quòd fulmina de imo aere nascuntur. Claudus autẽ dicitur Vulcanus, quia per naturam nunquam est rectus ignis, sed quasi claudus eiusmodi speciem motumq; habet. Ideo autem in fabrorum fornace eundem Vulcanum auctorem dicunt, quia sine igne nullũ metalli genus fundi extẽdiq; potest.

Pluton Græcè, Latinè Diespiter vel Ditis pater, quem alij Orcum vocant, quasi receptorem mortium. Vnde & orca nuncupatur vas quod recipit aquas. Ipse & Græcè Charon.

Liberum à liberamento appellatum volunt, quòd quasi mares in coeundo per eius beneficium emissis seminibus liberentur, quòd idem Liber muliebri & delicato corpore pingitur. Dicunt enim mulieres ei attributas, & vinum propter excitandam libidinem. Vnde & frons eius pampino cingitur: sed ideo coronam viteam & cornu habet, quia cùm gratè & moderatè vinũ bibitur lætitiam præstat: cùm vltra modum, excitat lites: id est, quasi cornua dat. Idem autem & Lyæus ἀπὸ τοῦ λύειν, quòd multo vino membra soluantur. Iste & Græcè Διόνυσος à monte Indiæ Niso, vbi dicitur esse nutritus. Cæterùm est Nisa ciuitas, in qua colitur idem & Liber, vnde Nisęus dictus est.

Mercurius sermonem interpretatur. Nam ideo Mercurius quasi medius currens dicitur appellatus, quòd sermo currat inter homines medius. Ideo & ἕρμης Græcè, quod sermo vel interpretatio, quæ ad sermonem vtique pertinet, ἑρμηνεία dicitur. Ideo & mercibus præesse, quia inter vendentes & ementes sermo fit medius. Qui ideo fingitur habere pennas, quia citius verba discurrunt. Vnde & velox & errans inducitur: alas enim eius in capite & in pedibus, significare volucrem fieri per aera sermonem. Nuncium dictum, quoniam per sermonem omnia cogitata enunciantur. Ideo autẽ hunc furti magistrum dicũt, quia sermo animos audientium fallit. Virgam tenet qua serpentes diuidit, id est venena. Nam bellantes ac dissidentes interpretum oratione sedantur: vnde & secundum Liuium legati pacis Caduceatores dicuntur. Sicut enim per feciales bella indicebãtur, ita pax per caduceatores fiebat.

Hermes autem Græcè dicitur ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας, Latinè interpres, qui ob virtutem multarũmque artium scientiam Trimegistus ter maximus nominatus est. Cur autem eum capite canino fingunt, hæc ratio dicitur, quòd inter omnia animalia canis sagacissimum genus & perspicax habeatur.

Martem deum belli esse dicunt, & Martem appellatum: quia per viros pugnatur, vt sit Mars quasi mas: licet & tria sunt genera consuetudinum, sicut Scytharum: vbi & fœminæ & viri in pugnam eunt. Amazonum, vbi solæ fœminæ: Romanorum aliarumq; gentium, vbi soli mares. Item Martem dicunt quasi effectorem mortium. Nam à Marte mors nuncupatur. Vnde & adulterum dicunt, quia belligerãtibus incertus est. Quòd verò nudo pectore stat, vt bello se quisq; sine formidine cordis obijciat. Mars autem * apud Græcos Gradiuus dicitur, eò quòd in bello gradum inferãt qui pugnant, aut quòd impigrè gradiantur.

Apollinẽ quamuis diuinatorem & medicum vellent, ipsum tamen solem etiã dixerunt, quasi solum. Ipsum Titan, quasi vnum ex Titanis, qui aduer-

→ planè

* Hæc verba apud Græcos superiusque esse pari

© Biblioteca Nacional de España

aduersum Iouem bellum non fecit. Ipsum Phœbum* quasi ephebum, hoc est, adolescentẽ. vnde & sol puer pingitur, eò quòd quotidie oriatur, & noua luce nascatur. Pythium quoq; eundem Apollinẽ vocari aiunt: à Pythone immensæ molis serpẽte: cuius nõ magis venena quàm magnitudo terrebat. Hunc Apollo sagittarum ictibus sternens nominis quoq; spolia reportavit, vt Pythius vocaretur. Vnde & ob insigne victoriæ Pythia sacra celebranda constituit:

Dianam quoq; sororem eius similiter lunã & viarum prẽsidem aiunt. Vndẽ & virginẽ volunt, quòd via nihil pariat, & ideo ambo sagittas habere fingũtur, quòd ipsa duo sidera de cœlo radios vsque ad terras emittunt: Dianam autem vocatam quasi Duanam, quòd luna die ac nocte appareat. Ipsam & Lucinam asseuerant, eò quòd luceat. Eandem & Triuiam quòd tribus fingatur figuris. De qua Virgilius:

— Tria virginis ora Dianæ.

quia eadẽ luna, eadem Diana, & eadem Proserpina vocatur. Sed cùm luna fingitur:

— Sublustri splendet amictu.
Cùm succincta iacit calamos, Latonia virgo est:
Cùm subnixa sedet solio, Plutonia coniunx.

Latonia autem Diana, eò quòd Latonis fuerit filia.

Cererem, id est, terram à creandis frugibus asserunt dictam: appellantes eam nominibus plurimis: dicunt etiam eam & Opem, quòd opere melior fiat terra.

Proserpinam, quòd ex ea proserpant fruges.

Vestam, quòd herbis vel varijs vestita sit rebus, vel à vi sua stando: Eandem & Tellurem & Matrem magnam fingunt: turritam cum timpana & gallo & strepitu cymbalorum. Matrem vocatam, quòd plurima pariat: magnam, quòd cibum gignat: almam, quia vniuersa animalia fructibus suis alit. Est enim alimẽtorum nutrix terra. quòd simulacrũ eius cum claui fingitur: quia tellus hyeme clauditur, Vere aperitur, vt fruges nascãtur. Quòd timpanum habet, significari volunt orbẽ terræ. Quòd curru vehitur, dicitur, quia ipsa est terra quæ pendet in aere. Quòd sustinetur rotis: quia mundus rotatur & volubilis est. Quòd leones illi subijciunt mansuetos, vt ostendant, nullum genus esse terræ tam ferũ quod nõ subigi posit aut superari ab ea. Quòd in capite turritam gestat coronam, ostenditur superpositas terræ ciuitates, quasi insignitas turribus constare. Quòd sedes fingũtur circa eam: quia cũ omnia moueantur: ipsam nõ moueri. Quòd Corybantes eius ministri cũ strictis gladijs esse fingũtur, vt significetur omnes pro terra sua debere pugnare. Quòd gallos huic deæ vt seruirent fecerunt, significant qui semine indigeant, terram sequi oportere. In eo quippe omnia reperiri. Quòd se apud eam iactant, præcipitur, inquiunt, vt qui terrã colunt ne sedeant: semper enim esse quòd agant. Cymbalorum autem æreorum sonitus: ferramentorum crepitus in colendis agris: & ideò ære, quòd terram antiqui colebant ære, prius quàm ferrum esset inuentũ. Eandem Vestam & ignem esse perhibent: quia terrã ignem habere non dubium est: vt ex Ætna Vulcanoq; datur intelligi. Et ideo virginem putant, quia ignis inuiolabile sit elementum: nihilque nasci possit ex eo: quippe qui omnia quæ arripuerit absumat. Ouidius in Fastis:

Nec tu aliud Vestã, quàm viuam intellige flãmam,
Nataq; de flamma corpora nuda vides.

propterea & virgines ei seruire dicuntur, eò quòd sicut de virgine: ita nihil ex igne nascatur.

Iunonem dicunt quasi ianonẽ, id est, ianuam, pro purgationibus fœminarum, eò quòd quasi portas matrum natorũ pandat, id est, nubentiũ maritis. Sed hoc philosophi. Poetæ autem Iunonẽ Iouis asserunt sororem & coniugẽ: ignem enim & aerem Iouem: aquam & terrã Iunonem interpretantur. quorum duorum permixtione vniuersa gignuntur. Et sororem dicunt, quòd mundi pars est. Coniugem, quòd* commixta corda tundit. Vnde & Virgilius:

Tum Pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Coniugis in gremium descendit —.

Minerua apud Græcos ἀθήνη dicitur,* id est, fœmina. Apud Latinos autem Mineruam vocatam quasi deam & munus artium variarum. Hanc enim inuentricem multorũ ingeniorum perhibẽt, & inde eam artem & rationem interpretantur, quia sine ratione nihil potest contineri. Quæ ratio, quia ex solo animo nascitur, animumq; putant esse in capite & in cerebro: ideo eam dicunt de capite Iouis esse natam: quia sensus sapientis qui inuenit omnia in capite est. In cuius pectore ideò caput Gorgonis fingitur, quòd illic est omnis prudentia quæ confundit alios, & imperitos ac saxeos comprobat: quod & in antiquis Imperatorũ statuis cernimus in medio pectore loricę, propter insinuandam sapientiam & virtutem. hæc Minerua & Tritonia dicitur. Triton enim Africæ palus est, circa quã fertur virginali apparuisse ætate: propter quod Tritonia nuncupata est. Vnde & tanto proclivius dea credita est: quantominus origo eius innotuit. Pallas autem dicta vel ab insula Pallene in Thracia, in qua nutrita est: vel ἀπὸ τῆς πάλλειν τὸ δόρυ, id est, ab hastæ concussione, vel quòd Pallantem gigantem occiderit.

Venerem exinde dicunt nuncupatam, quòd sine* vi fœmina esse virgo non desinat. Hanc Græci ἀφροδίτην vocant propter spumam sanguinis generantem: ἀφρὸς enim Græcè spuma vocatur. Quod autem fingunt Iouem Saturno Cœlo patri genitalia abscidisse: & sanguinem fluxisse in mare: atq; ex spuma maris concreta Venus nata est: illud aiunt, quòd per coitum salsi humoris substantia est: & inde ἀφροδίτην Venerem dici, quia coitus spuma est sanguinis, quæ ex succo viscerum liquido salsoq; constat. Ideo autem Venerẽ Vulcani dicunt vxorem, quia Venereũ officium nõ sine calore consistit. vnde & frigidus in Venerem senior. Nam

* potius ἀπὸ τοῦ φοιβάειν, id est, purgare

* mista concordat

* potius quasi ἀθήλη, quòd lactata non sit

* viro

© Biblioteca Nacional de España

Saturnus dicitur Cœlo patri virilia amputasse, quæ in mare cadentia Venerem creauerunt. Ideo fingitur, quia nisi humor de cœlo in terram descenderit, nihil creatur.

Cupidinem vocatũ ferunt propter amorem. Est enim dæmon fornicationis. Qui ideo alatus pingitur: quia nihil amantibus leuius, nihil mutabilius inuenitur. Puer pingitur, quia stultus & irrationabilis amor. Sagittã & facem tenere fingitur. Sagittam, quia amor cor vulnerat: facem, quia inflammat.

Pan dicunt Græci, Latini Syluanum: deum rusticorum, quem in naturæ similitudinem formauerunt: vnde & Pan dictus est, id est, omne. Fingunt enim eum ex vniuersali elementorum specie. Habet enim cornua in similitudinem radiorum solis & lunæ. Distinctam maculis habet pellem, propter cœli sidera. Rubet eius facies, ad similitudinem ætheris. Fistulam septem calamorum gestat, propter armoniam cœli in qua septem sunt soni & septem discrimina vocum. Villosus est, quia tellus est conuestita & agitur ventis. Pars eius inferior fœda est, propter arbores & feras & pecudes. Caprinas vngulas habet, vt soliditatem terrę ostendat, quem volunt rerum & totius naturæ deum: vnde & Pan quasi omnia dicunt.

Isis lingua Ægyptiorũ terra appellatur: quam Isin volunt esse. Fuit enim Isis regina Ægyptiorum Inachi regis filia, quæ de Græcia veniens Ægyptios literas docuit, & terras colere instituit, propter quod & terrã eius nomine appellauerunt.

Serapis omniũ maximus Ægyptiorũ Deus. Ipse est Apis rex Argiuorũ, qui nauibus transuectus in Ægyptũ, cùm ibidẽ mortuus fuisset, Serapis appellatus est, propterea quia arca in qua mortuus ponitur, quam Sarcophagum vocant, Σορὸς Græcè dicitur, & ibi eum venerari sepultũ ceperunt, priusquam templum eius esset instructũ, velut Σορὸς. Sed Apis Sorapis primò: deinde vna litera cõmutata Serapis dictus est.

Apis fuit apud Ægyptios taurus Serapi consecratus, & ab eo ita cognominatus: quem Ægyptus ad instar numinis colebat, eò quòd de futuris daret quædam manifesta signa. Apparebat enim in Memphis. Quem centũ antistites prosequebãtur & repentè velut limphatici prę-cinebant. Huius capitis imaginem sibi in heremo * videri fecerunt. * Iudæi

Fauni à fando velut ἀπὸ τῆς φωνῆς dicti, quod voce non signis ostendere viderentur futura. In lucis enim consulebantur à paganis: & responsa illis non signis, sed vocibus dabant.

Genium dicunt quòd quasi vim habeat omnium rerum gignendarum, seu à gignendis liberis: vnde & geniales lecti dicebantur à gentibus, qui nouo marito sternebantur.

Hæc & alia sunt gentilium fabulosa figmenta, quæ interpretata sic habentur, vt ea non intellecta damnabiliter tamen adorent.

Fatum autem dicunt esse quicquid dij fantur: quicquid Iupiter fatur. A fando igitur fatum dicunt, id est, à loquendo. Quòd nisi hoc nomẽ iam in alia re soleret intelligi, quo corda hominum nolumus inclinare: rationabiliter possemus à fando fatum appellare. Non enim abnuere possumus esse scriptum in literis sanctis: Semel locutus est Deus: duo hæc audiui, &c. Quod enim dictum est, semel locutus est, intelligitur immobiliter, hoc est incõmutabiliter est iocutus, sicut nouit incommutabiliter omnia quæ futura sunt, & quæ ipse facturus est.

Tria autem fata fingunt in colo & fuso, digitisque fila ex lana torquentibus, propter tria tempora: præteritum, quod in fuso iam netum atque inuolutum est: præsens, quod inter digitos nentis trãijcitur: futurum, in lana quæ colo implicata est: & quod adhuc per digitos nentis ad fusum tanquam præsens ad præteritum trajiciendum est.

Parcas dicunt καὶ ἀντίφρασιν appellatas, quòd minimè parcant. Quas tres esse voluerunt: vnam, quę vitam hominis ordiatur: alteram, quę contexat: tertiam, quę rumpat. Incipimus enim cùm nascimur: sumus, cùm viuimus: desinimus cùm interimus.

Fortunam à fortuitis nomen habere dicunt, quasi deam quandam res humanas varijs casibus & fortuitis illudentem: vnde & cæcam appellant, eò quòd passim in quoslibet incurrens sine vllo examine meritorum, & ad bonos & ad malos venit. Fatum autem à fortuna separant: & fortunam quasi sit in his quæ fortuitu veniunt, nulla palàm causa. Fatum verò appositum singulis & statutum aiunt.

Aiunt & tres furias fœminas crinitas serpentibus, propter tres * effectus, qui in animis hominum multas perturbationes gignunt, & interdum cogunt ita delinquere, vt nec famæ nec periculi sui respectum habere permittant. Ira quæ vindictam cupit: cupiditas quæ desiderat opes: libido quæ appetit voluptates. Quæ ideo furię appellantur: quòd stimulis suis mentem feriant, & quietam esse non sinant. * affectus

Nymphas deas aquarum putant, dictas à nubibus. Nam ex nubibus aquæ: vnde deriuatum est nymphas aquarum deas, quasi * numina limpharum. Ipsas autem dicunt & Musas, quas & nymphas, nec immeritò. Nam aquę motus musicen efficit. Nympharum apud gentiles varia sunt vocabula. Nymphas quippe montium Oreades dicunt: syluarum, Dryades: fontium, Hamadryades: camporum, Naiades: maris Nereides. * nomina

Heroas dicunt à Iunone traxisse nomen: Grę cè enim Iuno ἥρη appellatur. Et ideo nescio quis filius eius secundum Græcorum fabulam ἥρως fuit nuncupatus: hoc videlicet velut mysticum significante fabula, quòd aer Iunoni deputetur, vbi volunt heroas habitare. Quo nomine appellant alicuius meriti animas defunctorum, quasi ἀηρῶας, id est, viros aerios & cœlo dignos propter sapientiam & fortitudinem.

Penates

© Biblioteca Nacional de España

Penates gentiles dicebant omnes deos, quos domi colebant. Et penates dicti, quòd essent in penetralibus, id est, in secretis. Hi dij quomodo vocabantur, vel quæ nomina habuerint ignoratur.

Manes dicunt deos mortuorum, quorũ potestatem inter lunam & terram asserunt: à quibus & mane dictum existimant: quos putant ab aere, qui manus, id est, rarus est, manes dictos: siue quia latè manant per auras: siue quia mites sunt in manibus, contrario nomine hoc appellantur. Apuleius autem ait eos καθ' αὐτίφρασιν dici manes, hoc est, mites ac modestos, cùm sint terribiles & immanes: vt Parcas, vt Eumenides.

Laruas ex hominibus factos dęmones aiunt, qui meriti mali fuerint. Quarum natura esse dicitur, terrere parvulos, in angulis garrire tenebrosis.

Lamias quas fabulæ tradunt infantes corripere ac laniare solitas, à laniando specialiter dictas.

Pilosi qui Græcè * panitę Latinè incubi appellantur: siue iniui ab ineundo passim cum animalibus. Vnde & incubi dicuntur ab incumbendo, hoc est, stuprando. Sæpe enim improbi existunt etiam mulieribus, & earum peragunt concubitum: quas dæmones Galli Dusios nuncupant, quia assiduè hanc peragunt immunditiam. Quem autem vulgò incubonem vocant, hunc Romani Faunum ficarium dicunt. ad quem Horatius dicit:

Faune Nimpharum fugientium amator,
Per meos fines & aprica rura, Lenis incedas.

* πανίσκοι

ISIDORI HISPALENSIS
EPISCOPI, ORIGINVM
SIVE ETYMOLOGIARVM
LIBER IX.

CAPITA LIBRI NONI.

1 *De linguis gentium.*
2 *De gentium vocabulis.*
3 *De regnis militiæq; vocabulis.*
4 *De ciuibus.*
5 *De affinitatibus & gradibus.*
6 *De agnatis & cognatis.*
7 *De prædictis affinitatibus.*
8 *De coniugijs.*

De linguis gentium.

Linguarum diuersitas exorta est in ędificatione turris post diluuium. Nam prius quã superbia turris illius in diuersos signorũ sonos humanam diuideret societatem, vna omnium nationum lingua fuit, quæ Hebræa vocatur, qua Patriarchæ & prophetæ vsi sunt non solũ in sermonibus suis, verùm etiã in literis sacris. Initio autẽ quot gentes, tot linguę fuerunt: deinde plures gentes quàm linguæ, quia ex vna lingua multæ gentes sunt exortæ.

Linguæ autem dictæ in hoc loco pro verbis, quæ per linguam fiunt, genere locutionis illo, quo is qui efficit per id quod efficitur nominatur: sicut os dici solet pro verbis: sicut manus pro literis.

Tres autem sunt linguæ sacræ, Hebræa, Græca, Latina, quæ toto orbe maximè excellunt. His enim tribus linguis super crucem Domini à Pilato fuit causa eius scripta. Vnde & propter obscuritatẽ sanctarum scripturarũ harum triũ linguarũ cognitio necessaria est, vt ad alteram recurratur, si quam dubitationem nominis vel interpretationis sermo vnius linguæ attulerit.

Græca autem lingua inter cæteras gentium clarior habetur. Est enim Latinis & omnibus linguis sonantior: cuius varietas in quinq; partibus discernitur. Quarum prima dicitur κοινὴ, id est, mixta: siue communis, qua omnes vtuntur. Secunda Attica, videlicet Athenienſis: qua vsi sunt omnes Græciæ auctores. Tertia Dorica, quam habent Ægyptij & Syri. Quarta Ionica. Quinta Æolica, qua se Æoles locutos dixerunt, & sunt in obseruatione Græcæ linguæ eiusmodi certa discrimina. Sermo enim eorum ita est dispartitus.

Latinas autem linguas quatuor esse quidam dixerunt, id est, Priscam, Latinam, Romanam, Mistam. Prisca est qua vetustissimi Italię sub Iano & Saturno sunt vsi incondita, vt se habeant carmina Saliorum. Latina, quam sub Latino & & regibus Tusciæ cæteri in Latio sunt locuti: ex qua fuerunt duodecim tabulæ scriptæ. Romana quæ post reges exactos à populo Romano gesta est: * quam Neuius, Plautus, Ennius, Virgilius poetæ: ex oratoribus Græcus & Cicero vel cæteri * effuderunt. Mixta quæ post imperium latius promotũ simul cum moribus, & hominibus in Romanam ciuitatem irrupit: integritatem verbi per solœcismos & barbarismos corrumpens.

* qua

* effulserũt

Omnes autẽ Orientis gentes in gutture linguam & verba collidunt: sicut Hebræi & Syri. Omnes mediterraneæ gentes in palato sermo-

© Biblioteca Nacional de España

nes feriunt: ſicut Græci & Aſiani. Omnes occidentis gentes verba in dentibus frangunt: ſicut Itali & Hiſpani.

Syrus & Chaldęus, vicinus Hebręo eſt in ſermone: conſonans in pleriſq; & literarum ſono. Quidam autem arbitrantur linguam ipſam eſſe Chaldæam, quia Abraham de Chaldæis fuit. Quòd ſi hoc recipitur, quomodo in Daniele Hebræi pueri linguam quam nouerant doceri iubentur?

Omnem autem linguam vnuſquiſq; hominũ ſiue Græcam, ſiue Latinam, ſiue cæterarũ gentiũm aut audiendo poteſt tenere, aut legendo, aut ex pręceptore accipere. Cùm autem omniũ linguarum ſcientia difficilis cuiquam ſit: nemo tamẽ tam deſidioſus eſt, vt in ſua gente poſitus ſuæ gentis linguam neſciat. Nam quid aliud putandus eſt niſi animalium brutorum deterior? Illa enim propriè vocis clamorem exprimunt: iſte deterior, qui propriæ linguę caret notitia.

Cuiuſmodi autem lingua locutus eſt Deus in principio mundi cùm diceret: *Fiat lux*, difficile eſt inuenire. Nondum enim erant linguæ. Item qua lingua inſonuit poſtea exterioribus hominũ auribus, maximè ad primũ hominem loquens, vel ad prophetas, vel dum corporaliter inſonuit vox dicentis Dei: *Tu es filius meus dilectus*, vbi à quibuſdã creditur illa lingua vna & ſola quæ fuit antequã eſſet linguarum diuerſitas. In diuerſis autem gentibus creditur quòd eadem illis lingua Deus loquatur, qua ipſi homines vtuntur, vt ab eis intelligatur. Loquitur autem Deus hominibus non per ſubſtantiam inuiſibilem: ſed per creaturam corporalem, per quam & hominibus apparere voluit, quando locutus eſt. Dicit autem Apoſtolus: *Si linguis hominum loquar & angelorum*. vbi quæritur: Qua lingua angeli loquantur: non quòd angelorum aliquæ ſint linguæ, ſed hoc per exaggerationem dicitur: Item quæritur, qua lingua in futurum homines loquantur. nuſquam reperitur. Nam dicit Apoſtolus: *Siue linguæ ceſſabunt*. Ideo autem prius de linguis ac deinde de gentibus poſuimus, quia ex linguis gentes, non ex gentibus linguæ exortæ ſunt.

De gentium vocabulis.

GEns eſt multitudo ab vno principio orta: ſiue ab alia natione ſecundum propriam collectionem diſtincta: vt, Græciæ, Aſiæ. Hinc & gentilitas dicitur. Gens appellata propter generationem familiarum, id eſt, à gignendo: ſicut natio, à naſcẽdo. Gentes autẽ à quibus diuiſa eſt terra quindecim ſunt: de Iaphet triginta & vna: de Cham viginti ſeptem: de Sem quinq; : quæ fiunt per ſeptuaginta tres, vel potius vt ratio declarat, ſeptuaginta duæ, totidẽm quę linguæ, quæ terras eſſe ceperunt: quæque creſcendo prouincias & inſulas impleuerunt. Filij Sem quinque, ſingulariter gentes ſingulas procrearunt. Quorum primus Elam: à quo Elamitę principes Perſidis: ſecundus Aſſur, à quo Aſſyriorum pullulauit imperium: tertius Arfaxat, à quo Chaldæorum gens exorta eſt: quartus Ludi, à quo Lydij: quintus Aram, à quo Syri: quorum metropolis fuit Damaſcus.

Filij Aram nepotes Sem quatuor Hus & Vl, & Gether & Meſa. Hus Traconitidis conditor, qui inter Paleſtinam & Cœlóſiriam tenuit principatum. vnde fuit Iob ſecundum quod ſcriptum eſt: *Vir erat in terra Hus nomine Iob*: ſecundus Vl, à quo Armenij: tertius Gether, à quo Carmenij ſiue Carij: quartus Meſa, à quo ſunt ij qui vocantur Meones.

Poſteritas Arfaxat, filij Sem, Heber nepos Arfaxat, à quo Hebræi ſunt. Ietan filius Heber, à quo Indorum gens orta eſt. Sale filius Ietan, à quo Bactriani: licet eos alij Scytharũ exules ſuſpicentur.

Iſmael filius Abraham, à quo Iſmaelitæ, qui nunc corrupto nomine Saraceni, quaſi à Sara, & Agareni ab Agar.

Nabaioth filius Iſmael, à quo Nabathei, qui ab Euphrate in mare rubrum habitant.

Moab & Ammon filij Loth, à quibus Moabitæ & Ammonitæ.

Edom filius Eſau, à quo Idumæi. Hæ ſunt gentes, quæ de Sem ſtirpe deſcendunt, poſſidentes terram meridianam: ab ortu Solis vſq; ad Phœnices.

Filij Cham quatuor, à quibus ortæ ſunt gentes hæ,

Chus à quo progeniti Æthiopes.

Meſraim à quo Ægyptij perhibentur exorti.

Phut à quo Lybij. Vnde & Mauritaniæ fluuius vſque in pręſens dicitur Phut: omnisque circa eum regio Phuthenſis.

Chanaan, à quo Afri & Phœnices & Chananæorum decem gentes.

Item ex nepotibus Cham filij Chus nepotes Cham ſex.

Filij Chus Saba, Euilat, Sabata, Rema, Saba * & Cuſa. * Zuza.

Saba, à quo progeniti & appellati Sabæi: de quibus Virgilius: — *Solis eſt thurea virga Sabæis*.

Euila, à quo Getuli in parte remotioris Aphricæ heremo cohærentes.

Sabata, à quo Sabateni, qui nunc Aſtabari nominantur.

Rema verò & Saba & * Cuſa paulatim antiqua vocabula perdiderunt: & quæ nunc à veteribus habeant ignoratur. * Zuza.

Filij Rema, Saba & Dadan. Hîc autem Saba per ſchin literam ſcribitur in Hebræo: ille autem ſuperior Saba per ſamech, à quo appellantur Sabęi: interpretatur autẽ nunc Saba Arabia.

Dadan, à quo gens eſt Æthiopiæ in occidentali plaga.

Filij Meſraim Labin, à quo Lybij, qui quondam Phuthei vocantur.

Ceſloim, à quo Philiſtim: quos veteres ἀλλοφύλους, nos modò corruptè Paleſtinos vocamus.

Cæteræ ſex gentes ignotæ ſunt, quæ bello Æthiopico ſubuerſæ, vſq; ad obliuionem præteri-

© Biblioteca Nacional de España

teritorum nominum peruenerunt.

Filij Chanaan vndecim, ex quo Chananeorũ decem gentes: quorum terram ijs expulsis Iudæi possederunt. Quorũ primogenitus Sidon. à quo Sidones. Vnde & vrbs eorum in Phœnice Sidon vocatur.

Secundus Eth. à quo Ethei. tercius Iebus à quo Iebusæi. quorum fuit Hierusalem. Quartus Amorreus, à quo Amorrei. Quintus Iergeseus, à quo Iergesei. Sextus Euæus, à quo Euei. Ipsi sunt Gabaonitę, à ciuitate eorum Gabaon: qui supplices venerunt ad Iosue. Septimus Arachæus qui Achas condidit oppidum contra Tripolim in radicib⁹ Libani situm. Octauus Aseneus, à quo Asenei. Nonus Aradius, à quo Aradij, qui Aradum insulam possederunt angusto freto à Phœnicis littore separatam. Decimus Amareus, à quo Syriæ nobilis ciuitas quæ vocatur Cœlis. Vndecimus Amatheus. Hæ sunt gentes de stirpe Chã, quæ à Sidone vsque ad Gaditanũ fretum omnem meridianam partem tenent.

Item tribus Filiorum Iaphet. Filij aũt Iaphet septem nominantur: Gomer, ex quo Galatæ, id est galli.

Magog, à quo arbitrãtur Scythas & Gothos traxisse originem.

Maday, à quo Medos existere putant.

Iuuan, à quo Iones, qui & Græci. Vnde & mare Ionium.

Tubal, à quo Iberi, qui & Hispani, licet quidã ex eo & Italos suspicentur.

Mosoch, ex quo Cappadoces sunt. Vnde & vrbs apud eos usq; hodie Maleca dicitur.

Tyras, à quo Thraces, quorum non satis immutatum vocabulum est, quasi Traces.

Filij Gomer nepotis Iaphet. Ascanaz, à quo Sarmatæ quos Græci Reginos vocant.

Rifan, à quo Paflagones.

Gotorna, à quo sunt Phryges.

Filij Iuuan Elisa, à quibus Græci Helisæi qui vocantur Aeolides. Vnde & lingua quinta Græcè Aeolis appellatur.

Tarsis, à quo Silices, vt Iosephus arbitratur. Vnde & metropolis ciuitas eorum Tarsis dicitur.

Cethim, à quo Cithei, id est Ciprij, à quibus hodieq; vrbs * Scithia nominatur.

*Cithium.

Dodanim, à quo Rhodij.

Hæ sunt gentes de stirpe Iaphet, quæ à Tauro monte ad aquilonem mediam partem Asiæ, & omnem Europam vsque ad Oceanum Britannicum possident, nomina & locis & gentibus reliquentes, de quibus postea immutata sunt plurima, cætera permanent vt fuerunt. Nam multarum gentium vocabula partim manserunt: ita vt hodieque appareat vnde fuerãt deriuata, sicut ex Assur Assyrij, ex Heber Hebrei: partim verò temporis vetustate ita mutata sunt, vt vix homines doctissimi antiquissimas historias perscrutantes: nec omnium sed aliquarum ex istis origines gentium potuerint reperire. Nam quòd ex filio Cham qui vocabatur Mesraim Aegyptij sunt exorti, nulla hoc resonat origo vocabuli: sicut nec Aethiopum qui dicuntur ad eum filium Cham pertinere qui Chus appellatus est. Et si omnia considerentur, plurima tamen gentium mutata, quàm manentia vocabula apparent: quibus postea nomina diuersa, diuersa dedit ratio. Nanq; Indi ab Indo flumine dicti sunt, qui ab occidentali parte eos includit.

Seres à proprio oppido nomen sortiti sunt, gens ad orientem sita, apud quos de arboribus lana contexitur. De quibus est illud,

Ignoti facie, sed noti vellere Seres.

Gangaridæ populi sunt inter Assyrios Indosq; inhabitantes circa Gangẽ fluuium. Vnde etiam Gangaridæ nuncupati sunt.

Hircani dicti sunt à silua hircana, vbi sunt plurimæ tigres.

Bactriani Scythiæ fuerũt, qui suorum factione à sedibus suis pulsi iuxta Bactron orientis fluuium consederunt, ex cuius vocabulo & nomẽ sortiti sunt. Huius gentis rex fuit Zoroastes inuentor magicæ artis.

Parthi quoq; & ipsi à Scythis originem trahunt. Fuerunt enim eorum exsules, quod etiam vocabulo eorum manifestatur. Nam Scythico sermone exsules Parthi dicuntur. Hi similiter vt Bactriani domesticis seditionib⁹ Scythia pulsi, solitudines iuxta Hircaniam primum furtim occupauerunt: deinde pleraq; finium etiam virtute obtinuerunt.

Assirij ab Assur filio Sem vocati, gens potentissima, quæ ab Euphrate usq; ad Indorum fines omnem in medio tenuit regionem.

Media à rege suo cognominati putantur. Namque Iason Peliaci regis frater, à Peliæ filijs Thessalia pulsus est, cum Medea vxore sua, cuius fuit priuignus Medus rex Athenienſium: qui post mortem Iasonis orientis plagam per domuit, ibique Mediam vrbem condidit, gentemque Medorum nomine suo appellauit. Sed inuenimus in Genesi quòd Madai auctor gentis Medorum fuit, à quo & cognominati, vt superius dictum est.

Persæ à Perseo rege sunt vocati, qui è græcia in Asiam transiens, ibi barbaras gentes graui diuturnoque bello perdomuit. nouissimè victor nomen subiectę genti dedit. Persæ autem ante Gyrum ignobiles fuerunt, & nullius inter gentes loci habebantur. Medi semper potentissimi fuerunt.

Casdei qui nunc Chaldæi vocantur, à Caseth filio Nachor fratris Abrahæ cognominati sunt.

Sabæi dicti ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι, quod est supplicare & venerari, quia diuinitatem per ipsorum thura veneramur. Ipsi sunt & Arabes qui in montibus Arabiæ sunt: qui vocantur Libanus & Antilibanus vbi thura colliguntur.

Syri à Surim vocati perhibentur: qui fuit nepos Abraham ex Cethura. quos autem veteres.

© Biblioteca Nacional de España

Assyrios: nunc nos vocamus Syros, à parte totũ appellantes.

Hebræi vocati sunt ab Heber: qui pronepos fuit Sem.

Israelitę verò ab Israel filio Isaac. Nam patriarcham Hebræorum constat fuisse Israel: à quo duodecim tribus Iudeorum Israelis vocabulum sortiti sunt. Iudæis autem scissura decem tribuũ nomina imposuit. Nam anteà Hebræi siue Israelitæ nuncupabantur. Ex quo autem in duo regna populus Dei diuisus est: tunc duæ tribus quę de stirpe Iuda reges habebant, Iudæorũ nomen sortitę sunt. Reliqua pars decem tribuum quę in Samaria sibi regem constituit ob populi magnitudinem pristinum nomẽ retinuit Israel.

Samaritanorum gens sumpsit exordium ab Assyrijs, qui transmigrati habitauerunt in Samaria: qui Latinè interpretãtur custodes, eo quòd captiuato Israel isti in terra regionis eorum ad custodiam collocati sunt.

Phœnix Cathmi frater de Thebis Aegyptiorũ in Syriam profectus, apud Sidonem regnauit, eosq; populos ex suo nomine Phœnices, eamq; prouinciam Phœniciam nuncupauit.

Sidones autem à ciuitate quæ vocatur Sidon traxisse vocabulum perhibentur.

Saraceni dicti, vel quia ex Sara genitos se prędicent: vel sicut gentiles aiunt, quòd ex origine Syrorum sint quasi Syriginę. Hi peramplam habitant solitudinem. Ipsi sunt & Ismaelitæ, vt liber Geneseos docet, quod sint ex Ismaele. Ipsi Cedar à filio Ismaelis. Ipsi Agareni ab Agar, qui vt diximus peuerso nomine Saraceni vocantur, quia ex Sara se genitos gloriantur.

Philistei ipsi sunt Palęstini, quia p literam sermo Hebręus nõ habet: sed pro eo φ Gręco vtuntur. Inde Philistei pro Palestinis dicuntur, ciuitate vtiq; sua. Iidem & allophili, id est alienigenæ. ob hoc quia semper fuerunt inimici Israel, & longe ab eorum genere & societate separati.

Chananei appellati de Chanaan filio Cham: quorum terram Iudæi possederunt. Ex cuius origine fuit Emor pater Sichen, à quo Amorrei sunt nuncupati.

Aegyptij ab Aegypto quodã suo rege vocati sunt. Nam antea Aerij dicebatur. Interpretantur autem lingua Hebraica Aegyptij affligẽtes, eo quòd afflixerint Dei populum priusquam diuino auxilio liberarentur.

Armenius ex Thessalia vnus de numero ducum Iasonis qui ad Colchos profecti sunt: recollecta multitudine quæ amisso rege Iasone passim vagabatur, Armeniã condidit, gentiq; ex suo vocabulo nomen dedit.

Limes est Persicus: qui Scythas ab eis diuidit, Scythia cognominata à quodam limite Scithiæ, à quo perhibentur vocati, gens antiquissima semper habita. Hi Parthos Bactrianosq;, fœminę autem eorum Amazonum regna condiderunt.

Massagetæ ex Scytharum origine sunt. Et dicti Massagetæ quasi graues, id est fortes gete. Nam sic Liuius argentum graue dicit, id est massas. Hi sunt qui inter Scithas atq; Albanos septentrionalibus iugis inhabitant.

Amazones dictæ sunt, seu quod simul viuerent, sine viris quasi ἅμα ζῶσαι, siue quod adustis dexterioribus mammis essent, ne sagittarum iactus impediretur, quasi ἄνευ μάζου. Nudabant enim quam adusserant mammam. Has Titianus vnimammas dicit. Nam hoc est Amazon, quasi ἄνευ μάζου, id est sine mamma. Has iam non esse constat: quòd earum gẽtes partim ab Hercule. partim ab Achille, vel ab Alexandro usq; ad internitionem deletę sunt.

In partibus Asiaticę Scythię gẽtes quę posteras se Iasonis credunt albo crine nascuntur ab assiduis niuibus, & ipsius capilli color genti nomen dedit. & inde dicuntur Albani. Horũ glauca oculis, id est picta inest pupilla: adeo vt nocte plusquam die cernant. Albani autem vicini Amazonibus fuerunt.

Vgnos antea Hunnos vocatos, postremo à rege suo * Abares appellatos dicũt, qui prius in vltima Mæotide inter glacialẽ Tanaim & Massagetarum immanes populos habitauerũt. Deinde pernicibus equis Caucasi rupib⁹ feras gentes Alexandri claustra * cohibente ruperunt: & orientem viginti annis tenuerunt captiuum, & ab Aegyptijs atq; Aethiopibus annuum vectigal exegerunt. *al. Auaru.* *al. cohibentia.*

Troianorum gens antea Dardana, à Dardano rege nominata. Nam Dardanus & Iasius fratres è Græcia profecti: ex ijs Iasius ad Thraciã, Dardanus ad Phrygiam peruenit, ibiq; primus regnauit. Post quem filius eius Erictonius, deinde nepos eius Tros, à quo Troiani nuncupati sunt.

Galatæ Galli esse noscuntur, qui in auxilium à rege Bithiniæ euocati, regnũ cum eo peracta victoria diuiserunt: sicq; deinde Græcis admixti, primum Gallogræci: nunc ex antiquo gallorum nomine Galatæ nuncupantur.

Græci ante Thessali à Thessalo postea à Græco rege Græci sunt nuncupati. Nam Græci propriè Thessali sunt.

Lapithas autem gentẽ Thessaliæ fuisse aiunt, circa Penion amnem olim inhabitantem, à Lapitha Apollinis filia nuncupatos.

Sicionij Græci sunt nuncupati, à Sicionio rege. Hi primum Agialei vocabantur, à rege Agialio qui prim⁹ Sicionijs imperauit, à quo & Agialea ciuitas nuncupata est, quæ nunc Peloponensis à Pelope rege suo vocatur. Ipsi sunt & Arcades, ab Arcade rege Iouis & Calystæ filio dicti.

Danai à Danao rege vocati. Iidem & Argiui ab Argo conditore cognominati. Postquam autem rex Græcorum Apis mortuus est: huic filius Argus successit in regnum, & ex eo Argiui vocati sunt, qui etiam ab eis post obitum vt Deus haberi cepit, templo & sacrificio honoratus.

Achęi qui & Achiui ab Achęo Iouis filio dicti.

Pelasgi

© Biblioteca Nacional de España

al. pelagi. Pelasgi nominati, quia cũ velis * pansis verno tempore aduenisse Italiam visi sunt, vt aues. Primo enim eos Varro *: Italiam appulisse commemorat. Græci verò Pelasgos à Ioue & Larissæ filio perhibent dictos.

al. Italia expulsos esse. Myrmidones fuerũt Achillis socij: Dolopes Pyrrhi. dicti autem Myrmidones propter astutiam quasi μύρμηκες id est formicæ. Eratostenes autem dicit dictos Myrmidones à Myrmidone duce Iouis & * Eurimedusæ filio.

al. Eurymosæ. al. Granus. Cecropi Athenienſium regi succesſit * Agranus, cuius filia Athis nomen & regioni & genti dedit. Et ex ea Attici cognominati qui sunt Athenienses.

Ion vir fortis ex suo nomine eosdem Athenienses vocauit Iones.

al. Amasani, vel Amacani. Macedones à nomine Macionis regis antea *Emaci nũcupati sunt: postea Macedones dicti à Macedone rege Deucalionis materno nepote.

Epirotę à Pyrrho Achillis filio prius Piride dicto, postea verò à Pyrrho rege ad Italiam transire præsumpserunt.

Dorus Neptuni & Ellopis filius fuit, vnde Dori & originem & nomen ducunt. Sunt autẽ pars Græcię gentis, ex quibus etiam cognominata est tertia lingua græcorum quæ Dorica appellatur.

al. spem pro is amisserent. Lacedęmones à Lacedęmone Semelę filio dicti. Hi diu perseuerantes in bello contra Messenios, veriti ne diuturnitate prælij * prolis spem perderent: præceperunt, vt virgines eorum cũ iuuenibus domi relictis cõcumberent, sicq; ex promiscuo virginum & maritorum concubitu iuuenes de incertis parentibus nati sunt, & ex nota materni pudoris Spartani vocati sunt. Nã ipsos esse Spartanos quos & Lacedęmones.

Thraces ex filio Iaphet qui vocatus est Tiras & orti & cognomináti vt superius dictum est perhibentur. licet gentiles eos ex moribus ita dictos existiment, quòd sint truces. Sæuissimi enim omnium gentium fuerunt, vnde & multa de eis fabulosa memorátur: quòd captiuos dijs suis litarẽt, & humanum sanguinem in ossibus capitũ * portare soliti sunt. De quib⁹ Virgilius:

Heu fuge crudeles terras, fuge littus auarum:

* potare. quasi crudelium & auarorum.

Istrorum gens originẽ à locis ducit: qui missi ad Argonautas persequendos, vt à ponto intrauerunt Istrum fluuiũ, à vocabulo amnis quo à mari recesserant appellati sunt.

Romani à Romuli nomine nuncupati qui vrbem Romam condidit, gentiq; & ciuitati nomẽ dedit. Hi antè à Saturno Saturnij, à Latino Latini vocati sunt. Nam Latinus Italię rex fuit, qui ex suo nomine Latinos appellauit, qui postea Romani nuncupati sunt. Hi & Quirites dicti, quia Quirinus dictus est Romulus, quòd semper hasta vtebatur. quæ Sabinorum lingua quiris dicitur.

Italus quoque & Sabinus, & Sicanus fratres fuerunt ex quibus nomina populis imposita & regionibus sunt. Nã ab Italo Itali, à Sabino Sabini, à Sicano Sicani: qui & Siculi cognominati sunt, idem & Siciliensis.

Tusci Italię gens est à frequentia sacrorum, & thuris vocata, id est * ἀπὸ τῆς θυσίας.

al. θυάζειν. Vmbri Italię genus est: sed Gallorum veterũ propago: qui Apenninum mõtem incolunt. de quibus historiæ perhibẽt quod tempore aquosæ cladis imbrib⁹ superfuerint, & ob hoc ὄμβριοι Græcè nominatos.

Marsi gens Italiæ dicta à comite Liberi Marsia: qui vium illis vitium ostendit, & ob hoc illi statuam fecerunt. quam postea Romani victis Marsis tulerunt. Marsos autem Græci Tuscos vocant quasi ὀφιόχους: quòd multos serpentes habeant, & ὄφις serpens dicatur. illæsos autem esse carminum maleficijs. Inhabitant autem plagã Apennini montis simul cum Vmbris.

Gothi à Magog filio Iaphet nominati putantur, de similitudine vltimę syllabę, quos veteres magis Getas quam Gothos vocauerunt, gens fortis & potentissima, corporum mole ardua, armorũ genere terribilis, de quibus Lucanus.

Hinc Dacus premat inde Getes occurrat Iberis.

Daci autem Gothorũ soboles fuerunt, & dictos putant Dacos quasi dagos, quia de Gothorum stirpe creati sunt. De quibus ille,

Ibis Aretos procul vsq; Dagos.

Bessi barbari fuerunt: qui à multitudine boũ sic vocati creduntur. De quibus quidam:

Qui colit terræ medio vel ille
Diuitis multo boue pilleatus.
Accola ripæ.

Gipedes pedestri prælio magis quã equestri sunt vsi, & ex hac causa ita vocati.

Sarmatæ patentibus campis armati inequitabant prius quam eos Lentulus Danubio prohiberet, atq; inde ob studium armorum Sarmatæ nuncupati existimantur.

Lanus fluuius fertur vltra Danubium, à quo Alani dicti sunt, sicut & populi habitãtes iuxta Lemannum fluuium Alemani vocãtur. De quibus Lucanus,

Deseruere cauo tentoria fixa Lemanno.

Longobardos vulgo ferunt nominatos à prolixa barba & nunquam tonsa.

al. Vandalicus. *Vandelicus amnis ab extremis Gallię erum pens, iuxta quem fluuium habitasse, & ex eo traxisse nomen Vandali perhibentur.

Germanicæ gentes dictę quod sint immania corpora, immanesq; nationes sęuissimis duratæ frigoribus, qui mores ex ipso cœli rigore traxerũt, ferocis animi & semper indomiti, raptu venatuq; viuentes. Horũ pluriinę gentes variæ armis, discolores habitu, linguis dissonæ, & origine vocabulorum incertæ, vt * Tolerates, Samsi, Variquadi. Tungri. Marcomanni. Bruteri, Camasi. Blangianę Tubantes, quorum immanitas barbarie etiã in ipsis vocabulis horrorem quendam significat.

al. Olarates, Amsuari. al. Samsi: Vari: Quadi al. Flandiani: & Vbanet.

Sueui pars Germanorum fuerunt in fine Septentrionis, de quibus Lucanus,

Fundit ab extremo flauos Aquilone Sueuos.

© Biblioteca Nacional de España

Quorum fuisse centum pagos & populos multi tradiderunt. Dicti autē Sueui putantur à monte Sueuo, qui ab ortu initium Germaniæ facit, cuius loca incoluerunt.

Burgundiones quondam à Romanis subacta interiore Germania per castrorum limites positi à Tiberio Cæsare in magnam * coluerūt gentē, atq; ita nomen ex locis sumpserunt: quia crebra per limites habitacula cōstituta: burgos vulgo vocant. Hi postea rebelles effecti Romanis: plusquam octoginta milia armatorum ripæ Rheni fluminis insederunt, & nomen gētis obtinuerunt.

al. Coaluerunt.
al. creuerūt.
al. consaluerunt.

Saxonum gens in oceani maris littoribus & paludibus inuijs sita, virtute atq; agilitate habilis. Vnde & appellata, quod sit durum & validissimum genus hominum & præstans cęteris piraticis.

Franci à quodam proprio duce vocari putantur. Alij eos à feritate morū nuncupatos existimant. Sunt enim in illis mores inconditi, naturalisq; ferocitas animorum.

Britones quidā Latinè nominatos suspicantur: eo quòd bruti sint, gens inter oceanum interfuso mari quasi extra orbē posita. de quibus Virgilius,

Toto diuisos orbe Britannos.

Scotti propria lingua nomen habent à picto corpore, eo quòd aculeis ferreis cum atramento variarum figurarum stigmate annotentur.

Galli à candore corporis nūcupati sunt. γάλα enim Græcè lac dicitur. Vnde & Sybilla sic eos appellat: cum ait de ijs,

Tunc lactea colla Auro innectuntur.

Secundum diuersitatem enim cœli, & facies hominum & colorēs & corporum quantitates & animorum diuersitates existūt. Inde Romanos graues, Græcos leues, Afros versipelles, gallos natura feroces atq; acriores ingenio peruidemus, quod natura climatum facit. Galli autem Senones antiquitus Xenones dicebātur, quod Liberū hospitio recepissent, postea x in s literā commutata est.

Vacca oppidum fuit iuxta Pyrenęum, à quo sunt cognominati Vaccei, de quibus creditur dixisse poeta:

Lateq; vagantes Vaccei.

Hi Pyrinęi iugis peramplam montis habitant solitudinē. Idem & Vascones quasi Vaccones c in s literam demutata. * quod genus Pompeius edomita Hispania, & ad triumphum venire festinans de Pyrinęi iugis deposuit & in vnum oppidum congregauit. Vnde & Conuenarū vrbs nomen accepit.

** quōs Cnemes.*

Hispani ab Ibero amne primum Iberi, postea ab Hispalo Hispani cognominati sunt.

Gallicij à candore dicti fingūtur, vnde & galli. Reliquis enim Hispaniæ populis candidiores existunt. Hi Græcam sibi originem asserunt. Vnde & naturali ingenio callent. Siquidem post finem Troiani belli Teucrum morte Aiacis fratris invisum patri Telamoni dum non recipere tur in regnum, Cyprum concessisse ferūt, ibiq; vrbem nomine antiquę patrię Salaminā condidisse, inde ad Galliciam profectus expositis sedibus ex loco nomen genti dedisse.

Astures gens Hispanię vocati eo quod circa * ysturam flumen * septem montibus siluisq; crebris inhabitent.

al. Sturam.
** Septi.*

Cantabri gens Hispaniæ à vocabulo vrbis, & Iberi amnis, cui insidunt, appellati. Horum animus pertinax & magis ad latrocinandum, & ad bellandum, vel ad perpetiendum verbera semper parati.

Celtiberi ex Gallis Celticis fuerunt, quorum ex nomine appellata est regio Celtiberia. Nam ex flumine Hispaniæ Ibero vbi confederant, & ex Gallis qui Celtici dicebantur, mixto vtroq; vocabulo Celtiberi nuncupati sunt.

Afri appellati ex vno ex posteris Abrahę, qui vocabatur Afer: qui dicitur duxisse aduersus Lybiam exercitum, & ibi victis hostibus cōsedisse. eiusq; posteros ex nomine ataui & Afros & Africam nuncupasse.

Pœni autem Cartaginēses sunt à Phœnicibus nuncupati: qui cum Didone profecti sunt.

Tyrij verò à Tyria vrbe Phœnicum nuncupati, de qua profecti sunt, & in Africæ littus venerunt.

Getuli Getæ dicuntur fuisse, qui ingenti agmine à locis suis nauibus conscendentes, loca Syrtium in Lybia occupauerūt: & quia ex Getis venerant: deriuato nomine Getuli cognominati sunt. Vnde & opinio est apud Gothos, ab antiqua cognatione Mauros consanguinitate propinquos sibi vocare.

Africam autē initio habuere Lybies, deinde Afri, post hæc Getuli, postremum Mauri & Numides.

Mauri & Numidę, vt Afri putant, sic sumpserunt exordium & vocabulum. Nam postquam in Hispania Hercules interijt: & exercitus eius compositus ex varijs gentibus amisso duce passim sibi sedes quæreret, ex eo numero Medi & Persæ & Armeni nauibus in Africam trāsuecti proxima maris loca occupauere: sed Persæ dum materiam in agris pro construendis domicilijs non inuenirent, & ignara lingua commercium prohiberet: per patentes agros & diuersas solitudines vagabantur & à pabulationibus vagabundis semetipsos propria lingua Numides appellauerunt, id est sine oppido vagos & errantes. Medi autem cum Lybijs se miscuerunt: qui proximam Hispaniam inhabitabant, quorū nomen paulatim Lybies corruperunt, barbara lingua Mauros propter Medos appellantes: licet Mauri ob colorem à Græcis nominentur. Græci enim nigrum μαυρὸν vocāt. Aestifero quippe calore afflati atri coloris speciem ducunt.

Massilia ciuitas Africę est, non longe ab Athlante & hortis Hesperidū: à qua ciuitate Massilij exorti sunt: quos nos corrupte Massulos vocamus, de quibus Virgilius,

Hic mihi Massiliæ gentis monstrata sacerdos.

Gaulali

© Biblioteca Nacional de España

Gaulali gentes sunt à meridie vsq; oceanum hesperium peruagantes. His nomen * gauloen insula dedit quæ est iuxta Aethiopiam, vbi nec serpens nascitur, nec viuit.

auleon. us, Gau

Garamantes populi Africæ propè Cyrenas inhabitantes, à Garamante rege Apollinis filio nominati: qui ibi ex suo nomine Garama oppidum condidit. Sunt autem proximæ gẽtes Aethiopum, de quibus Virgilius,

Extremi Garamantes. Extremi autem, quia sæui & à consortio humanitatis remoti.

Hesperij verò sunt qui circa Hispaniam commorantur. Nam Hispania Hesperia dicitur.

Aethiopes dicti à filio Cham qui vocatus est Chus, à quo originem trahunt. Chus enim Hebraicè Aethiops interpretatur. Hi quondam ab Indo flumine consurgentes, iuxta Aegyptũ inter Nilum & oceanum, in meridie sub ipsa solis vicinitate consederunt, quorum tres sunt populi. Hesperi, Garamantes & Indi. Hesperi sunt occidentis, Garamantes tripolis, Indi orientis.

Tragoditę gens Aethiopum: ideo nuncupati quòd tanta celeritate pollent, vt feras cursu pedum assequantur.*

Panfigi. Pãgy. for Pãphagi.

Pamphili & hi in Aethiopia sunt: quibus esca est quicquid mandi potest & omnia fortuitu gignentia, vnde & appellati.

Ichthyophagi quòd venãdo in mari valeant, & piscibus tantum alantur. Hi post Indos montanas regiones tenent, quas subactas Alexander magnus piscibus vesci prohibuit.

Anthropophagi gens asperrima sub regione Siricũ sita. qui quia humanis carnib⁹ vescũtur, ideo antropophagi nominantur. Itaq; sicut his ita & ceteris gentibus per secula aut à regibus: aut à locis, aut à moribus: vel ex quibuslibet alijs causis immutata vocabula sunt: ita vt prima origo nominis eorum temporum vetustate nõ pateat.

Iam verò his qui Antipodę dicũtur eo quòd contrarij esse vestigijs nóstris putantur: vt quasi sub terris positi aduersa pedibus nostris calcent vestigia, nulla ratione credendum est. quia, nec soliditas patitur, nec centrum terræ, sed neque hoc vlla historiæ cognitione firmatur. sed hoc poetæ quasi ratiocinando coniectant.

Titanas autẽ quosdam in græcia ferunt fuisse robustos & excellẽtes viribus populos, quos ferunt fabulæ ab irata contrà deos terra ad eius vltionem creatos. Vnde & Titanes dicti sunt ἀπὸ τῆς τίσεως, id est ab vltione, quod quasi vlciscendæ matris Terræ causa in deos armati existerent: quos fabulæ à Ioue bello fuisse superatos atq; extinctos fingunt, propter quod è cœlo iactis fulminibus interierunt.

De regnis & militiæ vocabulis.

REgnum à regibus dictum. Nam sicut reges à regendo vocati: ita regnum à regibus.

Regnum vniuersæ nationes suis quæque habuere temporibus, vt Assirij Medi, Persæ, Aegyptij, Græci, quorum vices sors temporum ita volutauit, vt alterum ab altero solueretur. Inter omnia autem regna terrarum duo regna cæteris gloriosiora traduntur, Assiriorũ primo, deinde Romanorum, vt temporibus & locis inter se ordinata atq; distincta. Nam sicut illud prius & hoc posterius: ita illud in oriente & hoc in occidente exortum est: deniq; in illius fine huius initium confestim fuit. Regna cætera, cæterique reges velut appendices istorum habentur.

Reges à regendo. Sicut enim sacerdos à sanctificando: ita & rex à regendo. non autẽ regit qui nõ corrigit. Rectè igitur faciendo regis nomen tenetur, peccãdo amittitur. Vnde & apud veteres tale erat prouerbium. *Rex eris si rectè facias: si non facias non eris.*

Regiæ virtutes precipuæ duæ. iustitia & pietas. Plus autem in regibus laudatur pietas. Nam iustitia per se seuera est.

Consules appellati à consulendo: sicut reges à regendo, & sicut leges à legendo. Nam cũ Romani regum superbam dominationem non ferrent: annua imperia, binosq; consules sibi fecerunt. Nam fastus regius non beniuolentia consulentis, sed superbia dominantis erat. Hinc ergò consules appellati, vel à consulẽdo ciuibus, vel a regendo cuncta consilio. Quos tamẽ ideo mutandos per singulos annos instituerunt, vt nec insolens diu maneret, & moderatior citò succurreret. Inde autem duo pares, quia vnus rem ciuilẽ, alter rem militarem administrabat. Regnauerunt autem annis ccccl x vij.

Proconsules subiecti erant consulibus, & dicti proconsules eo quòd vice consulis fungerẽtur. sicut procurator curatoris, id est, actoris.

Exconsules autẽ dicti, quòd iam à consulatu exierint siue discesserint pacto vicis suę anno.

Dictatores quinto anno post reges expulsos Romani sibi creauerunt, dum gener Tarquinij ad iniuriam soceri vindicandam, ingentem aduersus Romam collegisset exercitum. Hi quinquennij temporis imperio vtebantur. Plus enim erant honore quã cõsules, qui annuas potestates tenebant. Et dicti dictatores quasi principes & preceptores. Vnde & magistri populi nominabantur. Vnde & edicta dicuntur.

Cæsarum nomen à Iulio cepit: qui bello ciuili commoto primus Romanorum singularẽ obtinuit principatum. Cæsar autem dictus: quòd cæso mortuæ matris suæ vtero prolatus eductusque fuerit. vel quòd cum cesarie natus sit. à quo & imperatores sequentes Cęsares dicti, eo quòd comati essent. Qui enim exsecto vtero eximebantur: cęsones & cęsares appellabantur.

Iulius autem dictus quia ab Iulo Aeneæ filio originem duxit, vt confirmat Virgilius.

Iulius à magno demissum nomen à Iulo.

Imperator autem nomẽ apud Romanos eorum tantum fuit prius, apud quos summa rei militaris

© Biblioteca Nacional de España

militaris consisteret, & ideo imperatores dicti ab imperando exercitibus: sed dum diu duces titulis imperatorijs fungerentur, senatus censuit, vt Augusti Cæsaris hoc tantùm nomen esset: eo quòd is distingueretur à cæteris gentiũ regibus: quod & sequẽtes Cęsares hactenus vsurpauerunt. Solet enim fieri: vt primi regis nomen etiam reliqui possideant, sicut apud Albanos ex Siluij nomine omnes reges Albanorũ Siluij appellati sunt. sicut & apud Persas Arsacidę. apud Aegyptios Ptolemęi, apud Athenienses Cecropidę.

Augustus ideo apud Romanos nomen imperij est, eo quod olim augerent rempublicam amplificando. Quod nomẽ primo senatus Octauiano Cæsari tradidit, vt quia auxerat terras, ipso nomine & titulo cõsecraretur. Dum autẽ idem Octauianus iam Cæsar & imperator appellaretur vel Augustus: postea verò dum ludos spectaret, & pronũciatum esset illi à populo vt vocaretur & Dominus, statim manu vultuque auerso: indecoras adulationes repressit & Domini appellationem vt homo declinauit, atque insequenti die omnem populum grauissimo *edicto corripuit, Dominumq; se posthæc appellari ne à liberis quidem suis permisit. Fuit enim filius Actię: quę nata est de sorore Iulij Cæsaris.

al. dicto.

Reges autem ob hanc causam apud Græcos βασιλεῖς vocantur, quòd tanquam bases populũ sustinent. Vnde & bases coronas habent. Quanto enim quisque magis pręponitur: tanto amplius pondere laborum grauatur.

Tyranni Græcè dicuntur ijdem latinè & reges. Nam apud veteres inter regem & tyrannũ nulla discretio erat: vt,

Pars mihi pacis erat dextram tetigisse tyranni.

Fortes enim reges tyranni vocabantur. Nam tiro fortis. de quibus Dominus loquitur: *Per me reges regnant & tyranni per me tenẽt terram.* Iam postea in vsum accidit tyrannos vocari pessimos, atque improbos reges, * luxuriosę dominationis cupiditatẽ & crudelissimam dominationem in populis exercentes.

al. luxuriosos, dominationem cupiditate crudelissima.

Princeps & dignitatis modo significatur & ordinis, sicut est illud Virgilianum:

Princeps ardentem coniecit lampada Turnus, pro, primus. Dictus autem princeps à capiendi significatione, quòd primum capiat: sicut municeps ab eo quòd munia capiat.

Dux dictus eo quòd sit ductor exercitus: sed nõ statim quicunque principes vel duces sunt: etiam reges dici possunt. In bello verò melius ducem nominari conuenit quàm regem. Nam hoc nomen exprimit in prælio ducentem. Vnde Virgilius, *ducis Euandri.* Salustius. *Quo cupidius in ore ducis sese quisq; bonum.* Non dixit in * ore consulis.

al. more. * more.

Monarchæ sunt qui singularẽ possident principatum, qualis fuit Alexander apud Gręcos, & Iulius apud Romanos. Hinc & monarchia dicitur. Μόναρχος quippe singularitas Græco nomine, ἀρχὴ principatus est.

Tetrarchæ sunt quartam partem regni tenentes. Nam τέτραρχα quatuor sunt: qualis fuit apud Iudæam Philippus.

Patricij inde vocati sunt pro eo quòd sicut patres filijs: ita prouideant reipublicæ.

Præfecti dicti, quòd prætoria potestate præsint.

Prætores ijdem qui & præfecti, quasi præpositores.

Pręsides verò dicti, quia alicuius loci tutelam præsidialiter tenent.

Tribuni vocati, quòd militibus siue plebibus iura tribuunt.

Chiliarchę sunt qui mille præsunt militibus, quos nos millenarios appellamus, & est nomen Græcum.

Centuriones dicti eo quòd centum præsunt militibus, sicut quinquagenarij qui sunt in capite quinquaginta militum; sicut decani ab eo quòd militibus decem pręferuntur.

Miles dictus, quia mille erant antè in numero vno, vel quia vnus est ex mille electus. Romulus autem primus ex populo milites sumpsit & appellauit. Liber verò primus militiæ ordinem docuit.

* Miles autẽ ordinarius dicitur, aut extraordinarius. Ordinarius est qui per ordinem militat: nec adhuc aliquem consecutus est gradum honoris. est enim gregarius, id est humilis militiæ. Extraordinarius est: qui ob virtutem prououetur ex ordine.

Emeriti dicuntur veterani solutique militia, qui iam in vsu prælij non sunt, quia mereri militare dicitur, à stipendijs scilicet quæ merentur: ijdem & veterani dicuntur, quia iam in vsu prælij non sunt: sed post multos militię labores quietis suffragium consequuntur.

Equestres milites dicti eo quòd equo * Sedeant. Item militat ille in equestri ordine.

al. insidẽt.

Tirones dicuntur fortes pueri quod ad militiam deligantur, atq; armis gerendis habiles existunt. Hi enim non ex sola professione natiuitatis: sed ex aspectu & valitudine corporis æstimantur. Vnde & tirones dicti, qui antequam sacramento probati fuerint, milites non sunt. Romanæ autem militiæ fuit mos puberes primo exerceri armis. Nam decimosexto anno tirones militabant, quo etiam solo sub custodibus agebant, de quibus Virgilius,

Et primo flore iuuentus.

Seruos sanè nunquam militasse constat, nisi seruitute deposita, excepto Hannibalis tempore, cum post Cannense prælium in tanta necessitate fuissent Romani, vt ne liberãdorum quidem seruorum daretur facultas.

Desertores vocati eo quòd desertis militaribus officijs euagantur. Hi in aliòs numerõs militiæ nomen dare prohibentur, sed si nõ magni temporis culpam * contraxerint, cæsi numeris suis restituuntur. sed & qui deserũt exercitum, ad hostes trãseuntes, & ipsi desertores vocãtur.

al. contraxerint.

Conscripti

© Biblioteca Nacional de España

Conscripti milites dicuntur, quia in tabulis conferuntur ab eo qui eos ducturus est: sicut transcripti vocantur, cum de alia in aliam legionem transeunt, & inde transcripti, quòd nomina dant vt transcribantur.

Optiones dicti quod sint electi. Nam optare eligere est, sicut est illud, *Optauitq; locum regno*, id est, elegit.

Excubitores dicuntur, pro eo quòd excubias semper agunt. Sunt enim ex numero militũ & in porticibus excubant propter regalem custodiam. Excubiæ autem diurnæ sunt, vigiliæ nocturnę. vnde & vigiles.

Velites erant apud Romanos genus militiæ. à volitando vocati. Lecti enim agilitate iuuenes cum armis suis post terga equitum consedebãt, & mox cum ad hostes ventum esset, equis desiliebant, & continuo pedites ipsi ex alia parte, equitibus per quos aduecti fuerant dimicãtibus, hostem perturbabant. Ab his ergo velitibus elephanti quondam Hannibalis retro acti cùm regi iam à suis non possent, fabrili scalpro inter aures adacto necabantur.

Castra sunt vbi miles steterit. dicta autem castra quasi casta, eo quòd illic castraretur libido. Nam nunquam ijs intererat mulier.

Militia aũt à militib9 dicta, aut à multis: quasi multicia, quasi negocium multorũ, aut à mole rerum quasi moletia.

Legio sex milium armatorũ est, ab electo vocata, quasi lecti, id est armis electi. propriè autẽ Macedonũ phalanx, Gallorum caterua, nostra legio dicitur.

Legio autẽ habet sexaginta centurias, manipulos triginta: cohortes duodecim: turmas ducentas.

Centuria est pars exercitus in centenos milites diuisa. Vnde & qui ijs pręsunt centuriones dicuntur.

Succenturiati sunt, non qui in prima, sed in secunda centuria sunt, quasi sub prima cẽturia: tamen stricti etiã ipsi & in speculis positi in bello sunt, vt si prima defecerit, isti quos sub*se diximus laborantibus primis subueniant. Vnde & ad insidiandum ponitur succenturiatus, quasi armis dolosis instructus.

*. secunda.

Manipulus ducentorum est militũ. Manipuli autem dicti sunt milites, siue quia bellũ primò manu incipiebant, siue quòd antequam signa essent, manipulos sibi, id est fasciculos stipulę, vel herbæ alicuius pro signis faciebant, à quo signo manipulares milites cognominati sunt. De quibus Lucanus,

Conuocat armatos extemplo ad signa maniplos.

Turma triginta equites sunt. Romani enim equites in vna tribu trecenti fuerunt. De singulis enim cẽturijs decẽ dabãtur; & fiebãt turma.

Cohors quingentos milites habet.

Tria sunt militiæ genera sacramentum, euocatio, coniuratio.

Sacramentum, in quo post electionem iurat vnusquisq; miles se non recedere à militia: nisi post completa stipendia, id est, militię tempora, & hi sunt qui habent plenã militiam. Nã vigintiquinq; annis tenentur.

Euocatio, dum ad subitũ bellum nõ solũ milites: sed & cæteri euocantur. Vnde etiam consul solebat dicere: *Qui rempublicam saluam esse vult, me sequatur.*

Coniuratio, quæ fit tumultu, quando vicinũ vrbis periculum singulos iurare nõ patitur: sed repente colligitur multitudo & tumultuosa in ira conflatur. Hęc & tumultuatio dicitur.

In acie autem istę ferè formæ sunt. Exercitus, classis, nodus, cuneus, alæ, cornua, agmen: quæ formas & nomina ab ipsis rebus de quibus trãslata sunt imitantur.

Acies dicta, quòd ferro armata sit & acumine gladiorum.

Exercitus multitudo ex vno genere, ab exercitatione belli vocata.

Classes dictæ propter diuisionem exercitus, q̃ postea manipuli dicti sunt. Vnde & Virgilius:

Classibus hic locus, hic acies certare solebant.

Nam postea & classica nauium dicta.

Nodus proprie est densa peditum multitudo, sicut turma equitum. Nodus autem dictus, pro difficultate, quòd vix possit resolui.

Cuneus est collecta in vnum militum multitudo. Vnde propter quòd in vnum coit ipsa coitio in vnum, cuneus nominatus est, quasi counctus, eo quòd in vnum omnes coguntur.

Alę in exercitu triginta equites esse dicũtur. Alæ autem equites ob hoc dicti, quia tegunt pedites alarum vice.

Cornua vocãtur extremitas exercitus, quòd intorta sit.

Agmen dicitur cum exercitus iter facit, ab agẽdo vocatum, id est eundo. Plautus, *Quo te agis?* Ipse est enim exercitus ambulans. Nam agmen dicitur quod in longitudine directum est, quale solet esse cum exercitus portis procedit: quicquid fuerit aliud, abusiue dicitur.

De ciuibus.

DE imperijs militiæq; vocabulis ex parte dictũ est, deinceps ciuium nomina summatim subiungimus.

Ciues vocati quòd in vnum coeuntes viuãt, vt vita cõmunis & ornatior fiat & tutior.

Domus vnius familiæ habitaculum est, sicut vrbs vnius populi, sicut orbis domiciliũ totius generis humani est. Est aũt domus * genus familiæ, siue coniunctio viri & vxoris. Incipit autem à duobus & est nomen Græcũ. Nã δόματα Græci tecta vocant. Nam familia est, liberi ex liberis legibus suscepti, à femore.

Ann. al. genus, familia, quam lectionẽ magis probo. Nam domus & pro genere & pro familia accipitur.

Genus autem à gignendo & progenerando dictum: aut à diffinitione certorum prognatorum, vt nationes, quæ proprijs cognationibus terminatę, gentes appellantur.

Populus est humanæ multitudinis, iuris consensu, & concordi communione sociatus. Populus aũt eo distat à plebibus, quòd populus vni-

© Biblioteca Nacional de España

uersi ciues sunt, connumeratis senioribus ciuitatis. Plebs autē reliquū vulgus sine senioribus ciuitatis. Populus ergo tota ciuitas: vulgus verò plebs est. Plebs autē dicta à pluralitate. maior est enim numerus minorū quàm seniorū. Populus verò à Græco dicitur, quasi * πολίτου ἀθροισμὸς, id est, ciuiū cœtus. Vnde & populus dictus est. Græcè autem populus dicitur λαὸς à lapidibus. Vulgus est passim inhabitans multitudo, quasi quisq; quod vult.

* Ex coniectura.

Tribus dicūtur tanquā curiæ & cōgregationes distinctæ populorum, & vocatæ tribus ab eo quòd in principio Romani trifariè fuerunt à Romulo dispertiti, in senatoribus, militibus, & plebibus. Quæ tamen tribus nunc multiplicatæ nomen pristinum retinent.

Senatui nomen ætas dedit, quòd seniores essent. Alij à sinendo dictos accipiunt senatores: Ipsi enim agendi facultatem dabant.

Senatusconsultus à consulendo & tractando est dictus: quòd sic fit, vt consulat & nocere non possit.

Patres autē, vt dicit Salustius, à curæ similitudine vocati sunt. Nam sicut patres filios suos: ita illi rempublicam alebant.

Patres cōscripti, quia dū Romulus decē curias senatorū elegisset: nomina eorū pręsente populo in tabulas aureas cōtulit, atq; inde patres conscripti vocati.

Primi ordines senatorum dicuntur illustres, secūdi spectabiles, tertij clarissimi. Iam inferius quartū aliquod genus nō est. Quāuis autē senatoria quisq; origine esset, vsq; ad legitimos annos eques Romanus erat, deinde accipiebat honorem senatoriæ dignitatis.

Censores apud Romanos veteres erant. Est enim censor, nomē dignitatis iudicialis. Censere enim iudicare est. Item cēsores sunt patrimoniorum iudices, à censu æris appellati.

Iudices dicti quasi ius dicentes populo, siue quòd iure disceptent. Iure autem disputare, est iustè iudicare. Nō est autem iudex, si non est iusticia in eo.

Præsides rectores sunt prouinciē: dicti eo quòd pręsunt.

Prætores autē quasi pręceptores ciuitatis & principes. Idem & quæstores quasi quæsitores eo quòd quæstionibus præsunt. Consiliū enim & causa apud eos est.

Proceres sunt principes ciuium vel ciuitatis, quasi procedes, quòd ante omnes honore pręcedant. Vnde & capita trabiū quæ eminent extra parietes * proces dicūtur, eo quòd primo procedant. Hinc autē ad primores facta translatio: quòd à cætera multitudine prominent.

al. proceres.

Tribuni dicti eo quòd plebi iura vel opē tribuunt. Cōstituti sunt autem sextō anno post reges exactos. Dū enim plebs à senatu & consulibus pręmeretur: tūc ipsi tribunos quasi proprios iudices & defensores creauit: qui eorum libertatē tuerētur, & eos aduersus iniuriā nobilitatis defenderēt. Vnde & defensores dicti, eo qd sibi plebem cōmissam cōtra insolentiā improborū defendant. At contra nunc quidam euersores: non defensores existunt.

Numerarij vocati sunt: qui publicum nummum ærarijs inferunt.

Functi, ab eo quòd fungātur honore & officio aliquo dicti. Hinc & defunctos mortuos dicimus, qui compleuerunt vitæ officia. nihil enim iam faciunt.

Municipes sunt in eodem municipio nati: ab officio munerū dicti, eo quòd publica munia accipiunt. Munia enim officia sunt. vnde & immunes dicuntur, qui nullum gerunt officium.

Municipales originales ciues & in * locum officium gerentes.

al. loco.

Decuriones dicti, quòd sint de ordine curię. Officium enim curię administrant. Vnde non est decurio qui summam non intulit, vel curiam participauit.

Curiales aūt idē & decuriones. Et dicti curiales, quia ciuilia numera procurāt & exequūtur.

Principales magistratus & duumuirales curialium officiorū ordines sunt. Principales dicti quod præsint magistratibus.

* Magistratus uerò quod maiores sint reliquis officijs.

al. Magistrati.

Duumvirales autem qui super duos viros habent potestatem.

Tabellio vocatus eo quòd sit portator tabellarum. Idem exceptor, idem & scriba publicus, quia ea tātum quę gestis publicantur scribit.

Burgarij à burgis dicti, quia crebra per limites habitacula constituta burgos vulgo vocant. Vnde & Burgundionum gentis nomē inhæsit: quos quōdā subacta Germania, Romāi p castra dispoſuerunt, atq; ita ex locis nomē sumpserūt.

Collegiati dicuntur quod ex eorum collegio custodijsq; deputētur qui facinus aliquid commiserunt. Est enim sordidissimum genus hominum patre incerto progenitum.

Priuati sunt extranei ab officijs publicis. Est enim nomē magistratū habēti cōtrariū. & dicti priuati, quòd sint ab officijs curiæ absoluti.

Mercenarij sunt, qui seruiūt accepta mercede. ijdē & Barones Græco nomine, quod sint fortes in laboribus. βαρεῖα enim dicitur grauis, quod sit fortis. Cui contrarius est leuis & infirmus.

Publicani appellantur cōductores vectigaliū fisci vel rerū publicarū, siue quia vectigalia publica exigunt, vel quia per negocia seculi lucra sectantur. Vnde & cognominati sunt.

Villicus ꝓprie villę gubernator est. Vnde & à villa villicus nomen accepit. Interdum autem villicus nō gubernationem villę sed dispensationē vniuersæ domus Tullio interpretante significat, quòd est vniuersarum possessionum & villarum dispensator.

Actores idem & curatores ab agendo & curando vocati.

Procuratores verò, eo quòd vice curatoris funguntur: quasi propter curatores: sicut proconsul pro consule.

Coloni

© Biblioteca Nacional de España

Coloni sunt cultores aduenæ, dicti à cultura agri. Sunt enim aliunde venientes atq; alienũ agrum locatum* tenẽtes, ac debẽtes conditionem genitali solo propter agri culturam subdominio possessoris, ꝓ eo quòd ijs locatus est fundus. Coloni autem quatuor modis dicũtur. Nã coloni aut Romani sunt, aut coloni Latini, aut coloni auxiliares, aut coloni ruris priuati.

al. colentes.

Inquilini vocati quasi incolentes aliena. Nõ enim habent propriam sedem: sed in terra aliena inhabitant.

Differt autem inter inquilinum & aduenã. Inquilini enim sunt qui emigrant, & non perpetuo permanent. Aduenæ autem vel incolæ aduentitij perhibentur, sed permanentes: & inde incolæ, quia iam habitatores sunt, ab incolendo.

Indigenæ sunt inde geniti, & in eodem loco nati vbi inhabitant.

Incola autem non indigenam sed aduenam indicat.

Peregrini dicti eo quòd ignorantur eorũ parentes à quibus orti existunt. Sunt enim de longinqua regione.

Vrbani vocabãtur qui Romæ habitabãt. Qui verò in cæteris locis, oppidani. Nã* sola vrbs, Roma, cætera oppida.

al. sola Roma vrbs,

Famuli sunt ex propria seruorum familia orti.

Serui autem vocabulum inde traxerũt, quòd hi qui iure belli possent occidi à victoribus, conseruabantur: & serui fiebant, à seruando scilicet seruo appellati.

Ancillæ à sustẽtaculo vocatæ. ἄγκων enim Græcè cubitus dicitur. Vnde & anconem dicimus.

Mancipium est quicquid manu capi subdiq; potest, vt homo, equus, ouis. Hęc enim animalia statim vt nata sunt,* mancipium esse putantur. Nam & ea quæ in bestiarum numero sunt tunc videntur mancipium esse, quando capi siue domari ceperint.

al. mancipia esse dicũtur.

Ingenui dicti qui in genere habent libertatem, non in facto, sicut liberti. Vnde & eos Græci εὐγενεῖς vocant, quòd sint boni generis.

Libertus autem vocatus quasi liberatus. Erat enim prius iugo seruitutis addictus. Liberorum autem filij apud antiquos libertini appellabantur, quasi de libertis nati. Nũc verò libertinus aut à liberto factus, aut possessus.

Manumissus dicitur, quasi manu emissus. Apud veteres enim quando manu mittebãt, alapa percussos circumagebant, & liberos confirmabant. vnde & manumissi dicti, eò quòd de manu mitterentur.

Deditij primum à deditione sunt nuncupati. Deditio enim dicitur, quando se victi aut vincendi hostes victoribus tradũt: quibus hæc origo nominis fuit. Dum quondam aduersus populum Romanum serui armis sumptis dimicassent, victi se dederunt, comprehensiq; varia turpitudine affecti sunt. Ex his quidã postea à Dominis manumissi propter suppliciorum notas quas manifeste perpessi sunt, ad dignitatem ciuium Romanorum non peruenerunt.

Latini ante Romam conditam apud Latinos fiebant, nunquam per testamentum sed per epistolam libertatem sumentes. Inde quia per testamentum non fiebant: nec ex testamẽto aliquid capere, nec suos hæredes facere poterant, ciues Romani postea sub consulibus per testamenta in vrbe Romana effecti sunt. Dicti autem ciues Romani quia testamento liberi effecti in numerum Romanorum ciuium redigũtur. His primum aditus erat in vrbe Roma commorari, cęteris autem libertis prohibebatur: ne vel in vrbe Roma, vel intra septimũ ab vrbe miliarium commanerent.

De affinitatibus & gradibus.

HÆredis nomen imposuit census eris. Soluit enim tributum auctoris. In hoc enim vocabulo prima successio est hæreditatis & generis, vt sunt filij & nepotes.

Prohæres est, qui loco hęredis fungitur: quasi pro hærede. Est enim aut institutus aut substitutus.

Pater est à quo nascitur initiũ generis: Itaq; is paterfamiliãs vocitatur. Pater autem dictus eo quod patratione peracta filiũ procreet. Patratio enim est rei Venereę consũmatio. Lucretius.

Et bene patra patrum.

Genitores autem à gignendo: & parentes quasi parientes.

Iidem & creatores. Crementum enim est semen masculi, vnde animalium & hominum corpora concipiuntur. Hinc creatores parentes dicuntur.

Mater dicitur quòd exinde efficiatur aliquid. Mater enim est quasi materia: nã pater causa est.

Paterfamiliãs autem dictus, quòd omnibus in familia sua positis seruis tanquam pater filijs patria dilectione consulit, seruorumq; cõditionem à filiorum affectu non discernit: sed quasi vnum membrum amplectitur. Hinc enim exortum est nomen patris familiãs. Qui autem iniquè dominãtur in seruis, hoc se nomine nequaquam* reputent appellari.

al. putent.

Materfamiliãs inde vocatur, quia per quandã iuris solennitatem in familiam transit mariti. Tabulæ enim matrimoniales instrumenta emptionis suæ sunt. Aliãs sicut matrona est mater primi pueri, id est quasi mater nati: ita materfamiliãs illa est, quę plures enixa est. Nam familia ex duobus esse incipit.

Auus, patris pater est, ab æuo dictus, id est ab antiquitate.

Proauus aui pater est, quasi prope auum.

Abauus proaui pater, iam longe ab auo.

Atauus abaui pater.

Tritauus atauì pater: quasi tetrauus, id est quartus supra abauum. Sed trirauus vltimum cognationis nomen est. Familia autem oritur à patre: terminatur in tritauo.

Filius & filia à familia dicti sunt, ipsi enim primi in ordine nascentium existunt. Vnde & Cor

© Biblioteca Nacional de España

nelia familia ſtirps ipſa omnis à Cornelio orta.

Familia autem à femore. Femur enim genus * eſt & ſtirps oſtēditur. Nam familia pro ſeruis, abuſiue non proprie dicitur.

al. eſſe ſtirpis.

Stirps ex lōga generis ſignificatiōe vocatur.

Gnatus dictus quaſi generatus. Vnde & per g ſcribitur.

Soboles eo quòd ſubſtitutio ſit generis. Quadripartitus eſt autem ordo filiorum ita. Vnigenitus, primogenitus, medius, nouiſsimus. Vnigenitus * quòd ſit vnicus, nec ante, nec pòſt vllus. Primogenitus ante quem nullus. Medius, inter omnes. Nouiſsimus, poſt omnes. Idem & minimus à monade. Nouiſsimus autē propter quod nouus: quia cęteri pręcedendo antiquiores exiſtunt.

al. poſt quē nullus.

Quatuor etiā modis filij appellantur, natura, imitatiōe, adoptiōe, doctrina. Natura, veluti dicuntur filij Abrahę Iudæi. Imitatione, vt ipſius Abrahę fidē imitātes ex gētibus, dicēte Euangelio. *Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*, vel ſicut eoſdem Iudæos Dominus filios eſſe dicit diaboli, à quo non nominati, vel nati, ſed quem fuerant imitati. Adoptione quoque, quòd * humana conſuetudine nulli licet neſcire, vel ſicut nos Deo non natura ſed adoptione dicimus, *Pater noſter qui es in cœlis*. Doctrina, ſicut Apoſtolus filios ſuos appellat eos quibus Euangelium prædicauit.

al. humanā conſuetudinem.

Filij autem ideo in legibus liberi appellātur, vt iſto vocabulo ſecernantur à ſeruis: quia ſicut ſeruus in poteſtate domini: ſic filius in poteſtate eſt patris. Inter etiam filios fit emācipatio, vt ſit liber à patre: ſicut fit ſeruo manumiſsio, vt ſit liberatus à domino.

Item liberi dicti, quia ex libero ſunt matrimonio orti. Nā filij ex libero & ancilla ſeruilis conditionis ſunt. Semper enim qui naſcitur deteriorē parentis ſtatum ſumit.

Naturales autem dicuntur ingenuarum concubinarum filij, quos ſola natura genuit non honeſtas coniugij. ijdem & pueri à pube.

Adoptiuus filius eſt, qui aut patre iuſto, aut auo, aut proauo, cuius poteſtate per mācipationes eſt traditus in alienam poteſtatem, quia vtriuſq; fert nomen, vt Flauius Aemilius, vel Scipio Paulus.

Gemini ſunt non duo tantùm ſimul nati: ſed & plures. De geminis autē vno abortiuo, alter qui legitimè natus fuerit Vopiſcus nominatur.

Poſthumus vocatur eo quòd poſt humationē patris naſcitur, id eſt poſt obitū. Iſte & defuncti nomē accepit. Sic enim lex voluit vt qui de * defuncto naſcitur, defuncti nomine appellatur.

al. poſt defunctum.

Nothus dicitur qui de patre nobili & matre ignobili gignitur, ſicut ex concubina. Eſt autē hoc nomen Græcū & in latinitate deficit.

Huic contrarius eſt ſpurius, qui de matre nobili & patre ignobili naſcitur. Item ſpurius patre incerto matre vidua genitus, velut tātùm ſpurij filius, quia muliebrem naturam veteres ſpurium vocabāt velut ἀπὸ τοῦ σπέρματος, hoc eſt ſeminis, non patris nomine. Eoſdem & Fauonios appellabant, quia quędā animalia Fauonio ſpiritu hauſto * concipere exiſtimantur. Vnde & ij qui nō ſunt de legitimo matrimonio, matrē potius quàm patrē ſequuntur. Latinē autē ſpurij quaſi extra puritatem, id eſt quaſi immundi.

Ann. Ita repoſui loco eius qd prius erat, id eſt, Auſtin.

Nepos eſt qui ex filio natus eſt, dictus autem nepos quaſi natus pòſt. Primū enim filius naſcitur, deinde nepos. Gradus enim ſubſtitutionis eſt. Hinc & poſteritas, quaſi poſtera ętas. Nepos autem vtriuſq; ſexus eſt. Nā vt neptis dicamus in iure eſt propter diſcretionē ſucceſsionis admiſſam.

Pronepos eſt qui ex nepote cōceptus natusq; eſt. Et dictus pronepos, quaſi natus porro pòſt. Ex hoc quoq; gradu incipit vocari & progenies: quaſi porro poſt geniti. Nam filij & nepotes non ſunt progenies: quia nō eſt in eis longa poſteritas. Sicut autem inferius longe editi progenies dicuntur, ita ſuperius proaui atauiq; progenitores appellantur: quaſi porro generantes. Pronepos dictus quia prope nepotem.

Abnepos, quia ſeiungitur ab nepote. Eſt enim inter illum & nepotem pronepos.

Adnepos abnepotis filius.

Trinepos adnepotis filius, quia poſt nepotē quartus in ordine eſt, quaſi tetranepos.

Minores autem non dicimus niſi quoties graduum deficit nomen: vtputa filius, nepos, pronepos, abnepos, adnepos, trinepos. Vbi iſti gradus defecerint: merito iā dicimus minores, ſicut & maiores dicimus, poſt patris aui proaui abaui, tritauiq; vocabulum.

De agnatis & cognatis.

AGnati dicti eo quòd accedant pro natis, dum deſunt filij. Qui ideo prius in gente agnoſcuntur, quia veniūt per virilis ſexus perſonas: veluti frater eodē patre natus, vel fratris filius nepos, vel ex eo item patruus propinquitate cognationis.

Cognati dicti, quia ſunt & ipſi propinquitate cognationis coniuncti. Qui inde poſt agnatos habentur, quia per fœminini ſexus perſonas veniunt: nec ſunt agnati, ſed aliàs naturali iure cognati.

Proximus, propter proximitatem ſanguinis appellatus.

Conſanguinei vocati, eo quòd ex vno ſanguine, id eſt ex vno patris ſemine nati ſunt. Nam ſemen viri ſpuma eſt ſanguinis ad inſtar aquę in ſcopulos colliſæ: quæ ſpumam candidam facit, vel ſicut vinum nigrum quod in calice agitatū ſpumam albentem reddit.

Fratres dicti, eo quòd ſint ex eodem fructu, id eſt ex eodem ſemine nati.

Germani verò de eadem genitrice manātes: non, vt multi dicunt, de eodem germine, qui tantum fratres vocantur. Ergo fratres ex eodē fructu, germani ex eadem genitrice manantes.

Vterini vocati eo quòd ſint ex diuerſis patribus

© Biblioteca Nacional de España

tibus,& vno vtero editi. Nam vterus tantũ mulieris est.

Quatuor autem modis fratres dicuntur in diuinis scripturis,natura,gente,cognatione, affectu. Natura, vt Esau & Iacobus Andreas & Petrus,Iacobus & Iohannes. Gente, vt omnes Iudæi fratres inter se vocantur, vt in Deuteronomio,*Si autem emeris fratrem tuum qui est Hebræus.* Et Apostolus,*Optabam*,inquit,*ego Anathema esse à Christo pro fratribus meis,qui sunt cognati mei secundũ carnem, qui sunt Israhelitæ.* Porro cognatione fratres vocãtur,q̃ sunt de vna familia,id est,patria: quas Latini paternitates interpretãtur, cum ex vna radice multa generis turba diffunditur, vt in Genesi dixit Abrahã ad Loth, *Non sit rixa inter me & te & inter pastores tuos & pastores meos, quia omnes fratres nos sumus.* Et certè Loth non erat frater Abrahæ, sed filius fratris eius Aran. Quarto modo affectu fratres dicti, qui in duo scinduntur: spiritale & cõmune. Spiritale quo omnes Christiani fratres vocantur: vt,Ecce quã bonum, & quam iocundum habitare fratres in vnum. Item cõmune, cum omnes homines ex vno patre nati patri inter nos germanitate coniungimur,Scriptura loquẽte,dicite ijs qui oderũt vos,fratres nostri vos estis.

Germana ita intelligitur vt germanus eadẽ genitrice manans.

Soror aut vt frater. Nam soror est ex eodẽ semine dicta, quòd sola cũ fratribus in sorte agnationis habeatur.

Fratrum filij patrueles dicti, eò quòd patres eorum germani fratres inter se fuerunt.

Consobrini verò vocati, qui aut ex sorore & fratre,aut ex duabus sororibus sunt nati: quasi consororini.

Fratrueles autem materteræ filij sunt.

Sobrini consobrinorum filij.

Ann. Dãos enim patruum significat.

* Tius Græcum nomen est.

Patruus frater patris est: quasi pater alius. Vnde & decedente patre pupillum prior patruus suscipit,& quasi filium lege tuetur.

Auunculus est matris frater,cuius nomẽ formam diminutiui habere videtur: quia ab auo venire monstratur.

Amita est soror patris quasi alia mater.

Matertera est soror matris quasi altera mater.

Socer est qui filiam dedit.

Gener est qui filiam duxit. Gener autem dictus,quòd assciscatur ad augendum genus.

Socer autem & socrus quòd generum vel nurum sibi associauit.

Vitricus autẽ qui vxorem ex alio viro filium aut filiam habentem duxit. Et dictus vitricus quasi nouitricius, quòd à matre super ducatur nouus.

Priuignus est qui ex alio patre natus est & priuignus dici putatur,quasi priuigenus: quia prius genitus. Vnde & vulgo ante natus.

Vocabula autẽ à gẽte hæc videtur declinata genitor genitrix, agnati agnatę, cognati cognatę, ꝓgenitores ꝓgenitrices, germani germanę.

In quibusdam exempl.hæc adijciuntur.

* Hæc consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens, vsq; ad vltimum gradum subtraxerit, & propinquitas esse desierit: eam rursus lex matrimonij vinculo repetit, & quodammodo reuocat fugientem. Ideo autẽ vsq; ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est, vt sicut sex ętatibus mundi generatio & hominis status finitur: ita propinquitas generis tot gradibus terminaretur.

Item de prædictis affinitatibus.

AVctor mei generis pater mihi est, ego illi filius aut filia.

Patris mei pater, mihi auus est, ego illi nepos,aut neptis.

Patris mei auus mihi proauus est: ego illi ꝓnepos aut proneptis.

Patris mei proauus: mihi abauus est, ego illi abnepos aut abneptis.

Patris mei abauus, mihi atauus est, ego illi adnepos aut adneptis.

Patris mei atauus mihi tritauus est,ego illi trinepos aut trineptis.

De patruis.

PAtris mei frater mihi patruus est ego illi fratris filius aut filia,

Patrui mei pater mihi pater magnus est: ego illi filij fratris filius aut filia.

Patrui mei auus,mihi propatruus est, ego illi filij aut filię nepos aut neptis.

Patrui mei proauus mihi adpatruus est: ego illi nepotis aut neptis filius aut filia.

De amitis.

MAtris meæ soror mihi amita est, ego illi fratris filius aut filia.

Amitæ meæ mater, mihi amita magna est, ego illi filię fratris filius aut filia.

Amitæ meæ auia mihi proamita est, ego illi neptis filius aut filia.

Amitæ meæ proauia mihi abamita est: ego illi neptis,nepos,aut neptis.

De auunculis.

MAtris meæ frater mihi auunculus est,ego illi sororis filius aut filia.

Auunculi mei pater mihi auunculus magnus est, ego illi filius sororis filius aut filia.

Auunculi mei auus mihi proauunculus est, ego illi filij nepos aut neptis.

Auunculi mei proauus mihi abauunculus est, ego illi neptis filius aut filia.

De materteris.

MAtris meæ soror mihi matertera est, ego illi sororis filius aut filia.

Materterę meæ soror mihi matertera magna est, ego illi sororis nepos aut neptis.

Auiæ meæ soror mihi abmatertera est, ego illi pronepos sororis aut pronepotis.

Proauiæ meæ soror mihi promatertera est, ego illi neptis filius aut filia.

© Biblioteca Nacional de España

Stemmata dicuntur ramusculi quos aduocati faciunt in genere cum gradus cognatio rum partiuntur, vt puta ille filius, ille pater, ille auus ille agnatus, & cęteri quorũ figurę hæ sunt:



© Biblioteca Nacional de España

						trita ui pater &m. 7	trita ui pater &m. 7					
					Tripatruus Triamita 7	Tri-ta vus 6	Tri ta uia 6	triauũculus trima tertera 7				
				adpatrui adamitæ filij 7	adpatruus admita 6	ad a vus 5	ad a via 5	adauũculus admaterter. 6	adauũculi ad mater. filij 7			
			abpatru abamitæ nepotes 7	abpatrui ab amitæ filius 6	abpatruus abamita 5	aba vus 4	aba uia 3	abauũculus abmaterter. 5	abauũculi abmaterterę filij 6	abauũculi abmat. nepot. 7		
		ꝓpatrui proamitæ nepot. 7	ꝓpatrui ꝓamitæ ꝓnepotes 6	ꝓpatrui proamitæ filij 5	propatruus proamita 4	ꝓ a u u s 3	ꝓ A V I A 3	ꝓauũc. pro ma tertera 4	ꝓauũc. pro ma tertere filij 5	ꝓauũc. pro matert. nepotes 6	ꝓauũc. promatert. ꝓnepot. 7	
	ꝓpatruorum amitarũũe ꝓnepo. 7	ꝓpatruorũ amitarũũe nepot. 6	ꝓpatruorũ amitarũũe filij 5	ꝓpatruelis amitinꝑ 4	ꝓpatrꝑ ꝓamita magna 3	A V V S 2	A V I A 2	auũcul. materterra magna 3	ꝓprius sobrinꝑ ꝓpria sobrina 4	Sobrini Sobrinæ, filij 5	Sobrini Sobrinæ, nepot. 6	Sobrini Sobrin. ꝓnepotes 7
Frtris patrui amitinę nepotes 7	Patrui amitani pronepotes 6	Patrui amitani nepotes 5	Propatrui amitani filij 4	Frater Soror Patruelis amitã. 3	Patruus Amita. 2	P A T E R	M A T E R	Auunculus Materterra 2	Consobrinus Consobrina 3	Consobrini Consobrinæ filij 4	Consobrini Consobrinæ nepot. 5	Consobrini cõsob. Pronepotes 6	Sobrini Sororis Trinepotes 7
						1 filiꝑ 2 nepos 3 ꝓnepos 4 abnepos 5 adnepos 6 trinepos filij 7 trinepotis nepos	1 filia 2 neptis 3 ꝓneptis 4 abneptis 5 adneptis 6 trineptis filiæ 7 trinepotis neptis.					

© Biblioteca Nacional de España

STEMMATA STIRPIS HVMANÆ.

Hæc consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens, vsque ad vltimum gradum substraxerit, & propinquitas esse desierit, eam rursus lex hæc, matrimonij vinculo reperto, & quodam modo reuocat fugientem. Ideo autem vsque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est, vt sicut sex ætatibus mundi generatio, & hominis status finitur: ita propinquitas generis tot gradibus terminaretur.



DE CON-

© Biblioteca Nacional de España

De coniugijs.

VIr sexum significat, nō coniugium, nisi adieceris, vir eius.

Maritus verò etiā sine adiectione coniugem sonat, & à mare maritus, quasi mas. Est enim nomen primę positionis, quod facit in diminutione masculus: in deriuatione maritus.

Sponsus à spondendo vocatus. Nam ante vsum tabellarum matrimonij cautiones sibi invicem emittebant, in quibus spondebant se inuicem consentire in iura matrimonij, & fideiussores dabant. Vnde admissum est vt sponsum dicamus virum, à spondendo & sponsam similiter. Cæterùm propriè spondere, velle est. Ergo sponsus non quia promittit, sed quia spondet & sponsores dat.

Arrabo dicta quasi arra bona. Quod enim datur pro coniugio, bene datur: quia coniugium bonum est. Quod verò causa fornicationis aut adulterij, malū est: idcirco arrabo non est. Dicta autem arra à re pro qua traditur. Est autem arra non solùm sponsio coniugalis, sed etiam pro qualibet promissa re data, vt compleatur.

Proci nuptiarum petitores, à procando, id est, petendo dicti.

Pronuba dicta, eò quòd nubentibus præest: quæq; nubentem viro coniungit. Ipsa est & paranympha. Nam nympha sponsa in nuptijs, & nympha pro lauationis officio, quod ad nomen nubentis alluditur.

Coniuges appellati propter iugum quod imponitur matrimonio coniungendis. Iugo enim nubentes subijci solent, propter futuram concordiam, ne separentur. Coniuges autem verius appellantur à prima desponsationis fide, quamvis adhuc inter eos ignoretur coniugalis concubitus, sicut Maria Ioseph coniunx vocatur, inter quos nec fuerat nec futura erat carnis vlla commixtio.

Nuptæ dictę, quòd vultus suos velent: translatū nomen à nubibus, quibus tegitur cœlum. Vnde & nuptiæ dicuntur, quòd ibi primùm nubentium capita velantur. Obnubere enim cooperire est.

Cuius contraria innuba, hoc est, innupta, quę adhuc vultum suum non velat.

Vxores vocatæ quasi vnxiores. Moris enim erat antiquitus, vt nubentes puellæ simul venirent ad limen mariti, & postes antequam ingrederentur, ornarentur laneis vittis, & oleo vnguerētur. Et inde vxores dictæ, quasi vnxiores: quæ ideo vetabantur limina calcare, quòd illic ianuæ & coeunt & separentur.

Matrona est quæ iam nupsit, & dicta matrona, quasi mater nati, vel quia iam mater fieri potest: vnde & matrimonium dictum. Distinguitur autem inter matronam, matrem & matremfamiliâs. Nam matronæ, quia iam in matrimonium cōvenerunt: matres, quia genuerunt: matresfamiliâs, quia iam per quandam iuris solennitatem in familiam mariti transierunt.

Monogamus dictus, quia vni tantùm nupsit. Μόνος enim apud Græcos vnu indicitur: γάμος nuptiæ interpretantur.

Bigamus autem & trigamus à numero vxorum vocatus, quasi à duabus vel tribus * mulieribus.

Vidua vocata, quòd cum viro * vno fuerit: nec circa consortium alterius viri post mortem coniugis primi adhæserit. Nam quæ alteri post mortē prioris viri nupserint, viduæ non dicuntur. Item vidua dicta, quòd sola sit, nec circa consortium alterius viri coniugalia iura custodiat.

Fratris vxor fratrissa vocatur.

Mariti frater leuir dicitur.

Duorum inter se fratrum vxores ianitrices vocantur: quasi eandem ianuam terētes vel per eandem ianuam iter habentes.

Viri soror glos appellatur.

Sororis vir speciale nomen non habet: nec vxoris frater.

Matrimonium est nobilium iusta conventio & conditio.

Coniugium est legitimarum personarum inter se coeundi & copulādi nuptiæ. Coniugium est dictum, quia coniuncti sunt: vel à iugo quo in nuptijs copulantur, ne resolui aut separari possint.

Connubium autē non à nupta, sed à nubendo formatum: dicitur autem connubium cūm equales in nuptias coeunt, vtputa ciues Romani: pari vtiq; dignitate. Connubium autem non est, cùm ciuis Romanus cum Latina iungitur. Quoties autem connubium nō est, filij patrem non sequuntur.

Hymenæus dicitur à quodam Hymeneo, qui prius prosperè vsus est nuptijs, vel ἀπὸ τοῦ ὑμένος, quæ membranæ virginitatis est clausstrum.

Contubernium est ad tempus coeundi conuentio: vnde & tabernaculum quod modò huc, modò illuc præfigitur.

Repudium est quod sub testimonio testium vel præsenti vel absenti mittitur.

Diuortium est quotiescunq; dissoluto matrimonio, alter eorum alteras nuptias sequitur. Diuortium autem dictū à flexu viarū, hoc est, via in diuersa tendens.

Fribolum est cū eo animo separantur: vt rursum ad se inuicem reuertantur. Nam fribolum est velut quassæ mentis & effluxæ nec stabilis. Propriè autem fribola vocantur fictilia vasa inutilia.

Tres autem ob causas ducitur vxor: prima est causa prolis, de qua legitur in Genesi, *Et benedixit eos*, dicens: *Crescite & multiplicamini*: secunda causa adiutorij, de qua ibi in Genesi dicitur, *Non est bonū esse hominem solū: faciamus ei adiutorium simile*: tertia, causa incontinentiæ. Vnde dicit Apostolus, vt *Qui se non continet, nubat.*

In eligendo marito quatuor spectari solent, Virtus, genus, pulchritudo, sapientia. Ex his sapientia potentior est ad amoris effectum. Refert hæc quatuor Virgilius de Ænea, quòd his Dido impulsa est in amorem eius.

* V. C. quasi duabus vel tribus mariti.

* secūdo nō

© Biblioteca Nacional de España

Pulchritudine, *Quem sese ore ferens* —.
Virtute, — *Quàm forti pectore & armis.*
Oratione, — *Heu quibus ille*
Iactatus fatis, quæ bella exhausta canebat.
Genere,
Credo equidem, nec vana fides, genus esse deorum.

Item in eligenda vxore: quatuor res impellunt hominem ad amorem: pulchritudo, genus, diuitiæ, mores. Melius tamen est si in ea mores quęrantur, quàm pulchritudo. Nunc autem illæ quæruntur, quas aut diuitię aut forma, non quas probitas morum commendat.

Ideo autem fœminę sub viri potestate consistũt, quia leuitate animi plerunq; decipiuntur. Vnde & æquum erat eas viri auctoritate reprimi. Proinde & veteres voluerunt fœminas innuptas quamvis perfectæ ætatis essent, propter ipsam animi leuitatem, in tutela consistere.

ISIDORI HISPALENSIS
EPISCOPI, ORIGINVM
SIVE ETYMOLOGIARVM
LIBER X.

De quibusdam vocabulis nominum per alphabetum distinctis.

ORIGO QVORVNdam nominum, id est, vnde veniant, non penè omnibus patet. Proinde quædam noscendi gratia operi interiecimus. Licet origo nominũ vnde veniat à philosophis eam teneat rationem, vt per denominationem homo ab humanitate, sapiens à sapientia nominetur, quia prius sapientia, deinde sapiens: tamen claret alia specialis in origine quorundam nominũ causa: sicut homo ab humo, vnde propriè est appellatus. Ex quibus exempli gratia quædam in hoc opere posuimus.

A

Heros vir fortis & sapiens.

Auctor ab augendo dictus. Auctorem etiam fœmineo genere dici nou posse existimãt. Nam quædam sunt, quę in fœminino flecti non possunt, vt cursor.

Actor ab agendo.

Alumnus ab alendo vocatus: licet & qui alit, & qui alitur, alumnus dici potest, id est, & qui nutrit, & qui nutritur: sed melius tamen qui * nutritur. * nutrit

Amicus per deriuationem, quasi animi custos. dictus autem propriè amicus ab amo, id est, catena charitatis: vnde & ami quòd teneãt.

Amator turpitudinis, quia amore torquentur libidinis.

Amabilis autem, quòd sit amore dignus.

Amasius, eò quòd sit pronus ad amorem.

Astutus ab astu vocatus, qui est callidi & eauti nominis, qui possit sine periculo fortiter aliquid facere.

Argutus, quia argumentum citò inuenit in loquendo.

Acer in vnamquamque formam vegetus ac nimius.

Alacer à velocitate & cursu, quasi diceret aliger.

Armiger, quòd arma gerat.

Alacris, lętus: alacriter gestiens & nullius rei nouitate turbatus.

Agilis ab agendo aliquid celeriter: sicut docilis.

Æmulus eiusdem rei studiosus, quasi imitator & amabilis. Aliàs inimicus inuenitur.

Æquus est secũdum naturam iustus dictus, ab æqualitate: hoc est ab eo quòd sit æqualis: vnde & æquitas appellata, ab æqualitate quadam scilicet.

Æquæuus ab eo quòd sit alteri æqualis ęuo, id est, coætaneus.

Arrogans, eò quòd multum rogetur, & ille multum fastidiosus sit.

Audax propriè pro arrogante ponitur.

Animosus, eò quòd sit animis & viribus plenus.

Animatus, quasi animo auctus, & quási animo firmatus.

* Ælatus pro eo quòd seipsum super mensuram suam eleuet: dum magnus sibi videtur de his quæ agit. * potius referendũ est ad literam elatus.

Attollens, quòd se eleuet & erigat.

Ambitiosus, quòd honores ambiat.

Auidus dictus ab auendo: avere enim cupere est. Hinc & auarus. * Nam quidam auarum esse dixerunt, progredi vltra quàm sufficit. * Nam quid est auarus esse?

Auarus ex eo dictus, quòd sit auidus auri, & nunquam opibus expleatur: & quantum plus habuerit, tantum plus cupiat: Flacci super hoc concordante sententia: qui ait,

Semper auarus eget —.

& Salustius, *Quòd neque auaritia copia, neque inopia minuatur.*

Amarus à sapore translatum nomen habet. Est enim insuauis, nec nouit quenquam ad consortium suum aliqua invitare dulcedine.

Adulter violator maritalis pudoris, eò quòd alterius torum polluit.

Anceps

© Biblioteca Nacional de España

Anceps huc illucque fluctuans ac dubius istud aut illud capiat, & in qua parte declinet anxius.

Atrox, quòd sit tetris moribus.

Abstemius à temeto, id est, vino, quasi abstinens à vino.

Ablactatus, quòd sit à lacte ablatus.

Æger, quòd agatur infirmitate, vel tristitia ad tempus.

Ægrotus, quòd sit æger frequentius, sicut iratus & iracundus.

Ærumnosus à rumine dictus, quòd per inopiam miser factus esuriat & sitiat.

Auspex, eò quòd auium auspicia intendat, sicut auceps, quòd aues capiat.

Astrosus ab astro dictus, quasi malo sidere natus.

* potius legendum Enormis.

* Ænormis, eò quòd normam & mensuram excedat.

Abactor est fur iumentorum & pecorum, quem vulgò abigeum vocant, ab abigendo scil.

Atratus & albatus ille à veste nigra: iste ab alba.

Aduena, eò quòd aliunde adueniat.

Alienigena qui ex alia gente genitus est: & non ex ea vbi est. Item alienigena, quòd alienæ regionis sit, & non eius vbi est.

Accola, eò quòd adueniens terram colat.

Agricola à colendo agro, sicut syluicola.

Assecla, eò quòd sequatur aliquē lucri causa.

Assiduus dicebatur apud antiquos, qui assibus ad erarium expensum conferendis præerat, & in negocijs quoq; publicis frequens: vnde & per s, non per d scribendum est.

Apparitor nominatus, quòd appareat & videatur: & præsto sit ad obsequium.

Attentus, vt aliquid audiens teneat.

Attonitus, veluti furore quodam instinctus atque stupefactus: dictus attonitus à tonitrui strepitu: quasi tonitruo stupefactus & vicino fulgore, aut à tactu proximus.

Allectus, quòd sit palàm electus.

Abactus, quòd sit ab actu remotus.

Abortiuus, eò quòd non oriatur, sed aboriatur & excidat.

Adoptiuus, quia est palàm adoptatus in filiū.

Ambo ab eo quod est ἄμφω, nomen de Græco Latinum factum, litera tertia demutata.

Alius de multis dicitur: alter verò de duobus dicitur.

Æquimanus appellatus, qui vtraque manu gladio incunctanter vtatur.

B

Beatus dictus quasi bene auctus, scilicet ab habēdo quod velit, & nihil patiendo quod nolit. Ille autem verè beatus est: qui & habet omnia quæ vult bona, & nihil vult mali. Ex his enim duobus beatus homo efficitur.

Bonus à venustate corporis creditur dictus: postea & ad animum translatū nomen est. Eum autem dicimus bonum, cui non prævalet malum: eumq; optimum, qui peccat minimum.

Benignus est vir spontè ad benefaciendum paratus & dulcis alloquio. Non autem multum distat benignus à bono, quia & ipse ad benefaciendū videtur expositus. Sed in eo differt, quia potest bonus esse & tristior, & bene quidē facere & præstare quod poscitur, nō tamen suauis esse nouit consortio. Benignus autem sua cunctos nouit inuitare dulcedine.

Beneficus à benefaciendo alteri dictus. vnde & beneficentia vocatur, quæ proximo prodest.

Beniuolus, quia bene vult. Non tamen dicimus beneuolus sicut nec maleuolus. Sæpe enim ex duabus partibus compositū nomen, aut priorem aut sequentē literam corrumpit. Nam beneuolentia absurdum sonat.

Blandus, dulcis & inuitās ad familiaritatē suī.

Brutus quasi obrutus, quia sensu caret. Est enim sine ratione, sine prudētia. Vnde & ille Iunius Brutus ex sorore Tarquinij Superbi genitus, cùm eundem casum timeret quē frater inciderat, qui ob diuitias & prudentiam ab auunculo fuerat occisus, vtilem temporis simulauit stultitiam. Vnde etiam Brutus est cognominatus, dum vocaretur Iunius.

Balbus à balando potius quàm loquēdo dictus. Verba enim non explicat. Inde & blesus, quia verba frangit.

Bucco garrulus, quòd cæteros oris loquacitate, non sensu exsuperet.

Biliosus, quòd semper sit tristis, ab humore nigro, qui bilis vocatur.

Baburrus stultus, ineptus.

Biothanatus, quòd est bis mortuus. θάνατος enim Græco sermone mors dicitur.

C

Clarus à cœlo, quòd splendeat. Vnde & clara dies, pro splendore cœli.

Celsus à cœlo dictus, quòd sit sublimis & altus, quasi cœlestis.

Castus primùm à castratione nuncupatus: postea placuit veteribus etiam eos sic nominari, qui perpetuam libidinis abstinentiam pollicebantur.

Cœles dictus, quia iter sibi facit ad cœlum.

Cœlebs, connubij expers, qualia sunt nomina in cœlo, quę absque coniugibus sunt. Et cœlebs dicitur, quasi cœlo beatus.

Cœlicola, eò quòd cœlum colat: est enim angelus.

Continens nō solūm in castitate dicitur, sed & in cibo & potu: in ira quoque & vexatione mentis & detrahendi libidine. Et continens dicitur, quòd se à multis malè abstineat.

Clemens, misericors ab eo quòd eluat, id est, protegat & tueatur: sicut solet patronus clientē.

Concors à coniunctione cordis appellatus. Nam sicut consors dicitur, qui sortem iungit: ita ille concors dicitur, qui corde iungitur.

Concionator multitudinis allocutor.

Consolator, vnius allocutor. Et inde dictus cōsolator, quòd soli se applicat cui loquitur & solitudinem leuat alloquio suo. Hinc & solatiū

© Biblioteca Nacional de España

Consultus est qui consulitur, cui contrarius est inconsultus, qui non accipit consilium.

Constans dictus, quod vndique stat: nec in aliquam partem declinari potest.

Confidens quod sit in cunctis fiducia plenus. Vnde & Cicilius: *Si confidentiam habes, confide omnia.*

Cautus à cauendo dictus.

Callidus fraudulentus, quia celare nouit, & malè peritus.

Callidum autem veteres non pro astuto tantùm, sed etiam pro astutè docto ponebant. Hunc & versutum, ab eo quòd animum citò vertat.

Cupidus à cupiendo multum, id est, accipiendo vocatus.

Clamosus quasi calamosus à calamo, scilicet quòd sonet.

Calumniator falsi criminis accusator, à caluendo, id est, frustrando & decipiendo dictus.

Calculator à calculis, id est, lapillis minutis, quos antiqui in manu tenentes numeros componebant.

Compilator qui aliena dicta suis permiscet: sicut solet pigmẽtarij in pila diuersa mixta contundere. Hoc scelere quondã accusabatur Mantuanus ille vates, cùm quosdam versus Homeri transferens suis permiscuit: & cùm compilator veterum ab æmulis diceretur, ille respondit: *Magnarum esse virium clauam Herculi extorquere de manu.*

Contumax ab eo quod contemnat.

Chromaticus, quia non confunditur, nec colorem mutat. Græcè enim χρῶμα color vocatur.

Contumeliosus, quia velox est & tumet in verbis iniuriæ.

Contentiosus ab intentione vocatus, qui non ratione aliqua, sed sola pertinacia vindicat.

Contemptibilis, vel quia contemptui habilis, vel quia contemptus & vilis, id est, sine honore.

Crudelis, hoc est, crudus, quem Græci ὤμον appellant per translationem, quasi non coctus nec esui habilis. Est enim asper & durus.

Carnifex quod carnem afficiat.

Cruciarius, eò quòd sit cruce dignus.

Collega à colligatione societatis & complexu amicitiæ dictus.

Coætaneus quasi compar ætatis.

Complex, qui vno peccato vel crimine alteri est applicatus ad malum: ad locum verò nunquam complicem dicimus.

Consors, eò quòd ad eum pars pertinet bonorum. Nam sortem veteres pro parte ponebant. Consors ergo quòd sit communis sorte, sicut dissors dissimilis sorte.

Celer appellatus à celeritate, quia quod vsus exigit velocius facit.

Confinialis ab eo quòd sit genere vel loco affinis.

Colonus à colonia, vel ab agro colendo dictus.

Curator quòd curam ferat pueris, qui adhuc eius ætatis sunt, vt negocia sua satis administrare non possint.

Cognitor à cognoscendo causam dictus.

Clientes prius colentes dicebantur, à colendis patronis.

Captus, captiuus dicitur quasi capite diminutus ingenuitatis: fortuna enim ab eo excidit: vnde & à viris peritis capite diminutus dicitur.

Columis à columna vocatus, eò quòd erectus & firmissimus sit.

Comptus à coma dictus, quòd sit formosus capillis, vel quia comam nutrit.

Calamistratus à calamistro, id est, acu ferreo in calami similitudine facto, in quo crines obtorquẽtur, vt crispi sint: quem in cinere calefacere solent qui capillos crispant, vt calamistrati sunt.

Corpulẽtus quòd sit corpore validus & lentis carnibus.

Crassus à sagina corporis à creando carnes.

Comesor à comedendo satis. Est enim gulæ ac ventri immoderatè deditus.

Caupo pessimus de vino aquam faciens.

Candidus, canus dictus à candore, & candidus quasi candor datus. Studio enim accedit candor. Nam album vocari, naturæ est.

Clodus, curvus, crispus.

Cęcus appellatus quòd careat visu. Est enim luminibus amissis. Cæcus est qui vtroque oculo non videt.

Caducus à cadendo dictus, id est, lunaticus, eò quòd certo lunæ tempore patiatur.

Confusus à * confessione sceleris appellatus. Inde & confusio. * confusiu

Convulsus dicitur, cui sua, vi aliqua adimuntur. Vnde & convulsa nauis, cuius eminentia vi tempestatis adimitur: vnde & Virgilius: *Vix septem convulsæ vndis*, quasi mutilatæ.

Consumptus totus sumptus & deuoratus.

Conciliatrix ob societatem flagitiosæ consensionis dicta, eò quòd intercurrat, alienumq; nundinet corpus. Hanc etiam & lænonem vocant.

Circumforanus, qui aduocationum causa circum fora & conuentus vagatur.

* Colligatus. * Collegiu

Carpentarius.

D

Dominus per deriuationẽ dictus, quòd domui præsit, & cunctæ familiæ dominetur.

Disertus, doctus à disserendo dictus: dispositæ enim disserit.

Doctus à docendo, inde & doctor.

Docilis non quòd sit doctus, sed quia doceri potest: est enim ingeniosus, & ad discendum aptus.

Discipulus à disciplina dictus: disciplina autem à discendo vocatur.

Dispensator vocatur, cui creditur administratio pecuniarum. Et ideo dispensator, quia prius

© Biblioteca Nacional de España

prius qui dabant pecuniam, non numerabant eam, sed appendebant.

Diues ab ære vocatus, vel diu vescens.

Decorus, perfectus, à decem dicitur.

Decens, cõpositus, à numero decem dictus. Hinc & decorus & decibilis.

Directus, eò quòd in rectum vadit.

Dilectus à diligentia. Hæc sunt enim signa diligendi.

Delibutus, de oleo vnctus, vt athletæ solent, vel in * cereumate pueri. Hinc & delibutũ gaudio, id est, perfusum vel plenum.

* certamine

Delicatus, quòd sit delitijs pastus: viuens in epulis & nitore corporis.

Defessus, semper infirmus, quasi diu fessus.

Debilis, quòd per bilem factus sit fragilis. Bilis enim humor est afficiens corpus.

Decolor, quòd desit illi color.

Desperatus vulgò vocatur malus ac perditus, nec iam vllius prosperę spei. Dicitur autem per similitudinem ægrorũ, qui affecti & sine spe deponuntur. Consuetudo autem erat apud veteres, vt desperati ante ianuas suas collocarentur, vel vt extremum spiritum redderent terræ, vel vt possent à transeuntibus fortè curari, qui aliquando simili laborauerant morbo.

Degener aut ignobilis, aut quòd sit impari genere, aut si dum sit optimo genere natus, inhonestè tamen viuit.

Decrepitus, quòd morti sit propior, & quasi ad mortis tenebras * crepat: sicut crepusculum tempus noctis. Alij dicunt decrepitum, nõ qui senectute avulsus est, sed qui iam crepare desierit, id est, loqui cessauerit.

* vertat

Depreciatus ab eo quòd sit vilis, nec aliquo precio dignus.

Dirus prępargus & teter, quasi diuina ira * in id actus. Nam dirum dicitur, quòd diuina refertur ira. Aliàs dirus, magnus.

* inductus

Dehiscens valde hiscens. Hic enim De augentis est, vt deamare, desiderare.

Despiciens, eò quòd deorsum aspiciat, vel contemptui habeat.

Dolosus, insidiosus vel malignus, ab eo quòd deludat. Vt enim decipiat, occultam malitiam blandis sermonibus ornat.

Dubius, incertus, quasi duarum viarum.

Delator dictus, eò quòd detegat quod latebat.

Dilator, quia differt ad proferendum.

Desidiosus, tardus piger à desidendo vocatus, id est, valde sedendo. Idem & residens à residendo: de, enim hic augentis est.

Delirus mente defectus per ætatem ἀπὸ τοῦ ληραῖν, vel quòd à recto ordine & quasi à lira aberret. Lira enim est arationis genus, cùm agricolę facta semente dirigunt sulcos, in quos omnis seges decurrit.

Demens idem qui amens, id est, sine mente, vel quòd diminutionem habeat mentis.

Desipiens, eò quòd minus sapere incipit, quã solebat.

Damnatus & damnabilis: quorum prior iam addictus est, sequens potest addici.

Degulator, quòd gulæ sit deditus.

E

ELoquens, profusus eloquio.

Exertus in loquendo expeditus. Exerere enim proferre vel expedire est.

Eruditus, quia non rudis, sed iam doctus.

Expertus, multum peritus: Ex, enim hic pro valde ponitur.

Expers verò, qui est extra peritiam & intellectum.

Exornatus, valde ornatus: Ex, enim prò valde ponitur: sicut excelsus, quasi valde celsus.

Eximius, quasi valde eminens.

Efficax dictus, quia nullam difficultatem habet in qualibet re facienda. Hinc & efficiens à faciendo dictus.

Exspes, quòd sine spe.

Expers, quia extra partem: caruit enim parte.

Exsors, quia extra sortem est.

Exsul, quia extra solum situm est: quia trans solum missus: aut extra solum vagus. Nam exulare dicuntur qui extra solum eunt.

Extorris, quia extra terrã suam est, quasi ex terris. Sed propriè extorris, cum vi expulsus sit: & cum terrore solo patrio eiectus: & extorris, ex terra sua pulsus.

Exterris, extra terram: aut extra terminos suos, quia exterretur.

Exterminator non ille, qui vulgò dicitur ἐξόριστος, sed qui deijcit & expellit à terminis civitatis.

Exterminatus, ab eò quòd sit extra terminos suos eiectus. Sic & externus, eò quòd sit alienæ terræ.

Egens & egenus, sine gente & sine genere, indigens.

Exiguus multum egens. Ex enim pro valde ponitur.

Exilis, tenuis, quòd possit quãvis per angustum exire.

Exesus, quasi percomesus. Est enim aridus, tenuis & exilis.

Exhaustus, quia consumptus est & inanis effectus.

Exanguis, quòd sit extra sanguinem.

Exanimis est mortuus. Exanimis autem & exanimus dicimus, sicut vnanimus & vnanimis: inermus, inermis: & hoc nostro arbitrio subiacet.

Exustus dicitur, de quo nihil superest, quasi valde vstus. Ex enim pro valde ponitur.

Exosus ab odio dictus. Nam antiqui & odi dicebant & osus sum. Hinc est exosus, quo vtimur, licet iam osus non dicamus.

Effractor, quòd sit expugnator claustrorum.

Exitiosus, eò quòd multis exitio sit.

Executor, ab exequendo. Idem & exactor.

Efferatus, mente ferina effectus, & vltra humanum modum excedens.

© Biblioteca Nacional de España

Effrenatus, ab eo quòd sit præceps & pronus, & sine freno rationis.

Eunuchus Græcum nomen est, quod est spado. Horum quidam coeunt, sed tamen virtus in semine nulla est. Liquorem enim habent & emittunt, sed ad gignendum inanem atque invalidum.

Effœta, quòd sit frequenti fœtu exhausta. Partus enim eam assiduus debilem reddit.

F

FAcundus dictus, quia facilè fari possit.

Facetus, qui iocos & lusus gestis & factis commendat, à faciendo dictus.

Frugalis à fruge nominatus, id est, à fructu vel parsimonia, siue vt alij volunt, à modestiæ temperantia.

Fœnerator qui pecuniã deponit apud debitorem, quasi fœnoris actor: nam fœnus pecunia est. Fœnerator autem Latinè dicitur, & qui dat mutuum, & qui accipit.

Flamines, pontifices idolorum.

Felix dicitur, quæ felicitatem dat: felix qui accipit, & felix, per quem datur felicitas: vt felix tempus, felix locus.

Fidelis, pro eo quòd fit ab eo id quod dicit, vel promittit bonum.

Facilis à faciendo, nec tardus.

Firmus, vnde & formosus.

Fortis, quia fert aduersa, vel quęcũq; acciderint: siue à ferro, quòd sit durus, nec molliatur.

Formosus à forma dictus. Formum enim veteres calidum & fervens dixerunt. Fervor enim sanguinem movet: sanguis pulchritudinẽ.

Fœdus nomẽ habet ab hirco & hœdo, f litera addita. Hunc veteres in gravi significatione ponebant: vt,

Sanguine fœdantem quos ipse sacrauerat ignes.

Fragilis dictus, eò quòd facilè frangi possit.

Fessus, quasi fissus: nec iam integer salute: est autem generale. Dicimus enim fessus animo, vt Terentius: *Fessus valde resedit*: & fessus corpore, quod magis est proprium, & fessus rerum à casu venientium.

Fatigatus, quasi fatis agitatus.

Formidolosus à formo, id est, sanguine dictus, cùm se à cute vel à præcordio fugiens contrahit sanguis. Nam timor sanguinẽ gelat, qui coactus gignit formidinem: vnde est illud,

— Geliduscq; coit formidine sanguis.

Formidolosus autẽ cùm sit timidus, & timendum significat.

Fatuus ideo existimatur dictus, quia neque quod fatur ipse, neq; quod alij dicunt intelligit. Fatuos originem ducere quidam putant à miratoribus Fatuæ Fauni vxoris fatidicæ, eosque primùm Fatuos appellatos, quod præter modũ obstupefacti sunt vaticinijs illius vsque ad amentiam.

Fautor ab eo quòd faueat & consentiat.

Fictor appellatus à fingendo & componendo aliquid, sicut qui capillos mulierum linit & pertractat, vnguit & nitidat.

Fallax quod fando, id est, loquendo decipiat.

Feruidus, iracundus. Ira enim inflammat.

Frendens, quòd minando frangat dentes & comprimat, fremens.

Ferox, ab eo quòd feritatẽ exerceat, vt bestia.

Fur à furendo vel furvo dictus est, id est, à fusco. Nam nocturno vtitur tempore.

Factiosum inter opprobria cùm seditiosum accipi volumus: cùm verò gratiosum ac potentem & quasi magnæ factionis.

Facinorosus à facti commisso nominatus: facit enim quòd alteri noceat.

Flagitiosus, eò quòd frequentius flagitet atq; appetat libidinem.

Furcifer dicebatur olim, qui ob leve delictũ cogebatur * à dominis, ignominię magis quàm supplicij causa, furcam circa viam ferre, prædicans peccatum suum, & monere cæteros ne quid simile peccarent. *al. ad nominis ignominiam*

Futilis, vanus, superfluus, loquax. Et est metaphora à vasis fictilibus, quæ cassa & rimosa non tenent ea, quæ inieceris.

Fornicarius, & Fornicatrix est, cuius corpus publicum & vulgare est. Hæc sub arcuatis proprosternebatur, quæ loca fornices dicuntur: vnde & fornicariæ. Virgilius:

Atque aduerso fornice.

Fœcunda à fœtu dicta, quasi * fœtu abunda. Est enim partu frequens. *al. fœtunda*

Fœta, pregnans.

Flens, quasi lachrymis fluens.

Fugitiuus nemo rectè dicitur, nisi qui dominum fugit. Nam si parvulus puer à nutrice vel à scholis discesserit fugitivus non est.

G

GLoriosus à frequẽtia claritatis dictus, pro c g litera commutata. Gloriosus à laurea dictus, quæ datur victoribus.

Gnarus, sciens, cui contrarius est ignarus, nesciens.

Grauis, venerabilis. Vnde & contemptibiles leues dicimus. Grauis pro consilio & constantia dictus, quia non leui motu dissilit, sed fida constantiæ grauitate consistit.

Grandæuus, quòd sit grandis æuo.

Gratus, gratiam seruans. Sed gratus tantũ animo: gratissimus & animo & corpore dicitur.

Gratificus, ab eo quòd gratis faciat bonum.

Gratiosus, quòd plus vnicuiq; quàm meretur, tribuit.

Garrulus propriè dicitur, qui vulgò verbosus appellatus accedente lætitia nec valens, nec volens tacere: sumptum nomen à graculis auibus, qui importuna loquacitate semper strepunt, nec vnquam quiescunt.

Ganeo luxuriosus & tanquã in occultis locis & subterraneis, quæ ganea Græci vocant.

Glutto à gula, id est, gulosus.

H

HVmilis, quasi humo accliuis.

Honorabilis, quasi honore habilis, hoc est, aptus.

Ho-

© Biblioteca Nacional de España

Effrenatus, ab eo quòd sit præceps & pronus, & sine freno rationis.

Eunuchus Græcum nomen est, quod est spado. Horum quidam coeunt, sed tamen virtus in semine nulla est. Liquorem enim habent & emittunt, sed ad gignendum inanem atque invalidum.

Effœta, quòd sit frequenti fœtu exhausta. Partus enim eam assiduus debilem reddit.

F

FAcundus dictus, quia facilè fari possit.

Facetus, qui iocos & lusus gestis & factis commendat, à faciendo dictus.

Frugalis à fruge nominatus, id est, à fructu vel parsimonia, siue vt alij volunt, à modestiæ temperantia.

Fœnerator qui pecuniã deponit apud debitorem, quasi fœnoris actor: nam fœnus pecunia est. Fœnerator autem Latinè dicitur, & qui dat mutuum, & qui accipit.

Flamines, pontifices idolorum.

Felix dicitur, quæ felicitatem dat: felix qui accipit, & felix, per quem datur felicitas: vt felix tempus, felix locus.

Fidelis, pro eo quòd fit ab eo id quod dicit, vel promittit bonum.

Facilis à faciendo, nec tardus.

Firmus, vnde & formosus.

Fortis, quia fert aduersa, vel quęcũq; acciderint: siue à ferro, quòd sit durus, nec molliatur.

Formosus à forma dictus. Formum enim veteres calidum & fervens dixerunt. Fervor enim sanguinem movet: sanguis pulchritudinẽ.

Fœdus nomẽ habet ab hirco & hœdo, f litera addita. Hunc veteres in gravi significatione ponebant: vt,

Sanguine fœdantem quos ipse sacrauerat ignes.

Fragilis dictus, eò quòd facilè frangi possit.

Fessus, quasi fissus: nec iam integer salute: est autem generale. Dicimus enim fessus animo, vt Terentius: *Fessus valde resedit*: & fessus corpore, quod magis est proprium, & fessus rerum à casu venientium.

Fatigatus, quasi fatis agitatus.

Formidolosus à formo, id est, sanguine dictus, cùm se à cute vel à præcordio fugiens contrahit sanguis. Nam timor sanguinẽ gelat, qui coactus gignit formidinem: vnde est illud,

— Geliduscq; coit formidine sanguis.

Formidolosus autẽ cùm sit timidus, & timendum significat.

Fatuus ideo existimatur dictus, quia neque quod fatur ipse, neq; quod alij dicunt intelligit. Fatuos originem ducere quidam putant à miratoribus Fatuæ Fauni vxoris fatidicæ, eosque primùm Fatuos appellatos, quod præter modũ obstupefacti sunt vaticinijs illius vsque ad amentiam.

Fautor ab eo quòd faueat & consentiat.

Fictor appellatus à fingendo & componendo aliquid, sicut qui capillos mulierum linit & pertractat, vnguit & nitidat.

Fallax quod fando, id est, loquendo decipiat.

Feruidus, iracundus. Ira enim inflammat.

Frendens, quòd minando frangat dentes & comprimat, fremens.

Ferox, ab eo quòd feritatẽ exerceat, vt bestia.

Fur à furendo vel furvo dictus est, id est, à fusco. Nam nocturno vtitur tempore.

Factiosum inter opprobria cùm seditiosum accipi volumus: cùm verò gratiosum ac potentem & quasi magnæ factionis.

Facinorosus à facti commisso nominatus: facit enim quòd alteri noceat.

Flagitiosus, eò quòd frequentius flagitet atq; appetat libidinem.

Furcifer dicebatur olim, qui ob leve delictũ cogebatur * à dominis, ignominię magis quàm supplicij causa, furcam circa viam ferre, prædicans peccatum suum, & monere cæteros ne quid simile peccarent. *al. ad nominis ignominiam*

Futilis, vanus, superfluus, loquax. Et est metaphora à vasis fictilibus, quæ cassa & rimosa non tenent ea, quæ inieceris.

Fornicarius, & Fornicatrix est, cuius corpus publicum & vulgare est. Hæc sub arcuatis proprosternebatur, quæ loca fornices dicuntur: vnde & fornicariæ. Virgilius:

Atque aduerso fornice.

Fœcunda à fœtu dicta, quasi * fœtu abunda. Est enim partu frequens. *al. fœtunda*

Fœta, pregnans.

Flens, quasi lachrymis fluens.

Fugitiuus nemo rectè dicitur, nisi qui dominum fugit. Nam si parvulus puer à nutrice vel à scholis discesserit fugitivus non est.

G

GLoriosus à frequẽtia claritatis dictus, pro c g litera commutata. Gloriosus à laurea dictus, quæ datur victoribus.

Gnarus, sciens, cui contrarius est ignarus, nesciens.

Grauis, venerabilis. Vnde & contemptibiles leues dicimus. Grauis pro consilio & constantia dictus, quia non leui motu dissilit, sed fida constantiæ grauitate consistit.

Grandæuus, quòd sit grandis æuo.

Gratus, gratiam seruans. Sed gratus tantũ animo: gratissimus & animo & corpore dicitur.

Gratificus, ab eo quòd gratis faciat bonum.

Gratiosus, quòd plus vnicuiq; quàm meretur, tribuit.

Garrulus propriè dicitur, qui vulgò verbosus appellatus accedente lætitia nec valens, nec volens tacere: sumptum nomen à graculis auibus, qui importuna loquacitate semper strepunt, nec vnquam quiescunt.

Ganeo luxuriosus & tanquã in occultis locis & subterraneis, quæ ganea Græci vocant.

Glutto à gula, id est, gulosus.

H

HVmilis, quasi humo accliuis.

Honorabilis, quasi honore habilis, hoc est, aptus.

Ho-

© Biblioteca Nacional de España

Honestus, quòd nihil habeat turpitudinis. Nam quid honestas, nisi honor perpetuus, id est, quasi honoris status?

Humanus, quòd habeat circa homines amorem & miserationis affectum. Vnde humanitas dicta, qua nos invicem tuemur.

Habilis, quòd sit ad habendum commodus atque aptus.

Honorosus plus est quàm honoratus sicut sceleròsus plus est quàm sceleratus.

Hirsutus ab eo quòd sit hirtus & pilis horridus.

Hypocrita è Græco sermone, in Latinum simulator interpretatur. Qui dum intus malus sit, bonum se palàm ostendit. ὑπὸ enim falsum: κρίσις iudicium interpretatur. Nomen autē Hypocritæ tractum est à specie eorū, qui in spectaculis contecta facie incedunt: distinguētes vultum ceruleo minioq; colore & cęteris pigmentis, habentes simulacrum oris lintea, gipsata & vario colore distincta nonnunquā, & collum & manus creta perunguentes, vt ad personę colorem peruenirent, & populum dum in ludis agerent, fallerent, modò in specie viri, modò in fœminę, modò tonsi, modò criniti anili & virginali cæteraq; specie ætate sexūq; diuerso, vt fallant populum dum in ludis agunt. Quæ species * argumēti translata est, in ijs qui falso vultu incedunt, & simulant quod non sunt. Nam hypocritæ dici non possunt, ex quo foras exierint.

* ab argumentis

Humatus, quòd sit humo tectus. i. sepultus.

I

INgeniosus dictus, quòd intus vim habeat gignendi quamlibet artem.

Invētor dictus, quòd in ea quæ quęrit, venit. Vnde & ipsa quę appellatur inventio, si verbi originē retractemus, quid aliud resonat, nisi quia invenire est in id venire quod quæritur?

Interpres, quòd inter partes medius sit duarum linguarū dum transfert. Sed & qui inter Deum quē interpretatur, & homines, quibus diuina indicat mysteria, interpres vocatur.

Iuridicus, quia Legum iura dicit.

Indolis propriè est imago quædam futuræ virtutis.

Iustus dictus, quia iura custodit & secūdum legem viuit.

Innox, quòd non noceat.

Innocuus, cui nocivum non sit, sed apud veteres vtrunque indifferens est.

Hilaris Gręcum est nomen.

Iocundus, eò quòd sit semper iocis aptus & hilaritate ac frequentia, sicut iracundus.

Iocosus, iocis vsus.

Inclytus Græcū nomen est. Nam κλυτὸν Gręci gloriosum vocant.

Illustris nomen notitiæ est, quòd clareat multis splendore generis vel sapientiæ vel virtutis, cui contrarius est obscurè natus.

Incolumis à columna nomen habet, quasi erectus, fortis & stabilis.

Immarcessibilis, incorruptus & sempiternus, quòd sit sine maceratione & languore.

Intemeratus, incorruptus & nulla temeritate violatus.

Infirmus, quia sine forma.

Imbecillis, quasi sine baculo fragilis & inconstans.

Inanis, leuis.

Inconstans, quia non est stabilis, & quod placet ei, rursus displicet.

Iactans vel arrogans est, qui maiorum institutis nō acquiescit: sed propriam quandā viam iustitię & sanctitatis inquirit.

Iracundus dictus, qui accenso sanguine in furorem compellitur. ἀδὴ enim flamma dicitur, & ira inflammat.

Incētor, ab eo quòd incēdat atq; inflammet. Incentor, quia praua suggestione ad vitia cor aliorum succendit, & persuadendo inflammat.

Inexpiabilis, quòd nunquam expietur, nunquam purgetur.

Inlaudabilis, non quia laudatus non sit, sed quia laudari non meruit.

Iratus, ira actus.

Impius, quia sine pietate religionis est.

Iniquus propriè dictus, quia non est æquus, sed inæqualis. Inter impium autem & iniquum hoc distare nonnunquam solet, quia omnis impius iniquus, non tamen omnis iniquus est impius. Impius nānq; pro infideli ponitur: & dictus impius, quòd sit à pietate religionis alienus. Iniquus verò dicitur pro eo quod non est æquus, sed prauis operibus maculatur, ne Christianitatis nomine censeatur.

Inimicus, quia non est amicus, sed aduersarius. Duæ autem res inimicos faciunt: fraus & terror. Terror quod timent. Fraudis malū, quod passi sunt.

Inuidus dictus ab inuidēdo felicitati alterius.

Inuidiosus est, qui ab alio patitur inuidiam.

Inuisus, odiosus, ab inuidia & zelo dictus.

Intestābilis, cuius testimonium non valet, & quod dixerit, irritum improbatumq; sit.

Infamis, non bonæ famæ.

Improbus dictus, quòd instat etiā prohibēti.

Importunus, inquietus: quia non habet portum, id est, quietem. Vnde & importuni, quasi in naufragium citò ferūntur.

Infrenis est, qui frenis non regitur, vt Numidæ infreni.

Infrendens propriè est inter se comprimens dentes. Nam & frendere significat dentibus frangere: vnde nefrendes infantes qui nec dum dentes habent.

Ingluviosus à gula & voracitate dictus.

Inglorioſus, quòd sit sine gloria, id est, sine triumphis. Item inglorius immemor gloriæ.

Informis, ingens, non quòd non habeat formam, sed quòd vltra formam magnitudinem habeat.

Inveteratus, eò quòd sit multi veterisq; vsus in malitia.

Immanis, quia non bonus, sed crudelis & ter-

© Biblioteca Nacional de España

ribilis. Manum enim bonum dicitur. Vnde κατ' ἀντίφρασιν dij manes, minimè boni.

Immunis, minimè munificus, vt est in proverbio veteri: *Immunem ciues odere sui*. Item immunis, qui non facit munia, id est, officio non fungitur. Est enim omni priuilegio vacuus.

Indemnis, eò quòd sine damno viuat, & sine vlla culpa atq; periculo.

Iners, sine arte, & ob hoc ne operis quidem vllius.

Inermis, vel sine armis, vel sine viribus. Nam semper arma pro viribus accipiuntur.

Ignavus, ignarus viæ, id est, rationis & vitæ.

Ignarus, non gnarus, id est, inscius vel sine naribus. Olfecisse enim veteres, scisse dicebant. Ignarus autem duo significat, vel qui ignorat, vel qui ignoratur.

Immemor, qui oblitus est: perdit enim memoriam.

Inscius, quia sine scientia est.

Idiota, imperitus, Græcum est.

Imperitus, sine peritia.

Inconsultus, ab eo quòd non accipiat consilium. Item inconsultus, quia est sine consilio & inscius rerum atque ignarus.

Ineptus, apto contrarius est, quasi inaptus.

Inops, qui sine terra est: opem enim terram intelligimus, quia opem fert fructificando. Alij inopem intelligunt nõ sepultum, inhumatum, * cui nec animã manè habẽti surrexit tumulus.

Annot. Cui nec absenti. Ego legendũ arbiror, Cui nec animã debẽti suppetit tumulus.

Ignobilis, eò quòd sit ignotus & vilis & obscuri generis: cuius nec nomen quidem scitur.

Ircosus, quia sudore corporis fœtido putet.

Ignotus, ignobilis, vel ex improuiso veniẽs.

Improuisus dictus, eò quòd subitò fit: & non porrò antè visus.

Index, proditor ab indicando.

Indigena vocatus, quòd inde genitus sit, id est in eodem loco natus.

Impudens, eò quòd ab eo pudor & pudicitia procul abest.

Impudicus à *pudore vocatus. *Pudorem enim fetorem dicunt.

*putore
* Putorem

Incestus, propter illicitã commixtionem vocatus, quasi incastus, sicut qui virginem sacram vel affinitatis suæ proximam stupraverit.

Internecida est, qui falsum testamentum fecit, & ob id hominem occidit.

Inficiator, negator, quia non fatetur, sed contra veritatem mendacium nititur.

Impostor, interceptor propriè dicitur, qui inter duos de medio tollitur.

Insidiosus, quòd insidiatur. Nam propriè insidere est dolosè aliquem expectare. Vnde & insidiæ non nominatæ sunt.

Incincta, id est, sine cinctu: quia pręcingi fortiter vterus permittit.

Inuestis, id est, sine veste: nondum enim habet stolam, quod est signum maritalis virginitatis.

Iscurra vocatur, quia causa escæ quemlibet consectatur.

K

Katholicus, vniuersalis: Gręcũm enim nomen est.

Kharus Græcum nomen est: sicut & Kharitas. vnde & eucharistia sacrificium, id est, bona gratia.

L

Lvculentus ab eo quòd sit lingua clarus, & sermone splendidus.

Lector dicitur à legendo, id est, percurrendo. Vnde & nauis dicitur legere quicquid transit. Nam legit, transit, præterit, vt:

— *Crebris legimus freta concita terris.*

Item lector à colligendo animo quæ legit, quasi collector: sicut illud, *Qui legitis flores.*

Loquax non est eloquens.

*Lætus à latitudine.

*Locus

Locuples, quasi locis plenus, & possessionũ plurimarum possessor, quemadmodum docet Tullius in lib. ij. de Republica: *multa quæ editione ouium & boum, quòd tunc res erat in pecoribus & in locorum possessionibus: ex quo pecuniosi locupletes vocabantur.

* multáque

Liberalis dictus ab eo, quòd libenter donet, nec murmuret.

Largus, abundans, affluens.

Longus à linea dictus, propter quòd sit porrectus.

Longævus, quasi longi æui & temporis.

Longanimis siue magnanimus, eò quòd nullis passionibus perturbatur, sed ad vniuersa sustinenda patiens est. Cui cõtrarius est pusillanimis, angustus, & in nulla tribulatione subsistẽs, de qua scribitur: *Pusillanimis vehementer insipiens.*

Leuis ob inconstantiam vagationis appellatur, quia leui motu mentis nunc ista, nunc illa desiderat.

Lubricus ab eo quòd labitur.

Labens interdum velox, vt, *Labere nympha polo, et Labere pennis.* Cursu enim lapsus celerior est.

Latro insessor est viarum, à latendo dictus: melius autem latro est, quasi latero, qui à latere insidiatur viæ.

Lanista, gladiator, id est, carnifex Tusca lingua appellatus, à laniendo scilicet corpora.

Lacessitor per translationem dictus à canibus: vel à feris quæ solẽt lacerando prouocare.

Leno, cõciliator stupri, eò quòd mentes miserorum blandiat, & deliniendo seducat.

Libidinosus ab eo quòd facit quod libet. Libidinosus à Libero, qui puellarũ corpore pingit.

Luxuriosus, solutus in voluptates: vnde & membra loco mota, luxa dicuntur.

Lascivus, quòd sit luxus. i. solutus & vanus.

Lymphaticus, quòd aquam timeat, quẽ Gręci ὑδροφόβλω vocant. Lymphaticus propriè dicitur, qui vitium ex aqua cõtrahit: cuius vitiũ est huc atq; illuc * currere, aut à * fluore aquæ sumpto vitio. Sed poetæ iam hoc genus nominis pro furiosis vsurpant.

* cursu
* furore

Luridus, quòd sit pallidus, à loro dictus, quòd huiusmodi habeant cutem.

Le-

© Biblioteca Nacional de España

Leprosus à pruritu nimio ipsius scabiei dictus: vnde & per p scribi dicitur.

Luscus quòd lucem ex parte sciat: sicut lusciosus, qui vespere nihil videt. Luscos coclites dixerunt antiqui: vnde & ciclopas coclites legimus dictos: qui vnum oculum habuisse perhibentur.

Lotus,* lautus, id est, mundus. * lauatus

Lupa meretrix à rapacitate vocata, quòd ad se rapiat miseros & apprehendat.

M

MIsericors à compatiendo alienæ miseriæ vocabulum sortitus est: & hinc appellata miseria, quòd miserũ cor faciat dolentis alienam miseriam. Non autem occurrit vbique hęc etymologia: nam est in Deo misericordia sine vlla cordis miseria.

Mactus magis auctus gloria, & est nomen tractum à sacris. Quoties enim thus aut vinum super victimam fundebatur dicebant: mactus est taurus vino vel thure, hoc est cumulata est hostia & magis aucta.

Munificus dictus, vel quia alicui munera multa dat: vel quia munus suum. i. officiũ quod debet adimplet: sic & munifex, quia munera fert.

Magnanimus ab eò quòd sit magni animi & magnæ virtutis. Cui contrarius pusillanimis.

Magnificus autem à magna faciendo vocabulum traxit.

Mansuetus, mitis vel domitus, quasi manu assuetus.

Modestus à modo dictus & temperie: nec plus quicquam nec minus agens.

Mitis, lenis & mansuetus & cedens improbitatibus; & ad sustinendam iniuriam tacens quasi mutus.

Mutus, quia vox eius non est sermo, nisi mugitus: vocalem enim spiritum per nares quasi mugiens emittit.

Memor, vel qui memoriam tenet, vel qui memoria tenetur.

Magister maior in statione: nam στεῶ Græcè statio dicitur.

Minister minor in statione, siue quia officium debitum manibus exequitur.

Maior, minor, minimus: à numero monadis, quòd post eum non sit alter.

Maximus aut meritis, aut ætate, aut honore, facũdia, aut virtute, aut omnib. magis eximius.

Modicus, paruus, sed abusiuè, cęterum rationabilis.

Moderatus à modo scilicet & temperamẽto.

Mediocris, quòd modicum illi sufficiat.

Miser propriè eò quòd omnem felicitatem amiserit. Secundum autem Ciceronem propriè mortuus, qui in Tusculanis miseros mortuos vocat, propter quod iam amiserunt vitam.

Miserabilis, quòd sit miseriæ habilis.

Mœstus naturaliter tristis, nõ casu. Est enim à natura mentis & animi: vnde & mœstus.

Mendicus dictus, quia minus habet vnde vitam degat: siue quia mos erat apud antiquos os claudere egenum, & manum extendere, quasi manu dicere.

Mendax, quòd mentem alterius fallat.

Malignus, quia malitię votum vel opus peragit.

Malus appellatus à nigro felle, quod Græci μέλαν dicunt: vnde & melancholici appellantur homines, qui ad conuersationem humanam refugiunt, & amicorum charorum suspecti sunt.

Malitiosus deterior malo, quia frequẽter malus: à malo autem peior dicitur: à bono melior.

Melior dictus, quia mollior: non durus aut ferreus: nam melius quasi mollius.

Minax à facie oculorum quando furiosè ardescunt, vt videns amplius pertimescat.

Minator est monitor, sed monitor dicitur cũ prenũciat bona: minator cũ prænũciat aduersa.

Mulcator, eò quòd blandis verbis mulceat ad declinandũ animum: translatio à mulso, id est, quod acceptum lenire solet fauces dolẽtis, aut oppletum sordibus stomachum.

Metatores appellantur, qui castra designãt, à metiendo scil. Lucanus:

Hesperios audax veniat metator in agros.

Mollis, quòd vigorem sexus, eneruati corporis dedecore, & quasi mulier emolliatur.

Macer à Macie: & macies à macia, eò quòd immoderata libido macros faciat.

Mancus, manu ancus, vel manu cassus.

Moribundus, morienti similis: sicut vitabundus viuenti similis. Quando enim dicimus, moriturus est, verè moriturus est: moribundus autem non verè, sed verè similis morienti est.

Meretrix dicta, eò quòd precium libidinis mereatur. Inde & meritoriæ tabernæ: nam & milites cùm stipẽdia accipiunt, mereri dicũtur.

Morio à morte vocatus, eò quòd non vigeat intellectu

Mulio dictus à mũlis, eò quòd præsidet ijsdem vehiculis.

Manifestũ dicitur, quod in manu est promptũ.

N

NObilis non vilis, cuius & nomen & genus scitur.

Nubilis ad nubendum habilis.

Nemo ab homine tractum est, id est, ne homo, quod est pro nullo.

Nullus autem, quasi ne vllus.

Nihili compositum est ex nil & hilo. Hilũ autem Varro ait, significare medullam eius ferulæ quã Gręci asphodelon vocãt: & sic dici apud nos nihilum, quomodo apud Gręcos* oydetry. * forsè ἀδῆ γεῦ.

Nequam à malo plerique distinguunt: alium perniciosum: alium nugacem existimantes, vt ait Monatius: *Hic adolescens nequam non malus*, id est, nugax, non perniciosus. Alij confundunt, quasi vtrumq; vnum idemq; significet.

Nequaquã, eò quòd nec quicquã sit, id est, ex eo quòd nihil sit, veteres esse dictum voluerunt. * al. nequicquam

Neuter neq; iste, neq; ille, q. dicat nec vterq;.

Nefarius, non dignus farre, quo primo cibi genere vita hominum sustentabatur.

© Biblioteca Nacional de España

Nefandus, id est, nec nominandus quidem.

Nuncius enim & qui nunciat & quod nunciatur, id est, ἄγγελος & ἀγγελία: sed nuncius ipse homo genere masculino: id verò quod nunciat genere neutro, vt hoc nuncium, & hæc nuncia.

Nazaræus, id est, sanctus Dei. Nazereus olim dicebatur qui sanctã comam nutriebat, & nihil contaminatũ conspiciebat, abstinens se à vino, omniq́ue sicera, quæ mentem ab integra sanitate peruertit.

Nugas autẽ Hebreum nomen est. Ita enim in prophetis est expositum, vbi dicit Sophonias: Nugas, qui à lege recesserũt, vt nosse possimus linguã Hebraicam omniũ linguarũ esse matrẽ.

Nugigerulus appellatus ab eo quòd sit garrulus turpis nuncius.

Negligens, quasi nec legens.

Nepos dictus à genere quodã scorpionum, qui natos suos consumit, excepto eo, qui dorso eius insederit: nam rursus ipse qui seruatus fuerit consumit patrẽ: vnde homines qui bona parentum per luxuriam consumunt, nepotes dicuntur. Hinc quoq; nepotatio pro luxuria ponitur, qua certè quæque res consumuntur.

Niger, quasi nubiger: quia non serenus, sed fusco coopertus est. Vnde & nubilum diem, tetrum dicimus.

O

*Rthodoxus rectæ gloriæ. * Imò rectæ sententiæ,

Orator ab ore vocatus, à perorãdo nominatus. i. dicẽdo. nam orare dicere est.

Obaudiẽs, ab aure, eò quòd audiat imperantẽ.

Ospes, quòd inferat ostijs pedes.

Ospes facilis, apertus & ostio patens. vnde & ospitalis homo dicitur.

Osor inimicus ab odio dictus: sicut amator ab amore, & est generis communis.

Odibilis, odio habilis.

Obsitus, obsessus, id est, vndiq; insidijs convallatus.

Obscenus impurę libidinis, à vitio obscuro dictus.

Obtunsus, hebetior & *obtusior, quasi ex omni parte tunsus. * obscurior

Obnixus, contranisus & conabundus.

Obnoxius, quia obligatus est nexibus culpę.

* Oblectator, quasi cũ lacte & fraude, vt Terentius: *Nisi me lactasses amantẽ*. vnde & oblectare dictum est. * Oblactator

Obtrectator, malignus, & qui obstringillando officiendoq; non sinat quempiam progredi & augescere.

Orbus, quòd liberos non habeat, quasi oculis amissis.

Opifex, quòd opus faciat aliquod.

Opilio, custos ouium, quasi ouilio.

P

PRudens, quasi porrò videẽs. perspicax enim est, & incertorum præuidet casus.

Patiens dictus à pauendo: pauere enim ferire est: percutitur enim & tolerat.

Perfectus, cui nihil iam adijci potest. Huic nomini apud Grammaticos cõparatio non adijcitur, quia si dixeris: ille perfectior est: iste perfectus non erit.

Pulcher à specie cutis dictus, quod est rubẽs pellis: postea trãsijt hoc nomen in genus. Nam pulchritudo hominis aut in vultu est, vt:

Os humerosq́; Deo similis —. aut in capillis, vt: *Namq́; ipse decorã Cæsariem.* aut in oculis, vt: —*Lætos oculis afflarat honores.* aut in candore, vt: *Quale manus addunt ebori decus.* aut in lineamentis, vt: *Te multò plus figura et lineamenta hospitis delectabant.* aut in proceritate, vt Turnus:

Vertitur in medys, & toto vertice supra est.

Pellex à pelliciendo.

Perspicax, splendidus, eò quòd perluceat.

Perpetuus, perennis.

Perennis ab eo quòd sit perpetuus annis.

Præsul vocatus, quia præest solicitudine.

Præpositus appellatus, eò quòd sit subiectorum ac famulantium ordinator vel rector.

Patroni à patrib. dicti sunt, quòd huiusmodi affectum clientibus exhibeant, vt quasi patres illos regant.

Pædagogus, cui parvuli assignantur: Græcũ nomen est, & est cõpositum ab eo quòd pueros *agat. i. doceat, & lascivientem refrenet ętatem. * Παιδ' ἀγωγὸς, id est, institutione.

Præsens dictus, quòd sit præ sensibus, id est, coram oculis, qui sensus sunt corporis.

Prior, quòd primus sit in ordine: & primus quasi præminens.

Primus, posterior, postremus.

Potens, rebus latè patens: vnde & potestas, quòd pateat illi quaqua velit, & nemo interludat, nullus obsistere valeat.

Præopimus, præ cæteris opibus copiosus.

Pecuniosos Tullius primũ eos dictos refert, qui plurimã habuissent pecuniam, id est, pecora. Ita enim antiqui eos appellabant. paulatim autem per abusionem nomen ad aliud devolutum est.

Pervicax propriè dicitur, qui in proposito suo ad victoriã perseverat. Antiqui enim * viciã dicebant, quam nos victoriam: credo quòd inde dicatur hèrba * vitia, id est, victorialis. * vigiam * vigia

Pernix à pernitendo tractum est, id est, in conatibus perseuerando. Alij pernicem velocem intelligũt pedibus. Nam pernicitas pedũ est, vt: *Pernicibus ignea plantis*. sicut celeritas pennarum est, vt: —*Celeriq́; fuga sub sidera lapsæ.*

Piger, quasi pedibus æger. Est enim tardus ad incedendum: quod nomen per vsum transijt ad animum.

Pernox, pervigilans nocte, perseuerans.

Pertinax, impudenter tenens, quasi pertinẽs.

Petulans nunc quidem pro audace & improbo ponitur: olim autem acerbi flagitatores, & propriè argentariorum coactorum pueri, quòd precia rerum crebrius & asperius exigebant: à petendo petulantes vocati sunt.

Procax propriè idẽ quod petax. Nã procari est petere: vnde & nuptiarum petitores proci dicuntur.

Pro-

© Biblioteca Nacional de España

Prodigus sumptuosus atq; consumptor, qui omnia porro agit & quasi proijcit.

Profugus propriè dicitur qui procul à sedibus suis vagatur, quasi porro fugatus.

Peregrinus longè à patria positus sicut alienigena.

Proiectus quasi longe & procul iactus, sicut & produxit, quasi porro illũ duxit, & prouocauit, quasi porro illum vocauit.

Proiectus, quasi porro eiectus ac proiectatus, vnde, —*Proiectaq; saxa Pachyni*, id est porro iactata.

Proscriptus cuius bona palam & apertè describuntur, bonisq; fisci agglomerantur.

Præscriptus ordinem significat, sicut & præscriptiones apud Iuris consultos.

Procinctus expeditus & armatus, vnde & *In procinctu*, id est cum belli causa arma sumebant.

Pręcinctus eo quòd ante se ponat aliquid quo pręcingitur. Vnde & de Domino dictum est, *Præcinctus lintheo, lauit pedes discipulorum suorum.*

Prædo est qui populando alienam inuadit prouinciam. Prædo ab abigendo prędas dictus, & prædo qui prædam habet.

Prædator est cui de præda debetur aliquid.

Plagiator ἀπὸ τῆς πλαγίου, id est obliquo, quòd non certa via gradiatur, sed pelliciendo dolis.

Piratæ sunt prædones maritimi ab incendio nauium transeuntium quas capiebant dicti. Nã πῦρ ignis est.

Pugillator, qui de manu in manum nummorum aliquid subtrahit.

Peculator pro eo quòd sit pecuniæ publicæ defraudator.

Proditor pro eo quòd detegit. Item proditor perditor: vt,

Vnius ob iram Prodimur.

Perfidus quia fraudulentus est & sine fide quasi perdens fidem.

Periurus, quia perperè iurat, id est malè iurat. Periurus autem in verbo r non habet. Nam peiero & deiero dicimus.

Præuaricator malè fidei aduocatus, & qui vel in accusando nocitura, vel in defendendo profutura prætereat, aut inutiliter dubieq; ponat mercedis gratia licet corruptus. Cicero, *Quid enim tã præuarum*, id est valide varum.

Pellax dolosus & fallax, à pelle, id est vultu. Foris enim vt fallat arridet, sed nequitiam intus gerit.

Profanus quasi porro à fano. Sacris enim illi non licet interesse.

Patricida propriè dicitur interfector parentis, quamuis quidam veteres hunc parenticidã dixerint, qui hominem occiderat, quoniam parricidium & homicidium in quocunq; intelligi posit, cum sint homines hominibus pares.

Persecutor nõ semper pro malo intelligitur, vnde, Persecutor, perfecte secutor.

Publicanus est qui vectigalia publica exigit, vel qui per publica negocia seculi lucra sectatur. vnde & co nominatus est.

Peccator pellice id est meretrice vocatus quasi pelicator, quod nomẽ apud antiquos tantùm flagitiosum significabat, postea transijt hoc nomen in appellationem omniũ iniquorũ. Peccator item à pectoris caterua cognominatus, pro eo quòd inibi occulta delictorum conduntur. *al. hominũ.*

Prostitutæ meretrices à prosedendo in meritorijs, vel in fornicibus.

Pellex apud Græcos propriè dicitur à Latinis concuba vel concubina. Dicta autem à fallacia id est versutia, subdolositate vel mendacio.

Procuruus quasi per longum curuus.

Pauidus est quem vexat trepidatio mentis. habet enim cordis pulsationem, cordis motum. nam pauere ferire est, vnde & pauimentum.

Petræ autem & rupes à duritia saxorum nominantur.

Pusillanimis, pusillo animo.

Petulcus dictus ab appetendo, vnde etiam & meretrices petulcas vocamus.

Pisinnus à pusione dictus.

Productus, quasi porro ductus.

Pellicanus vir sanctus solitudini deditus.

Q

Quæstor à quærendo dictus, quasi quæsitor.

Questuosus querimoniosus.

Querulus quia querelam infert.

Quietus quòd sit ipse sibi animo securus neminem tangens.

R

Religiosos ait Cicero à relegendo appellatos, qui retractant, & quasi relegũt ea quæ ad cultum diuinum pertineant. Hi sunt dicti religiosi ex relegendo tanquam ex eligendo eligentes, ex diligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes.

Ratiocinator dictus vir magnus, quia de omnibus rebus quas esse mirabiles constat posit reddere rationem.

Retractator repetitor, nam retractare, est repetere quòd omiseras.

Resipiscẽs eo quòd mentẽ quasi post insaniã recipiat, aut quia * resipit qui sapere desierat. *al. recipit.* Castigat enim seipsum dementiæ, & confirmat animum suum ad rectius viuendũ: cauens ne iterum corruat.

Repentinus à repente. Repente autem & aduerbium & nomen potest esse.

Robustus fortis, validus, à fortitudine roboreę arboris appellatus.

Rapidus velox pedibus.

Raptor eo quòd corruptor. Inde & rapta eo quòd corrupta est.

Reus à re de qua obnoxius est, & reatus à reo est nuncupatus.

Reus maiestatis primùm dictus qui aduersus rempublicam aliquid egisset, aut quicunque hostibus consensisset. Dictus autem reus maiestatis, quia maius est lædere patriam

l. mercedẽ.

© Biblioteca Nacional de España

quàm ciuem vnum. Postea autē & hi rei maiestatis dicti sunt: qui aduersus maiestatem principis egisse videretur, vel qui leges inutiles reipublicę contulerant, vel vtiles abrogauerant.

Rixosus à rictu canino dictus. Semper enim ad contradicendum paratus est, & iurgio delectatur, & prouocat contendentem.

Rusticus dictus quod rus operetur, id est terram.

S

SApiens dictus à sapore, quia sicut gustus aptus est ad discretionem saporis ciborum: sic sapiens ad dinoscentiam rerum atq; causarum, quòd vnumquodq; dinoscat, atq; sensu veritatem discernat. Cui contrarius est insipiens quòd sit sine sapore, nec alicuius discretionis vel sensus.

Studiosus, quasi studijs curiosus.

Sanctus veteri consuetudine appellatus, eo quod hi qui purificari volebāt, sanguine hostię tangebantur, & ex hoc sancti nomē acceperūt.

Sincerus, quasi sine corruptione, cui contrarius est insincerus, vitiatus, corruptus.

Supremus, summus, ab eo quòd supereminet. Vnde & supremas partes dicimus.

Sublimis ab altitudine vocatus honoris. nā propriè sublime dicitur, qd in alto est, vt

Sublimemq; ferens ad sidera cœli.

Speciosus à specie vel aspectu: sic formosus à forma.

Solers quòd sit sollicitus in arte & vtilis. Solers enim apud antiquos dicebatur: qui erat omni bona arte instructus. Terentius,

Adolescentem solertem dabo.

Superstitiosos ait Cicero appellatos, qui totos dies precabantur, & immolabant, vt sibi sui liberi superstites essent.

Solicitus quasi solers & citus atq; inrequietus.

Sedulus familiare verbum Terentij: hoc est sine dolo. aliâs assiduus.

Sodales dicuntur, qui ad symbolum cōuenire cōsueuerūt, quasi suadentes, aliâs quasi sedales. Ipsi & socij dicūtur propter periculi & operis societatem, quasi in vna caliga, & vno vestigio manentes.

Stultus ebetior corde, sicut quidam ait, *Ego meipsum stultum esse existimo: fatuum esse non opinor,* id est obtusis quidem sensibus, non tamen nullis. Stultus est, qui per stuporem non mouetur iniuria, seuitiam enim perfert, nec vltus est, nec vlla ignominia commouetur ad dolorem.

Segnis, id est sine igne, ingenio carens. Se autem sine significat, vt Sedulus sine dolo.

Securus quasi sine cura, id est frigus, per qd inutiles accipimus.

Stupidus sepius stupens.

Superbus dictus, quia vult superuideri quàm est: Qui enim vult supergredi quod est, superbus est.

Susurro de sono locutionis appellatus, quia non in facie alicuius: sed in aure loquitur de altero detrahendo.

Seditiosus, qui dissensionem animorum facit & discordias gignit: quam Græci διάστασιν dicūt.

Seuerus quasi * satis verus, tenet enim sine pietate iusticiam. al. sevum.

Simulator dicitur à simulacro. Gestat enim similitudinem eius quod non est ipse.

Suasor decipiens, id est, in suā sortē trahens.

Scrupulosus animi minuti & asperi. Scrupo enim est arena durior.

Sacrilegus dicitur ab eo quod sacra legit, id est furatur.

Sicarius vocatur, qui ad perpetrandum scelus telis armatus est. Sica enim gladius est à secando vocatus.

* Sæuus sinister atque peruersus, à peruersitate. Est enim pessimi & crudelis animi. * forsè Scevus.

Scenicus, qui in theatro agit. Theatrum enim scena est.

Scorta quæ à Græcis σκύτινα vocabantur: quo defricantur pelles, quibus corruptela fit.

Spurcus, quòd sit impurus.

Sceleros us, sceleribus plenus, vt lapidosus locus & arenosus. Plus est autem sceleros us quàm sceleratus.

Sator seminator, vel pater à semine.

Scurra, qui sectari solet quempiam cibi gratia. A sequendo ergo inde scurras constat appellatos. Idem assecla, à sequendo.

Satelles, quòd adhęreat alteri, siue à lateris custodia.

Suffectus, in loco alterius suppositus, quasi suffactus. Vnde & consulem suffectum dicimus eum, qui pro alio substituitur.

Secundus, quia secus pedes: & tractus est sermo à sequentibus seruis pedissequis. Vnde & secunda fortuna dicitur, quòd secundum nos est, id est prope nos. Inde & res secundę, id est prosperæ. Secundæ autem à sequendo sunt dictæ.

Stipulator promissor. Stipulari enim promittere est, ex verbis iurisperitorum.

Sanus à sanguine, quia sine pallore est.

Sospes salutis hospes.

Salus à sale nomen accepisse putatur.

Subtilis ab extenuatione dictus.

Sequester dicitur, qui certantibus medius interuenit; qui apud Græcos ὁμήρους dicitur, apud quem pignora deponi solent. Quod vocabulum à sequendo factum est, quòd eius qui electus sit, vtraq; pars fidem sequatur.

Sessilis; quod non videtur stare: sed sedere.

Surdus à sordibus humoris aure conceptis, & quamuis multis casibus accedat, nomen tamen æger ex prædicto vitio retinet.

Siccus quod sit * exsiccatus, siue per antifrasin, quòd sit sine succo. al. Exsuccus.

Sepultus dictus, eo quod sit sine palpitatione vel sine pulsu, id est sine motu.

* Sagio ab exigendo dictus. al. Saio.

Sutor à suendis pellibus nominatur.

Subulcus porcorum pastor, sicut bubulcus à cura boum.

Tutor

© Biblioteca Nacional de España

T

TVtor qui pupillũ tuetur, hoc est intuetur, de quo in consuetudine vulgari dicitur. *Quid me mões? Et tutorẽ et pædagogũ olim obrui.*

Testes dicti quòd testamento adhiberi solẽt, sicut signatores quod testamentum signent.

Tetricus mons in Sabinis asperrimus. Vnde & tristes homines tetricos dicimus.

diuturnus. Taciturnus in tacendo *diurnus.

Trutinator examinator ex iudicij libra perpendens recta, tráslatione à trutina, quæ est gemina ponderum * lancis.

lanx vel lances. Tristis, tenax, nummi cupidior quòd teneat. Interdum & pertinax.

Truculentus, toruus, terribilis, eo quòd sit toruo vultu & turbulento aspectu, vt torua leæna, & *Cernimus astantes nequicquam lumine toruo.*

Turbidus, terribilis.

Teter ab obscura tenebrosaq; vita. Teterrimus pro fero nimium. Tetrũ enim veteres pro fero dixerunt, vt Ennius, *Tetrosq; elephantes.*

Terribilis, quia timorem habet & timetur.

Tergiuersator, quod animũ quasi tergũ vertat huc & illuc, nec facilè qualis sit intelligitur.

Temulentus à temeto, id est vino dictus.

Timidus qd timeat diu, id est à sanguine, nã timor sanguinẽ gelat, q coactus gignit timorẽ.

Turpis quod sit informis & torpeat.

V

VIr à virtute.

Vtilis ab utẽdo bene sua, vel qd bene qd vti possit, sicut docilis quod doceri possit.

Verus à veritate, hinc & verax. Maior est veritas quãm verus, quia nõ est veritas à vero, sed verus à veritate descendit.

Veridicus, quia verum dicit, & veritatis assertor est.

Verecundus, quia verum factum erubescit.

Viridis, vi & succo plenus.

Venustus pulcher, à venis, id est sanguine.

Viuens, id est viuus.

Varius, quasi non vnius viæ, sed incertę mixtęq; sententiæ.

Versutus, eo quòd eius mẽs in quolibet actu ad quamlibet fraudem facilè vertitur, vnde & versutia dicitur contorta sententia. Plautus, *Versutior est quàm rota figularis.*

Vilis à villa, nullius enim vrbanitatis est.

Versipellis eo quòd in diuersa vultũ & mentem vertat. Inde & versutus & callidus.

Violentus, quia vim infert.

Vecors mali cordis & malę conscientiæ.

Vagus, quasi sine via.

Vanus à Venere etymologiã trahit. Itẽ vanus inanis, falsus, eo quòd sine memoria euanescat.

Vesanus * porro sanus. *+ non probe sanus.*

Vinolentus, qui & satis bibit & difficile inebriatur.

Vexatus, id est portatus, ab eo quòd est veho, vexo, vecto, vt, Vexasse sit portasse.

Veneficus eo quòd venenum mortis causa parauit, aut prestitit, aut vendidit.

Vector quasi vehitor. Est autem vector & qui vehit & qui vehitur.

Venator, quasi venabulator, à venatione scilicet qua bestias premit. Quatuor autem sunt venatorum officia, Vestigatores, indagatores, alatores, & pressores.

ISIDORI HISPALENSIS

EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM

LIBER XI.

CAPITA LIBRI VNDECIMI.

De homine & partibus eius.
De ætatibus hominis.
3 *De portentis.*
4 *De transformatis.*

De homine & partibus eius Cap. I.

NAtura dicta est ab eo quòd nasci aliquid faciat. Gignẽdi enim & faciẽdi potẽs est. Hãc quidã Deum esse dixerunt, à quo omnia creata sunt & existunt.

Genus à gignẽdo dictũ, cui deriuatiuum nomen à terra ex qua omnia gignuntur, γῆ enim Græcè terra dicitur.

Vita dicta propter vigorẽ, vel qd vim teneat nascendi atque crescendi. Vnde & arbores vitã habere dicuntur, quia gignuntur & crescunt.

Homo dictus quia ex humo factus est, sicut dicitur in Genesi, Et *Creauit Deus hominem de limo terræ.* Abusiue autẽ pronunciatur ex vtraq; substãtia totus homo, id est ex societate corporis & animę. Nã propriè homo ab humo. Græci verò hominẽ ἄνθρωπον appellauerũt: eo quòd sursum spectet subleuatus ab humo ad contemplationem artificis sui. Quod Ouidius poeta designat cum dicit.

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit cœlumq; videre
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus. Qui ideo erectus cœlum aspicit, vt Deum quęrat, non vt terram intendat, veluti pecora quæ natura prona & ventri obedientia finxit.

Duplex est autem homo: interior & exterior. Interior homo anima, exterior homo corpus.

Anima autẽ à ventis nomẽ accepit, eo qd ven

© Biblioteca Nacional de España

tus sit. Vnde & ventus Græcè ἄνεμος dicitur, quòd ore trahentes aerem viuere videamur: sed apertissimè falsum est, quia multò prius gignitur anima quàm cõcipi aer ore possit: quia iam in genitricis vtero viuit. Nõ est ergo aer anima, quod quidam putauerunt, qui non potuerunt incorpoream eius cogitare naturam.

Spiritum idem esse quod animam Euangelista pronunciat dicens. *Potestatem habeo ponendi animam meam, & rursus potestatem habeo sumendi eam.* De hac quoq; ipsa Domini anima passionis tempore memoratus euangelista ita protulit dicens, *Et inclinato capite emisit spiritum.* Quid est enim emittere spiritum, nisi quòd animã ponere? sed anima dicta propter quod viuit. spiritus autem vel pro speciali natura, vel pro eo quod * spiret in corpore. *al. inspiret.*

Item animum idem esse quod animam, sed anima vitæ est, animus consilij. Vnde dicunt philosophi etiam sine animo vitam manere, & sine mente animam durare. vnde & amentes. nam mentem vocari volũt vt sciat: animum vt velit.

Mens autem vocata quòd emineat in anima, vel quod meminit. Vnde & immemores amentes, quapropter non anima, sed quod excellit in anima mens vocatur, tanquam caput eius vel oculus. Vnde & ipse homo secundũ mẽtem imago Dei dicitur. Ita autem hæc omnia adiuncta sunt animę, vt vna res sit. Pro efficientijs enim causarum diuersa nomina sortita est anima. Nã & memoria mẽs est, vnde & immemores amentes. dum ergo viuificat corpus, anima est. dum scit, mens est. dum vult, animus est. dum recolit, memoria est. dum rectũ iudicat, ratio est. dũ spirat, spiritus est. dũ aliquid sentit, sensus est. Nam inde animus sensus dicitur pro ijs quæ sentit, vnde & sententia nomen accepit.

Corpus dictum pro eo quòd corruptum perit. Solubile enim atq; mortale est, & aliquando soluendum.

Caro autem à creando est appellata.

Crementum enim semen est masculi, vnde animalium & hominum corpora concipiuntur. Hinc & parentes creatores vocantur.

Caro autem ex quatuor elementis compacta est. nam terra in carne est, aer in alitu, humor in sanguine, ignis in calore vitali. Habent verò in nobis elementa suam quæque partem. quibus quid debetur compage resoluta.

Caro autem & corpus diuersa significant. In carne semper corpus est, non semper in corpore caro. nam caro est quæ viuit, idem & corpus. Corpus quod non viuit, id est non caro. Nã corpus dicitur aut quod post vitam mortuum est, aut sine vita est conditum, Interdum & cum vita corpus, & non caro, vt herba, & lignum.

Sensus corporis quinq; sunt, visus, auditus, odoratus, gustus & tactus. Ex quibus duo aperiũtur, & claudũtur semper, duo patentes sunt.

Sensus dicti, quia per eos anima subtilissimè totum corpus agitat vigore sentiendi.

Vnde & pręsentia nuncupantur, quòd sint præ sensibus, id est prę oculis, quæ præsto sunt oculis.

Visus est qui à philosophis humor vitreus appellatur. Visum autẽ fieri quidã asseuerant, aut externa ætherea luce, aut interno spiritu lucido per tenues * venas à cerebro venientes, atq; penetratis tunicis in aerem exeuntes, & tunc commixtione similis materiæ visum dantes. Visus dictus quòd * viuacior sit cæteris sensibus, ac pręstãtior siue velocior, amplius q; vigeat, quantum memoria inter cætera mentis officia. Vicinior est enim cerebro vnde omnia manant, ex quo fit, vt ea quę ad alios pertinent sensus, videre dicamus, veluti cũ dicimus: Vide quomodo sonat, vide quomodo sapit, sic & cætera. *al. vias.* *al. viator.*

Auditus appellatus quod voces hauriat, hoc est aere verberato sonos suscipiat.

Odoratus quasi aeris odore * attractus. Tacto enim aere sentitur, sic & olfactus quod odoribus afficiatur. *al. attactus.*

Gustus à gutture dictus.

Tactus eo quòd pertractet & tangat, & per omnia membra vigorem sensus aspergat. Nam tactu probamus quicquid cæteris sensibus iudicare non possumus. duo autem tactus genera sunt, nam aut extrinsecus venit quod feriat, aut intus in ipso corpore oritur quod sentiatur.

Vnicuiq; autem sensui propria natura data est. Nam quod videndum est, oculis capitur, qd audiendum, auribus: mollia & dura tactu æstimantur, sapor gustu, odor naribus ducitur.

Prima pars corporis caput, datumq; illi hoc nomen eo quòd sensus omnes & nerui inde initium capiant, atq; ex eo omnis vigendi causa oriatur. Ibi enim omnes sensus apparent. Vnde ipsius animæ quæ consulit corpori quodammodo personam gerit.

Vertex est ea pars qua capilli capitis colligũtur, & in qua cæsaries vertitur, vnde & nuncupatur.

Caluaria ab ossibus caluis dicta, per defectionem, & neutraliter pronunciatur.

Occipitium capitis pars posterior, quasi contra capitium, vel quòd sit capitis retrorsum.

Capilli vocati, quasi capitis pili, facti vt & decorem pręstent & cerebrũ aduersus frigus muniant atq; à sole defendant.

Pili autem dicti à pelle qua prodeunt, sicut & pilum dicitur à pila, vbi pigmentum contunditur.

Cæsaries à cædendo vocata, ideoq; tantùm virorum est. Virum enim tonsum esse decet: mulierem non decet.

Comæ sunt propriè nõ cæsi capilli, & est Grę cus sermo. Nam comas Græci à secando nominant, vnde & κουρεῖν tondere dicunt. Vnde & cirri vocantur, quod etiam idem Græci * mallonem vocant. * forte μαλλὸς.

Crines propriè mulierum sunt. Dicti autem crines eo quòd vittis discernantur. Vnde & discriminalia dicuntur, à quibus diuisi religantur.

Tempora

© Biblioteca Nacional de España

Tempora sunt quæ caluariæ dextra læuaque subiacent. Quæ ideo sic nuncupantur, quia mouentur, ipsaq; mobilitate quasi tempora quibusdam interuallis mutantur.

Facies dicta ab effigie. ibi est enim facta tota figura hominis & vniuscuiusque personę cognitio.

Vultus vero dictus, eo quòd per eum voluntas ostenditur animi, secundum voluntatem enim in varios motus mutatur, vnde & differunt sibi vtraque: nam facies simpliciter accipitur de vniuscuiusque naturali aspectu. Vultus autem animorum qualitates significat.

Frons ab oculorum foraminibus nominata est. Hæc imago quædam animi mentis motum specie sua exprimit, dum vel leta vel tristis est.

Oculi vocati, siue quia eos ciliorum tegmina occultant: ne qua incidentis iniuriæ offensione lædantur, siue quia lumen occultum habent, id est secretum, vel intus positum. Hi inter omnes sensus viciniores animæ existunt. In oculis enim omne mentis iudicium est, vnde & animi perturbatio vel hilaritas in oculis apparet. Oculi autem idē & lumina. Et dicta lumina quòd ex eis lumen manat, vel quod ex initio sui clausam teneant lucem, aut extrinsecus acceptā visui prępondendo refundant.

Pupilla est medius punctus oculi in quo vis est videndi, vbi quia paruę imagines nobis videntur: propterea pupillæ appellantur. Nam paruuli pupilli dicuntur. Hanc pleriq; * pupillam vocant. vocatur autem pupilla quod sit pura atq; impolluta, vt sunt puellæ. Physici dicunt easdem pupillas quas videmus in oculis, morituros ante triduum non habere, quibus nō visis certa est desperatio.

al. papulam.

Circulus vero quo à pupilla partes albę oculi separantur discreta nigredine corona dicitur, quòd rotunditate sui ornent ambitum pupillæ.

Voluos autem quidam appellant ipsos vertices oculorum ex similitudine valuarum.

Palpebrę sunt sinus oculorum, à palpitatione dictę, quia super mouentur. Concurrunt enim inuicem, vt assiduo motu reficiant obtutū. Munitæ sunt autē vallo capillorum, vt & apertis oculis si quid inciderit repellatur, & somno * conniuentibus tanquam inuoluti quiescant latentes. In summitate autem palpebrarum locis quibus se vtræq; clausæ contingunt extant admoti ordine seruato capilli, tutelam oculis ministrantes, ne irruente sorde facilè iniurias excipiant, & ex eo noceantur, vt pulueris vel cuiusquam crassioris materiæ arceant contactum: aut ipsum quoq; aerem concidendo mitificent, quòd tenuem atque serenum faciant visum.

al. exhibentibus.

Lacrimas quidam à laceratione mentis putant dictas, alij existimant ideo quòd Graeci δακρυα vocant.

Cilia sunt tegmina quibus cooperiuntur oculi, & dicta cilia quòd celent oculos, tegantq; tuta custodia.

Supercilia dicta, quia superposita sunt cilijs, quæ idcirco pilis vestita sunt, vt oculis munimenta prætendant, & sudorem à capite defluentem depellant.

Intercilium verò est medium illud inter supercilia quod sine pilis est.

Genæ sunt inferiores oculorum partes, vnde barbæ inchoant. Nam Græcè γένειον barbæ. Hinc & genæ quòd inde incipiant gigni barbæ.

Malæ sunt eminentes sub oculis partes, ad protectionem eorum suppositæ. Vocatæ autem malæ siue quod infra oculos promineant, in rotunditatem, quę Græci μῆλα appellant, siue quod sint super maxillas.

Maxillæ per diminutionem à malis, sicut paxillus à palo, taxillus à talo.

Mandibulæ sunt maxillarum partes, ex quo & nomen factum.

Barbam veteres vocauerunt quod virorum sit, non mulierum.

* Aurium inde dictum nomen à vocibus hauriendis, vnde & Virgilius,

al. Auribus inditum.

Vocemq; his auribus hausi.

Aut quia vocem ipsam Graeci ἀυδὴν vocant, ab auditu. Per immutationem enim literæ aures, quasi audes nuncupatæ sunt. Vox enim repercussa per anfractus earum sonum facit quo sensum excipiant audiendi.

* Pinnula summa pars auris ab acumine dicta. * Pinnum enim antiqui acutum dicebant, vnde & bipennis & pinna.

al. Pennula. al. Pennum al. Penna.

Nares idcirco nominantur, quia per eas vel odor vel spiritus *nare non desinit, quia nos odore admonent, vt norimus aliquid & sciamus. Vnde è contrà inscij ac rudes ignari dicuntur. Olfecisse enim, veteres scisse dicebant. Terentius,

al. manare.

Ac non totis sex mensibus prius olfecissent quàm ille quicquam ceperit.

Narium recta pars propter quod æqualiter sit in longitudine & rotunditate porrecta, columna vocatur: extremitas eius, pirula à formula pomi piri. Quæ verò dextra leuaq; sunt, pinnulæ ab alarum similitudine: medium autē interfinium.

al. Pennulę.

Os dictum quod per ipsum quasi per ostium & cibos intus mittimus, & spiritum foris proijcimus, vel quia ibi ingrediuntur cibi, & inde egrediuntur sermones.

Labia à lambendo nominata. quod autem superius est, labium dicimus, quod inferius eo quòd grossius sit, labrum. Alij virorum labra, mulierum labia dicunt.

Linguæ à lingendo cibum putat Varro nomen impositum. Alij quod per articulatos sonos verba ligat. Sicut enim plectrum cordis, ita lingua illiditur dentibus & vocalem efficit sonum.

© Biblioteca Nacional de España

Dentes Græci ὀδόντας vocant, & inde in latinum nomen trahere videntur. Horũ primi præcisores dicũtur, quia omne quod accipitur, ipsi prius incidunt. Sequentes canini vocãtur, quorũ duo in dextra maxilla, & duo in sinistra sunt. Et dicti canini, quia ad similitudinem caninorũ existunt, & canis ex ipsis ossa frangit, sicut & homo, & quòd non possunt priores præcidere, illis tradunt, vt confringant. Hos vulgus pro longitudine & rotunditate colomellos vocant. Vltimi sunt molares, qui concisa à prioribus atque confracta subigunt, & molunt, atq; immassant, vnde & molares vocati sunt.

Dentium autem numerũ discernit qualitas sexus. Nã in viris plures, in fœminis pauciores existunt.

Gingiuæ à gignendis dentibus nominatæ. Factæ autem sunt etiam ad decorem dentium: ne nudi horrori potius, quàm ornamento existerent.

Palatum nostrum sicut cœlum sursum est positum, & inde palatum à polo per deriuationem: sed & Græci similiter palatum οὐρανὸν appellant, eo quòd pro sui concauitate cœli similitudinem habeat.

Fauces à fundendis vocibus nominatæ, vel quod per eas fatur voces.

Arteriæ vocatæ siue quòd per eas à pulmone aer, hoc est spiritus fertur, seu quòd arctis, & angustis meatibus spiritum vitalem retineant, vnde vocis sonos emittunt: qui soni vno modo sonarent, nisi linguę motus distantias vocis efficeret.

Toles gallica lingua dicuntur: quas vulgò per diminutionem tusillas vocant, quæ in faucibus turgescere solent.

Mentum dictum quòd inde mandibulæ oriantur, vel quod ibi iungantur.

Gurgulio à gutture nomen trahit, cuius meatus ad os & nares pertendit: habens viam qua vox ad linguam transmittitur: vt possit verba collidere. Vnde & garrire dicimus.

Rumen proximum gurgulioni, quo cibus & potio deuoratur. Hinc bestiæ quæ cibos reuocant ac remandunt, ruminare dicuntur.

Sublinguium operculum gurgulionis, quasi parua lingua, quòd foramen linguæ recludit operitue.

Collum dictum, quod sit rigidum & rotundum, vt columna, baiulans caput & sustentans, quasi capitolium: cuius anterior pars gula vocatur, posterior ceruix.

Ceruix autem vocata, quòd per eam partem cerebrum ad medullam spinę dirigitur, quasi cerebri via. Veteres autem plurali tantùm numero ceruices dicebant. primus Hortensius ceruicem singulariter dixit. Ceruix autem numero singulari membrum ipsum significat. Nam pluraliter contumaciam sepè demonstrat. Cicero in Verrinis, *Prætorem tu accuses frangere ceruices.* (al. accusas frange.)

Humeri dicti, quasi armi, ad distinctionem hominis à pecudibus mutis, vt hi humeros, illi armos habere dicuntur. nam propriè armi quadrupedum sunt.

Ala summi humeri pars posterior.

Brachia à fortitudine nominata, βαρὺ enim Græcè, graue & forte significat. In brachijs enim tori lacertorum sunt, & insigne musculorum robur existit. Hi sunt tori, id est musculi: & dicti tori, quòd illi viscera torta videantur.

Cubitus dictus, quòd ad cibos sumendos in ipso cubamus.

Vlna secundum quosdam vtriusque manus extensio est, secundum alios cubitus, quod magis verum est, quia Græcè ὁ ὠλένος, cubitus dicitur.

Alæ sub brachia sunt appellatæ, eo quòd ex eis in modum alarum motus brachiorum inchoet, quas quidam ascillas vocant, quòd ex his brachia * cilluntur, id est mouentur, vnde & oscilla dicta ab eo, quòd cillantur, id est mouentur ora. Nam cillere est mouere. Hos quidam subhircos vocant, propter quod in plerisque hominibus hircorum fetorem reddant. (al. cillantur.)

Manus dicta, quòd sit totius corporis munus. Ipsa enim cibum ori ministrat, ipsa operatur omnia, atque dispensat: per eam accipimus & damus. Abusiue autem manus etiam ars vel artifex, vnde & manus precium dicimus.

Dextra vocatur à dando, ipsa enim pignus pacis datur, ipsa fidei testis atque salutis adhibetur, & hoc est illud apud Tullium, *Fidem publicam iussu senatus dedi*, id est, dextram. Vnde & Apostolus dicit, *Iacobus & Ioannes dextras dederunt mihi* & reliqua.

Læua, quod aptior sit ad leuandum. Sinistra autem vocata, quasi sine dextra, siue quòd rem fieri sinat. A sinendo enim sinistra est nuncupata.

Palma est manus expansis digitis, sicut contractis, pugnus.

Pugnus autem à pugillo dictus, sicut palma ab expansis palmæ ramis.

Digiti nuncupati, vel quòd decem sunt, vel quia decenter iuncti existunt. Nam habent in se & numerum perfectum & ordinem decentissimum. Primus pollex vocatur, eo quòd inter cęteros virtute polleat, & potestate. Secundus index & salutaris, seu demonstratorius, quia eo fere salutamus atq; ostendimus. Tertius impudicus, quòd plerumq; per eum probri insectatio exprimitur. Quartus anularis, eo quòd in ipso anulus geritur. Idem & medicinalis, quòd eo trita colliria à medicis colliguntur. Quintus auricularis, pro eo quòd eo aurem scalpimus.

Vngulas ex Græco vocamus. Illi enim has ὄνυχας dicunt.

Truncus media pars corporis à collo vsque ad inguina. De quo Nigidius. *Caput collo vehitur, truncus sustinetur coxis & genibus cruribusq;.*

Thorax à Græcis dicitur anterior pars trunci à collo vsque ad stomachum, quàm nos dicimus

© Biblioteca Nacional de España

Dentes Græci ὀδόντας vocant, & inde in latinum nomen trahere videntur. Horũ primi præcisores dicũtur, quia omne quod accipitur, ipsi prius incidunt. Sequentes canini vocãtur, quorũ duo in dextra maxilla, & duo in sinistra sunt. Et dicti canini, quia ad similitudinem caninorũ existunt, & canis ex ipsis ossa frangit, sicut & homo, & quòd non possunt priores præcidere, illis tradunt, vt confringant. Hos vulgus pro longitudine & rotunditate colomellos vocant. Vltimi sunt molares, qui concisa à prioribus atque confracta subigunt, & molunt, atq; immassant, vnde & molares vocati sunt.

Dentium autem numerũ discernit qualitas sexus. Nã in viris plures, in fœminis pauciores existunt.

Gingiuæ à gignendis dentibus nominatæ. Factæ autem sunt etiam ad decorem dentium: ne nudi horrori potius, quàm ornamento existerent.

Palatum nostrum sicut cœlum sursum est positum, & inde palatum à polo per deriuationem: sed & Græci similiter palatum οὐρανὸν appellant, eo quòd pro sui concauitate cœli similitudinem habeat.

Fauces à fundendis vocibus nominatæ, vel quod per eas fatur voces.

Arteriæ vocatæ siue quòd per eas à pulmone aer, hoc est spiritus fertur, seu quòd arctis, & angustis meatibus spiritum vitalem retineant, vnde vocis sonos emittunt: qui soni vno modo sonarent, nisi linguę motus distantias vocis efficeret.

Toles gallica lingua dicuntur: quas vulgò per diminutionem tusillas vocant, quæ in faucibus turgescere solent.

Mentum dictum quòd inde mandibulæ oriantur, vel quod ibi iungantur.

Gurgulio à gutture nomen trahit, cuius meatus ad os & nares pertendit: habens viam qua vox ad linguam transmittitur: vt possit verba collidere. Vnde & garrire dicimus.

Rumen proximum gurgulioni, quo cibus & potio deuoratur. Hinc bestiæ quæ cibos reuocant ac remandunt, ruminare dicuntur.

Sublinguium operculum gurgulionis, quasi parua lingua, quòd foramen linguæ recludit operitue.

Collum dictum, quod sit rigidum & rotundum, vt columna, baiulans caput & sustentans, quasi capitolium: cuius anterior pars gula vocatur, posterior ceruix.

Ceruix autem vocata, quòd per eam partem cerebrum ad medullam spinę dirigitur, quasi cerebri via. Veteres autem plurali tantùm numero ceruices dicebant. primus Hortensius ceruicem singulariter dixit. Ceruix autem numero singulari membrum ipsum significat. Nam pluraliter contumaciam sepè demonstrat. Cicero in Verrinis, *Prætorem tu accuses frangere ceruices.* (al. accusas frange.)

Humeri dicti, quasi armi, ad distinctionem hominis à pecudibus mutis, vt hi humeros, illi armos habere dicuntur. nam propriè armi quadrupedum sunt.

Ala summi humeri pars posterior.

Brachia à fortitudine nominata, βαρὺ enim Græcè, graue & forte significat. In brachijs enim tori lacertorum sunt, & insigne musculorum robur existit. Hi sunt tori, id est musculi: & dicti tori, quòd illi viscera torta videantur.

Cubitus dictus, quòd ad cibos sumendos in ipso cubamus.

Vlna secundum quosdam vtriusque manus extensio est, secundum alios cubitus, quod magis verum est, quia Græcè ὁ ὠλένος, cubitus dicitur.

Alæ sub brachia sunt appellatæ, eo quòd ex eis in modum alarum motus brachiorum inchoet, quas quidam ascillas vocant, quòd ex his brachia * cilluntur, id est mouentur, vnde & oscilla dicta ab eo, quòd cillantur, id est mouentur ora. Nam cillere est mouere. Hos quidam subhircos vocant, propter quod in plerisque hominibus hircorum fetorem reddant. (al. cillantur.)

Manus dicta, quòd sit totius corporis munus. Ipsa enim cibum ori ministrat, ipsa operatur omnia, atque dispensat: per eam accipimus & damus. Abusiue autem manus etiam ars vel artifex, vnde & manus precium dicimus.

Dextra vocatur à dando, ipsa enim pignus pacis datur, ipsa fidei testis atque salutis adhibetur, & hoc est illud apud Tullium, *Fidem publicam iussu senatus dedi*, id est, dextram. Vnde & Apostolus dicit, *Iacobus & Ioannes dextras dederunt mihi* & reliqua.

Læua, quod aptior sit ad leuandum. Sinistra autem vocata, quasi sine dextra, siue quòd rem fieri sinat. A sinendo enim sinistra est nuncupata.

Palma est manus expansis digitis, sicut contractis, pugnus.

Pugnus autem à pugillo dictus, sicut palma ab expansis palmæ ramis.

Digiti nuncupati, vel quòd decem sunt, vel quia decenter iuncti existunt. Nam habent in se & numerum perfectum & ordinem decentissimum. Primus pollex vocatur, eo quòd inter cęteros virtute polleat, & potestate. Secundus index & salutaris, seu demonstratorius, quia eo fere salutamus atq; ostendimus. Tertius impudicus, quòd plerumq; per eum probri insectatio exprimitur. Quartus anularis, eo quòd in ipso anulus geritur. Idem & medicinalis, quòd eo trita colliria à medicis colliguntur. Quintus auricularis, pro eo quòd eo aurem scalpimus.

Vngulas ex Græco vocamus. Illi enim has ὄνυχας dicunt.

Truncus media pars corporis à collo vsque ad inguina. De quo Nigidius. *Caput collo vehitur, truncus sustinetur coxis & genibus cruribusq;.*

Thorax à Græcis dicitur anterior pars trunci à collo vsque ad stomachum, quàm nos dicimus

© Biblioteca Nacional de España

mus arcam, eo quòd ibi arcanum sit, id est secretum quo cæteri arcentur. Vnde & arca & ara dicta, quasi res secretę. cuius eminentes pulpæ mamillæ dicuntur. Inter quas pars illa ossea pectus dicitur, dextra leuaq; costæ.

Pectus vocatum quòd sit pexum inter eminentes mamillarum partes, vnde & pectinen dicimus, quòd pexos capillos faciat.

Mamillæ vocatæ, quia rotundæ sunt, quasi malæ, per diminutionem scilicet.

Papillæ capita mammarum sunt, quas infantes sugentes comprehendunt. Et dictæ papillæ quòd eas infantes quasi pappant dum lac sugunt. proinde mamilla est omnis eminentia vberis: papilla verò breue illud vnde lac trahitur.

Vbera dicta, vel quia lacte vberta: vel quia uvida humore scilicet lactis in more uvarum plena.

Lac vim nominis à colore trahit, quòd sit albus liquor λευκὸς enim Græcè, album dicunt, cuius natura ex sanguine commutatur. nam post partum si quid sanguinis nondum fuerit vteri nutrimento consumptum: naturali meatu fluit in mammas, & earum virtute albescens lactis accipit qualitatem.

Cutis est quæ in corpore prima est appellata, quòd ipsa corpori superposita incisionē prima patitur. Cutis enim Græcè * incisio dicitur: eadem & pellis quòd externas iniurias corporis tegendo pellat, pluuiasq; & ventos solisque ardores perferat.

Pellis autem mox detracta: subacta iam corium dicitur.

Corium autem per deriuationem caro appellatur, quòd eo tegatur: sed hoc in brutis animalibus proprium est.

Pori corporis Græco nomine appellantur, qui Latine propriè spiramenta dicuntur, eo quòd per eos viuificus spiritus exterius ministretur.

Arvina est pinguedo cuti adhęrens.

Pulpa est caro sine pinguedine, dicta quòd palpitet: resilit enim sępe. Hanc pleriq; & viscū vocant, propter quòd glutinosa sit.

Membra sunt partes corporis.

Artus quibus colligantur membra, ab artando dicti.

Nerui Græca appellati deriuatione: quos illi νεῦρα vocant. Alij Latinè vocatos neruos putant, eo quòd per artuum cōiunctiones inuicē his inhæreant. Maximam autem virium substantiam neruos facere certissimum est. Nam quanto fuerint densiores: tanto propensius augescere firmitatem.

Artus enim dicti quòd colligati inuicem neruis artentur, idest stringantur, quorum diminutiua sunt articuli. Nam artus dicimus membra maiora, vt brachia, articulos minora membra, vt digiti.

Compagia capita sunt ossium: dicta, eo quòd sibi compacta neruis velut glutino quodam adhæreant.

Ossa sunt corporis solidamenta. In his enim positio omnis roburq; subsistit. Ossa autem ab vsto dicta, propter quòd cremarentur ab antiquis, siue, vt alij putant, ab ore, quòd ibi pateant. Nam vbique cute visceribusque obtecta celantur.

Medullæ appellatæ, quòd madefaciant ossa, irrigant enim & confortant.

* Vertibulæ sunt summæ ossium partes nodis crassioribus conglobatæ: dictæ ita, eo quòd ad inflexionem membrorum illa vertantur. *al. Vertibula.*

Cartilagines, ossa mollia & sine medulla, quòd genus auriculæ & narium discrimen & costarum extremitates habent; siue opercula ossium quæ mouentur. Et dictæ cartilagines, quòd leni attritu carent dolore dum * flectuntur. *al. plectuntur.*

Costas appellari quidā putant, quòd ab ipsis interiora custodiantur, vt tota mollicies ventris vallata * seruetur. *al. saluetur.*

Latus quia iacentibus nobis latet. Est enim læua pars corporis, dextro autē lateri habilior motus est, * leua fortior, & oneri ferendo accommodatior. Vnde & læua nuncupata, quòd aptior sit ad leuandum aliquid & portandum. Ipsa enim gestat clypeum, ensem, pharetram & reliqua onera, vt expedita sit dextera ad agendum. *al. leuo.*

Dorsum est à ceruice vsque ad renes. dictum autem dorsum, quòd sit superficies durior corporis in modum saxi, fortis ad portandum & ad perpetiendum.

Terga, quia in eā supini iacemus in terra: quod solus homō potest. Nam muta animalia tantùm aut in ventre, aut in latere iacent. Vnde & in animalibus terga abusiuè dicuntur.

Scapula à scandendo dicitur.

Interscapilium spacium quod inter scapulas est, vnde & nominatum.

Palæ sunt dorsi dextra leuaq; eminētia membra, dicta quòd in luctando eas premimus, quod Græci παλαίειν dicunt.

Spina est iunctura dorsi, dicta eo quòd habeat radiolos acutos; cuius iuncturæ spondilia appellantur, propter partem cerebri quæ fertur per eos longo tractu ad cęteras corporis partes.

Sacra spina est ima perpetuę spinę quā Græci ἱερὸν ὀστοῦν vocant: quoniam primùm infante concepto nascitur, ideoque & hostia. id primùm à gentilibus dijs suis dabatur, vnde & spina sacra dicitur.

Renes ait Varro dictos, quòd riui ab his obscæni humoris nascantur. Nam venæ & medullę tenuem liquorem desudant in renibus, qui liquor rursus à renibus calore Venereo resolutus decurrit.

Lumbi ob libidinis lasciuiam dicti, quia in viris causa corporeæ voluptatis in ipsis est, sicut in vmbilico mulieribus. Vnde & ad Iob in

Ann. illudit for sic ad etymologiā dicendos. Nam ęua dicit ἀπὸ τῆς ęu quod si ficat scin vel cædo.

Compago.

© Biblioteca Nacional de España

exordio sermonis dictum est, *Accinge sicut vir lumbos tuos:* vt in ijs esset resistendi præparatio, in quibus libidinis est vsitata dominandi occasio.

Vmbilicus est medius locus corporis: dictus quòd sit ibi vmbo iliorum. Vnde & vmbo appellatur locus in medio clipei, à quo pendet. Ex eo enim infans in vtero pendet, ex eo etiam & nutritur.

Ilium Græco sermone appellatum, quòd ibi obuoluamus nos. Græcè enim ἑλίσσειν obuoluere dicitur.

Clunes vocatæ, quòd sint iuxta colum: quòd est longa ω.

Nates, quòd in ipsis innitimur dũ sedemus. Vnde & conglobata est in eis caro, ne prementi corporis mole ossa dolerent.

Genitalia corporis partes sunt: vt nomen ipsum docet: à gignenda sobole acceperunt vocabulum, quòd his procreatur & gignitur. Hæc & pudenda pro verecundia siue à pube. Vnde & indumento operiuntur. dicuntur autem ista & inhonesta, quia non habent eam speciem decoris, sicut membra quæ in promptu locata sunt.

Idem & veretrum, quia viri est tantùm, siue quod ex eo virus emittitur. Nam virus propriè dicitur humor fluens à natura viri.

Testiculi per diminutionem à testibus dicti, quorum numerus incipit à duobus. Hi enim semen calamo ministrant, quòd ab spinæ medulla & renibus & lumbis suscipiunt ad gratiam procreandi.

Viscus est pellis in qua testiculi sunt.

Posteriora verò vocata, quòd retro sunt & à vultu auersa, ne dum aluum purgamus inquinaremus aspectum.

Meatus inde appellatus, quia per eum meant, id est egeruntur stercora.

Fœmora dicta sunt, quòd ea parte à fœmina sexus viri discrepet. Sunt autem ab inguinibus vsq; ad genua.

Fœmina autem per deriuationem fœmorum partes sunt, quibus in equitando tergis equorum adhæremus. Vnde & præliatores olim sub fœminibus equos amisisse dicebantur.

Costæ quasi coniunctæ axes. In ipsis enim fœmora mouentur, quorum concaua, vertebra vocantur, quia in eis capita fœmorum vertuntur.

Suffragines, quia subtus franguntur, id est flectuntur, non supra sicut in brachijs.

Genua sunt commissiones fœmorum & crurum, & dicta genua, eo quòd in vtero sint genis opposita. Cohærent enim sibi ibi, & cognata sunt oculis lacrimarum indicibus & misericordię. nam à genis genua dicuntur. denique complicatum gigni formariqúe hominem dicunt, ita vt genua sursum sint quibus oculi formantur, vt caui & reconditi fiant. Ennius,

Atq; genua comprimit arta gena.

Inde est quod homines dũ ad genua se prosternunt statim lacrimantur. * Voluit enim eos natura vterum maternum rememorari, vbi quasi in tenebris consedebant, antequam ad lucem peruenirent. al. Cogit.

Crura dicta, quia in ijs currimus & gressum facimus. Sunt autem sub genibus vsque ad suras.

Tibię vocatę, quasi tubę. Sunt enim longitudine & specie similes.

Talus dictus à tolo. Nam tolus est eminens rotunditas: vnde & fastigium templi rotundi tolus vocatur. Talus autem sub crure est, sub talo, calcanei.

Pedes ex Græca ethymologia nomen sortiti sunt. Hos enim Græci πόδας dicunt, quia alternis motibus solo fixi incedunt.

Plantæ à planitie nuncupatæ, quia non rotundę, vt in quadrupedibus, ne stare non possit bipes homo: sed planæ atque longiores formatæ sunt, vt stabile corpus efficerent. Sunt autem plantę anteriores partes, quæ etiam ex multis ossibus constant.

Calcis prima pars plantę, à callo illi nomen impositum, quo terram calcamus, hinc & calcaneus.

Solum inferior pars pedis, dictũ quia eo terræ vestigia imprimimus. sed & solum dicitur omne quod aliquid sustinet, quasi solidum: vnde & terra solum quòd cuncta sustineat, & solũ pedis quòd totam corporis molem portat.

Viscera non tantùm intestina dicimus, sed quicquid sub corio est, à visco quod est inter cutem & carnem. Item viscera vitalia, id est * circumfusa cordis loca, quasi viscora, eo quòd ibi vita, id est anima continetur. Item viscera capita neruorum ex sanguine & neruis copulata. Eadem lacerti siue mures, quia sic in singulis membris cordis loco sunt, vt sit in media parte totius corporis cor: appellantúrque à nomine similium animalium sub terra delitescentium. Nam inde musculi à murium similitudine: ijdem etiam & tori, quòd illic viscera torta videantur. al. circumfluæ.

Cor à Græca appellatione deriuatum: quòd illi καρδίαν dicunt, siue à cura. In eo omnis solicitudo, & scientię causa manet. Quod ideo pulmoni vicinum est, vt cum ira accenditur, pulmonis humore temperetur. Huius duæ arteriæ sunt, de quibus sinistra plus sanguinis habet, dextra plus spiritus: vnde & in dextro brachio pulsum inspicimus.

Præcordia verò sunt loca cordi vicina, quibus sensus percipitur: & dicta præcordia, eo quòd ibi sit principium cordis & cogitationis.

Pulsus vocatus quòd palpitet, cuius indicio aut infirmitatem intelligimus, aut salutem. Huius duplex est motus, aut simplex, aut compositus. Simplex est qui ex vno * saltu constat, compositus est qui ex pluribus motibus inordinatus & inæqualis existit, qui motus certa habent spacia, dactylicum percussum quamdiu sine vitio sunt. Si quando verò citatiores sunt, al. motu.

© Biblioteca Nacional de España

sunt, vt δορκαδάζοντες, aut leniores, vt μυερμίζοντες, mortis signa sunt.

Venæ dictę, eo quòd viæ sint natantis sanguinis, atq; riui per corpus omne diuisi: quibus vniuersa membra irrigantur.

Sanguis ex Græca etymologia nomen duxit, quòd vegetetur, & sustentetur, & viuat. Sanguis autem est dum in corpore est, effusus verò cruor dicitur. Nam cruor vocatus, eo quòd effusus decurrit, vel ab eo quòd currendo corruat. Alij autem cruorem interpretantur sanguinem corruptum qui emittitur. Alij aiunt vocatum sanguinem quòd suauis sit. Sanguis autem non est integer: nisi in iuuenibus. Nam dicunt physici minui sanguinem per ętatem. vnde & in senibus tremor est. Propriè aut sanguis animæ possessio est. Inde genas lacerare in luctu mulieres solent: vnde & purpureæ vestes & flores purpurei mortuis præbentur.

Pulmo ex Græco trahit vocabulũ. Græci enim pulmonem πνεύμονα vocant: eo quòd cordis flabellum sit, in quo πνεῦμα, id est spiritus inest, per quod & agitantur & mouentur, vnde & pulmones vocati sunt. Nam Græce πνεῦμα spiritus dicitur, qui flando & agitando aerem admittit & recipit, à quo mouentur pulmones, & palpitant, & adaperiendo se, vt flatum capiant. Istringendo, vt eijciant: Est enim organum corporis.

Iecur nomen habet: eo quòd ignis ibi habeat sedem: qui in cerebro subuolat. Inde ad oculos, cæterosq; sensus, & membra diffunditur, & calore suo ad se succum ex cibo tractum vertit in sanguinem: quem ad vsum pascendi nutriendiq; singulis membris præbet. In iecore autem persistit voluptas & concupiscentia, iuxta eos, qui de physicis disputant.

Fibræ iecoris sunt extremitates, sicut extremæ partes foliorum in vitibus, siue quasi linguę eminentes. Dictæ autem fibræ: quòd apud gentiles in sacris ad Phœbi aras ferebantur ab aruolis, quibus oblatis atque succensis responsa acciperent.

Splen dictus à supplemẽto, ex contraria parte iecoris ne vacua existerent: quem quidam etiam risus causa factum existimant. Nam splene ridemus, felle irascimur, corde sapimus, iecore amamus. Quibus quatuor elementis constantibus integrum est animal.

Fel appellatum quod sit folliculus gestans humorem qui vocatur bilis.

Stomachus Græcè os vocatur, eo quòd ostiũ ventris sit, & cibum excipiat, atque in intestina transmittat.

Intestina dicũtur, eo quòd corporis interiore parte cohibentur, quæ idcirco longis nexibus in circulorum ordinata sunt modum, vt susceptas escas paulatim digerant, & super additis cibis non impediantur.

Omentum * membranum quod continet intestinorum maiorem partem, quod ἐπίπλεον Græci vocant. *al. membrana quæ.*

Disseptum intestinum quod discernit ventrem & cætera intestina à pulmone vel corde.

Cęcum intestinum, quòd sit sine foramine & exitu, quod Græci τυφλὸν ἔντερον dicunt.

Ieiuna tenue intestinũ, vnde & ieiunium dicitur.

Venter autem, & aluus, & vterus inter se differunt. Venter est qui acceptos cibos digerit, & apparet extrinsecus, pertingitq; à pectore ad inguina, & dictus venter quòd per totum corpus vitę alimenta transmittat.

Aluus est quæ cibum recipit, & purgari solet. Salustius, *Simulans sibi aluum purgari.* Et vocatur aluus quod abluatur, id est purgetur. Ex ipsa enim sordes stercorum defluunt.

Vterum solę mulieres habent in quo concipiunt, ad similitudinem cauliculi. Tamen autores vterum pro vtriusque sexus ventre plerũq; ponunt, nec poetę tantummodo, sed & cæteri. Vocatus autem vterus, quòd duplex sit, & ab vtraq; in duas se diuidit partes, quæ in diuersum diffusæ ac * replexę circumplicantur in modum cornuum arietis, vel quòd interius implea-tur fœtu. Hinc & vte- quod aliquid extrinsecus habuerit, vt membra & viscera. *al. reflexæ.*

Aqualiculus autem propriè porci est, hinc ad ventrem translatio.

Matrix dicitur quod fœtus in ea generetur, semen enim receptum confouet, confotum corporat, corporatum in membra distinguit.

Vulua vocata quasi valua ventris, id est ianua, vel quòd semen recipiat, vel quòd ex ea fœtus procedat.

Vesica quasi vas aquæ, quia sicut vas aqua, ita de renibus vrina collecta completur, & humore distenditur. Cuius vsus in volucribus nõ habetur.

Vrina autem dicta, siue quòd vrat, siue quòd ex renibus egeritur. Cuius indicio & salus & ęgritudo futura monstratur. Qui humor vulgo lotium dicitur, quòd eo lota, id est munda vestimenta efficiantur.

Semen est quod * iactu sumitur, aut terra aut ab vtero ad gignẽdum vel fructus vel fœtus. Est enim liquor ex cibi & corporis decoctione factus, ac diffusus per venas atque medullas, qui inde desudatus in modum sentinæ concrescit in renibus, eiectusque per coitum, & in vtero mulieris susceptus calorem quodãmodo viscerum, & menstruali sanguinis irrigatione formatur in corpore. *al. iactum.*

Menstrua superuacuus mulierum sanguis. Dicta autem menstrua * propter circuitum luminaris luminis, quo solet hoc venire profluuiũ. Luna enim Græcè μὴν dicitur, hęc & muliebria nuncupantur. Nam mulier solum menstruale est animal. Cuius cruoris contactu fruges non germinant, acescunt musta, moriuntur herbæ, amittunt arbores fructus, rubigo ferrum corrumpit, nigrescunt æramenta. Si qui canes inde ederint, in rabiẽ efferuntur. Glutinũ asphalti quod nec ferro, nec aquis dissoluitur pollu- *al. à circuitu.*

© Biblioteca Nacional de España

tum cruore ipso sponte dispergitur. Post plurimos autem dies menstruos ideo semen non est germinabile, quia iam non est menstrualis sanguis à quo perfusum irrigetur. Tenue semen locis muliebribus non potest adhærere. Labitur enim nec habet vim adhærendi. Similiter & crassum vim non habet gignendi, quia muliebri sanguini miscere se non potest propter nimiam sui spissitudinem. Hinc & sterileis mares & fœminas dicunt fieri, vel per nimiam seminis vel sanguinis crassitudinem, vel propter nimiã raritatem.

Primum autẽ aiunt cor hominis fingi, quòd in eo sit & vita hominis & sapientia: deinde quadragesimo die totũ corpus expleri: quod ex abortionibus, vt fertur, collectum est. Alij fœtus à capite sumere dicunt exordium. Vnde & in auium fœtibus primum oculos fingi in ouis videmus.

Fœtus autem nominatus quod adhuc in vtero foueatur. Cuius secundæ dicuntur folliculus qui simul cum infante nascitur, continetq; eum: dictus ita, quia eum cum editur, sequitur.

Nasci autem patribus similes aiunt, si paternum semen validius sit: matribus, si matris, hac ratione similes exprimi vultus. Qui autem vtriusque parentis figuram reddunt, ęqualiter mixto paterno maternoq; semine concipiuntur, auorum proauorum similes fieri, quia sicut in terra multa semina occulta, ita & in hominibus semina celantur, figuras parentum redditura: ex paterno autem semine puellas nasci, & ex materno pueros: quia omnis partus constat duplici semine: cuius pars maior cum inualuerit, occupat similitudinem sexus.

In corpore nostro quædam tantùm vtilitatis causa facta sunt, vt viscera: quædam & vtilitatis & decoris, vt sensus in facie; & in corpore manus ac pedes. quorum membrorum & vtilitas magna est, & species decentissima. Quædam tantùm decoris, vt mamillę in viris, & in vtroque sexu vmbilicus. Quædam discretionis, vt in viris genitalia, barba prolixa, pectus amplũ: in mulieribus læues gene, & angustum pectus: ad concipiendos autem & portandos fœtus renes & latera dilatata. Quod ad hominem, & ad partes attinet corporis ex parte dictum est, nũc ætates eius subiungamus.

De ætatibus hominis.

GRadus ętatis sex sunt, infantia, pueritia, adolescentia, iuuentus, grauitas atque senectus.

Prima ætas infantia est pueri nascentis ad lucem, quæ porrigitur in septem annis.

Secunda ætas pueritia, id est pura & necdũ ad generandum apta, tendẽs usq; ad decimumquartum annum.

Tertia adolescentia ad gignendum adulta quæ porrigitur usque ad vigesimumoctauum annum.

Quarta iuuentus firmissima omnium ætatum finiens in quinquagesimo anno.

Quinta ætas senioris, id est grauitas, quæ est inclinatio à iuuentute in senectutem: nondum senectus: sed iam nondum iuuentus, quia senioris ætas est quàm Græci πρεσβύτην vocant. Nam senex apud Græcos non presbyter, sed γέρων dicitur. Quæ ætas à quinquagesimo anno incipiens septuagesimo terminatur.

Sexta ætas est senectus, quæ nullo annorum tempore finitur: sed post illas quinque ætates quantumcunque vitæ est, senectuti deputatur.

Senium autem pars est vltima senectutis, dicta quod sit terminus sextę ætatis. In his ergo sex spacijs philosophi vitam descripserunt humanam, in quibus mutatur & currit, & ad mortis terminum peruenit. Pergamus ergo breuiter per prędictos gradus ętatis etymologias earum in homine demonstrantes.

Infans dicitur homo primę ætatis, dictus autem infans, quia adhuc fari nescit, id est loqui non potest. Nondum enim benè ordinatis dentibus, minus est sermonis expressio.

Puer à puritate vocatus: quia purus est, & necdum lanuginem floremque genarum habens. Hi sunt ephebi, idest à Phœbo dicti, necdum viri sed adolescentuli læues.

Puer autem tribus modis dicitur, pro natiuitate, vt Esaias, *Puer natus est nobis.* Pro ætate, vt octennis, decennis. Vnde est illud.

Iam puerile iugum tenera ceruice regebat.

Pro obsequio & fidei puritate, vt Dominus ad prophetam, *Puer meus es tu, noli timere,* dum iam Ieremias longè pueritiæ excessisset annos.

Puella est paruula quasi pupilla. Vnde & pupillos, non pro conditione: sed pro ætate puerili vocamus. Pupilli autem dicti, quasi sine oculis, hoc est à parentibus orbi. Hi autem verè pupilli dicuntur: quorum parentes ante discesserunt, quàm ab eis nomẽ acciperent. Cæteri orbi vocantur orphani, id est qui & pupilli. illud enim Græcum est, hoc Latinum. Nam & in psalmo vbi legitur, *Pupillo tu eris adiutor.* Græcus habet ὀρφανῷ.

Puberes à pube, idest à pudendis corporis nuncupati, quòd hæc loca tunc primum lanuginem ducunt. Quidam autem ex annis pubertatem existimant: id est eum puberem esse qui quatuordecim annos expleuerit: quamuis tardissimè pubescat. Certissimum autem puberem esse, qui & ex habitu corporis pubertatẽ ostendat & generare iam possit.

Puerperę sunt quę annis puerilibus pariunt. Vnde & Horatius.

Laudatur primo prole puerpera Nato.

Et dictæ puerperæ, vel quod primo partu grauantur, vel quod primum pueros pariant.

Adolescens dictus, eo quòd sit ad gignendum adultus, siue à crescere & augeri.

© Biblioteca Nacional de España

Iuuenis vocatus quòd iuuare posse incipiat, vt in bubus iuuenci, cũ à vitulis discesserint. Est enim iuuenis in ipso ætatis incremẽto positus, & ad auxilium paratus. Nam iuuare hominis est opus aliquid conferentis. Sicut autem xxx. perfectæ ætatis est annus in hominibus: ita in pecudibus ac iumentis tertius robustissimus.

Vir nuncupatus quod maior in eo vis est: quàm in feminis. Vnde & virtus nomẽ accepit: siue quod vi agat fœminam.

Mulier vero à mollitie tanquam mollier detracta litera, vel mutata appellata est mulier. Vtriq; enim fortitudine & imbecillitate animorum vel corporum separantur. Sed ideo virtus maxima viri, mulieris minor, vt patiens viro esset, scilicet ne fœminis repugnantibus libido cogeret viros aliud appetere, aut in aliũ sexum proruere. Dicitur igitur mulier secũdum fœmineum sexum, non secundum corruptionem integritatis: & hoc ex lingua sacrę scripturæ. Nam Eua statim facta de latere viri sui, nondum contacta à viro, mulier appellata est, dicente scriptura, *Et formauit eam in mulierem.*

Virgo à viridiore ętate dicta est: sicut virga & vitula. Aliâs ab incorruptione, quasi virago: qd ignoret fœmineam passionem.

Virago vocata, quia vt vir agit, hoc est opera virilia facit & masculini vigoris est. Antiqui enim fortes fœminas ita vocabant. Virgo autem non rectè virago dicitur si non viri officio fungatur. Mulier vero si virilia opera facit, rectè virago dicitur, vt Amazones. Quæ vero nunc fœmina, antiquitus vira vocabatur, sicut à seruo serua: sicut à famulo famula: ita à viro vira. Hinc & virginis nomen quidam putant.

Fœmina vero à partibus fęmorum dicta, vbi sexus species à viro distinguitur. Alij Græca etymologia fœminam ab ignea vi dictam putant: quia vehementer concupiscit. Libidinosiores enim viris fœminę sunt. tã in mulieribus, quàm in animalibus. Vnde nimius amor apud antiquos fœmineus vocabatur.

Senior est adhuc viridior. Ouidius in sexto libro. Senior,

—*Inter iuuenẽq; senemq;.* Terẽtius, *Qui* viri iure sumus.*

* *forte, Viridiores. Ann. In quodam VC. semper Adulescens scribitur & Adulescentior, & senis pro senex. al. senes. al. iuuenior.*

Adolescentior non vtiq; magis est adolescẽs* sed minus, vt senior. minus est * sene, vbi comparatiuus gradus minus significat à positiuo. Ergo senior non satis, sicut * iunior inter iuuenẽ & senem, sicut pauperior inter ditẽ & pauperẽ.

Senes autem dictos quidam putant à sensus diminutione, eo quòd iam prę vetustate desipiant. Nam physici dicunt homines stultos esse frigidioris sanguinis, prudentes calidi. Vnde & senes in quibus iam friget, & pueri in quibus necdum calet, minus sapiunt. Inde est quod conuenit sibi infantum ætas & senum. Senes enim per nimiam ætatem delirant, pueri per lasciuiã & infantiam ignorant quid agant. Senex autem tantùm masculini generis est, sicut anus fœminini. Nam anus dicitur sola mulier. Anus autem appellata à multis annis quasi annosa. Nam si commune esset nomen, * cur diceret Terentius, *senem mulierem?* Hinc & vetula, quia vetusta. Sunt autem à sene senectus, ita ab anu anilitas nominata est.

al. cur non diceret.

Canities autem vocata à candore, quasi candicies. Vnde est illud,

Florida iuuentus, lactea canities; prout diceret candida.

* Senectus autem multa secum & bona affert & mala. Bona, quia nos à potentissimis dominis liberet, voluptatibus imponit modum. libidinis frangit impetus, auget sapientiam, dat maturiora consilia. Mala autem, quia senium miserrimum est, debilitate & odio. Subeunt enim morbi tristisq; senectus. Nam duo sunt quibus minuuntur corporis vires: senectus & morbus.

Mors dicta quòd sit amara vel à Marte, qui est effector mortium: siue mors à morsu primi hominis* quo ille pomi esu mortem meruit.

al. qui vetitæ arboris pomum mordens mortẽ incurrit. al. meruit.

Tria sunt autem genera mortis, acerba, immatura, naturalis. Acerba infantium: immatura iuuenum, * matura, idest naturalis, senum.

Mortuus autem ex qua parte orationis declinetur incertum est. Nam sicut ait Cæsar, ab eo quòd est morior in participio præteriti temporis in Tus exire debuit, per vnũ scilicet u nõ per duo. Nam vbi geminata est litera nomen est non participium, vt fatuus arduus. Conuenienter itaq; factum est, vt quemadmodum id quod significat, non potest agendo: ita & ipsum nomen non posit loquendo declinari. Omnis autem mortuus aut funus est aut cadauer.

Funus est si sepeliatur. Et dictum funus à funibus accensis: quos ante feretrum papiris cera circumdatis ferebant.

Cadauer autem est si insepultum iacet. Nam Cadauer nominatum à cadendo, quia iam stare non potest. Quod dum portatur, exequias dicimus: crematum, reliquias: conditum, iam sepultum. Corpus autem à consuetudine dicitur, vt illud,

Tum corpora luce carentum.

Defunctus vocatus, quia compleuit vitę officium. Nam dicimus defunctos officio, qui officia debita compleuerunt, vnde & honoribus functos. Hinc ergo defunctus, quod ab officio sit vitæ depositus: siue quod sit diem functus.

Sepultus autem dictus, eo quòd iam sine pulsu & palpitatione est, id est sine motu. Sepelire autem est condere corpus. Nam humare obruere dicimus, hoc est humum injcere.

De portentis.

PORtenta esse ait Varro, quæ contra naturam nata videntur: sed non sunt contra naturam, quia diuina voluntate fiunt, cum voluntas creatoris cuiusquę conditæ rei na-

© Biblioteca Nacional de España

tura sit. Vnde & ipsi gentiles Deum modo Naturam, modo Deum appellant. Portentum ergo fit non contra naturam, sed contra quam est nota natura. Portenta autem & ostenta monstra atq; prodigia ideo nuncupantur; quòd portendere atq; ostendere; monstrare atq; prædicere aliqua futura videntur. Nam portenta dicta perhibentur à portendendo; id est preostendendo. Ostenta autem, quòd ostendere quicquam futurum videantur.

Prodigia, quòd porro dicát, id est futura prædicent.

Monstra verò à monitu dicta, quòd aliquid significandum demonstrent, siue quod statim monstrent quid appareat, & hoc proprietatis est: abusione tamen scriptorum plerumq; corrumpitur. Quædam autem portentorum creationes in significationibus futuris constitutæ videntur. Vult enim deus interdum ventura significare per aliqua nascentiũ noxia: sicut & per somnos, & per oracula, quibus præmoneat & significet quibusdam vel gentibus vel hominibus futuram cladem, quod plurimis etiam experimentis probatum est: * vt in temporibus Xerxis regis. Tunc quippe vulpes ex equa creata, dissolui regnum eius portendit. Alexandro ex muliere monstrum creatum est: quod superiores corporis partes hominis, sed mortuas habuerit: inferiores diuersarum bestiarum, sed viuentes: significasse repentinam regis interfectionem. superuixerant enim deteriora meliorib us. Sed monstra quæ in significationibus dantur, non diu viuunt, sed continuò vt nata fuerint occidunt.

al. Xerxi quippe vulpes, &c.

Inter portentum & portentuosum differt. Nam portenta sunt quæ transfigurantur, sicut fertur in Vmbria mulierem peperisse serpentẽ. Vnde Lucanus,

Matremq; suus conterruit infans.

Portentuosa verò leuem sumunt mutationem. Exempli causa, cum sex digitis nati. Portenta igitur vel portentuosa existunt alia, magnitudine totius corporis vltra communem hominum modum, quantus fuit Tition in nouem iugeribus iacens, Homero testante: alia, paruitate totius corporis, vt Nani, vel quos Græci pygmæos vocant, eo quòd sint statura cubitales. Alij magnitudine partium, veluti capite informi, aut superfluis membrorum partibus, vt bicipites & trimani: vel * Scinodontes, quib⁹ gemini procedũt dentes. Alij à defectu partium, in quibus altera pars plurimũ deficit ab altera, vt manus à manu vel pes à pede. Alij à discisione, vt sine manu, aut capite generata: quos Græci * sterisios vocant. Alia per numeria: quando solum caput, aut crus nascitur. Alia quæ in parte transfigurantur: sicut qui leonis habent vultum, vel canis, vel taurinum caput, aut corpus, vt ex Pasiphae memorant genitum Minotaurum, quod Græci ἑτερομορφίαν vocant. Alia quę ex omni parte transfigurantur in alienæ creationis portentum: vt ex muliere vitulum dicit historia generatum. Alia quæ sine transfiguratione mutationem habent locorum, vt oculos in pectore vel in fronte, aures supra tempora: vel sicut Aristoteles tradidit, quendam in sinistra parte iecur, in dextera parte splen habuisse. Alia secundum connaturationem, vt in alia manu digiti plures connaturati & cohærentes reperiũtur, in alia minus siue in pedibus. Alia secundum immaturam & intemperatam creationem, sicut ij qui dentati nascuntur, siue barbati, vel cani. Alia complexu plurimarum differentiarum, sicut illud quod prędiximus in Alexandro multiforme portentum. Alia commixtione generis, vt ἀνδρόγυνοι & ἑρμάφροδιτοι vocantur. Hermafroditæ autem nuncupati, eo quòd eis vterq; sexus appareat. ἕρμης quippe apud Græcos Mercurius est. ἀφροδίτη Venus nuncupatur. Hi dextram mamillam virilem, sinistram muliebrem habentes vicissim coeundo, & gignũt, & pariunt.

forte σκιζοδόντες.

forte σκεντιχὺς.

Sicut autem in singulis gentibus quædam monstra sunt hominum, ita in vniuerso genere humano quædam monstra sunt gentium, vt gigantes, cynocephali, cyclopes, & cætera.

Gigantes dicti iuxta Græci sermonis etymologiam, qui eos γηγενεῖς existimant, id est terrigenas, eo quòd fabulose parens terra immensa mole & similes sibi genuerit. γῆ enim terra appellatur. γένος genus, licet & terræ filios vulgus vocet: quorum genus incertum est. Falsa autem opinantur quidam imperiti de scripturis sanctis, præuaricatores angelos cum filiabus hominum ante diluuium concubuisse, & exinde natos gigantes, id est nimium grandes & fortes viros, de quibus terra completa est.

Cynocephali appellantur, eo quòd canina capita habeant, quosque ipse latratus magis bestias, quàm homines confitetur. Hi in India nascuntur. Cyclopes quoq; eadem India gignit, & dicti cyclopes, eo quòd vnum oculum in frõte media habere perhibentur. Hi & ἀγριοφαγίστοι dicuntur: propter quod solas ferarum carnes comedunt.

Lemnias in Lybia credunt truncos sine capite nasci, & os & oculos habere in pectore. Alios sine ceruicibus gigni, oculos habentes in in humeris.

In vltimo autem orientis monstruosæ gentium facies scribũtur. Aliæ sine naribus, æquali totius oris planitie, informes habentes vultus. Aliæ labro subteriori adeo prominenti, vt in solis ardoribus totam ex eo faciem contegant dormientes. Alijs concreta ora esse, modico tantùm foramine calamis * venarum potum haurientes. Nonnulli sine linguis esse dicuntur, inuicem pro sermone vtentes nutu siue motu.

al. dũeñatis pastiu.

Panotios apud Scithiam esse ferunt tam diffusa aurium magnitudine, vt omne corpus ex eis contegant. πᾶν enim Græco sermone omne, ὦτα aures dicuntur.

Artabatitæ in Aethiopia proni, vt pecora ambulare

© Biblioteca Nacional de España

bulare dicuntur: quadragesimum æui annum nullus supergreditur.

Satyri homunciones sunt aduncis naribus, cornua in frontibus habent, & caprarum pedibus similes: qualem in solitudine Antonius sanctus vidit. Qui etiam interrogatus Dei servo respondisse fertur dicens: *Mortalis ego sum venus ex accolis heremi, quos vario delusa errore gentilitas Faunos Satyrosq; colit.* Dicuntur quidam & sylvestres homines, quos nonnulli Faunos ficarios vocant.

Sciopodum gens fertur esse in Æthiopia singulis cruribus & celeritate mirabili: quos inde Σκιόποδες Græci vocant, eò quòd per æstum in terra resupini iacentes, pedum suorum magnitudine adumbrentur.

Antipodes in Lybia plantas versas habent post crura & octenos digitos in plantis.

ἱππόποδες in Scythia sunt, humanam formam & equinos pedes habentes.

In India ferunt esse gentē, quæ μακρόβιοι nuncupantur duodecim pedum staturam habentes. Est & gens ibi statura cubitalis, quos Græci à cubito pygmæos vocant, de qua suprà diximus. Hi montana in die tenent, quibus est vicinus oceanus.

Perhibent & in eadem India esse gentem fœminarum quæ quinquennes concipiunt, & octavum vitæ annum non excedunt.

Dicuntur autem & alia hominum fabulosa portenta quæ non sunt, sed ficta: & in causis rerum interpretantur, vt Gerionem Hispaniæ regem triplici forma proditū: Fuerunt enim tres fratres tantæ concordiæ, vt in tribus corporibus, quasi vna anima esset.

Gorgones quoque meretrices crinitas serpentibus fertur, quæ aspicientes se convertebant in lapides, habētes vnum oculum quo invicem vtebantur. Fuerunt autem tres sorores vnius pulchritudinis, quasi vnius oculi, quę ita inspectores suos *stupescere faciebant, vt vertere eos putarentur in lapides.

Sirenas tres fingunt fuisse ex parte virgines, ex parte volucres: habētes alas & vngulas: quarum vna voce, altera tibijs, tertia lira canebat. Quæ illectos nauigantes suo cantu in naufragia trahebāt. Secundum veritatem autem meretrices fuerunt, quæ transeuntes, quoniam ad egestatē deducebant, ijs fictæ sunt inferre naufragia. Alas autem habuisse & vngulas, quia amor & volat & vulnerat. Quę inde in fluctibus commorasse dicuntur, quia fluctus Venerem creaverunt.

Scillam quoque ferunt fœminam capitibus succinctā caninis, cum latratibus magnis, propter fretum Siculi maris, in quo nauigātes verticibus in se concurrentium vndarum exterriti, latrare existimant vndas, quas sorbentis æstus vorago collidit.

Fingunt & monstra quædā irrationabilium animantium, vt Cerberum inferorū canem tria capita habentem, significantes per eum tres ætatēs, per quas mors hominem devorat, id est, infantiam, iuventutem & senectutem. Quem quidam ideo dictum Cerberum putant, quasi sit κρεόβορος, id est, carnem vorans.

Dicunt & Hydram esse serpentem cum novem capitibus, quę Latinè *scedra dicitur, quòd vno cesо tria capita excrescebant. Sed constat hydram locum fuisse evomentem aquas, vastantem vicinam ciuitatem, in quo vno clauso meatu multi erumpebant. Quod Hercules videns, loca ipsa exusit, & sic aquæ clausit meatus. Nam hydra ab aqua dicta est: huius mētionem facit Ambrosius in similitudinem hęresium, dicens: *Hæresis enim velut quædam hydra fabularum, vulneribus suis creuit: & dum sæpe reciditur, pullulat. igni debita incendioq; peritura.*

Fingunt & Chimæram triformem bestiam, ore leonem, postremis partibus draconem, media capream. Quam quidam Physiologi non animal, sed Ciliciæ montem esse aiunt, quibusdam locis leones & capreas nutrientē, quibusdam ardentem, quibusdam plenū serpentibus. Hunc Bellorofontes habitabilē fecit vnde Chimæram dicitur occidisse.

Centauris, id est, hominibus equo mixtis species vocabulum dedit, quos quidā fuisse equites Thessalorum dicunt, sed quòd discurrentes in bello velut vnum corpus equorum & hominum viderentur, inde Centauros fictos asseruerunt.

Porrò Monocētaurum nomen sumpsisse ex tauro & homine, qualem bestiam dicunt fabulosè in Labyrintho inclusam fuisse. De qua Ovidius:

Semibovemq; virum, semivirumq; bovem.

Onocentaurus autem vocatur, eò quòd media pars hominis species, media asini esse dicatur, sicut & Hypocentauri quòd equorum hominumq; in eis natura cōiuncta fuisse putatur.

De transformatis.

Scribuntur autem & quædam monstruosæ hominum transformationes & commutationes in bestias, sicut de illa maga famosissima Circe, quæ socios quoq; Vlysis mutasse fertur in bestias: & de Arcadibus, qui sorte ducti, transnatabant quoddā stagnum atq; ibi convertebantur in lupos. Nam & Diomedis socios in volucres fuisse conversos, non fabuloso mendacio, sed historica affirmatione confirmant. Sed & quidam asserunt Strigas ex hominibus fieri. Ad multa enim latrocinia figuræ scelerato rum mutantur, & siue magicis cantibus, siue herbarum veneficio, totis corporibus in feras transeunt. Siquidem & per naturam pleraque mutationem recipiunt: & corrupta in diuersas species transformantur: sicut de vitulorum carnibus putridis apes: sicut de equis scarabei: de mulis locustæ: de cancris scorpiones. Ovidius:

Concaua littorei si demas brachia cancri:
Scorpius exibit, caudaq; minabitur vnca.

© Biblioteca Nacional de España

ISIDORI HISPALENIS EPISCOPI ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM LIBER XII.

CAPITA LIBRI DVODECIMI.

1 *De pecoribus & iumentis.*
2 *De bestijs.*
3 *De minutis animantibus.*
4 *De serpentibus.*
5 *De vermibus.*
6 *De piscibus.*
7 *De auibus.*
8 *De minutis volatilibus.*

De pecoribus & iumentis. CAP. I.

OMNIBVS ANIMANtibus Adam primus vocabula indidit, appellans vnicuiq; nomen ex pręsenti institutione, iuxta conditionem naturę cui seruiret. Gentes autem vnicuiq; animaliũ ex propria lingua dederunt vocabula. Non autem secundum Latinam linguam atque Græcam aut quarumlibet gentium barbararum nomina illa imposuit Adam: sed illa lingua quæ ante diluvium omnium vna fuit, quæ Hebræa nuncupatur.

Latinè autem animalia sive animantia dicta, quòd animentur vita & moveantur spiritu.

Quadrupedia vocata, quia quatuor pedibus gradiuntur: quæ dum sint similia pecoribus, tamen sub cura humana non sunt. vt cervi, damę, onagri, &c. sed neque bestiæ sunt, vt leones: neque iumenta, vt vsus hominum iuvare possint.

Pecus dicimus omne quod humana lingua & effigie caret. Propriè autem pecorum nomen ijs animalibus accommodari solet, quæ sunt aut ad vescendum apta, vt oves & sues: aut vsui hominum commoda, vt equi & boves. Differt autem inter pecora & pecudes: nam veteres communiter in significatione omnium animalium pecora dixerunt. Pecudes autem tantùm illa animalia quæ eduntur quasi pecuedes. Generaliter antem animal pecus à pascendo vocatur.

Iumenta nomina inde traxerunt, quòd nostrum laborem vel onus suo adiutorio subvectando vel arando iuvent. Nam bos carpenta trahit, & durissimas terræ glebas vomere vertit. Equus & asinus portant onera, & hominum in gradiendo laborem temperant. Vnde & iumenta appellantur ab eo quòd iuvent homines. Sunt enim magnarum virium animalia.

Eadẽ quoq; armẽta, vel quòd sint apta armis, id est, bello: vel quòd his in armis vtimur. Alij armenta tantũ boves intelligunt ab arãdo, quasi aramenta. Discretio est autem inter armenta & greges: nam armenta equorũ & boum sunt: greges verò caprarum & ovium.

10 Ovis molle pecus lanis, corpore inerme: animo placidum, ab oblatione dictum, eò quòd apud veteres in initio non tauri, sed oves in sacrificio mactarentur. Ex ijs quasdam bidentes vocant, eò quòd inter octo dentes duos altiores vocant: quas maximè gentiles in sacrificium offerebant.

Vervex vel à viribus dictus, quòd cæteris ovibus sit fortior, vel quòd sit vir. i. masculus, vel quòd vermem in capite habeat: quorum excitati pruritu, invicem se concutiunt, & pugnantes cum magno impetu feriunt.

20 Aries vel ἀπὸ τοῦ ἄρεος, id est, à *Marte vocatus: vnde apud nos in gregibus masculi mares dicuntur: sive quòd hoc pecus à gentilibus primum aris est immolatum. Aries quòd aris imponeretur. Vnde est illud: *mare

— *Aries mactatur ad aram.*

Agnum quanquam & Græci vocent ἀπὸ τοῦ ἁγνὸς, quasi pium. Latini tamen ideo hoc nomen habere putant, eò quòd præ cæteris animantibus matrem agnoscat: adeò vt etiam si in magno grege erraverit: statim balatu recognoscat vocem parentis.

30 Hœdi ab edendo vocati. Parvi enim pinguissimi sunt, & saporis iocundi: vnde & edere: inde & edulium vocatur.

Hircus lascivum animal & petulcum & fervens semper ad coitum: cuius oculi ad libidinem in transversum aspiciunt: vnde & nomen traxit. Nam hirci sunt oculorum anguli secundum Suetonium: cuius natura adeò calidissima est, vt adamantem lapidem, quem nec ignis, nec ferri domare valet materia, solus huius cruor dissolvat. Maiores hirci cinifij dicuntur à fluvio Cinife in Lybia, vbi grandes nascuntur.

40

Capros & capras à carpendis virgultis quidam dixerunt. Alij quòd captent aspera. Nonnulli à crepitu crurum: vnde eas * capreas vocitatas, quæ sunt capræ agrestes, quas Græci pro eo quòd acutissimè videant, ἀπὸ τοῦ ὀξὺ δέρκεσθαι, dorcadas appellaverunt. Morantur enim in excelsis montibus, & quamvis de longinquo: *creas

50

© Biblioteca Nacional de España

quo, vident tamen omnes qui veniunt. Eędem autem & capreæ: eædem ibices, quasi auices, eò quòd ad instar auium ardua & excelsa teneant, & in sublimibus inhabitent, ita vt de sublimitate vix humanis obtutibus pateant: vnde & meridiana pars ibices aues vocat, quę Nili fluentis inhabitant. Hæc itaque animalia, vt diximus, in petris altissimis commorantur, vt si quando ferarum vel hominum adversitatem persenserint, de altissimis saxorum cacuminibus sese præcipitantes in suis se cornibus illæsa suscipiunt.

Cerui dicti ἀπὸ τῶν κεράτων, id est, à cornibus. κέρατα enim Græcè cornua dicuntur. Hi serpentium inimici cùm se gravatos in infirmitate persenserint, spiritu narium eos extrahunt de cavernis: & superata pernicie veneni eorum pabulo reparantur. Dictamnum herbam ipsi prodiderunt. Nam ea pasti excutiunt acceptas sagittas. Mirantur autem sibilum fistularum. Erectis auribus acutè audiunt, summissis nihil. Si quando immensa flumina vel maria transnatant, capita clunibus præcedentium superponunt, sibiq; invicem succedentes nullum laborem ponderis sentiunt.

Τραγελάφοι à Græcis nominati, qui dum eadem specie sint, vt cerui: villosos tamen habent armos, vt hirci, & menta portensis hirsuta barbis, qui non alibi sunt quàm circa Phasidem.

Hinnuli filij sunt cervorum, ab innuere dicti: quia ad nutum matris absconduntur.

Damula vocata, quòd de manu effugiat: timidum animal & imbecille: de quo Martialis:

Dente timetur aper, defendunt cornua cervum.
Imbelles damæ, quid nisi præda sumus?

Lepus quasi levipes, quia velociter currit. Vnde & Græcè pro cursu λάσως dicitur: velox est enim animal & satis timidum.

Cuniculi genus agrestium animalium dicti quasi caniculi, eò quòd canum indagine capiantur, vel excludantur ab speluncis.

Sus dicta, quòd pascua subigat, id est, terra subacta escas inquirat.

Verres, quòd grandes habeat vires.

Porcus, quasi spurcus. Ingurgitat enim se cœno, luto immergit, limo illinit. Horatius:

Et amica luto sus.

hinc etiam spurcitia vel spurius nuncupatur.

Porcorum pilos setas vocamus, & setas à sue dictas: à quibus & sutores vocantur, quòd ex setis suant, id est, consuant pelles.

Aper à feritate vocatus, ablata e litera, & subrogata p. Vnde & apud Græcos ὑς ἄγριος, id est, ferus dicitur. Omne enim quod ferum est & immite abusiuè agreste vocamus.

Iuueucus dictus, eò quòd iuuare incipiat hominum vsus in *excolenda terra, vel quia apud gentiles Ioui semper vbique iuuencus immolabatur, nunquam taurus. Nam in victimis etiam ætas considerabatur.

*colendo terram

Taurus Græcum nomen est sicut & bos. Indicis tauris color fuluus est, volucris pernicitas, pilis in contrarium versis, caput circumflectunt flexibilitate qua volunt, tergi duricia omne telum respuunt immiti feritate.

Bouem Græci βοῦν dicunt. Hunc Latini trionem vocant, eò quòd terram terat, quasi terionem. Neuius: * *Trionem hic moderatur rusticus.* Cuius latitudo pellium à mento ad crura, palearia dicũtur, à pelle ipsa, quasi pellearia, quòd est generositatis in boue signum. Boum in socijs eximia pietas. Nam alter alterum inquirit cum quo ducere collo aratra consueuit, & frequenti mugitu pium testatur affectum si fortè defecerit.

* Trionũ hic moderator.

Vacca dicta, quasi boacca. Est enim ex qualitate mobilium nominum: sicut leo leęna: draco dracęna.

Vitulus & vitula, à viriditate vocati sunt, id est, ætate viridi, sicut virgo. Vitula autem parua est & nondum enixa. Nam enixa, iuuenca est aut vacca.

Bubali vocati per deriuationem, quòd sint similes boum: adeò indomiti, vt præ feritate iugum ceruicibus non recipiant. Hos Africa procreat.

Vri agrestes boues sunt in Germania, habentes cornua intantum protensa, vt regijs mensis insigni capacitate ex eis gerulæ fiant.

Camelis causa nomen dedit, siue quòd quando onerantur, vt breuiores & humiles fiant, accumbant, quia Græci χαμαὶ humile & breue dicunt: siue quia curuus est dorso. * Camor enim verbo Græco curuum significat. Hos licet & aliæ regiones mittant, sed Arabia plurimos. Differunt autem sibi. Nam Arabici bina tubera in dorso habent: reliquarum regionum singula.

* forsè καμπύλον.

Dromeda genus est camelorũ, minoris quidem staturæ, sed velocioris. Vnde & nomen habet. Nam δρόμος Græcè cursus velocitas appellatur. Centum & amplius miliaria vno die pergere solet. Quod animal sicut bos & ouis & camelus ruminat.

Ruminatio autẽ dicta est à *rumine eminente gutturis parte: per quam dimissus cibus à certis animalibus revocatur.

al. rumen

Asinus & asellus à sedendo dictus, quasi * assedus: sed hoc nomen quod magis equis conveniebat, ideo hoc * animal sumpsit, quia priusquam equos caperent homines, huic præsidere ceperunt. Animal quippe tardum & nulla ratione renitens, statim vt voluit sibi homo substrauit.

al. adsedduis
al. ab antiquis

Onager interpretatur asinus ferus. ὄνος quippe Græci asinum vocant: ἄγριος ferum. Hos Africa habet magnos, id est, indomitos, & in deserto vagantes. Singuli autem fœminarum gregibus præsunt. Nascentibus masculis celant, & testiculos eorum morsu detruncant: quod tamen cauentes matres eos in secretis locis occultant.

Asini Arcadici dicti, quòd ab Arcadia primùm vecti sint magni & alti. Minor autem asel-

© Biblioteca Nacional de España

lus agro plus necessarius est, quia & laborem tolerat & negligentiam propemodum non recusat.

Equi dicti, eò quòd quando quadrigis iungebantur, æquabantur, paresque forma & similes cursu copulabantur.

Caballus à cavando dictus, propter quod gradiens vngula impressa terrā concauet, quòd reliqua animalia non habent. Inde & sonipes quod pedibus sonat.

Vivacitas equorum multa: exultant enim in campis, odorantur bellum, excitantur sonitu tubę ad prælium: voce accensi ad cursum provocantur. dolent cùm victi fuerint: exultant cùm vicerint. Quidam hostes in bello sentiunt, adeò vt aduersarios morsu petant. Aliqui etiam proprios dominos recognoscunt: obliti mansuetudinis, si mutentur: aliqui præter dominū nullum dorso recipiunt. Interfectis vel morientibus dominis multi lachrymas effundunt. Solius equi est propter hominē lachrymari, & doloris affectum sentire. Vnde & in centauris equorum & hominum natura permixta est. Solent enim ex equorum mœstitia vel alacritate eventum futurum dimicaturi colligere. Ætas longæua equis Persicis, Vgnicis, Epiroticis ac Siculis: in annis vltra quinquaginta: breuior autē Hispanis ac Numidis & Gallicis, frequens opinio est.

In generosis equis, vt aiunt veteres, quatuor spectantur: forma, pulchritudo, meritum, atque color. Forma vt sit validum corpus & solidum robore, conveniens altitudo, latitudo, latus; longum substrictius, maximæ & rotundæ clunes, pectus latè patens, corpus omne musculorum densitate nodosum, pes siccus, & cornu concauo solidatus. Pulchritudo, vt sit exiguum caput, & siccum, pelle propè osibus adhærente, aures breues & acutæ, oculi magni, nares patulæ, & erecta ceruix, coma densa & cauda, vngularum soliditatis fixa rotunditas. Meritum, vt sit animo audax, pedibus alacer, trementibus membris, quod est indicium fortitudinis: quique ex summa quiete facilè concitetur: vel excitata festinatione non difficilè teneatur. Motus autem equi in naribus intelligitur: virtus in membris trementibus. Color hic precipuè spectandus:* badius, aureus, roseus, mirteus, cervinus, giluus, glaucus, scutulatus, canus, candidus, albus, guttatus, niger. Sequenti autem ordine, varius ex nigro badioque distinctus: reliquis varius color, vel cinereus deterrimus.

Badium autem antiqui vadium dicebant, quòd inter cætera animalia fortius vadat. Ipse est & spadix, quem phœnicatum vocant: & dicit is spadix à colore palmæ, quam Siculi spadicam vocant.

Glaucus verò est veluti pictos oculos habēs, & quodam splendore perfusos. Nam glaucum veteres dicebant album.

Gilvus autem melinus color est subalbidus.

Guttatus, albus nigris intervenientibus punctis.

Candidus autem & albus invicem sibi differunt. Nam albus cum quodam pallore est: candidus verò, niveus & pura luce perfusus.

Canus dictus, quia ex candido colore & nigro est.

Scutulatus vocatus propter orbes quos habet candidos inter purpuras.

Varius, quòd vias habeat colorū imparium. Qui autem albos tantùm pedes habent,* petali appellantur: qui frontem albam,* calidi.

* Cervinus est, quem vulgò gauranem dicunt.

Æranem idem vulgus vocat, quòd in modum Aerei sit coloris.

Mirteus autem est pressus in purpura.

Dosinus autem dictus, quòd sit color eius de asino: idem & cinereus. Sunt autem hi de agresti genere orti: quos equiferos dicimus, & proinde ad vrbanam dignitatem transire non possunt.

Mauron niger est. Nigrum enim Græci μαύρον vocant.

Mannus verò equus brevior est, quem vulgò brunitum vocant vel brunitium.

Veredos antiqui dixerunt, quòd veherent redas, id est, ducerent, vel quòd vias publicas currant: per quas & redas ire solitum erat.

Equorum tria sunt genera: vnum generosum, prælijs & oneribus aptum: alterum vulgare atque gregarium ad vehendum, non ad equitandum aptum: tertium ex permixtione diuersi generis ortum, quod etiam bigenerum dicitur: quia ex diuersis nascitur, vt mulus.

Mulus autem à Græco tractum vocabulum habet. Græcè enim quod iugo pistorum subactus, tardas molendo ducat in girum molas. Iudęi asserunt quòd Anaa abnepos Esau equarum greges ab asinis in deserto ipse fecerit primus ascendi, vt mulorum inde noua contra naturam animalia nascerentur. Onagros quoque admissos esse ob hoc ad asinas: & ipsum istiusmodi reperisse concubitum, vt velocissimi ex his asini nascerentur. Industria quippe humana diversum animal in coitu coegit: sicque adulterina cōmixtione genus aliud reperit: sicut & Iacob contra naturam colorum similitudines procurauit. Nam tales fœtus oues illius concipiebant, quales vmbras arietum desuper ascendentium in aquarum speculo contemplabantur. Deniq; & hoc ipsum in equarum gregibus fieri fertur, vt generosos obijciant equos visibus concipientium, quo eorum similes concipere & creare possint. Nam & columbarum dilectores depictas ponunt pulcherrimas columbas eisdem locis, quibus illæ versantur, quo rapiente visu similes generent. Inde est quòd quidam gravidas mulieres iubēt nullos intueri turpissimos animalium vultus, vt cynocephalos & simias, ne visibus occurrentes similes fœtus pariant. Hanc enim fœminarum dicunt esse natu-

* petali. al. peteli
* candidi
* cerumulus

Annot. Ἀπὸ τῶν βαΐων, hoc est, ramis palmarum, qui colore spadiceum referunt: & hodie Hispani hunc colorē Vayo vocāt. Et vn Vayo, equum spadicei coloris vocant.
*cerumulus

© Biblioteca Nacional de España

naturá, vt quáles prospexerint, siue mente conceperint in extremo voluptatis æstu dum concipiunt, talem sobolem procreent. Etenim animal in vsu Venerio formas extrinsecus intus transmittit, eorumque satiata typis rapit species eorum in propriam qualitatem.

In animantibus bigenera dicuntur, quæ ex diversis nascuntur, vt mulus ex equa & asino: burdo ex equo & asina: hibridę ex apris & porcis: titirus ex oue & hirco: * musino ex capra & ariete. Est autem dux gregis.

*Musinco

De bestijs. CAP. II.

BEstiarum vocabulũ propriè conuenit leonibus, tigribus, pardis, & vulpibus, canibúsque & simijs & cæteris quæ vel ore vel vnguibus sęuiunt, exceptis serpentibus. Bestiæ autem dictæ à vi qua sæuiunt.

Feræ appellatæ, quòd naturali vtantur libertate, & desiderio suo ferantur. Sunt autem liberæ earum voluptates, & huc atq; illuc vagantur, & quò animus duxerit eò feruntur.

Leonis vocabulum ex Græca origine inflexum est in Latinum. Græcè enim λέων vocatur, & est nomen nothum, quia ex parte corruptũ. Leæna verò totum Græcum est, sicut & dracęna. Vt autem leæna lea dicatur, vsurpatum est à poetis. Leo autem Græcè, Latinè rex interpretatur, eò quòd sit princeps omnium bestiarum. Cuius genus trifarium dicitur. E quibus breues ac iuba crispa, imbelles sunt: longi & coma simplici, acres. Animos eorum frons & cauda indicat. Virtus eorum in pectore: firmitas in capite. Septi autem à venatoribus terram contuentur, quo minus conspectis venabulis terrean tur. Rotarum timent strepitus, sed ignis magis. Cùm dormierint vigilant oculi: cùm ambulant cauda sua cooperiunt vestigia sua, ne eos venator inveniat. Cùm genuerint catulum, tribus diebus & tribus noctibus catulus dormire fertur. tunc deinde patris fremitu vel rugitu veluti tremefactus cubilis locus, suscitare dicitur catulum dormientem. Circa hominem leonum natura est benigna, vt nisi læsi nequeant irasci. Patet enim eorum misericordia exemplis assiduis. Prostratis enim parcunt: captiuos obuios repatriare permittunt: hominem non nisi in magna fame interimunt. De quibus Lucretius:

—*Scimniq; leonum*, &c.

Tigris vocata propter * volucrem fugam. Ita enim nominant Persæ & Medi sagittam. Est enim bestia varijs distincta maculis, virtute & velocitate mirabilis: ex cuius nomine flumen Tigris appellatur, quòd is rapidissimus sit omnium fluuiorum. Has magis Hircania gignit.

*al. celerem. al. velocem.

Panther dictus siue quòd omnium animaliũ amicus sit, excepto dracone, siue quia & sui generis societate gaudet, & ad eandem similitudinem quicquid accipit reddit: πᾶν enim omne dicitur. Bestia est hæc minutis orbiculis superpicta, ita vt oculatis ex fuluo circulis, nigra vel alba distinguatur varietate. Hæc semel omnino parturit: cuius causæ ratio manifesta est. Nam cùm in vtero matris coaluere catuli, maturisque ad nascendum viribus pollent: odiunt temporum moras. Itaque oneratam fœtibus vuluam tanquam obstantem partui vnguibus lacerant: effundit illa partum, seu potius dimittit, dolore cogente. Ita postea corruptis & cicatricosis sedibus genitale semen infusum non erit acceptum, sed irritum resilit. Nam Plinius dicit animalia cum acutis vnguibus frequenter parere non posse. Vitiantur enim intrinsecus se mouentibus catulis.

Pardus secundus post antherem est, genus varium & velocissimum, & præceps ad sanguinem. Saltu enim ad mortem ruit.

Leopardus ex adulterio leænæ & pardi nascitur, & tertiam originem efficit: sicut & Plinius in naturali historia dicit, leonem cùm parda: aut pardum cùm leæna concumbere, & ex vtroque coitu degeneres partus creari, vt mulus ex equa & asino.

Rinoceros à Græcis vocatus. Latinè interpretatur in nare cornu. Idem & monoceros, id est, vnicornis, eò quòd vnum cornu in media fronte habeat pedum quatuor: ita acutum & validum, vt quicquid impetierit, aut ventilet, aut perforet. Nam & cum elephante sæpe certamen habet, & in ventre vulneratum prosternit. Tantæ autem est fortitudinis, vt nulla venantium virtute capiatur: sed, sicut asserunt qui naturas animalium scripserunt, virgo puella præponitur, quæ venienti sinum aperit: in quo ille omni ferocitate deposita caput ponit: sicque soporatus velut inermis capitur.

Elephantem Græci à magnitudine corporis vocatum putant, quòd formam montis præferat. Græcè enim mons * elisio dicitur. Apud Indos autem à voce barro vocatur. Vnde & vox eius barritus dicitur, & dentes eius ebur. Rostrum autem * promoscida dicitur, quo ille pabulum ori admouet, & est angui similis, vallo munitus eburneo. Hos boues * Lucanos vocabant antiqui Romani: boues, quia nullum animal grandius videbant: * Lucanos, quia in Lucania illos primus Pirrhus in prælio obiecit Romanis. Nam hoc genus animantis in rebus bellicis aptum est. In eis enim Persæ & Indi ligneis turribus collocatis, tanquam de muro iaculis dimicant. Intellectu autem & memoria multa vigent. Gregatim inceduntmotu quo valent salutant homines: murem fugiunt: aversi coeunt: quando autem parturiunt, in aquis vel insulis dimittunt fœtus, propter dracones, quia inimici sunt & ab eis implicati necantur. Biennio autem portant fœtus, nec amplius quàm semel gignunt, nec plures, sed tantùm vnum. Viuunt autem annos trecentos. Apud solam Africam & Indiam elephanti prius nascebantur: nunc sola eos India gignit.

*al. Elefio

*al. promuscida. al. proboscida.

*al. Lucas

*al. Lucas

© Biblioteca Nacional de España

Gryphes vocatur, quòd sit animal pennatum & quadrupes. Hoc genus ferarum in Hyperboreis mõtibus nascitur. omni parte corporis leones sunt: alis & facie aquilis similes, equis vehementer infesti. Nam & homines * viuos discerpunt. * visos

Cameleon non habet vnum colorem, sed diversa varietate consperſus, vt pardus. Dictus autem ita, eò quòd cameli similitudinem habet & leonis: huius cameleontis corpusculum ad colores quos videt facillima conversione varia tur, quod animalium aliorũ non est ita ad conversionem facilis corpulentia. Cameleon pardus dictus, quòd dum sit vt pardus albis maculis superaspersus, collo equo similis, pedibus bubalis, capite tamen camelo est similis: hunc Æthiopia gignit.

Lynx dictus, quia in luporum genere numeratur: bestia maculis distincta terga, vt pardus, sed similis lupo. Vnde & ille λύκος, iste lynx. Huius vrinam cõverti in duritiam preciosi lapidis dicunt, qui Ligurius appellatur, quòd & ipsos lynces sentire, hoc documento probatur. Nam egestum liquorem arenis inquantũ potuerint contegunt, invidia quadam naturæ, ne talis egestio transeat in vsum humanum. Lynces dicit Plinius Secundus extra fœtum vnum non admittere.

Castores à castrando dicti sunt. Nam testiculi eorũ apti sunt medicaminibus. propter quod cùm præsenserint venatorem, ipsi se castrant & morsibus vires suas amputant. De quibus Cicero in Scauriana, redimunt se à parte corporis, propter quod maximè expetuntur. Iuuenalis:

— *Qui se,*
Eunuchum ipse facit, cupiens euadere damnum
Testiculi —.

Ipsi sunt & Fibri, qui etiam Pontici canes vocantur.

Vrsus fertur dictus, quòd ore suo formet fœtus, quasi orsus. Nam aiunt eos informes generare partus, & carnem quandã nasci, quam mater lambendo in membra componit. Vnde est illud:

Sic format lingua fœtum cùm protulit vrsa.

Sed hoc immaturitas partus facit. denique tricesimo die generat. Vnde evenit, vt præcipitata fœcunditas informis procreetur. Vrsorum caput invalidum: vis maxima in brachijs & in lumbis. Vnde interdum erecti insistunt.

Lupus Græca deriuatione in linguam nostram transfertur. Lupos enim illi λύκους dicunt: λύκος autem Græcè à morsibus appellatur, quòd rabie rapacitatis quæque invenerit trucidet. Alij lupos vocatos aiunt, quasi * leopos, quòd quasi leoni, ita sit illi virtus in pedibus: vnde quicquid pede presserit, non viuit. Rapax autem bestia & cruoris appetens: de quo rustici aiunt, vocem hominem perdere, si eum prior lupus viderit. Vnde & subito tacenti dicitur: *Lupus in fabula*. Certè si se prius visum senserit, deponit feritatis audaciam. Lupi toto anno non amplius quàm duodecim diebus coeunt: famem diu portant, & post longa ieiunia multum devorant. Lupos Æthiopia mittit ceruice iubatos, & * tantum varios, vt nullum colorem dicant illis abesse. * leopes * tamis

Canis nomen Latinum, Græcam etymologiam videtur habere. Græcè enim κύων dicitur: licet eum quidam à canore latratus appellatum æstiment, eò quòd insonet: vnde & canere. Nihil autem sagacius canibus. Plus enim sensus cæteris animalibus habent. Namque soli sua nomina recognoscunt: dominos suos diligunt: dominorum tecta defendunt: pro domino suo se morti objiciunt: voluntariè cum domino suo ad prædam currunt: corpus domini sui etiam mortuum non relinquunt. Quorum postremò naturæ est, extra homines esse non posse. In canibus duo sunt spectanda, aut fortitudo, aut velocitas.

Catuli abusiuè dicuntur quarumlibet bestiarum filij. Nam catuli propriè canum sunt, per diminutionem distincti.

Lyciſci autem dicuntur, vt ait Plinius, canes nati ex lupis & canibus, cũ inter se fortè miscentur. Solẽt & fœminæ canes noctu in syluis alligatæ admitti ad bestias tigres, à quibus insiliri & nasci ex eodem fœtu canes adeò acerrimos & fortes, vt in complexu leones prosternant.

Vulpes dicta, quasi volupes. Est enim volubilis pedibus, & nunquam rectis itineribus, sed tortuosis anfractibus currit, fraudulentum animal, insidijsque decipiens. Nam dum non habuerit escam, fingit mortem: sicque descendentes quasi ad cadauer volucres rapit & deuorat.

Simiæ Græcũ est nomen. i. pressis naribus. Vnde & Simias dicimus, quòd suppressis naribus sint, & facie fœda, rugis turpiter follicantibus: licet & capellarum sit pressum habere nasum. Alij simias Latino arbitrantur sermone vocatas, eò quòd multa in eis similitudo humanæ rationis sentitur, sed falsum est. Hæ elementorum sagaces noua luna exultant: media & caua tristantur. Fœtus quos amant ante se gestant: neglecti circa matrem hærent. Harum genera quinque sunt, ex quibus cercopitheci caudas habent. Simia enim cum cauda est, quam quidam * cruda vocant. * cruram. al. clunam. al. duram. al. cluram.

Sfingæ villosæ sunt comis, mammis prominentibus: dociles ad feritatis obliuionem.

Cynocephali & ipsi similes simijs, sed facie ad modum canis, vnde & nuncupati.

Satyri facie admodum grata & gesticulatis motibus inquieti.

Callitriches toto penè aspectu à cæteris distant. Sunt enim in facie producta barba, & lata cauda.

Leontophonos bestia modica, & ex eo ita vocata, quia capta exuritur: eiusque cinere aspersæ carnes, & positæ per compita semitarum leones necant, si quantuluncunq; ex illis sumpserint.

Histri

© Biblioteca Nacional de España

Histrix animal in Africa erinacij simile, vocatum à spinarum stridore, quas tergo laxatas emittit; vt canes insequentes vulneret.

Enhydros bestiola ex eo nuncupata, quòd in aquis versetur: & maximè in Nilo. Quæ si invenerit dormientem crocodilum volutat se in lutum primum, & intrat per os eius in ventrem, & carpens omnia interiora eius, exit viua de visceribus crocodili, ipso mortuo. Hinc νόσμον Græcè vocatus, eò quòd odore suo & salubria ciborum & venenosa prodantur. De quo Dracontius ait:

* Præcidit ** Prædicit suillus vim cuiuscunque veneni.*

Suillus autem à setis est nuncupatus. Hic etiam serpentes insequitur: qui, cùm aduersus aspidem pugnat, caudam erigit, quam aspis maximè obseruat quasi minantem: ad quam cùm vim suam transfert: decepta corripitur.

Musio appellatus, quòd muribus infestus sit. Hunc vulgus * captum à captura vocant. Alij dicunt quòd captat, id est, videt. Nam tanto acutè cernit, vt fulgore luminis noctis tenebras superet. Vnde & à Græcis venit catus, id est, ingeniosus, * ἀπὸ τοῦ κάζειν. al. κάζεσθαι

* captum

Furo à furuo dictus: vnde & fur. Tenebrosos enim & occultos cuniculos effodit, & eijcit prædam quam invenerit.

Melo, quòd sit rotundissimo membro, vel quòd fauos petat, & assiduè mella captet.

De minutis animantibus.
CAP. III.

MVs pusillum animal, Græcum illi nomen est: quicquid verò ex eo trahit Latinum est. Alij dicunt mures, quòd ex humore terræ nascuntur. Nam mus terra, vnde & humus. His in plenilunio iecur crescit: sicut quædam maritima augentur, quę rursus decrescente luna deficiunt.

Sorex Latinum est, eò quòd rodant & in modum serræ præcidant. Antiqui autem soricem, sauricem dicebant: sicut & clodum claudum.

Mustela dicta, quasi mus longus. Nam telum à longitudine dictum. Hæc ingenio subdola, in domibus vbi nutrit catulos suos, transfert mutatque sedem. Serpentes etiam muresque persequitur. Duo autem sunt genera mustelarum. Alterum enim sylueſtre est distans magnitudine, quod Græci ἰκτίδας vocant: alterum in domibus oberrans. Falsò autem opinantur, qui dicunt mustelam ore concipere, aure effundere partum.

Musaraneum, cuius morsu aranea moritur. Est in Sardinia animal perexiguum, araneę forma, quæ solifuga dicitur: eò quòd diem fugiat. In metallis argentarijs plurima est, occulto reptans, & per imprudentiam supersedentibus pestem facit.

Talpa ideo dicta, quòd sit damnata cæcitate perpetua & tenebris. Est etenim absque oculis, semper quoque terram fodit, & humum egerit, atque radices subter frugibus comedit, quam Græci ἀσφάλακα vocant.

Glires dicti sunt, quia pingues eos efficit somnus. Nam gliscere dicimus crescere. Hyeme enim tota dormiunt & immobiles quasi mortui iacent, tempore æstiuo reuiuiscunt.

Ericius animal spinis coopertum, quod exinde dicitur nominatum, eò quòd subrigit se quando spinis suis clauditur, quibus vndique protectus est contra insidias. Nam statim vt aliquid senserit, primùm se subrigit: atque in globum conversus, in sua arma se recolligit. Huius prudentia quædam est. Nam dum abscideri uvam de vite; supinus sese volutat super eam, & sic eam exhibet natis suis.

Grillus nomen à sono vocis habet. Hic retrò ambulat, terram terebrat, stridet noctibus, venatur eum formica circumligata capillo in cauernam eius coniecta, afflata priùs puluere ne se abscondat. Ita formicæ complexibus trahitur.

Formica dicta, eò quòd ferat micas farris, cuius solertia multa. Providet enim in futurum, & præparat æstate quòd hyeme comedat. In messe autem eligit triticum: hordeum non tangit. Dum pluit * ei super frumentum, totum eijcit. Dicuntur in Æthiopia esse formicæ ad canis formam, quæ arenas aureas pedibus eruunt, quas custodiunt ne quis auferat, captantesque ad necem persequuntur.

* super eius

Formicoleon, ob hoc vocatus, quia est vel formicarum leo, vel certè formica pariter & leo. Est enim animal paruum formicis satis infestum, quòd se in pulvere abscondit, & formicas frumenta gestantes interficit. Proinde autem leo & formica vocatur, quia alijs animalibus vt formica est: formicis autem vt leo est.

De serpentibus: CAP. IIII.

ANguis vocabulum omnium serpentium genus, quod plicari & contorqueri potest. Et inde anguis, quòd angulosus & nunquam sit rectus. Angues autem apud gentiles pro genijs lucorum erant habiti semper: vnde & Persius:

Pinge duos angues pueri sacer est locus.

Colubrum constat ab eo dictum, quòd colat vmbras, vel quòd in lubricos tractus flexibus sinuosis labatur. Nam lubricum dicitur, quicquid labitur dum tenetur, vt piscis & serpens.

Serpens autem nomen accepit, quia occultis accessibus serpit: non apertis passibus, sed squamarum minutissimis nisibus repit. Illa autem quæ quatuor pedibus nituntur, sicut lacerti & stelliones, non serpentes sed reptilia sunt, quia ventre & pectore reptant. Quorum tot venena, quot genera: tot pernicies, quot species: tot dolores, quot colores habentur.

Draco maior cunctorum serpentium, siue o-

© Biblioteca Nacional de España

mnium animantium ſuper terram. Hunc Greci δράκοντα vocant. Vnde & deriuatum eſt in Latino vt diceretur draco, quia ſæpe à ſpeluncis abſtractus fertur in aerem, concitaturque propter eum aer. Eſt autem criſtatus, ore paruo: & artis fiſtulis per quas trahit ſpiritum & linguam exerit. Vim autem non in dentibus, ſed in cauda habet, & verbere potius quàm rictu nocet. Innoxius autem eſt à venenis: ſed ideò huic ad mortem faciendam venena non eſſe neceſſaria, quia ſi quem ligauerit, occidit. A quo nec elephas tutus eſt ſui magnitudine corporis. Nam circa ſemitas delite ſcens, per quas elephanti ſolito gradiuntur: crura eorum nodis illigat, ac ſuffocatos perimit. Gignitur autem in Æthiopia & India, in ipſo incendio iugis æſtus.

Baſiliſcus Græcè, Latinè interpretatur regulus, eò quòd rex ſerpentium ſit: adeò vt eum videntes fugiant, quia olfactum ſuo eos necat: nam & hominem, vel ſi aſpiciat, interimit. Siquidem ad eius aſpectum nulla auis volans illæſa tranſit: ſed quamvis procul ſit, eius ore combuſta devoratur. A muſtelis tamen vincitur, quas illic homines inferùt cavernis, in quibus delitescit. Itaque ea viſa, fugit, quem illa perſequitur & occidit. Nihil enim parens ille rerum ſine remedio conſtituit. Eſt autem longitudine ſemipedalis: albis maculis lineatus.

Reguli autem, ſicut ſcorpiones, arentia quæque ſectantur, & poſtquam ad aquas venerint, ibique aliquem momorderint, ὑδροφόβους & lymphaticos faciunt.

Sibilus idem eſt qui & regulus. Sibilo enim occidit antequam mordeat vel exurat.

Vipera dicta, quòd vi pariat. Nam cùm venter eius ad partum intumuerit: catuli non expectantes naturæ maturâ ſolutionem, ſed corroſis eius lateribus vi erumpunt cum matris interitu. Lucanus:

Viperei coeunt abrupto corpore nati.

Fertur autem quòd maſculus ore inſerto viperæ ſemen expuat. Illa autem ex voluptate libidinis in rabiem verſa, caput maris ore receptum præcidit. Ita fit vt parens vterque pereat, maſculus dum coit, fœmina cùm parturit. Ex vipera autem paſtelli fiunt, qui θηριακοὶ vocantur à Græcis.

Aſpis vocata quòd morſu venena immittat & aſpergat: ἰὸν enim Græci venenum dicunt: & inde aſpis quòd morſu venenato interimat. Huius diuerſa genera & ſpecies, & diſpares effectus ad nocendum: fertur enim aſpis cùm ceperit pati incantatorem, qui eam quibuſdam carminibus proprijs evocat, vt eam de caverna educat: illa autem cùm exire noluerit, vnam aurem ad terram premit, alteram cauda obturat & operit: atque ita voces illas magicas non audiens, non exit ad incantantem.

Dipſas genus eſt aſpidis, quæ Latinè ſitula dicitur, quia quem momorderit, ſiti perit.

Hypnalis genus aſpidis dicta, quòd ſomno necat. Hanc ſibi Cleopatra appoſuit, ac ita morte quaſi ſomno ſoluta eſt.

Hemorrois aſpis nuncupatur, eò quòd ſanguinem ſudet qui ab eo morſus fuerit: ita vt diſſolutis venis, quicquid vitæ eſt per ſanguinem evocet. Græcè enim ſanguis αἷμα dicitur.

Preſter aſpis ſemper ore patenti & vaporante currit. Cuius poeta ſic meminit:

Oraq; diſtendens auidus fumantia preſter.

Hic quem percuſſerit, diſtenditur, enormique corpulentia necatur. Extuberatum enim putredo ſequitur.

Seps, tabificus aſpis, qui dum momorderit hominem, ſtatim eum conſumit: ita vt liquefiat totus in ore ſerpentis.

Ceraſtes ſerpens dictus, eò quòd in capite cornua habeat ſimilia arietum. Κέρατα enim Græci cornua vocant: ſunt autè illi quadrigemina cornicula: quorum oſtentatione, veluti eſca, illiciens ſollicitata animalia perimit. Totum enim corpus arenis tegit: nec vllum indicium ſui præbet, niſi ex ea parte qua invitatas aves vel animalia capit. Eſt enim flexuoſus plus quàm alij ſerpentes, ita vt ſpinam non habere videatur.

Scitalis ſerpens vocatus, eò quòd tanta prefulget tergi varietate, vt notarum gratia retardet aſpicientes: & quia reptando pigrior eſt, quos aſſequi non valet miraculo ſui ſtupentes capit. Tanti autem fervoris eſt, vt etiam hyemis tempore exuvias corporis ferventis ex ponat. De quo Lucanus:

Et ſcitale ſparſis etiam nunc ſola pruinis
Exuvias poſitura ſuas —.

Amphibæna dicta, eò quòd duo capita habeat: vnum in loco ſuo: alterum in cauda, currens ex vtroque capite, tractu corporis circulato. Hæc ſola ſerpentium frigori ſe committit: prima omnium procedens. De qua Lucanus:

Et grauis in geminum vergens caput Amphiſibæna.

Cuius oculi lucent veluti lucernæ.

Enhydris coluber in aqua vivens. Græci enim ὕδωρ aquam vocant.

Hydros aquatilis ſerpens, à quo icti obturgeſcunt, cuius quidam morbum Boam dicunt, eò quòd fimo bovis remedietur.

Hydra draco multorum capitum: qualis fuit in Lerna palude provinciæ Arcadiæ: hæc Latinè excedra dicitur, quòd vno cæſo tria capita excreſcant: ſed hoc fabuloſum eſt. Nam conſtat Hydram lacum fuiſſe evomentem aquas, vaſtantem vicinam civitatem, in quo, vno meatu clauſo, multi erumpebant. Quod Hercules videns, loca ipſa exuſit: & ſic aquæ clauſit meatus. Nam Hydra ab aqua dicta eſt.

Chelidros ſerpens, qui & cherſydros dicitur, quia & in aquis & in terris moratur. Nam χέρσον dicunt Græci terram, ὕδωρ aquam: hic per quam labitur terram, fumare facit: quem ſic Macer deſcribit:

Seu

© Biblioteca Nacional de España

— Seu terga exspirant spumantia virus:
Seu terram fumat, qua teter labitur anguis.

Et Lucanus:

— Tractiq; via fumante Chelydri. Semper enim directus ambulat. Nam si torserit se dum currit, statim crepat.

Natrix serpens aquam veneno inficiens. In quocunque enim fonte fuerit, veneno eum immiscet: de quo Lucanus,

Et Natrix violator aquæ —.

Cencris serpens inflexuosus, quæ semper iter rectum efficit. De quo Lucanus:

Et semper recto lapsurus limite Cencris.

Parias serpens qui semper in cauda ambulat, & sulcum facere videtur. De quo idem Lucanus:

Quo contemptus iter cauda sulcare Parias.

Boas anguis Italiæ immensa mole: persequitur greges armentorum & bubalos, & plurimo lacte * irriguis vberibus se innectit & surgens interimit; atq; inde à boum populatione Boas nomen accepit.

* riguis se vberibus.

Iaculus serpens volans. De quo Lucanus:

— Iaculiq; volucres. Exiliunt enim in arboribus, & dum aliquod animal obuium fuerit, iactant se super illud & perimunt. Vnde & Iaculi dicti sunt. In Arabia autem serpentes sunt cum alis, quæ Sirenæ vocantur, quæ non solùm plus currunt equis, sed etiam volare dicuntur: quorum tantum virus est, vt morsum ante mors insequatur, quàm dolor.

* Ophelites. * Obites dicta, quòd colorem arenę habeat. De qua poeta:

Quàm paruis pictus maculis Teufanus obites
Concolor exustis atq; indiscretus arenis
Admotus —.

Seps exigua serpens, quæ non solùm corpus, sed & ossa veneno consumit. Cuius poeta sic meminit:

Ossaq; dissoluens cum corpore tabificus Seps.

Dipsas serpens tantæ exiguitatis fertur, vt cùm calcatur non videatur. Cuius venenum antè extinguit quã sentiatur, vt facies præuenta morte, nec tristitiam induat morituri. De quo poeta:

Signiferum iuuenem Tyrrheni sanguinis Aulum
Torta caput retrò dipsas calcata momordit
Vix dolor aut sensus dentis fuit —.

* Scalpiga * Salpinga serpens est, quæ non videtur.

Cæcula dicta, eò quòd parua sit, & non habeat oculos.

Centupeda à multitudine pedum dicta.

* in tribus exemplarib. manuscript. nõ habetur. * Brucus est, cuius penè totũ corpus in ventre colligitur.

Lacertus reptilis genus est, vocatus ita, quòd brachia habeat. Genera lacertorum plura, vt botrax, salamandria, saura, stellio.

Botrax dicta, quòd ranæ habeat faciem. Nam Græci ranam βάτραχα vocant.

Salamandria vocata, quòd contra incendia valeat: cuius inter omnia venenata vis maxima est. Cætera enim singulos feriunt. hæc plurimos pariter interemit: nam si arbori irrepserit, omnia poma inficit veneno, & eos qui ea ederint; occidit, quæ etiam si in puteum cadat, vis veneni eius potantes interficit. Ista contra incendia repugnans, ignes sola animalium extinguit. Viuit enim in medijs flammis sine dolore & consumptione, & non solùm quia non vritur, sed extinguit incendium.

Saura lacertus, qui quando senescit, cæcantur oculi eius, & intrat in foramen parietis aspicientis contra Orientem, & orto sole intendit & illuminatur.

Stellio de colore nomen habet inditum. Est enim tergore pictus lucentibus guttis in modum stellarum. De quo Ouidius:

— Aptumq; colori
Nomen habet, varijs stellatus corpore guttis.

Hic autem scorpionibus adeò contrarius traditur, vt viso eo pavorem ijs afferat & torporem. Sunt & alia genera serpentium, vt Admoditæ, Elephantiæ, Chamędraconres. Postremò quantus nominum, tantus mortium numerus: Omnes autem serpentes natura sua frigidæ sunt, nec percutiunt, nisi quando calescunt. Nam quando sunt frigidæ, nullum tangunt. Vnde & venena eorum plus die quàm nocte nocent. Torpent enim noctis algore, & meritò, quia frigidi sunt nocturno rore. In se enim adducunt vaporem corporis gelidæ pestes & natura frigidæ. Vnde & hyeme in nodos torquentur, æstate soluuntur. Inde est, quòd dum quidquam serpentium veneno percutitur, primùm obstupescit: & posteà vbi in illo calefactum ipsum virus exarserit, statim & hominem extinguit.

Venenum autem dictum, eò quòd per venas vadit. Infusa enim pestis eius per venas vegetatione aucta discurrit & animam * extinguit. Vnde non potest venenum nocere, nisi hominis tetigerit sanguinem. Lucanus:

* eximit. al. exigit.

Noxia serpentum est admixto sanguine pestis.

Omne autem venenum frigidum est, & ideo anima quæ ignea est, fugit venenum frigidum. In naturalibus bonis, quæ nobis & irrationabilibus animantibus videmus esse communia, viuacitate quadam sensus serpens excellit. Vnde & legitur in Genesi: *Serpens autem erat sapientior omnibus pecoribus terræ.* Dicit autem Plinius: Si creditur, *quòd serpentis caput etiam si cum duobus euaserit digitis, nihilominus viuit. Vnde & totum corpus obijcit pro capite, ferientibus.*

Anguibus vniuersis hebes visus est. Raro in adversum contuentur, nec frustra, cùm oculos non in fronte habeant, sed in temporibus, adeò vt citius audiant quàm aspiciant. Nullum autẽ animal in tanta celeritate linguam mouet, vt serpens: adeò vt triplicem linguam habere videatur cùm vna sit. Serpentium vda sunt corpora: adeò vt quacunque eunt, viam humore designent. Vestigia serpentium talia sunt, vt cum pedibus carere videantur: costis tamen & squamarum nisibus erepant: quas à summo

© Biblioteca Nacional de España

gutture vsque ad imam aluum parili modò dispositas habent. Squamis enim quasi vngulibus, costis quasi cruribus innituntur. Vnde si in qualibet corporis parte ab aluo vsque ad caput ictu caput aliquo collidatur: debilis reddita cursum habere non possit, quia vbicunque ictus ille inciderit, spinam soluit, per quam costarum pedes & motus corporis agebantur. Serpentes autem diu viuere dicuntur, adeò vt deposita vetere tunica, senectutem deponere, atque in iuuentutem redire perhibeantur.

Tunicæ serpentum exuuiæ nuncupantur, eò quòd ijs quando senescunt sese exuunt, quibus exuti in iuuentutem redeunt. Dicuntur autem exuuiæ & induuiæ, quia exuuntur & induuntur. Pythagoras dicit de medulla hominis mortui quæ in spina est, serpentem creari, quod etiam Ouidius in Methamorphos. libris commemorat, dicens:

Sunt qui cum clauso putrefacta est spina sepulchro
Mutari credant humanas angue medullas.

Quod si creditur, meritò evenit, vt sicut per serpentem mors hominis: ita per hominis mortem serpens. Fertur autem quòd serpens hominem nudum non sit ausus attingere.

De vermibus. CAP. V.

VErmis est animal quod plerunque de carne vel de ligno, vel de quacunque re terrena sine vllo concubitu gignitur: licet nonnunquam & de ouis nascantur, vt scorpio. Sunt autem vermes aut terræ, aut aquæ, aut aeris, aut carnium, aut frondium, aut lignorum, aut vestimentorum.

Aranea vermis aeris: ab aeris nutrimento cognominata, quæ exiguo corpore longa fila deducit: & telæ semper intenta nunquam desinit laborare, perpetuum sustinens in suo labore suspendium.

Sanguisuga vermis aquatilis, dicta quia sanguinem fugit. Potantibus enim insidiatur, cumque illabitur faucibus, vel vbi vspiam adhæserit, sanguinem haurit: & cùm nimio cruore maduerit, id evomit quod hausit, vt recentiorem denuò sugat.

Scorpio vermis terrenus, qui potius vermibus ascribitur non serpentibus: animal armatum aculeo: & ex eo Græcè vocatum, quòd cauda figat: atque arcuato vulnere diffundat venena. Proprium autem est scorpionis, quòd manus palmam non feriat.

Cantarida vermis terrenus, qui humano corpori statim vt fuerit applicatus sui adustione vesicas efficit plenas humore.

Multipes vermis terrenus, ex multitudine pedum vocatus, qui contra ictum contractus in globum complicatur. Nascitur sub petris ex humore & terra.

Limax vermis limi dictus, quòd in limo, vel de limo nascatur: vnde & sordidus semper & immundus habetur.

Bombyx frondium vermis: ex cuius textura bombycinum conficitur. Appellatur autem hoc nomine ab eo quo evacuetur dum fila generat, & aer solus in eo remaneat.

Eruca frondium vermis oleribus vel pampinis involuta: ab erodendo dicta, cuius meminit Plautus, *Imitatus nequam bestiam & malefi-cam involutam in pampino*. Implicat se eadem: nec aduolat vt locusta, vt huc illucque discurrens, semipasta dimittat, sed permanet perituris frugibus & tardo lapsu pigrisque morsibus vniuersa consumit.

Teredonas Græci vocant lignorum vermes, eò quòd terendo edant. Hos nos Termites dicimus. Ita enim apud Latinos ligni vermes vocantur, quos tempore importuno cæsæ arbores gignunt.

Tinea vestimentorum vermis dicta, quòd teneat, & eousque insedeat quò erodat. Inde pertinax dicitur, eò quòd in eandem rem identidem vrgeat.

Vermes carnium, hemicraneus, lumbricus, ascaridę, costi, pediculi, pulices, lendes, tarmus, ricinus, vsia, cimex.

Hemicraneus vermis capitis vocatur.

Lumbricus vermis intestinorum, dictus quasi lumbicus, quia labitur, vel quòd in lumbis sit.

Ascaridæ, costi.

Pediculi vermes cutis à pedibus dicti. Vnde & pediculosi dicuntur, quibus pediculi in corpore efferuescunt.

Pulices verò vocati sunt, quòd ex puluere magis nutriantur.

Tarmus vermis est lardi.

Ricinus vermis est canis, vocatus eò quòd hæret in auribus canum. κύων enim Græcè canis est.

Vsia vermis est porci, appellata quia vrit. Nam vbi momorderit, adeò locus ardet, vt statim ibi vesicæ fiant.

Cimex de similitudine cuiusdam herbæ vocatus, cuius fetorem habet.

Propriè autem vermis in carne * putrefacta nascitur: tinea in vestimentis: eruca in olere: teredo in ligno: tarmus in lardo. * putre

Vermis non vt serpens apertis passibus vel squamarum nisibus repit, quia non est illi spinæ rigor vt colubri, sed in directum corpusculi sui partes gradatim porrigendo contractas, contrahendo porrectas motum explicat: sicq; agitatus perlabitur.

De piscibus. CAP. VI.

PIsces dicti, vnde & pecus, à pascendo scilicet.

Reptilia ideo dicuntur hæc quæ natant, eò quòd reptandi habeant speciem & naturam, quamvis se in profundum immergant, tamen in natando repunt. Vnde & ait Dauid:

Hoc

© Biblioteca Nacional de España

Hoc mare magnum & spaciosum manibus: illic reptilia, quorum non est numerus.

Αμφίβια sunt quædã genera piscium; dicta eò quòd ambulãdi in terris vsũ & natãdi in aquis officium habeant. Αμφὶ etiã Græcè vtrumq; dicitur. i. quia in aquis & in terris viuunt, vt Phocæ, Crocodili, Hippopotami, hoc est, equi fluviales.

Pecoribus autem & bestijs & volatilibus ante homines nomina imposuerunt, quàm piscibus, quia prius visa sunt & cognita. Piscium verò postea cognitis generibus nomina instituta sunt, aut ex similitudine terrestrium animaliũ, aut ex specie propria, siue moribus, seu colore, vel figura, aut sexu. Ex similitudine terrestrium, vt ranæ, leones, & vituli, & nigri meruli, & paui diverso colore, collo & dorso picti, & turdi albo varij, & cætera quæ sibi iuxta species terrestrium animalium nomina vindicarunt. Ex moribus terrestrium, vt canes in mari à terrenis canibus nuncupati, quòd mordeant: Et lupi, quòd improba voracitate alios persequantur. A colore, vt vmbri, quia colore vmbrę sunt: & auratæ, quia in capite auri colorem habent: & varij à varietate, quos vulgò tructas vocat. A figura, vt orbis, quia rotundus est, totusq; in capite cõstat, vt solia, quòd sit instar calciamentorum solijs. A sexu, vt * musculus, quòd sit balenæ masculus. Eius enim coitu concipere belua hæc perhibetur. Hinc & * musculi coclearum, quorum lacte concipiunt ostreæ.

* masculus

* masculi

Balenæ autem sunt immensæ magnitudinis bestiæ, ab emittendo & fundendo aquas vocatæ. Cæteris enim bestijs maris altius iaciunt vndas. βάλλειν enim Græcè emittere dicitur.

Cete dicta τὸ κῆτος & τὰ κήτη, hoc est, ob immanitatem. Sunt enim ingentia genera beluarum æqualia montium corpora, qualis cetus excepit Ionam: cuius aluus tantæ magnitudinis fuit, vt instar obtineret inferni: dicẽte Propheta: *Exaudiuit me de ventre inferni.*

Equi marini, quòd prima parte equi sunt, postrema solvuntur in piscem.

Boccas dicunt etiam boues marinos, quasi boacas.

Cerulei à colore appellati. Nam cœruleum est viride cum nigro, vt est mare.

Delphines certum habẽt vocabulum, quòd voces hominum sequantur: vel quòd ad symphoniam gregatim conveniant. Nihil in mari velocius istis. Nam plerunq; salientes, naues transvolant. Quando autem præludunt in fluctibus, & vndarum motibus sa tu præcipiti feruntur, tempestates significare videtur. Hi propriè Simones nominantur. Est & Delphinum genus in Nilo dorso serrato, qui crocodilos tenera ventrium secantes interimunt.

Porci marini, qui vulgò vocantur suilli: qui dum escam quærunt, more suis terrã sub aquis fodiunt. Circa guttur enim habent oris officium, & nisi rostrum arenis immergant, pastum non colligunt.

Corui à cordis voce dicti, quia gruñiunt pectore, suaq; voce proditi capiuntur.

Thynni nomen Græcum habent. Hi ingrediuntur Veris tempore: intrant dextro latere, leuo exeunt. Hoc inde creduntur facere, quòd dextris oculis acutius videant, quàm sinistris.

Gladius dicitur, eò quòd rostro mucronato sit: & ob hoc naues perfossas mergit.

Serra nuncupata, quia serratam cristam habet, & subternatans nauem secat.

Scorpio dictus, quia lædit dum manu tollitur. Tradunt enim decem cancris cum ocimi manipulo alligatis, omnes qui ibi sunt scorpiones ad eum locum congregari.

Aranea genus piscis, dictus quòd aure feriat. Habet enim stimulos, de quibus percutit.

Crocodilus à croceo colore dictus. gignitur in Nilo, animal quadrupes in terra; & in aquis valens, longitudine plerunq; viginti cubitorum; dentium & vnguium immanitate armatum, tantaq; cutis duricia, vt quamvis fortium ictus lapidum * tergo repercussus non sentiat. Nocte in aquis, die in humo quiescit: oua in terra fouet: mascula & fœmina vices seruant. Hunc pisces quidam serratam habentes cristam tenera ventrium desecantes interimunt. Solus ex animalib. superiorem maxillã mouere dicitur.

* repercussiat tergore.

Hippopotamus vocatus, quòd sit equo similis dorso, iuba, & hinnitu, rostro resupinato aprinis dentibus, cauda tortuosa, * vngulis binis, die in aquis commoratur: nocte segetes depascitur, & hunc Nilus gignit.

* in V. C. nõ legitur.

Pagrum, quem Græci fagrum ideo nuncupant, quòd duros dentes habeant, ita vt ostreis in mari alatur.

Dentrix pro multitudine & granditate dentium dictus.

Lepus à similitudine capitis nuncupatus.

Lupum, vt dictum est, aviditas appellauit, piscem in captura ingeniosum: deniq; rete circumdatus fertur arenas arare cauda, atque ita conditus transire rete.

Mullus vocatus, quòd mollis atque tenerrimus: cuius cibo tradunt libidinem * inhiberi: oculorum autem aciem hebetari: homines verò à quibus sæpe pastus est, piscem olent. Mullus in vino necatus, hi qui inde biberint, tœdium vini habent.

* minui

Mugilis nomen habet, quòd sit multum agilis. Nam vbi dispositas senserit piscatorum insidias, confestim retrorsum rediens ita transilit rete, vt volare piscem videas.

Melanurus, eò quòd nigram caudam habeat, & nigras pennas, & in corpore lineas nigras. μέλαν enim Græci nigrum vocant.

Glaucus à colore dictus eò quòd albus sit. Græci enim album λευκὸν dicunt. Hic æstate raro apparet nisi tantùm in nubilo.

Timallus ex flore nomen accepit. Timum quippe flos appellatur: nam dum sit specie gratus & sapore iocundus, tamen sicut flos flagrat, & corpore odores aspirat.

© Biblioteca Nacional de España

Escarus dictus, eò quòd solus escam ruminare perhibetur: deniq; alij pisces non ruminant. Tradunt autem hunc ingeniosum etiam. Nàn-
*V.C. nassis que inclusum * vasis, non fronte erumpere, nec
*viminibus infestis * luminibus caput inserere, sed aduersum caudæ ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorsum redire. quem luctatum eius si fortè alius escarus extrinsecus videat, apprehensa mordicus cauda adiuuare nisus erumpentis.

Sparus à lancea missili accepit nomen, quòd eiusdem figuræ sit. Terrestria enim prius inventa sunt, quàm marina. Nam sparus est telum rusticanum missile, à spargendo dictum.

Australis piscis, siue quia aquarum vndam suo ore suscipit: siue quia tunc hic piscis oritur, quo tempore tendere in occasum Pleiades ceperint.

Amio saxatilis dextra sinistraq; lateribus virgis puniceis perpetuis, alijsque discoloribus designatur: dictus amio, quia non capitur nisi hamo.

Echeneis paruus & semipedalis pisciculus: nomẽ sumpsit, quòd nauẽ adherendo retineat. Ruant licet venti, & sæuiant procellę, nauis tamen quasi radicata in mari stare videtur, nec moueri, non retinendo, sed tantummodo adhærendo. Hunc Latini Moram appellauerunt, eò quòd cogat stare nauigia.

Vranoscopus vocatur ab oculo quem in capite habet, à quo semper suprà intendit.

Milago nominatus, quia evolat super aquã. Quoties autem cernitur extra aquam volitans, tempestates mutari designat.

Squamatus dictus, quòd sit squamis acutis. Vnde & eius cute lignum politur.

Ciuitas Syriæ quæ nunc Tyrus dicitur, olim Sarra vocabatur à pisce quodam qui illic abundat, quem lingua sua sar appellant: ex quo derivatum est, huius similitudinis pisciculos sardas sardinasque vocari.

Halec pisciculus ad liquorem salsamentorum idoneus: vnde & nuncupatus.

Aforus pisciculus, qui propter exiguitatem hamo capi non potest.

Anguillæ similitudo anguis dedit nomen: origo eius ex limo. Vnde & quando capitur adeò lenis est, vt quantò fortius presseris, tantò citius elabatur. Ferunt autem & orientis fluuium Gangen anguillas tricenis pedibus gignere. Anguillæ vino necatæ, qui ex eo biberint, tœdium vini habent.

Draco marinus aculeos in brancijs habet ad caudam spectantes, qui dum percusserit, quaqua ferit venenum fundit, vnde & vocatus.

Murenam Græci μύραιναν vocant, eò quòd complicet se in circulos. Hanc fœminini tantùm sexus esse tradunt & concipere à serpente: ob id à piscatoribus tanquam à serpente sibilo euocatur & capitur. Ictu autem fustis difficulter interimitur, ferula protinus: animam in cauda habere certum est. Nam capite percusso vix eam interimi, cauda statim exanimari.

Congrus polypus, id est, multipes: plurimos enim nexus habet. Iste ingeniosus hamum appetens brachijs complectitur, non morsu: nec prius dimittit, quàm escam circumroserit.

Torpedo vocata, eò quòd corpus torpescere faciat, si eam quisquam viuentẽ tangat. Narrat Plinius Secundus: *Ex Indico mari torpedo etiam procul & è longinquo, vel si hasta virgaque attingatur, quamvis prævalidos lacertos torpescere, quamlibet ad cursum veloces pedes alligari. Tanta enim vis eius est, vt etiam aura corporis sui afficiat membra.*

Sepia dicitur, quia sæpius interclusa facilius capitur. In coeundo obscenum genus: ore enim concipit sicut vipera. Cuius atramenti tanta vis est, vt lucernæ additum, Æthiopes videri ablato priori lumine quidam tradunt.

Lulligo: tradunt in Oceano Mauritanię, non procul à Lixo flumine tantam multitudinem lulliginum evocari ex aqua, vt etiam naues dimergere possint.

Conchæ & cochleæ hac ex causa vocatæ, quia deficiente luna cavantur, id est, evacuantur. Omnium enim clausorum maris animalium atquẽ concharum incremento lunæ membra turgescunt, defectu evacuantur. Luna enim cùm in augmento fuerit, auget humorem: cùm verò in defectum venerit, humores minuuntur. Hoc enim Physici dicunt. Conchæ autem primæ positionis nomen: cochleæ verò per diminutionem quasi conculæ.

Concharum multa genera sunt, inter quas & margaritiferæ, quæ celoe dicuntur, in quarum carne preciosus calculus solidatur. De quibus tradunt ij qui de animantium scripsére naturis, eò quòd nocturno tempore littora appetunt, & ex cœlesti rore margaritum concipiunt: vnde & celoe nominantur.

Murex cochlea est maris, dicta ab acumine & asperitate, quæ alio nomine conchilium nominatur, propter quod circumcisa ferro lachrymas coloris purpurei emittat, ex quibus purpura tingitur: & inde ostrum appellatum, quòd hæc tinctura ex testę humore elicitur.

Cancri vocantur, quia conchæ sunt crura habentes: inimica ostreis animalia. Eorum enim carnibus viuunt, miro ingenio. Nam quia valida testa eius aperiri non potest: explorat quando ostrea claustra testarum aperiat: tunc cancer latenter lapillum inijcit, atque impedita conclusione ostræ carnes erodit. Tradunt quidam à decem cancris cum ocimi manipulo alligatis, omnes qui ibi sunt scorpiones ad eum locum coituros. Duo autem sunt genera cancrorum, fluuiales & marini.

Ostrea dicta est à testa, quibus mollities interior carnis munitur. Græci enim testam ὄστρακα vocant. Ostrea autem neutro: carnes eius, fœminino dicuntur genere.

Musculi sunt, vt prædiximus cocleæ, à quorum

© Biblioteca Nacional de España

rum lacte concipiunt ostreæ, & dicti musculi, quasi masculi.

Pelorides à Pelore promontorio Siciliæ, vbi abundant, cognominatæ sunt. Vnde Virgilius dicit;

Ecce autem Boreas angusta ab sede Pelori.

Vngues à similitudine humanarum vnguium dictæ.

Testudo dictus, eo quòd tegmine testæ sit adopertus in camerę modum. Sunt autem quatuor genera, terrestres, maritimę, lutarię, id est in ceno & paludibus viuentes. Quartum genus fluuiales, quæ in dulci aqua viuunt. Tradunt quidam, quòd incredibile est, tardius ire nauigia, testudinis pedem dextrum vehentia.

Echinus à terrestri echino nomen traxit, quē vulgus Erycium vocat, cuius testa duplex, spinis aculeata in modū castanearum: quando adhuc opertę de arboribus cadunt. Caro eius mollis & minio similis.

Vris tribus modis dicitur, vt testudo, ac pelorus, & coclea. Nam & quod edimus & vbi caro inest: vtrumq; dicitur pelorus.

Ranæ à garrulitate vocatæ: eo quòd circa genitales strepunt paludes, & sonos vocis importunis clamoribus reddunt. Ex ijs quædā aquaticæ dicuntur, quædam palustres, quædam rubetæ, ob id quia in vepribus viuunt, grandiores cunctarum. Aliæ calamites vocantur, quoniā inter arundines fruticesqeu viuunt, minimæ omniū & viridissimæ, mutæ & sine voce sunt.

Agredulæ ranæ paruæ in sicco vel agris commorantes, vnde & nuncupatę. Negant quidam canes latrare: quibus in offa rana viua fuerit data.

al. Sfungia. Spongia à fingere, id est nitidare & extergere dicta. Afranius, *Accedo ad te vt tibi ceruicem fingam linteo*, id est extergam. Cicero, *Et fingebatur sfungis sanguis*, id est extergebatur. Animal autem esse docetur * cruore inhęrente petris. Vnde & dum abscinditur sanguinem remittit. Nam alia sunt viuentia in aquis & discurrunt, vt pisces, alia stant fixa, vt ostreæ, echini, sfungiæ. Ex his alias mares dici, eo quòd tenues sunt fistulę spissioresq; : alias fœminas, quæ maioribus fistulis sunt ac perpetuis: aliàs duriores, quas Græci appellant τραγάς, & nos hircosas dicere possumus ob asperitatem sui. Mollissimum genus earum penicilli vocantur, eo quòd apertę sint ad oculorum tumores, & ad extergendas lippitudines vtiles. Candidæ sfungiæ cura fiunt. Per æstatem enim ad solem sternuntur, & sicut cera punica candorem bibunt.

al. cruore.

Animalium omnium in aquis viuentium nomina cxliiij. Plinius ait diuisa in generibus belluarum, serpentium cōmunium terrę & aquę: cancrorum, concharum, locustarum, peloridū, polyporum, solearum, lacertorum, & lulliginū, & his similia, ex quibus multa quodam naturę intellectu temporum suorum ordinem cognoscunt, quædā verò in suis locis mutatione vagantur. In piscibus autē fœminis aliæ commixtione masculi concipiunt, & pariunt catulos, alię ponunt oua sua sine masculi * commixtione suscepta, quæ * idem insequens sui seminis iactu perfunduntur, & quæ hoc munere fuerint afflata fiunt generabilia, quæ verò perfusa non fuerint, sterilia perseuerant, aut putrescunt.

al. susceptione concepta.
al. ità in con sequens.

De auibus. Cap. VII.

VNum nomen auium, sed genus diuersum. Nam sicut specie sibi differūt, ita & naturę diuersitate. Nam alię simplices sunt, vt columbę: aliæ astutæ, vt perdix: aliæ ad manum se subijciunt, vt accipiter: aliæ reformidant, vt garrulantes: aliæ hominum conuersatione delectantur, vt hirundo: aliæ in desertis secretam vitam diligunt, vt turtur: aliæ solo semine reperto pascuntur, vt anser: aliæ carnes edunt, & rapinis intendunt, vt miluus: aliæ * incolę quæ manent in locis semper, vt strutio: aliæ aduentitiæ, quæ proprijs temporibus reuertuntur, vt ciconię & hirundines: aliæ cōgregę, id est gregatim volantes, vt sturni & coturnices: aliæ soliuagæ, id est solitarię propter insidias deprędandi, vt aquila, accipiter & quæcūq; ita sunt: aliæ vocibus strepunt, vt hirundo: aliæ cantus edūt, dulcissimos, vt cygnus & * merula: aliæ verba & voces hominum imitātur, vt psitacus & pica. Sed & alia sicut genere, ita & moribus innumerabilia. Nam volucrum quot genera sint, inuenire quisquam non potest. Neq; enim omnes Indię & Aethiopię atque Scithię deserta penetrare potuit, qui eorum genus vel doctrinas nosset.

al. incuriæ.

al. merula.

Aues dictę, eo quòd vias certas nō habeant: sed per auia quæq; discurrant.

Alites quòd alis alta intendant, & ad sublimia remigio alarum conscendant.

Volucres à volando. nam vnde volare, inde & ambulare dicimus. Vola enim dicitur media pars pedis siue manus, & in auibus vola pars media alarum, quarum motu pennæ agitantur, inde & volucres.

Pulli dicuntur omnium auium nati, sed & animalium quadrupedum nati pulli dicuntur, & homo paruus, pullus. Recentes ergo nati pulli dicuntur, eo quòd polluti sunt. Vnde & vestis nigra pulla dicta est.

Alæ sunt in quibus pennæ per ordinem fixę volandi exhibent vsum. Vocatę aūt alę, eo quòd ijs aues complexos alant & foueant pullos.

Penna à pendēdo, id est à volādo dicta. vnde & pendere. Volucres enim pennarum auxilio mouentur, quando se aeri mandant.

Pluma quasi piluma. Nam sicut pili in quadrupedum corpore, ita pluma in auibus.

Auium nomina multa à sono vocis constat esse composita, vt grus, coruus, cygnus, pauo, miluus, vlula, cuculus, gracculus, &c. Varietas enim vocis eorum docuit homines quid nominarentur.

Aliqua ab acumine oculorū vocata. Tāti enim contuitus esse dicitur, vt cū super maria immo-

© Biblioteca Nacional de España

bili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus: de tanta sublimitate pisciculos natare videat: ac tormenti instar descēdens raptam prędam pennis ad littus pertrahat. Nam & contra radium solis fertur obtutum non flectere, vnde & pullos suos vngue suspensos radijs solis obijcit, & quos viderit immobilem tenere aciem, vt dignos genere conseruat, si quos verò flectere obtutum, quasi degeneres abijcit.

Vultur à volatu tardo nominata putatur. Magnitudine quippe prępetes volatus non habet. Harum quasdam dicunt concubitu non misceri, & sine copula concipere & generare, natosq; earum penè usq; ad centum annos procedere. Vultures autem sicut & aquilę etiam vltra maria cadauera sentiunt. Altius quippe volantes multa quæ montium obscuritate cælantur, ex alto illi conspiciunt.

*Gradipes apud Græcos vocatur auis, apud nos tarda, eo quòd graui volatu detenta, nequaquam, vt cæterę volucres attollitur velocitate pennarum.

*forte βραδύπους.

Grues verò nomen de propria voce sumpserunt, tali enim sono susurrant. Hæc autem dum properant: vnam sequuntur ordine literato. De quibus Lucanus,

Et turbata perit dispersis littera pennis.

Excelsa autem petūt: quo facilius videant quas petant terras. Castigat autem voce quæ cogit agmen. At vbi raucescit: succedit alia. nocte autem excubias diuidunt, & ordinem vigiliarum per vices faciunt, tenentes lapillos suspensis digitis, quibus somnos arceant: quod cauendum erit clamor indicat. Aetatē in illis color prodit. Nam senectute nigrescunt.

Ciconiæ vocatę à sono quo crepitant, quasi cicanię: quem sonum oris potius esse constat, quàm vocis, quia eum quatiente rostro faciunt. Hæ Veris nuncię, societatis comites, serpētium hostes, maria transuolant, in Asiam collecto agmine pergunt. Cornices duces eas præcedunt, & ipsę quasi exercitus prosequuntur. Eximia illis circa filios pietas. Nam adeo nidos impēsius fouent, vt assiduo incubitu plumas exuant. Quantum autem temporis impenderint in fœtibus educandis, tantùm & ipsę inuicem à pullis suis aluntur.

Olor auis est quam Græci κύκνον appellāt, Olor autem dictus, quòd sit totus plumis albus. Nullus enim meminit cignū nigrum. ὅλος enim Græcè totum dicitur. Cygnus autem à canendo est appellatus, eo quòd carminis dulcedinē modulatis vocibus fundit. Ideo autem suauiter eū canere dicunt, quia collum longum & inflexum habet, & necesse est eluctantem vocem per longum & inflexuosum iter varias reddere modulationes. Ferunt in Hyperboreis partibus pręcinentibus citharedis olores plurimos aduolare, apteq; admodum concinere. Olores autem Latinum nomen est. Nam Græcè cygni dicuntur. Nautę uerò sibi hanc bonam prognosiam facere dicunt, sicut ait Aemilius.

Cignus in auspicijs semper lætissimus ales.
Hunc optant nautæ, quia se non mergit in vndas.

Strutio Græco nomine dicitur, quod animal in similitudine auis pennas habere videtur: tamen de terra altius non eleuatur. Oua sua fouere negligit: sed proiecta tantummodo, fotu pulueris animantur.

Ardea vocata, quasi ardua, id est, propter altos volatus. Lucanus,

Quodq; ausa volare Ardea.

Formidat enim imbres, & super nubes euolat, vt procellas nubium sentire non possit. Cum autem altius volauerit, significat tempestatem. Hanc multi Tantalum nominant.

Phœnix auis Arabię, dicta quòd colorē Phœniceum habeat, vel quòd sit in toto orbe singularis & vnica. Nam Arabes singularem & vnicā Phœnicem vocant. Hæc quingentis vltra annis viuens, dum se viderit senuisse: collectis aromatum virgultis, rogum sibi instruit, & cōuersa ad radium solis alarum plausu volūtarium sibi incendium nutrit, sicq; iterum de cineribus suis resurgit.

Cynomolgus & ipsa Arabię auis, proinde ita vocata, quòd in excelsis nemoribus texit nidos ex fructicibus cinnami: & quoniam nō possunt ibi conscendere homines propter ramorum altitudinem & fragilitatem, eosdem nidos plumbatis appetunt iaculis, ac sic cinnamia illa deponunt, & precijs amplioribus vendunt: eo quòd cinnamum illud magis quàm alia mercatores probent.

Psitacus in Indię littoribus gignitur, colore viridi, torque puniceo, grandi lingua & cæteris auibus latiore. Vnde & articulata verba exprimit, ita vt si eam nō videris, hominem loqui putes. Ex natura autem salutat dicens, aue, vel χαίρε. Cætera nomina institutione discit. Hinc est illud:

Psitacus à vobis aliorum nomina discam,
Hoc didici per me dicere, Cæsar aue.

Halcyon pelagi volucris dicta, quasi ales oceanea, eo quòd hieme in stagnis oceani nidos faciat, pullosq; educit: qua excubāte fertur extento æquore pelagus silentibus ventis continua septem dierum tranquillitate mitescere, & eius fœtibus educandis obsequium ipsa rerum natura præbere.

Pellicanus auis Aegyptia habitans in solitudine Nili fluminis, vnde & nomē sumpsit. Nam Canopus Aegyptus dicitur. Fertur, si verū est, eam occidere natos suos, eosq; per triduum lugere, deinde seipsam vulnerare & aspersione sui sanguinis viuificare filios.

Stymphalidæ aues à Stymphadibus insulis appellatę, vbi plurimū abundāt, aduersus quas Hercules sagittis est vsus. Sunt enim pelagi volucres in insulis habitantes. Diomedias aues à socijs Diomedis appellatas, quos ferunt fabulę in easdem volucres fuisse conuersos, forma fulicę similes, magnitudine cignorum, colore candido, duris & grandibus rostris. Sunt autē circa

Apuliam

© Biblioteca Nacional de España

Apuliam in insula Diomedia inter scopulos littorum & saxa volitantes, iudicant inter suos & aduenas. Nam si Græcus est propius accedunt & blandiuntur: si alienigena, morsu impugnant & vulnerant, lacrimosis quasi vocibus dolentes vel suam mutationē, vel regis interitū. Nā Diomedes ab Illirijs interemptus est. Hæ aues Latinè Diomedię dicūtur Græci eas ἡρωΐδας dicūt.

Memnonides aues Aegyptiæ appellatæ à loco vbi Memnon perijt. Nam cateruatim aduolare dicuntur ex Aegypto ad Ilium iuxta Memnonis sepulchrum, & proinde eas Ilienses Memnonias vocant. Quinto autē anno ad Ilium veniunt, & cum biduo circūuolauerint tertia die ineuntes pugnā vicissim se vnguibus rostrisq; dilacerant. 10

Herciniæ aues dictę ab Hercinio saltu Germaniæ vbi nascūtur, quarū pennę adeo per obscura emicant, vt quamuis nox obtenta densis tenebris sit, ad præsidium itineris dirigendi * là tè interluceant, cursusq; vię pateat indicio plumarum fulgentium. 20

al. iactæ. al. proiectæ.

Onocrotalon Græci vocant rostro longo. Quorum duo genera sunt: aliud aquatile, aliud solitudinis.

Ibis auis Nili fluminis quæ semetipsam purgat, rostro in anum aquam fundens. Hęc serpentium ouis vescitur, ex eis escam gratissimam nidis suis deportans.

Meropes eosdem & gaulos, qui parētes suos recondere atque alere dicuntur. 30

Coredulus genus volatilis est, quasi cor edēs.

Monedula, quasi monetula quæ cū aurū inuenit, aufert & occultat. Cicero p̄ Valerio Flacco, *Non plus aurum tibi quàm monedulæ committēdum.*

Vespertilio pro tempore nomen accepit, eo quòd lucem fugiens crepusculo vespertino circumuolat, præcipiti motu acta, & tenuissimis brachiorum membris suspensa: animal murium simile, non tam voce resonans quàm stridore, specie quoq; volatilis, simul & quadrupes, quòd in alijs auibus reperiri non solet. 40

Luscinia auis inde nomen sumpsit, quòd cantu suo significare solet diei surgentis exortum, quasi lucinia. Eadem & acredula, de qua Cicero in prognosticis.

Et matutinos exercet acredula cantus.

Vlula auis ἀπὸ τοῦ ὀλολύζειν, id est à planctu & luctu nominata. Cum enim clamat, aut fletum imitatur aut gemitum. Vnde & apud augures si lamentatur tristiciam, tacens ostendere fertur prosperitatem.

Bubo à sono vocis compositum nomen habet, auis feralis, onusta quidem plumis, sed graui semper detenta pigricia: in sepulcris diu noctuq; versatur, & semper commoratur in cauernis. de qua Ouidius.

Fœdaq; sit volucris venturi nuntia luctus,
Ignauus bubo dirum mortalibus omen.

Deniq; apud augures malum portendere fertur. Nam cum in vrbe visa fuerit solitudinem significare dicunt.

Noctua dicitur pro eo quòd nocte circumuolat & per diem non possit videre. Nam exorto splendore solis, visus illius hebetatur. Hanc autem insula Cretensis non habet: & si veniat aliunde statim moritur. Noctua autem non est bubo: nam bubo maior est.

Nycticorax ipsa est noctua; quia noctē amat. Est enim auis lucifuga, & solem videre non patitur.

Strix nocturna auis habens nomen de sono vocis. Quando enim clamat strider. de qua Lucanus.

Quod trepidus bubo, quòd strix nocturna querūtur.

Hæc auis vulgo Amma dicitur, ab amando paruulos, vnde & lac præbere dicitur nascentibus.

Coruus siue corax nomen à sono gutturis habet, quòd voce coracinet. Fertur hæc auis quòd editis pullis escam plenè non præbeat, priusquam in eis per pennarum nigredinem similitudinem proprij coloris agnoscat. Postquam verò eos tetros plumis aspexerit, in toto agnitos abundantius pascit. Hic prior in cadaueribus oculum petit.

Cornix annosa auis apud Latinos Græco nomine appellatur, quam aiunt augures hominū curas significationibus augere, insidiarum * vias monstrare, futura prædicere. Magnum nefas hæc credere, vt Deus consilia sua cornicibus mandet. Huic inter multa auspicia tribuunt etiam pluuias portendere vocibus, vnde est illud, al. vices.

Tunc cornix plena pluuiam vocat improba voce.

Graculus à garrulitate nuncupatus, non, vt quidam volunt, pro eo quòd gregatim volent. cum sit manifestum ex voce eum nuncupari. Est autem loquacissimum genus & vocibus importunum.

Picæ quasi poeticæ, quòd verba in discrimine vocis exprimāt, vt homo. Per ramos enim arborum pendulæ importuna garrulitate sonantes, & si linguas in sermone nequeunt explicare, sonum tamen humanæ vocis imitantur; de qua congruè quidam ait,

Pica loquax certa dominum te voce saluto.
Si me non videas, esse negabis auem.

Picus à Pico Saturni filio nomen sumpsit, eo quòd ea in auspicijs vtebantur. Nam ferunt hanc quiddam habere diuinum: illo indicio, quòd in quacunq; arbore nidificauerit, clauus vel quicquid aliud fixum fuerit, diu hęrere non possit, quin statim excidat, vbi illa insederit. iste est picus martius, nam alia est pica.

Pauo nomen de sono vocis habet, cuius caro tam dura est, vt putredinem vix sentiat, nec facilè coquatur, de quo quidam sic ait.

Miraris quoties gemmantes explicat alas,
Si potes hunc sæuo tradere iure coco. al. dure.

Phasianus à Phaside insula Græcię vnde primum asportatus est, appellatus. Testatur id vetus distichon illud,

Argiua primum sum transportata carina.

© Biblioteca Nacional de España

Ante mihi notum nil nisi Phasis erat.

Gallus à castratione vocatus. Inter cęteras enim aues huic soli testiculi adimuntur. Veteres enim abscisos gallos vocabãt. sicut autem à leone leæna, & à dracone dracęna, ita à gallo gallina. Cuius membra ferunt quidam, si auro liquescenti misceantur, consumit.

Anas ab assiduitate natandi aptum nomen accepit. Ex quo genere quædam germanæ dicuntur, quòd plus cæteris nutriant.

Anseri nomen anas dedit per deriuationum, vel à similitudine, vel quòd & ipsa natandi frequentiam habeat. Iste vigilias noctis assiduitate clangoris testatur. Nullum autem animal ita odorem hominis sentit, vt anser: vnde & clangore eius Gallorum ascensus in Capitolio deprehensus est.

Fulica dicta, quòd caro eius leporinã sapiat. λάγως enim lepus dicitur, vnde & apud Græcos λάγως dicitur. Est enim auis stagnensis, habens nidum in medio aquæ vel in petris quas aquæ circumdant, maritimoq; semper delectatur profundo. Quę dum tempestatem persenserit, fugiens in vado ludit.

Mergus ab assiduitate mergendi nomen habet. Sæpe autem dimisso in profundum capite aurarum signa sub fluctibus colligunt, & pręui dẽtes ęquoris tempestatem cum clamore ad littora tendunt. Nam in pelago iam grauissimam esse tempestatem constat, cum ad littora mergi confugerint.

Accipiter auis animo plus armata quam vngulis, virtutem maiorem in minore corpore gestans. Hinc ab accipiendo, id est à capiendo nomen sumpsit. Est enim auis rapiendis alijs auibus auida, ideoq; vocatur accipiter, id est raptor, vnde & Paulus Apostolus, *Sustinetis enim si quis vos accipit*, vt enim diceret, si quis rapit, dixit si quis accipit. Fertur autem accipitres circa pullos suos impios esse. Nam dum viderint eos * posse tentare volatus, nullas eis præbẽt escas, sed verberant pennis & à nido præcipitant: atque à tenero compellunt ad prædam ne forte adulti pigrescant. *al. post se.*

Capus Itala lingua dicitur à capiendo. Hunc nostri falconem vocant, eo quòd incuruis digitis sit.

Miluus mollis viribus & volatu, quasi mollis auis, vnde & nuncupatur, rapacissimus tamen, & semper domesticis auibus insidiatur.

Ossifrangus vulgo appellatur auis quæ ossa ab alto dimittit, & frangit. Vnde & à frangendo ossa nomen accepit.

Turtur de voce vocatur auis pudica, & semper in montium iugis, & in desertis solitudinibus commorans. Tecta enim hominum & conuersationem fugit, & commoratur in siluis. Quę etiam hieme deplumata in truncis arborũ concauis habitare perhibetur. Cuius contrario columba hospitia humana diligit, domorum semper blanda inhabitatrix.

Columbæ dictæ, quòd earum colla ad singulas conuersationes colores mutent, aues mansuetę, & in hominum multitudine conuersantes ac sine felle, quas antiqui Venerias nuncupabant, eo quòd nidos frequẽtent, & osculo amorem concipiant.

Palumbes, eo quòd sint fartę, à pabulo quas vulgus titos uocant, auis casta, ex moribus appellatur, quòd comes sit castitatis. Nam dicitur quòd amisso corporali consortio solitaria incedat, nec carnalem copulam vltra requirat.

Perdix de voce nomen habet, auis dolosa atque immunda. Nam masculus in masculũ consurgit & obliuiscitur sexum libido ipsa pręceps. Adeò autem fraudulenta, vt alteri oua diripiẽs foueat: fraus fructum non habet, Deniq; dum pulli proprię vocem genetricis audierint naturali quodam instinctu, hanc quæ eos fouit relinquunt, & ad eandem quæ genuit reuertũtur.

Coturnices à sono vocis dictę, quas Græci ὄρτυγας vocant, eo quòd primum visę fuerint in Ortygia insula. Hæ aduenienti habẽt tempora. Nam æstate depulsa maria transmeant.

Ortigometra dicitur auis quæ gregem ducit, eam terræ propinquantem accipiter videns rapit, ac propterea cura est vniuersis ducem solicitare externi generis, per quam caueant prima discrimina. Cibos gratissimos habent semina venenata, quàm ob causam veteres vesci interdixerunt. Solum enim hoc animal sicut & homo caducum patitur morbum.

Vpupam Græci appellant, eo quòd stercora humana consideret, & fetenti pascatur fimo, auis spurcissima, cristis extantibus, galeata, semper in sepulcris & humano stercore commorãs. Cuius sanguine si se quisquã inunxerit, dormitum pergens dæmones suffocantes se videbit. *al. Opopam.*

Tucos, quos Hispani cuculos vocant, à propria voce constat nominatos. Hij veniendi tempus habẽt miluorum scapulis suscepti, propter breues & paruos volatus ne per longa aeris spacia fatigati deficiant. Horum saliuę cicadas gignunt, oua passeris nido reperta comedit & sua objicit: quæ illę suscepta & fouet & nutrit.

Passeres verò sunt minuta volatilia, à paruitate vocata, vnde & pusilli & parui.

* Merula antiquitus medula vocabatur, eo quòd moduletur. Alij merulam vocatam aiunt, quia sola volat, quasi mera volans. Hæc cum in omnibus locis nigra sit: in Achaia candida est. *al. Merura.*

Hirundo dicta quòd cibos non sumat residens, sed in aere capiat escas & edat, garrula auis, & per tortuosos orbes & flexuosos circuitos peruolans, & in nidis cõstruendis educandisq; fœtibus solertissima, habens etiam quiddã prę-scium, quòd lapsura deserat, nec appetat culmina: alijs quoq; auibus nõ impetitur, nec vnquã pręda est, maria transuolat, ibiq; hieme commoratur.

Turdi à tarditate dicti, hyemis enim confinio se referunt.

Turdela quasi minor turdus, cuius stercore viscum generari putatur. Vnde & prouerbium apud

© Biblioteca Nacional de España

apud antiquos erat, *Malum sibi auem cacare.*

Furfurio vocatus quòd prius farre in farinā redacto pasceretur.

Ficedulæ dictę quòd ficos magis edāt. Quòd panditur versiculo veteri illo,

Cum me ficus alat, cum pascar dulcibus vuis,
Cur potius nomen non dedit vua mihi?

Carduelis quòd spinis & cardibus pascitur, vnde etiā apud Græcos ἀκάνθις dicta est, ab ἀκάνθοις, id est spinis quibus alitur.

Augures autem dicunt & in gestu, & in motu, & in volatu, & in voce auium signa esse constituta.

Oscines aues vocant quæ ore cantuq; auspicium faciunt, vt coruus, cornix, picus.

Alites quæ volatu ostendere futura videtur. quæ si aduersæ sunt, inhibę dicuntur, quòd inhibeant, id est vetent: si prosperę prępetes, & ideo præpetes, quia omnes aues priora petunt volantes.

Tertiam faciunt speciem auguriorum in auibus quam communem vocant, ex vtroq; commixtam, id est cum aues ex ore & volatu auguria faciunt: sed fides non habet.

Omnium autem genera volucrū bis nascuntur. Primum enim oua gignuntur, indè calore materni corporis formantur & animantur.

Oua autē dicta ab eo quòd sint uvida. Vnde & uva eo, quod intrinsecùs humore sit plena. Nam humidum est quod exterius humorem habet, uvidum quod interius. Quidā autē putant ovum Græcam habere originem nominis. Isti autem dicunt ὠὰ v litera ablata. Ova autē quædam inani vento concipiuntur: sed non sunt generabilia nisi quæ fuerint concubitu masculino concepta, & seminali spiritu penetrata. Ovorū vim tantam dicunt, vt lignum perfusum ovo nō ardeat, ac ne vestis quidem contra aduratur. Admixta quoque calce glutinare fertur vitri fragmenta.

De minutis volatilibus. CAP. VIII.

APes dictæ, vel quòd se pedibus invicem alligent, vel pro eo quòd sine pedibus nascantur. Nam postea & pedes & pennas accipiunt. Hæ solertes in generandi mellis officio, assignatas incolunt sedes, domicilia inenarrabili arte componunt, ex varijs floribus favum condunt, textisq; cæris innumera prole castra replent, exercitum & reges habent, pręlia mouēt, fumum fugiunt, tumultu exasperantur. Has plerique experti sunt nasci de boum cadaueribus. Nam pro his creandis: vitulorum occisorū carnes verberant, vt ex putrefacto cruore vermes nascantur, qui postea efficiuntur apes. Propriè autem apes vocantur ortæ de bobus, sicut crabrones de equis: fūci de mulis, vespę de asinis.

* Castros Græci appellant: qui in extremis partibus fauorum maiores creantur: quos aliqui reges putant, dicti quòd castra ducant. *al. Castras.*

Fucus est maior ape, crabrone minor. Dictus autem fucus quod alienos labores edat quasi * focus. Depascitur enim quod nō laborauit: de quo Virgilius, *al. fagus.*

Ignavum fucos pecus à præsepibus arcet.

Crabrones vocati à cabo, id est caballo, quòd ex his creentur. sicut autem crabrones nascuntur de equorū carnibus putridis: ita ex eis iterū sæpè nascuntur scarabei, vnde & cognominati sunt.

Tauri vocantur scarabei terrestres ricino similes.

Buprestis animal est in Italia paruum: simillimum scarabeo, longipedum. Fallit inter herbas bovem maximè, vnde & nomen habet, devoratumq; tacto felle ita inflammat, vt rumpat.

Cicendula scarabeorum genus est, eo quòd gradiens vel volans lucet.

Blattæ à colore nuncupate, siquidem & comprehensę manum tingunt, vnde & blatteum colorem dicunt. Hoc autem animal lucem videre non patitur, contrarium muscę. Nam musca lucipeta, & blatta lucifuga est. Per noctē enim tantum ambulat.

Papiliones aviculæ sunt: quæ maximè abundant florentibus malvis, quiq; vermiculos stercore suo faciunt nasci.

Locusta quòd pedibus sit longis, veluti hasta, vnde & eam Græci tam maritimam quam terrestrem hastago appellant.

Cicadę ex cuculorū nascūtur sputo, hę in Italia apud Reginos multæ sunt, nec vsquā alibi.

Musca ex Græco venit, sicut & mus. Hæ sicut & apes necatæ in aqua, aliquoties post vnius horę spacium reuiuiscunt.

Cinomya Græcè vocatur, id est musca canina. Nam κύων, Græcè canis vocatur.

Culex ab aculeo dictus: quòd sanguinem fugat. Habet enim in ore fistulam, in modum stimuli, qua carnem terebrat: vt sanguinem bibat.

Cyniphes muscæ minutissimæ sunt, sed aculeis permolestæ, quibus tertia plaga superbus populus Aegyptiorum cæsus est.

Oestrum animal armentis aculeis permolestum. Oestrum autem Græcum est: quod Latine asilus, vulgo tabanus vocatur.

Bibiones sunt qui in vino nascūtur, quos vulgo mustiones à musto appellant, vnde & Afranius, * Cum me expectares fabulare incipis, ex ore in oculis tuis bibiones involant. *al. Cum ad me spectas, &c.*

Gurgulio dicitur, quia penè nihil aliud est nisi guttur.

© Biblioteca Nacional de España

ISIDORI HISPALENIS EPISCOPI ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM LIBER XIII.

CAPITA LIBRI DECIMITERTII.

1 *De mundo.*
2 *De atomis.*
3 *De elementis.*
4 *De cœlo.*
5 *De partibus cœli.*
6 *De circulis cœli.*
7 *De aere & nube.*
8 *De tonitruo.*
9 *De fulminibus.*
10 *De arcu & nubium effectibus.*
11 *De ventis.*
12 *De aquis.*
13 *De diuersitate aquarum.*
14 *De maris nomine.*
15 *De oceano.*
16 *De mediterraneo mari.*
17 *De Sinibus maris.*
18 *De æstibus & fretis.*
19 *De lacis & stagnis.*
20 *De abysso.*
21 *De fluminibus.*
22 *De diluuijs.*

PRAEFATIVNCVLA IN LIBRVM SEQVENTEM.

IN hoc libello quasi in quadam breui tabula quasdam cœli causas, situsq; terrarum & maris spacia annotauimus, vt in modico lector ea percurrat, & compendiosa breuitate etymologias eorum causasq; cognoscat.

DE MVNDO. Cap. I.

Vndus est cœlũ, terra, mare & quæ in eis sunt opera Dei, de quo dicitur, *Et mundus per ipsum factus est.* Mundus Latinè à philosophis dicitur, quòd in sempiterno motu sit, vt cœlũ, sol, luna, aer, maria. Nulla, enim requies eius elementis concessa est, ideoq; semper in motu est. Vnde & animalia Varroni videntur elementa, quoniã per semetipsa inquit mouentur. Græci verò nomen mundo de ornamento accommodauerunt, propter diuersitatẽ elementorum, & pulchritudinem siderum. Appellatur enim apud eos κόσμος quod significat ornamentum. Nihil enim mundo pulchrius oculis carnis aspicimus.

Quatuor autem esse constat climata mundi, id est plagas, Orientem, Occidentem, septentrionem & meridiem.

Oriens ab exortu solis nuncupatus.

Occidens quòd diem faciat occidere & interire. Abscondit enim lumen mundo & tenebras superinducit.

Septentrio autem à septem stellis axis vocatur quæ in ipso reuolutę rotantur. Hic propriè & vertex dicitur, eo quòd vertitur, sicut ait poeta,

Vertitur interea cœlum.

Meridies vel quia ibi sol faciat medium diem quasi medidies, vel quia tunc purius micat æther. Merum enim purum dicitur.

Ianuæ cœli duæ sunt, Oriens & occasus. nam vna * porta sol procedit, alia se recipit. al. parte.

Cardines autẽ mundi duo, septentrio & meridies, in ipsis enim voluitur cœlum.

De atomis. CAP. II.

ATomos philosophi vocant quasdam in mundo corporum partes tam minutissimas, vt nec visui pateant nec τομὴν, id est sectionem recipiant, vnde & ἄτομοι dicti sunt. Hi per inane totius mundi irrequietis motibus volitare, & huc atq; illuc ferri dicuntur, sicut tenuissimi puluerẽs, qui infusi per fenestras radijs solis videntur, ex ijs arbores & herbas & fruges omnes oriri, & ex ijs ignem & aquã, & vniuersa gigni atq; constare quidã philosophi gentium putauerunt.

Sunt autem atomi aut in corpore: aut in tempore: aut in numero: aut in litera. In corpore, vt lapis. Diuides eum in partes & partes ipsas diuidis in grana, veluti sunt arenæ, rursumq; ipsa arenæ grana diuide in minutissimum puluerẽ: donec si possis peruenias ad aliquam minutiam quæ iam nõ sit quæ diuidi vel secari possit. Hoc est atomus in corporibus. In tempore vero, sic intelligitur atomus. Annum verbi gratia diuides in menses: menses, in hebdomadas: hebdomadas in dies: dies, in horas, adhuc partes horarum admittunt diuisionem quousq; peruenias ad tantùm temporis punctum, & quandã momenti stillam, vt per nullam morulam produci possit, & ideo iam diuidi non potest, hoc est atomus tẽporis. In numeris, vt puta octo diuiduntur in quatuor: rursum quatuor in duo: deinde duo

© Biblioteca Nacional de España

duo in vnum. Vnus autem atomus est, quia insecabilis est, sic & in litera. nam orationem diuidit in verba: verba autē in syllabas: syllabam autem in literas. Litera pars minima atomus est: nec diuidi potest. Atomus ergo est, quod diuidi non potest, vt punctus in geometria. Nam τομὴ Gręcè sectio dicitur, ἄτομον, quod secari nequit.

De elementis. CAP. III.

Ὕλην Græci rerum quandam primam materiam dicunt: nullo prorsus modo formatā, sed omnium corporalium formarum capacem, ex qua visibilia hęc elementa sunt. vnde & ex eius deriuatione vocabulum acceperunt. Hanc ὕλην Latini materiam appellauerunt, ideo quia omne informe vnde aliquid faciendū est semper materia nuncupatur. Proinde & eam poetæ syluam nominauerunt. Nec incongruè. quia materię syluarū sunt. Græci autē elementa στοιχεῖα nuncupant, eo quòd sibi societatis cōcordia & communione quadam conueniant. Nam sic ea inter se naturali quadā ratione iuncta dicuntur, vt modo originem ab igne repetētes vsq; ad terram: modo à terra vsq; ad ignem, vt ignis quidem in aera desinat, aer in aqua densetur, aqua in terrā crassescat, rursusq; terra diluatur in aquā, aqua rarescat in aerē, aer in ignē extenuetur. Quapropter omnia elementa omnibus constat inesse: sed vnum quodq; eorum ex eo quòd amplius habet accepisse vocabulū. Sunt autem diuina prouidentia proprijs animantibus distributa. nam cœlum angelis, aerē volucribus, mare piscibus, terram hominibus, cæterisq; animantibus creator ipse impleuit.

De cœlo. CAP. IIII.

COelum vocatū est, eo quòd tanquam cęlatum vas impressa lumina habeat stellarū veluti signa. Nam cęlatū dicitur vas quod signis eminentioribus refulget. distinxit enim eum Deus claris luminibus, & impleuit: solis scilicet & lunæ orbe fulgenti, & astrorū micantium splendentibus signis adornauit. Alias autem à superiori cęlando. Hoc autē Græcè οὐρανὸς dicitur ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν, id est à videndo, eo quòd aer perspicuus sit, & ad speculandum purior. Cœlū autē in scripturis sanctis ideo firmamentum vocatur, quòd sit cursu siderum & ratis legibus fixisq; firmatum. Interdū & cœlū pro aere accipitur, vbi venti & nubes, procellę & turbines fiunt. Lucretius,

Cœlum quod dicitur aer,

Et Psalmus, *Volucres cœli* appellat: cūm manifestum sit aues in aere volare: & nos in consuetudine hunc aerem cœlum appellamus. nam cum de sereno vel nubilo quærimus, aliquando dicimus: qualis est aer? aliquādo, quale est cœlum?

De partibus cœli. CAP. V.

AEther locus est in quo sidera sunt, & significat eum ignem qui à toto mūdo in alterum separatus est. Sanè æther est ipsum elemētum: αἴθερα vero splendor ætheris, & est sermo Græcus.

Sphæra cœli dicta, eo quòd species eius in rotundum formata sit: sed & quicquid tale est à volubilitate Sphæra à Græcis dicitur, sicut & pilæ quibus ludunt infantes. Nam philosophi dicunt cœlum in Sphærę figuram vndiq; esse conuexum: omnibus partibus ęquale, concludens terram in media mundi mole libratam. Hoc moueri dicūt, & motu eius sidera in eō fixa ab oriente vsq; ad occidentem circuire, septentrionibus breuiores giros iuxta cardinem peragentibus.

Axis est septentrionis linea recta: quæue per mediā pilam Sphærę tēdit, & dictus axis: quòd in eo Sphæra vt rota voluitur, vel quia ibi plaustrum est.

Cardines extremæ partes sunt axis, & dicti cardines, eo quòd per eos vertitur cœlum.

Poli sunt circuli qui currunt per axem. Horum alter est septentrionalis, qui nunquam occidit, appellaturque Boreus: alter australis qui nunquam videtur, & austronothus dicitur, & dicti poli quòd sint axium * circuli ex vsu plaustrorū, à poliendo scilicet nominati, sed polus Boreus semper videtur. Austronothus nunquā. quia dextra cœli altiora sunt, pressa Austri. *al. cicli.*

Conuexa extrema cœli sunt, à curuitate dicta. Nam conuexum curuum est & inclinatum, & in modum circuli flexum.

Lacteus circulus via est quæ in Sphæra videtur, à candore dicta, quia alba est: quam aliqui dicunt viam esse quam circuit sol, & ex splendoris ipsius transitu ita lucere.

De circulis cœli. CAP. VI.

HAbitatio ista cœli circulorū distincta zonis, quasdam partes temperie sua incolere permisit, quasdam negauit, enormitate frigoris aut caloris. Zonę autem ipsę quinq; sunt, quæ ideo zonæ vel circuli appellantur, eo quòd in circumductione Sphærę existūt. Quorum primus circulus ideo arcticus appellatur, eo quòd inter eum Arcturi signa inclusa perspiciuntur, quæ à nobis in vrsarum speciem ficta septentriones appellantur. Secundus circulus ex eo τροπικὸς θερινὸς dicitur, quia in eo circulo sol aquilonis finibus ęstatem faciens vltra eum circulū nō transit: sed statim reuertitur, & inde tropicus appellatur. Tercius circulus ἰσημερινὸς, qui à Latinis ideo ęquinoctialis appellatur, eo quòd sol cum ad eum orbem peruenerit: ęquinoctiū facit. ἡμέρα enim Latinè dies dicitur atque nox quo circulo dimidia sphærę pars cōstituta prospicitur. Quartus circulus antarcticus vocatur: eo quòd contrarius sit circulo quē arcticon nominamus. Quintus circulus χειμερινὸς τροπικὸς: qui à Latinis hiemalis siue brumalis appellatur, ideo quia cum sol ad eum circulum peruenit, hiemem ijs qui ad Aquilonē sunt facit, æstatē autē ijs qui in Austri partibus commorātur. Zodiacus autē circulus est, qui duodecim continet signa, ἀπὸ τῶν ζώων, id est animalibus, ita dictus.

O

© Biblioteca Nacional de España

De aere & nube. CAP. VII.

AEr est inanitas plurimũ habens admixtũ raritatis quàm cætera elementa. De quo Virgilius,

Longum per inane secutus.

Aer dictus ἀπὸ τοῦ ἀήρειν, ab eo quòd ferat terram, vel ab eo quòd feratur. Hic autem partim ad cælestem, partim ad terrenam materiam pertinet. Nam ille subtilis, vbi ventosi ac procellosi motus non possunt existere, ad cœlestem pertinet partem, iste verò turbulentior, qui exhalationibus humidis corporescit, terræ deputatur, quique ex se multas species reddit. nam cõmotus ventos facit, vehementius concitatus, ignes & tonitrua: contractus, nubila: conspissatus, pluuiã: congelantibus nubibus niuem: turbulentius congelantibus densioribus nubibus, grandinem: distentus, serenum efficit. nam aerẽ densum nubem esse constat: nubẽ rarefactam & solutam, aerem.

Nubes dictæ ab obnubendo, idest operiendo cœlum, vnde & nuptę quòd vultus suos velent, vnde & Neptunus quòd nubat, id est mare & terram tegat. Nubes autem aeris densitas facit. Venti enim aerem conglobant, nubemq; faciunt, vnde est illud,

Atq; in nubem cogitur aer.

De tonitruo. CAP. VIII.

TOnitruum dictum quòd sonus eius terreat. nam tonus, sonus. Qui ideo interdum tam grauiter concutit omnia, ita vt cęlum discidisse videatur, quia cum procella vehementissimi venti nubibus se repente immiserit: turbine inualescente, exitumq; quærente: nubem quam excauauit, impetu magno proscindit, ac sic cũ horrẽdo fragore defertur ad aures. Quod mirari quis non debet, cum vesicula quamuis parua magnum tamen sonitum displosa emittat. Cum tonitruo autem simul & fulgura exprimit: sed illud celerius videtur, quia clarum est: hoc autem ad aures tardius peruenit. Lux autẽ quæ apparet ante tonitruum, alibi fulgor vocatur. Quæ, vt diximus, ideo antè videtur, quia clarum est lumen, tonitruum autem ad aures tardius peruenit.

De fulminibus. CAP. IX.

FVlgur & fulmen ictus celestis iaculi à feriendo dicti. Fulgere enim ferire est ac percutere. Fulmina autem collisa nubila faciũt. nam omnium rerum collisio ignem creat, vt in lapidibus cernimus, vel attritu rotarum, vel in siluis arborũ: simili modo in nubibus ignis, vnde & prius nubila sunt, deinde ignes. Ex vento autem & igne fulmina certũ est in nubibus fieri & impulsu ventorum emitti. Ideo autem fulminis ignem vim habere maiorẽ ad penetrandũ, quia subtilioribus elemẽtis factus est, quàm noster, id est qui nobis in vsu est. Tria sunt autem eius nomina, fulgur, fulgor, & fulmen. Fulgur, quia tãgit: fulgor, quia incẽdit & vrit: fulmẽ quia findit. ideo & cum trinis radijs pinguntur.

De arcu & nubium effectibus. CAP. X.

ARcus cœlestis dictus à similitudine curuati arcus. Iris huic proprium nomen est. Et dicitur iris quasi aeris, idest quòd per aerẽ ad terras descendit. Hic autẽ à sole resplendet dum cauę nubes ex aduerso radiũ solis accipiunt, & arcus speciem fingunt, cui varios colores illa dat res, quia aqua tenuis, aer lucidus, & nubes caligantes irradiata ista varios creant colores.

Pluuiæ dictæ, quòd fluant quasi fluuię. Nascuntur enim de terræ & maris anhelitu. quæ, cũ altius eleuatæ fuerint, aut solis calore resolutę, aut vi ventorũ cõpressę stillantur in terris.

Nimbus est densitas nubis intempesta & obscura, & inde nimbus à nube. Sunt autem nimbi repentinę & pręcipites pluuię. nam pluuias vocamus lentas & iuges quasi fluuias, vel quasi fluentes.

Imbres autem & ad nubes & ad pluuias pertinent, dicti à Græco vocabulo quòd terrã inebrient ad germinandum. Ex his enim cũcta creantur, vnde & Lucretius,

Ex igni terra atq; anima nascuntur & imbri.

est autem nomen Græcum.

Grando appellata, quòd forma eius granorũ similitudinem habeat. Hæc autem ventorum rigore durantur in nube, ac solidantur in niuem, ruptoq; aere soluuntur.

Nix à nube vnde venit.

Glacies à gelu & aqua quasi gelacies, idest gelata aqua.

Gelu autẽ quòd eo stringatur tellus. γῆ quippe terra dicitur. Tunc autem maiori gelu stringitur terra, cũm fuerit nox serena.

Pruina est matutini temporis frigus: quòd inde pruinę nomẽ accepit, quia sicut ignis vrit. πῦρ enim ignis, vrere verò & ad solẽ & ad frigus pertinet. Nam vno sermone duo diuersa significantur, pro eo quòd vnum effectum habent. Similis enim est vis & caloris & frigoris, vnde & vtraq; saxa rumpunt. Nã & calor vrit, vt est. *Vritur infœlix Dido.* Item frigus vrit, vt est,

Aut boreæ penetrabile frigus adurat.

Ros Græcum est, quod illi δρόσος dicunt. Alij ros putant dictum, quia rarus est non spissus, vt pluuia.

Nebula inde dicta, vnde & nubila, ab obnubendo, hoc est operiendo terram, siue quòd nubes volans faciat. Exhalant enim valles humidę nebulas & fiunt nubes, inde nubilum, inde niues. Nebulę autem ima petunt cum serenitas est, summa cum nubilum.

Caligo vmbra est de spissitudine aeris effecta. Et dicta caligo, quod maximè aeris calore gignatur.

Tenebræ dicuntur quòd teneant vmbras. Nihil enim sunt tenebrę, sed ipsa lucis absentia tenebræ dicuntur: sicut silentium non aliqua res, est: sed vbi sonus non est, silentium dicitur, sic tenebræ non aliquid sunt: sed vbi lux non est, tenebræ dicuntur.

Vmbra

© Biblioteca Nacional de España

Vmbra est aer carens sole. dictum autē quòd fiat cum solis obijcimur radijs. Est autem mobilis & certa, & ex solis circuitu, & ex motu ventorum. Nāq; quoties mouetur in sole, nobiscum moueri videtur: quia vbi quoquo loco à radijs solis obsistimus, proinde illi lumen auferimus. sicq; ingredi nobiscū vmbra, & gestus nostros videtur imitari.

Lux ipsa substantia: lumē quod à luce manat id est candor lucis. sed hoc confundunt autores.

De ventis. Cap. XI

VEntus aer commotus & agitatus: & pro diuersis partibus cœli, nomina sortitur diuersa. dicitur autem ventus, quòd sit vehemens & violentus. Vis enim eius tanta est, vt non solum saxa & arbores euellat, sed etiam celum terramq; conturbet, maria commoueat.

Ventorum quatuor principales spiritus sunt. Quorum primus ab oriente Subsolanus, à meridie Auster, ab occidente Fauonius, à septentrione eiusdem nominis vētus aspirat habens geminos hinc inde ventorum spiritus. Subsolanus à latere dextro Vulturnum habet, à leuo Eurum. Auster à dextris Euroaustrum, à sinistris Austroafricum. Fauonius à parte dextra Africum, à leua Corum. Porro septentrio à dextris Circium, à sinistris Aquilonem. Hi duodecim venti mundi globum flatibus circumagunt. Quorū nomina ꝓprijs ex causis signata sunt. Nā Subsolanus ventus, eo quòd sub ortu solis nascatur. Eurus, eo quòd ab Eoo flat: idest ab oriente. Est enim subsolano coniunctus.

Vulturnus, quod altè tonat: de quo Lucretius, *Alsitonans Vulturnus & Auster fulmine pollens.*

Auster ab hauriendo aquas vocatus. vnde & crassum aerem facit & nubila nutrit. Hic græcè νότος appellatur, propter quod interdū corrumpat aerem. Nam pestilentiam quæ ex corrupto aere nascitur, Auster flans in reliquas regiones transmittit: sed sicut Auster pestilentiam gignit, sic Aquilo repellit.

Euroauster dictus, quòd ex vna parte habeat Eurum: ex altera Austrum.

Austroafricus: quòd iunctus sit hinc inde Austro & Africo. Ipse & Libanotus, quòd sit ei Libs hinc & inde Notus.

Zephirus græco nomine appellatus, eo quòd flores & germina eius flatu viuificentur. Hic latinè Fauonius dicitur propter quòd foueat quæ nascuntur. vnde est illud, *Et zephiro puris se gleba resoluit*. Austro aūt flores soluūtur, zephiro fiūt.

Africus à propria regione vocatus. In Africa enim initium flandi sumit.

Corus est qui ab occidēte ęstiuo flat. & vocatus Corus, quòd ipse vētorum circulū claudat, & quasi chorū faciat. Hic antea Caurus dictus quem pleriq; Argesten dicunt. nō vt imprudēs vulgus Agreste.

Septentrio dictus, eo quòd à circulo septem stellarum consurgit: quæ vertente se mundo resupinato capite ferri videntur.

Circius dictus, eo quòd Coro sit iunctus. Hūc Hispani gallicum vocāt, propter quòd eis à parte* Galliciæ flat. *al. Galliæ.*

Aquilo dictus, eo quòd aquas stringat & nūbes dissipet. Est enim gelidus ventus & siccus. Idem & Boreas, qui ab Hyperboreis montibus flat. Inde enim origo eiusdem venti est, vnde & frigidus. Natura enim omnium septentrionaliū ventorum frigida & sicca est: australium humida & calida.

Ex omnibus autem ventis duo cardinales sunt, Septentrio & Auster.

Etesiæ autem flabra Aquilonis sunt, quibus nomen inditum est, quòd certo anni tēpore flatus agere incipiunt. ἐνιαυτὸς enim Græcè, annus Latinè dicitur. Hæc autē cursum rectū à Borea in Aegyptū ferunt: quibus Auster cōtrarius est.

Duo sunt autem extra hos vbiq; spiritus magis quàm venti, aura & altanus.

Aura ab aere dicta, quasi aerea, quòd lenis sit motus aeris. Agitatus enim aer auram facit, vnde & Lucretius, *Aereas auras.*

Altanus, qui in pelago est per deriuationē ab alto, id est mari vocatus. Nam altus est flatus in ripis quem diximus auram. Nam aura terræ est.

Turbo est volubilitas ventorum, & turbo dictus à terra quoties ventus consurgit, & terrā in circuitum mittit.

Tempestas aut pro tēpore dicitur, sicut vbiq; historiographi solent, dum dicunt, ea tēpestate: aut ab statu cœli, quia magnitudine sui multis diebus oritur. Verno autē & autumnali tēpore quàm maximę fiunt tēpestates: quādo nec plena est æstas, nec plena hyems: vnde medium & confine vtriusq; tēporis ex cōiunctione aerum contrariorum efficiuntur tempestates.

Fragor à fractarum rerum nominatus est sonitu: quia sicca quęq; & arida frangit facilè.

Procella ab eo quòd percellat, idest percutiat & euellat. Est enim vis venti cum pluuia. Procellę enim aut de fluminibus aut de vētis fiunt. Nihil autem velocius ventis. vnde & propter celeritatem tam ventos quàm fulmina alata fingunt poetę, vt *Alatis viribus Austri.* *al. Alitis Austri.*

De aquis. CAP. XII.

AQua dicta qd' superficies eius æqualis sit. Hinc & æquor appellatum, quia ęqualiter sursum est.

Duo autem sunt validissima vitę humanę elementa ignis & aqua: vnde grauiter damnātur quibus ignis & aqua interdicitur.

Aquarum elementum cæteris omnibus imperat. Aquę enim cęlum temperant, terram fecundant. aerem exhalationibus suis incorporant, scandunt in sublime, & cælū sibi vendicāt: quid enim mirabilius aquis in celo stantibus? Parum sit in tantam peruenisse altitudinem: rapiunt & secum piscium examina: effusę, omniū in terra nascentium causa fiunt. Fruges gignūt, arbores frutices herbasq; producūt. sordes detergunt. peccata abluunt. potum cunctis animantibus tribuunt.

© Biblioteca Nacional de España

De diuersitate aquarum. CAP. XIII.

AQuarum naturę multa est diuersitas: Alię enim salis, aliæ nitri, aliæ aluminis, alię sulphuris, aliæ bituminis, aliæ curam morborum adhibentes. Nã iuxta Romã Albulæ aquæ vulneribus medentur.

In Italia fons Cicer. oculorũ vulnera curat.

In Aethiopia lacus est quo perfusa corpora à velut oleo nitescunt.

Zamę fons in Africa canoras voces facit.

Ex Clitorio lacu Italiæ qui biberint, vini tedium habent,

al. Plin. Ceo. In * Chio insula fontẽ esse dicunt, quo hebetes fiunt.

In Bœotia duo fontes alter memoriam: alter obliuionem affert.

Cizici fons, amorem Veneris tollit.

Bœotiæ lacus furialis est: de quo qui biberit ardore libidinis exardescit.

In Campania sunt aquæ, quæ sterilitatem feminarum, & virorum insaniam abolere dicũtur.

In Aethiopię fonte rubro qui biberit limpha ticus fit.

al. Lethnus. Plinius. Limum vocat. * Lechnus fons Arcadiæ abortus fieri non patitur.

In Sicilia fontes sunt duo, quorum vnus sterilem fœcundat: alter fœcundam sterilem facit.

In Thessalia duo sunt flumina: ex vno bibentes oues nigras fieri ferunt: ex altero albas, ex vtroq; varias.

Clitumnus lacus in Vmbria maximos boues gignit.

Reatinis paludibus iumentorũ vngulas indurari dicunt.

In Asphaltite lacu Iudeæ nihil mergi potest quicquid animam habet.

al. Sidin. Ann. Plinius, lib. 31. cap. 2. In Africæ lacu Apuscidamo, &c. In India * Siden vocatur stagnum, in quo nihil innatat sed omnia * merguntur.

At contrà in Alce lacu per Porcidamum omnia fluitant, nihil mergitur.

Marsidæ fons in Phrigia saxa * generat.

In Achaia * aqua profluit è saxis Stix appellata, quod ilico potata interficit.

Ann. Plin. lib. 31. cap. 2. saxa egerere ait. Celomum stagnum Sicilię tetro odore abigit proximantes.

** Plin. Arcadia.* Fons est in Africa circa templum Ammonis qui * humoris nexibus humum stringit. Fauillas etiam in cespitem solidat.

al. humores nexios in humum.

Fons Iob in Idumęa quater in anno colorem mutare dicitur, id est paluerulentum, sanguineum, viridem, & limpidum: trinis mensibus in anno tenens ex his vnum colorem.

In Troglodytis lacus est, ter in die fit amarus & deinde toties dulcis.

Fons Siloa ad radicem montis Sion: nõ iugibus aquis, sed in certis horis diebusq; ebullit.

In Iudæa quondam riuus sabbatis omnibus siccabatur.

In Sardinia fontes calidi oculis medentur, fures arguunt. Nã cæcitate detegitur eorũ facin⁹.

In Epiro esse ferunt fontem, in quo faces extinguuntur accensæ: & accenduntur extinctæ.

Apud Garamantes fontẽ esse aiunt ita algentem die, vt non bibatur: ita ardentem nocte, vt non tangatur.

Iam verò in multis locis aquæ manant perpetim feruẽtes, tãta vi vt balnea calefaciant. Quędã enim terræ sunt quæ multum sulphuris & aluminis habẽt. Itaq; cũ per venas calentes aqua frigida venit, vicino sulphuris calore contacta excandescit: nec talis ab origine effluit, sed permutatur dum venit. Sulphur enim alumenque secũ ferunt aquæ, vtrãq; materiam igne plenam mirisq; motibus incalescentem.

De maris nomine. CAP. XIIII.

MAre est aquarum generalis collectio. Omnis enim congregatio aquarum siue salsę sint, siue dulces, abusiuè maria nuncupantur, iuxta illud, *Et congregationes aquarum vocauit maria.* Propriè autem mare appellatũ, eo quòd aquæ eius amarę sint.

Equor autẽ vocatum, quia ęqualiter sursum est: & quãuis aquę fluctuantes velut montes erigantur: sedatis rursus tẽpestatibus adæquantur. Altitudo enim maris diuersa est: indiscreta tamẽ dorsi eius ęqualitas. Ideo autẽ mare incrementum nõ capere, cũ omnia flumina & omnes fontes recipiat, hæc causa est: partim, quòd influentes vndas ipsa magnitudo eius nõ sentiat, deinde quòd amara aqua dulce fluentum cõsumat, vel quòd ipsę nubes multum aquarũ ad se attrahant, siue quòd illam partim venti auferãt, partim sol exsiccet, postremum quòd per occulta quædam terræ foramina percolatur, & ad caput amnium fontesq; reuolutũ recurrat. Maris autẽ certũ nõ esse coloré: sed pro qualitate ventorum mutari. Nam modo flauum est, modo luculentum, modo atrum.

De Oceano. CAP. XV.

OCeanum Greci & latini ideo nominãt & quòd in circuli modo ambiat orbem: siue à celeritate, eo quòd ocyus currat. Itẽ quia vt cęlum purpureo colore nitet. Oceanus quasi ὠκύαεος. Iste est qui oras terrarum amplectitur, alternisq; æstibus accedit atque recedit. Respirantibus enim in profundum ventis aut remouet maria, aut resorbet. Quiq; à proximis regionib⁹ diuersa vocabula sumpsit: vt Gallicus, Germanic⁹, Schyticus, Caspius, Hircanus, Athlanticus, Gaditanus. Nam Gaditanum fretum à Gadibus dictum, vbi primo ab Oceano maris magni limẽ aperitur. Vnde & Hercules cũ Gadibus peruenisset, columnas ibi posuit, sperans illic esse orbis terrarum finem.

De mediterraneo mari, Cap. XVI.

MAre magnum est quod ab occasu ex Oceano fluit, & in meridiem vergit, deinde ad septentrionem tendit. Quòd inde magnum appellatur, quia cetera maria in comparatione eius minora sunt. Istud est & mediterraneum: quia p̃ mediã terrã vsq; ad orientẽ pfunditur.

© Biblioteca Nacional de España

ditur, Europā & Africam Asiamq; disterminās. Cuius primæ partis sinus, qui in Hispanijs perfunditur, Ibericus & Balearicus appellatur. Deinde Gallicus, quæ Narbonēnsem prouinciam alluit. Mox Ligusticus, qui iuxta Genuam vrbē est proximus. Post hæc Tyrrhenus qui Italiam attingit: quē Græci Ionium, Itali inferum vocāt. Deinde Siculus, qui à Sicilia vsq; ad Cretam vadit. Deinde Creticus, qui in Pamphiliam & Aegyptum pertendit. Inde Hellespontus, qui in septentrionem retorquēs, anfractibus magnis iuxta Grecias & Illiricū in angustias septem stadiorum stringitur: quo Xerxes ponte nauibus facto in Græciā cōmeauit: ibi est Abydos. Inde diffusus ab æquore patente rursus stringitur & facit Propontidem, qui mox in quingentos passus coartatur, fitq; Bosphorꝰ Thratius, quo Darius copias trāsportauit. Inde Pōticus sinus amplissimus à tergo Meotidis paludis, quōd mare ex multitudine fluminū dulcius quàm cætera, nebulosumq; & breuius est, vnde & Ponticum vocatū, quōd sit breuius, atq; præter phocas & thynnos atq; delfinos, alias beluas maiores non patitur.

Sicut autē terra dū vna sit, pro diuersis locis varijs appellatur vocabulis: ita & pro regionibꝰ hoc mare magnū diuersis nominibꝰ nūcupatur. Nā Ibericū & Asiaticū à prouincijs dictū: ab insulis, Balearicū, Siculū, Greticū, Cypriū, Ægeū, Carpatiū. Nā inter Tenedū & Chium, saxū est in mari potius quàm in insula, quod videntibus procul capre simile creditur, quā αἴγα nuncupāt, vnde & Aegeum mare est dictū, sic & Carpatiū mare inter Aegyptū & Rhodū ab insula Carpatho illic posita. A gētibus, Gallicū, Ausonium, Dalmaticū, Ligusticū. Ab oppidis Argolicū, Corinthium, Tirium, Adriaticū. Nā Adria quēdam ciuitas Illirico mari proxima fuit, quę Adriatico mari nomē dedit. A positione cœli, vt superum & inferū, quōd sit oriens superior, occidens inferior. Est autē Tuscū & Adriaticum. A memoria regis, vt Ionium. Io quippe rex fuit Græciē, vnde Iones Athenienses. Hoc mare & Tyrrenū dictum: siue quōd Tusciam alluit, id est Tyrrhenum, siue à Tyrrhenis nautis qui se in hoc mare præcipitauerūt. Et sciendum Ionium sinum esse immēsum, ab Ionia vsq; ad Siciliā, & huius partes esse Adriaticū, Achaicum & Epiroticū. A moribus accolarum, alibi Euxinus, Axenos antea appellatus est. A casibus hominum qui ceciderunt in mari, vt Hellesponticū, Icariū, Myrteum. Nā Myrteum mare dictū à Myrtili lapsu, quōd illic ab Oenomao præcipitatus sit. Icarus verò Cretensis, vt fabulæ ferunt, altiora petens, pennis solis calore solutis mari in quo cecidit nomen imposuit. Frixus quoq;, cum Helle soore sua fugiens insidias nouercales, conscendit nauem signum arietis habentem, qua liberatus est. Helles autem soror eius perpessa naufragiū decidit in mari, & mortua Hellesponto mari dedit nomen. Ab ordine, fluenta Propontidis. Nā dictū Propontū, quia pontum præuenit. Idem & à trāsitu vel angustis meatibꝰ boum Bosphorus. Aegyptium autē pelagus Asiæ datur, Gallicū Europæ, Africum Lybię. His vt quęq; proxima sunt, venerūt in partes.

Pelagus autē est latitudo maris sine litore & portu. Græcō nomine ἀπὸ τῆς πλαγίας, hoc est à latitudine dictū; vnde & plagia, eo quōd sint importuosa.

De sinibus maris. Cap. XVII.

SInus dicuntur maiores recessus maris, vt in mari magno Ionius: in Oceano, Caspius, Indicus, Persicus, Arabicus, qui & mare rubrum, qui Oceano asscribitur.

Rubrum autē mare vocatum, eo quōd sit roseis vndis infectum: non talē naturā habet, qualem videtur ostēdere, sed vicinis litoribus vitiatur gurges atq; inficitur, quia omnis terra quæ circumstat pelago rubra est & sanguineo colori proxima. Ideoq; inde minium acutissimum excerpitur, & alij colores quibus pictura variatur. Ergo cum terra hanc habeat naturam: fluctibus subinde diluitur. & quicquid adhęsum est, in colorem cadit. Ob hoc etiam in ijs litoribus gemmę rubrę inueniuntur. Lapillus enim huiusmodi humo inuolutus cum inter arenas attritus est, & terrę colorē habet & maris. Hoc mare in duos scinditur sinus. Ex ijs qui ab oriente est Persicus appellatur. quia ora illius Persę inhabitāt. Alter verò Arabicus dicitur, quōd sit circa Arabiam.

De æstibus & fretis. Cap. XVIII.

AEstus ad Oceanum pertinet: fretum ad vtrūq; mare. Nā æstus est maris accessus vel recessus, idest inquietudo, vnde & æstuaria, ꝑ quę mare vicissim tā accedit quā recedit.

Fretum autē appellatū, quōd ibi semper mare ferueat. Nā fretū est angustū & quasi feruens mare, ab vndarum feruore nominatum, vt Gaditanum vel Siculū. Nam freta dicta Varro ait, quasi feruida, id est feruentia, & motum feruoris habentia. Fretum Siciliæ quōd regium dicitur Salustius ex tali causa vocari scribit dicens, Italiæ olim Siciliam coniunctā fuisse, & dum esset vna tellus, medium spacium aut per humiditatem abruptum est aquis, aut per angustiā scissum. Et inde ῥήγιον nominatum, quia Græcē abruptum hoc nomine nuncupatur. Est autē artissimum trium miliū spacio Siciliam ab Italia diuidens, fabulosis infamie monstris, quibus hinc inde Scilla & Charibdis ostenditur.

Scillam accolę saxum mari imminens appellant, simile celebratę formę procul visentibus. Vnde & monstruosam speciem fabulę illi dederunt, quasi formā hominis, capitibus succinctā caninis, quia collisi ibi fluctus latratus videntur exprimere.

Charibdis dicta, quōd gurgitibus occultis naues absorbeat. Est enim mare verticosum, & inde ibi laniata naufragia, profundo emergunt. Ter autē in die erigit fluctus, & ter absorbet. Nā accipit aquas, vt vomat: vomit, vt rursꝰ accipiat.

© Biblioteca Nacional de España

Sirtes autem sunt arenosa in mari loca. Sirtes autem Salustius à tractu vocari dicit, quòd omnia ad se trahant, & appropinquantes vadoso mari hæreant. Hæ autem ad mare Aegyptium vicinę sunt, & pariter admiscentur. Vada verò sunt per quę in mari vel in fluminibus homines vel animalia pedibus vadũt: quæ Virgilius Breuia appellat, Greci βραχέα.

De lacis & stagnis. Cap. XIX

SVnt & quædam maria quæ non miscentur Oceani fluctibus aut mari magno, & dicuntur lacus & stagna.

Lacus est receptaculum in quo aqua retinetur, nec miscetur fluctib9. vt lacus Asphalti, lac9 Benacus & Larius, & ceteri quos græci λιμνας, id est stagna vocant. Nã fontes labuntur in fluuijs: flumina in freta discurrũt. Lacus stat in loco, nec profluit. Et dictus lacus quasi aquę loc9.

Lacus Asphaltites, idẽ & mare mortuum vocatum, propter quod nihil gignit vivũ, nihil recipit ex genere viuentium. Nam neq; pisces habet, neque assuetas aquis & lętas mergendi vsu patitur aues: sed & quęcunq; viuentia mergenda tentaueris: quacunque arte dimersa statim resiliunt: & quamuis vehemẽter illisa cõfestim excutiuntur. sed neq; ventis mouetur resistente turbinibus bitumine, quo aqua omnis stagnatur. neque nauigationis patiens est, quia omnia vita carentia in profundum merguntur: nec materiam vllã sustinet, nisi quæ bitumine illustratur. Lucernam accensam ferunt supernatare: extincto lumine demergi. Hoc & mare Salinarum dicitur, siue lacus Asphalti id, est bituminis. & est in Iudęa inter Hierico & Zoaran. Lõgitudo eius vsq; ad Zoaras Arabię. dirigitur stadijs septingẽtis octoginta: latitudo stadijs cẽtum quinquaginta vsq; ad vicinia Sodomorum.

Lacus Tiberiadis ab oppido Tiberiade vocatus, quod quondam Herodes in honorem Tiberij Cæsaris condidit. Est autẽ in Iudæa omnibus lacis salubrior, & ad sanitatem corporum quodammodo efficacior.

Genesar lacus amplissimus in Iudęa longitudine centum quadraginta extenditur stadijs. latitudine quadraginta diffunditur, crispantibus aquis: auram non ventis, sed de seipso sibi excreans. Vnde & Genesar dicitur græco vocabulo, quasi generans sibi aurã. denique per diffusiora spacia lacus frequẽtibus auris spirantibus agitatur. Vnde & purior haustus eius, & ad potandũ dulcis & habilis. Benacus lacus Italiæ in Venetia. de quo fluuius nascitur Mincius, qui lacus magnitudine sui tẽpestates imitatur marinas.

al. magnitudinis vi.

Lucrinus & Auernus lacus Cãpanię sunt. Lucrinus autem dictus, quia olim propter copiam piscium vectigalia magna præstabat. Auernus autẽ lacus vocatus, quia aues ibi superuolitare nõ possent. Nã antea siluarũ densitate sic ambiebatur, vt exhalãtis inde per angustias aquæ sulphureę fetor grauissimus superuolãtes aues halitu suo necaret. Quã rem Augustus Cęsar intelligens, deiectis siluis ex pestilentibus amœna reddidit loca.

Lacus autem idem & stagnum, vbi immensa aqua conuenit. Nam dictum est stagnum, ab eo quòd illic aqua stet, nec decurrat.

De abysso. Cap. XX.

AByssus profunditas aquarum impenetrabilis: siue speluncæ aquarũ latentium, de quibus fontes & flumina procedunt. vel quæ occultè subter eũt. vnde & abyssus dictus. Nam omnes aquas siue torrentes per occultas venas ad matricẽ abyssum reuertuntur.

Fluctus dicti quòd flãtibus fiant. Ventorum enim impulsu agitatę aquæ fluctuant.

Aqua est statiua & sine motu ęqualis.

Vnda verò eminẽs liquor, qui semper in motu est. Lucretius, *Aerias vndas*, id est motus, & corpus illud quod refluctuat. Nam nec vnda per se aqua est: sed aqua in motu quodã & agitatione quasi abeundo & redeundo vnda vocata.

Latex propriè liquor fontis est. Et dictus latex quòd in venis terræ lateat.

Gutta est quæ stat: stilla, quæ cadit. Hinc & stillicidium, quasi stilla cadens. Stiria enim græcum est, id est gutta. inde fit diminutiuum, vt dicimus stilla: dum autem stat aut pẽdet de tectis vel arboribus, quasi glutinosa est: dum ceciderit, stilla est.

Spuma dicta eo quòd spuatur. sordes enim sunt vndarum. vnde & mustum, & ea quæ coquuntur spuma purgantur. Hinc & sputum.

De fluminibus. Cap. XXI.

FLuuius est perennis aquarum decursus, à fluendo perpetim dictus. Propriè autem flumen ipsa aqua, fluuius cursus aquæ. Prius aũt flumẽ quàm fluuius, id est, prior aqua quàm decursus. Duo sunt fluminum genera: vnũ torrens: alterũ viuum. de quo Virgilius,

—donec me flumine viuo, — Abluero.—

Torrens est aqua veniens cum impetu. Dictus autem torrens, quia pluuia crescit, siccitate torrescit, id est arescit. de quo Pacuuius,

Flãmeo vapore torrẽs torret. Cui græci abhyeme nomẽ dederũt, nos ab æstate: illi à tempore quo succrescit, nos à tempore quo siccatur.

Amnis fluuius est nemore ac frondibus redimitus; & ex ipsa amęnitate amnis vocatur.

Decursus propriè finis cursus, siue aquarum sit, seu quarumlibet rerum.

Riui dicti, quòd deriuentur ad irrigãdum, id est inducẽdum aquas in agris. Nam irrigare inducere est.

Gurges proprie locus altus in flumine.

Puteus est locus defossus ex quo hauritur aqua, à potatione dictus.

Fons caput aquę est nascentis, quasi fundens aquas.

Quidam autem fluuiorum proprijs ex causis nomina acceperunt: ex quibus nonnulli nominãdi sunt qui in historijs celebres memorantur.

Geon fluuius de paradiso exiẽs atq; vniuersam Aethiopiã cingens, vocatus hoc nomine qd in cremẽto suę inundationis terrã Aegypti irriget:

© Biblioteca Nacional de España

γῆ enim Græci Latinè terrā significat. Hic apud Ægyptios Nilus vocatur, propter limum quem trahit, qui efficit fœcunditatem. Vnde & Nilus dictus est quasi νίλου ἑλκόντα trahens. Nam antea Nilus Latinè Melo dicebatur. Apparet autem in Nilide lacu, de quo in meridiē versus excipitur Ægypto, vbi Aquilonis flatibus repercussus aquis retroluctantibus intumescit, & inundationem Ægypti facit.

Ganges fluvius, quem Physon scriptura sacra nominat, exiens de paradiso pergit ad Indię regiones. Dictus autē Physon, id est, caterva, quia decem fluminibus magnis sibi adiunctis impletur & efficitur vnus. Ganges autem vocatus à Gangaro rege Indiæ. Fertur autem Nili modo exaltari, & super Orientis terras erumpere.

Tigris fluvius Mesopotamiæ de paradiso exurgens, & pergēs contra Assyrios, & post multos circuitus in mare mortuum influens. Vocatur autem Tigris propter velocitatem instar bestiæ Tigridis, nimia pernicitate currentis.

Euphrates fluvius Mesopotamiæ de paradiso exurgēs, copiosissimus gemmis, qui per mediam Babyloniam influit: hic à frugibus vel ab vbertate nomen accepit. Nā Hebraicè Euphrata fertilitas interpretatur. Mesopotamiā enim in quibusdā locis ita irrigat, sicut Nilus Alexandriam. Salustius autem autor certissimus asserit, Tigrim & Euphraten vno fonte manare in Armenia, qui per diversa euntes longius diuidūtur spacio medio derelicto multorū milliū: quæ tamen terra, quæ ab ipsis ambitur, Mesopotamia dicitur. Ex quo Hieronymus animadvertit, aliter de paradisi fluminibus intelligendum.

Indus fluvius orientis, qui à rubro mari accipitur.

Hidaspes fuit Medorum rex antiquissimus, ex quo amnis orientis nomē accepit, qui nunc Hidaspes dicitur, de quo Lucanus:

Vastis Indus aquis mixtum non sentit Hidaspen,
Et, — *quā Medus Hidaspes*
Accedit pelago, Phœbi surgentis ab igne.

Qui dum sit fluvius Persarum, dicitur tamen contra orientem decurrere.

Araris fluvius Germanię. De quo Virgilius:

Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim.

Currit enim Tigris per Parthiam & Assyriam.

Bactrus fluvius orientis à rege Bactro vocatus fertur, à quo & Bactriani, & urbs eorum.

Choaspis fluvius Persarum, vocatus eorum lingua, quòd miram aquæ dulcedinem habeat: adeò vt Persici reges quamdiu inter ripas Persidis fuerunt, sibi ex eo pocula vendicarint. Ex hoc amne quidam Cygnū Ciliciæ fluvium derivari existimant.

Araxis amnis Armeniæ, qui ab vno monte cū Euphrate diversa specie oritur, dictus quòd rapacitate cuncta prosternat. Vnde & cùm Alexander eum transgredi vellet ponte fabricato, tanta vi inundavit vt pontem dirueret. Hic brevibus intervallis ab Euphratis ortu caput tollit: ac deinde Caspium fertur in mare.

Fluvius Syriæ qui vocatur Orontes iuxta Antiochiæ muros decurrens, qui à Solis ortu oriens nō longè ab vrbe mari cōditur, quem de originis suæ tractu orientem veteres Latinè appellaverunt. Cuius fluentis ex ipso impetu frigidioribus, & zephiris assiduè ibi spirantibus tota civitas momentis propè omnibus refrigeratur.

Iordanis Iudeæ fluvius, à duobus fontibus nominatus: quorū alter vocatur Ior, alter Dan. His igitur procul à se distātibus in vnū alveum fœderatis, Iordanis deinceps appellatur. Nascitur autē sub Libano monte, & dividit Iudæam & Arabiam, qui per multos circuitus iuxta Iericho in mare Mortuum influit.

Eusis Caucaseis montibus fusus cum pluribus alijs in Euxinum se præcipitat mare. Vnde & nuncupatur.

Cydnus amnis Ciliciæ, à Tauro monte progrediens, miram aquarū habens suavitatem, & quicquid candidum est, Cydnū gentili lingua Siri dicūt. Vnde cydnus amni huic nomen datum, quia tumet ęstate quādo nives solvuntur; reliquis anni temporibus tenuis est & quietus.

Ilas fluvius Asiæ.

Pactolus fluvius Asiæ, arenas aureas trahēs: de quo Virgilius: — *Pactolusq; irrigat auro.* quem pro aurato fluore alij Chrysoroam vocāt.

Erinus fluvius Asiæ, qui Smirneos secat campos, & ipse fluctibus aureis & arenis plenus, à quo Smirna vocata est.

Męander amnis Asiæ flexuosus, qui recurrentibus ripis inter Asiam & Ionium pręcipitatur in sinum, qui Miletū diuidit & Prienen. Meander autē vocatus, quòd sit flexuosus & nunquam currat rectus. De quo Ovidius:

Quiq; recurvatus ludit Mæander in undis.

Tanus fuit rex Scitharum primus, à quo Tanais fertur fluvius nuncupatus, qui ex Riphęis sylvis veniens, dirimit Europam ab Asia inter duas mundi partes medius currens, atque in Pontum fluens.

Inachus Achaiæ amnis, Argolicos irrigans campos, quem rex Inachus à se nominavit, qui exordium Argivæ genti primus dedit. Ibi est & Erimantus ab Erimanto monte dimissus.

Padus Italiæ fluvius à iugis alpium fusus, ex tribus fontibus oritur: ex quibus uni vocabulum est Padus, qui diffusus in modum stagni amnem sinu dirigit, à quo & Padus est nuncupatus. Hic à Græcis Eridanus cognominatur, ab Eridano Solis filio, quem Phaetontem dicunt, qui fulmine percussus in eodem fluvio deiectus est, & extinctus. Augetur autem ex ortu Canis liquescentibus nivibus, & cum accessione triginta fluminum circa Ravennam in Adriaticum mare defertur.

Tiberis Italiæ fluvius à Tiberino rege Albanorum dicitur appellatus, qui in hunc fluvium cecidit, & de exitu suo nomen dedit. Nam anteà Albola antiquum nomen à colore habuit, quòd nivibus albus sit. Ipse est autem Tibuis,

© Biblioteca Nacional de España

qui & Tiberis, sed Tiberis in cotidiano sermone: Tibris in versu dicitur.

Danubius Germaniæ fluuius vocari fertur à niuium copia, quibus magis augetur. Iste est qui in Europa plus omnibus famam habet. Idē & Ister, quia dum per innumeras vadit gentes, mutat & nomen, & maiores sibi * ambigendo colligit vires. Oritur à Germanicis iugis & occidentalibus partibus barbarorum; pergens contra orientem: sexaginta in se fluuios recipit: septem ostijs in Pontum influit.

* ambiendo

Rhodanus Gallię fluuius ab oppido Rhodo cognominatus est, quem coloni Rhodiorum vocauerunt, qui rapido cōcitus cursu, Tyrrheni æquoris freta scindens, non modicum sæpe navigantium facit periculum; dum inter se maris fluctus & amnis fluenta decertant.

Rhenus à Rhodani societate fertur vocatus: quoniam cum eodem ex vna* prouincia oritur. Est autem Germaniæ fluuius inter tres Europæ maximos fluuios computatus; qui à iugo alpium vsque in Oceani profunda cursus suos dirigit.

* mons

Iberus amnis, qui quondam totius Hispanię nomen dedit.

Mineus fluuius Gallicię nomen à colore pigmenti sumpsit, qui in eo plurimus inuenitur.

Durius à Græcis quasi Doricus cognominatus.

Tagum fluuium Carthago Hispaniæ nuncupauit, ex qua ortus procedit, fluuius arenis aureis copiosus, & ob hoc cæteris fluuijs Hispaniarum prælatus.

Betis fluuius, qui & & Beticę prouinciæ nomen dedit: de quo Martialis:

Betis oliuifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tinguis aquis, eò quòd ibi lanæ pulchro colore tinguuntur. Betis autem dictus, eò quòd humili solo decurrat. βαθὺ enim Græci humile vel mersum vocant. Quædam autem flumina in diluuio soluta mole terrarum præclusa sunt: quædam verò quæ non erant abissi, tunc * præruptis meatibus eruperunt.

* ruptis

De diluvijs. CAP. XXII.

Diluvium dictum, quòd aquarum clade omnia quæ inundauerit deleat.

Primū diluvium extitit sub Noe, quando hominū sceleribus offensus omnipotēs, toto orbe contecto, deletis cunctis, vnū spacium cœli fuit ac pelagi. Cuius hactenus indicium videmus in lapidibus, quos in remotis montibus conchis & ostreis concretos, sæpe etiam cauatos aquis visere solemus.

Secundum diluvium fuit in Achaia, Iacob patriarchæ, & Ogigi temporibus, qui Eleusinæ conditor & rex fuit, nomenq; loco & tempori dedit.

Tertium diluvium in Thessalia Moysi vel Amphitryonis temporibus, qui tertius post Cecropem regnauit. Cuius temporibus aquarum diluvies maiorē partem populorum Thessaliæ absumpsit: paucis per refugia montium liberatis: maximè in monte Parnaso, in cuius circuitu Deucalion tunc regno potiebatur: qui tunc ad se ratibus confugientes susceptos, per gemina Parnasi iuga fouit & aluit. A quo propterea genus hominum Græcorum fabulæ ex lapidibus reparatum ferunt, propter hominum infisitam cordis duritiam.

Sed & flumina cum insolitis aucta imbribus vltra consuetudinem; vel diuturnitatem, vel magnitudinem redundant multaque prosternunt, & ipsa diluvium dicuntur. Sciendum autem flumina cùm super modū crescunt, non tantùm ad præsens inferre damna, sed etiam & aliqua significare futura.

FINIS.

ISIDORI

© Biblioteca Nacional de España

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI, ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM LIBER XIIII.

CAPITA LIBRI DECIMI QVARTI.

1 *De terra.*
2 *De orbe.*
3 *De Asia & partibus eius.*
4 *De Europa & partibus eius.*
5 *De Lybia & partibus eius.*
6 *De Insulis.*
7 *De promontorijs.*
8 *De montibus cæterisque terræ vocabulis.*
9 *De inferioribus terræ.*

De Terra. CAP. I.

Erra est in media mundi regione posita, omnibus partibus cœli in modũ centri æquali intervallo consistẽs, quæ singulari numero totum orbem significat: plurali verò singulas partes, cui nomina diversa dat ratio. Nam terra dicta à superiori parte, qua teritur: humus ab inferiore, vel humida terra, vt sub mari: tellus autẽ, quia fructus eius tollimus: hęc & Ops dicta, eò quòd opem fert frugibus. Eadem & arva, ab arando & colendo vocata. Propriè autem terra ad distinctionem aquæ, arida nuncupatur: sicut Scriptura ait: *Quia vocaverit Deus terram, aridam.* Naturalis enim proprietas, siccitas est terræ. Nam vt humida sit, hoc aquarum affinitate sortitur. Cuius motum alij dicunt ventum esse in concavis eius, qui motus eam movet. Salustius: * *Venti per concava terræ præcipitati rupti aliquot montes * tumuliqué sedere.* Alij aquam dicunt generalem in terris moveri, & eas simul concutere, sicut vas', vt dicit Lucretius. Alij αστοχθονιδας eandem terram vocant: cujus plærunque latentes ruinæ superposita cuncta concutiunt. Terræ quoque hiatus aut motu aquæ inferioris fit, aut crebris tonitruis, aut de concavis terræ erumpentibus ventis.

* *Ventis per cava terræ citatis.*
* *tumidiq;*

De Orbe. CAP. II.

ORbis à rotunditate circuli dictus, quia sicut rota est. Vnde brevis etiam rotella orbiculus appellatur. Vndiq; enim Oceanus circumfluens eius in circulo ambit fines. Divisus est autem trifariẽ. Ex quibus vna pars Asia: altera Europa: tertia Africa, quæ & Lybia nuncupatur. Quas tres partes orbis veteres non æqualiter diuiserunt. Nam Asia à meridie per orientem vsq; ad septentrionem pervenit. Europa verò à septẽtrione vsq; ad Occidentẽ: atq; inde Africa ab occidẽte vsq; ad meridiem. Vnde euidenter orbem dimidium duæ tenent Europa & Africa: alium verò dimidium sola Asia: sed ideo istæ duæ partes factæ sunt, quia inter vtramq; ab Oceano mare magnum ingreditur, quòd eas intersecat. Quapropter si in duas partes orientis & occidentis orbem dividas, Asia erit in vna: in altera verò Europa & Africa.

De Asia. CAP. III.

ASia ex nomine cuiusdã mulieris appellata, quæ apud antiquos imperiũ tenuit Orientis. Hęc in tertia orbis parte disposita, ab oriente ortu Solis, à meridie Oceano, ab occiduo nostro mari finitur: à septẽtrione Męotide lacu & Tanai fluvio terminatur. Habet autem provincias multas & regiones: quarum breviter nomina & situs expediam: sumpto initio à paradiso.

Paradisus est locus in orientis partibus constitutus, cuius vocabulũ ex Græco in Latinum vertitur hortus. Porrò Hebraicè Eden dicitur, quod in nostra lingua delitiæ interpretatur. Quod vtrunq; iunctũ facit hortum delitiarum. Est enim omni genere ligni & pomiferarum arborum cõsitus, habens etiam lignum vitæ. Non ibi frigus, non æstas, sed perpetua aeris temperies. E cuius medio fons prorumpens totũ nemus irrigat: dividituṕq; in quatuor nascentia flumina: cuius loci post peccatũ hominis aditus interclusus est. Septus enim vndiq; romphea flamma, id est, muro igneo accinctus, ità vt eius cum cœlo penè iungatur incendium. Cherubin quoq; .i. angelorũ præsidium arcendis spiritibus malis super romphęæ flagrãtiam ordinatum est, vt homines flammę, angelos verò malos angeli boni submoveant, ne cui carnĩ vel spiritui trãsgressionis aditꝰ paradisi pateat.

India vocata ab Indo flumine, quo ex parte occidẽtali clauditur. Hęc à meridiano mari porrecta vsq; ad ortum Solis, & à septentrione vsq; ad montem Caucasum pervenit, habens gentes multas & oppida: insulã quoq; Taprobanã è gemmis & elephãtis refertam. Chrysen & Argyren auro argentoq; fœcundas, vtilem quoq; arboribus folijs nunquam carentem. Habet & fluvios Gangen & Nidan & Hypanen illustrantes Indos. Terra Indiæ Favonij spiritu salubberrima, in anno bis metit fruges: vice hye-

© Biblioteca Nacional de España

mis & æstatis Etesias patitur. Gignit autem tincti coloris homines, elephantes ingentes, monoceron bestiam, psitacum avem, ebenum quoq; lignũ, & cinnamomum, & piper, & calamum aromaticũ. Mittit & ebur: lapides quoq; preciosos, berillos, chrysoprasios & adamantẽ, carbunculos, lychnites, margaritas, & vniones, quibus nobilium fœminarũ ardet ambitio. Vbi sunt & montes aurei, quos adire propter dracones, & gryphas, & immensorũ hominum monstra impossibile est.

Parthia ab Indiæ finibus vsque ad Mesopotamiam generaliter nominatur. Propter invictam enim virtutem Parthorum, & Assyria & reliquæ proximæ regiones * in eius nomen transierunt. Sunt enim ea Aracusia, Parthia, Assyria, Media & Persia: quæ regiones invicem sibi coniunctæ initium ab Indo flumine sumũt. Tigri clauduntur, locis montuosis & asperioribus sitæ, habentes fluvios Hydaspen & Arbem. Sunt enim inter se finibus suis discretæ: nomina à proprijs authoribus ita trahentes.

*eius nomen traxerunt

Aracusia ab oppido suo nuncupata.

Parthiam Parthi à Scythia venientes occupaverunt eamque ex suo nomine vocaverunt. Huius à meridie rubrum mare est, à septentrione Hircanũ salum: ab occidua Solis plaga, Media. Regna in ea octodecim sunt, porrecta à Caspio littore vsque ad terras Scytharum.

Assyria vocata ab Assur filio Sem, qui eam regionem post diluvium primus incoluit. Hæc ab ortu Indiam: à meridie Mediam tangit: ab occiduo, Tigrim: à septentrione montem Caucasum, vbi portæ Caspiæ sunt. In hac regione primus inventus est vsus purpuræ: inde primum crinium & corporũ vnguenta venerunt, ac odores quibus Romanorum atque Græcorum effluxit luxuria.

Media & Persia à regibus Medo & Perso cognominatæ, qui scilicet easdem provincias bellando aggressi sunt. Ex quibus Media ab Occasu transversa Parthia regna amplectitur: à septentrione Armenia circumdatur: ab ortu Caspios videt: à meridie Persiam. Huius terra Medicam arborem gignit, quam alia regio minimè perturit. Sunt autem Mediæ duæ, maior & minor.

Persida tendens ab ortu vsque ad Indos: ab occasu rubrum mare habet: ab aquilone verò Mediam tangit: ab austro Armeniam, quæ Persidæ annectitur, quibus est Susa oppidum nobilissimum. In Persia primùm orta est ars magica, ad quam Nemroth gigas post confusionẽ linguarum abijt, ibique Persas ignem colere docuit. Nam omnes in illis partibus solem colunt, qui ipsorum lingua El dicitur.

Mesopotamia Græcam etymologiam possidet: quòd duobus fluvijs ambiatur. Nam ab oriente Tigrim habet, ab occiduo Euphraten: incipit autẽ à septẽtrione inter montem Taurũ & Caucasum: cuius à meridie sequitur Babylonia, deinde Chaldæa, novissimè, Arabia ἐνδαίμων.

Babyloniæ regionis caput Babylon vrbs est, à qua nuncupata, tam nobilis, vt Chaldæa & Assyria & Mesopotamia in eius nomen aliquando transierint.

Arabia appellata, id est, sacra. Hoc enim significare interpretatur, eò quòd sit regio thuritera, odores creans. Hinc eam Græci ἐνδαίμονα, nostri beatam nominaverunt. In cuius saltibus, & myrrha & cinamomum provenit. Ibi nascitur avis Phœnix, Sardonix gemina, ἱερὸς, Molochites & Pæderos ibi inveniuntur. Ipsa est & Saba appellata, à filio Chus, qui nuncupatus est Saba. Hæc autem angusto tractu ad orientem versus ad Persicum sinum extenditur, cuius septentrionalia Chaldæa claudit: Occasum, sinus Arabicus.

Syriam Syrus quidam perhibetur indigena à suo vocabulo nuncupasse. Hæc ab oriente, fluvio Euphrate: ab occasu, mari nostro & Ægypto terminatur, habens à septentrione Armeniam & Cappadociam: à meridie sinum Arabicum. Situs eius porrectus in immensam longitudinem: in lato angustior. Habet enim in se provincias Commagenam, Phœniciam, & Palæstinam: cuius pars est Iudæa absque Sarracenis, & Nabatheis. Commagena prima provincia Syriæ à vocabulo Commagæ vrbis nuncupata, quæ quondam ibi metropolis habebatur. Huius est à septentrione Cappadocia: ab ortu Mesopotamia: à meridie Syria: ab occasu mare magnum. Phœnix Cathmi frater de Thebis Ægyptiorum in Syriam profectus, apud Sidonem regnavit, eamque provinciam ex nomine suo Phœniciam appellavit. Ipsa est vbi Tirus est, ad quam Esaias loquitur. Habet autem ab oriente Arabiam: à meridie mare rubrum.

Palæstina provincia Philistinam vrbem metropolim habuit, quæ nunc dicitur Ascalon: ex qua civitate omnis circa eam regio Palæstina est nuncupata. Huius ab oriente mare rubrum occurrit: à meridiano latere Iudæa excipitur: à septentrionali plaga Tiriorum finibus clauditur: ab occasu Ægyptio limite terminatur.

Iudæa regio Palæstinæ ex nomine Iudæ appellata: ex cuius tribu reges habuit. Hæc prius Chanaan dicta est, à filio Cham, sive à decem Chananæorum gentibus: quibus expulsis eandem terram Iudæi possederunt. Initium longitudinis eius à vico Arfa vsque ad vicum Iuliaden porrigitur: in quo Iudæorum pariter & Tiriorum habitatio communis est. Latitudo autem eius à monte Libani vsque ad Tiberiadis lacum extenditur. In medio autem Iudæę civitas Hierosolyma est, quasi vmbilicus regionis terræ: variarum opum dives, frugibus fertilis, aquis illustris, opima balsamis. Vnde secundum elementorum gratiam existimaverunt Iudæi eam promissam patribus terram fluentem lacte & melle: cũ hinc illis Deus resurrectionis prærogativam polliceretur.

Samaria regio Palęstinæ ab oppido quodam nomen

© Biblioteca Nacional de España

nomen accepit quod vocabatur Samaria: civitas quondam regalis in Israel: quæ nunc ab Augusti nomine Sebastia nuncupatur. Hæc regio inter Iudæam & Galilæam media iacet: incipiens à vico, cui nomen est Eleas, deficiens in terra Agrabat. Situs eius natura consimilis: nec vllo differens à Iudæa.

Galilęa regio Palæstinæ vocata, quòd gignat candidiores homines quàm Palæstina. Hæc autem duplex est, superior & inferior: sibi tamen connexæ, Syriæ & Phœnicię adhærentes. Terra earum opima & ferax & fructibus satis fœcunda.

Pentapolis regio in confinio Arabiæ & Palęstinæ sita. Dicta à quinq; civitatibus impiorum, quæ cœlesti igne consumptæ sunt: terra amplius olim à Hierosolymis vberrima: nunc autem deserta atque exusta. Nam pro scelere incolarum de cœlo descendit ignis, qui regionem illam in cineres æternos dissolvit. Cuius vmbra quædam & species in favillis & arboribus ipsis etiam adhuc videtur. Nascuntur enim ibi poma virentia sub tanta specie maturitatis, vt edendi desiderium gignant. Si carpas fatiscunt ac resolvuntur in cinerem, fumumque exhalant, quasi adhuc ardeant.

Nabathea regio à Nabath filio Ismael nuncupata. Iacet autem inter Iudæam & Arabiam: & surgens ab Euphrate in mare rubrum porrigitur, & est pars Arabiæ.

Ægyptus quæ prius Aerea dicebatur, ab Ægypto Danai fratre postea ibi regnante nomen accepit. Hæc ab oriente Syriæ ac mari rubro coniuncta, ab occasu Lybiam habet: à septentrione mare magnum: à meridie verò introrsus recedit, pertendens vsque ad Æthiopiam: regio cœli imbribus insueta & pluviarum ignara. Nilus solus eam circumfluens irrigat, & inundatione sua fœcundat: vnde & ferax frugibus multam partem terrarum frumeò copiosa, vt impleat necessarijs mercibus omnem etiam orbem terrarum. Finis Ægypti Canopia à Canope Menelai gubernatore sepulto in ea insula, quæ Lybiæ principium & ostium Nili facit.

Seres oppidum orientis: à quo & genus sericum & regio nuncupata est. Hęc à Scitico Oceano & mari Caspio ad Oceanum orientalem inflectitur, nobilibus fertilis frondibus: à quibus vellera decerpuntur, quæ cæteris gentibus Seres ad vsum vestium vendunt.

Bactriæ regioni proprius amnis Bactrus vocabulũ dedit. Partes eius quæ planæ sunt * propansis iugis ambiuntur: quæ adversæ sunt, Indi fluvij fontibus terminantur. Reliqua includit Ochus fluvius. Mittit Bactria fortissimos camelos nunquam atterentes pedes.

Scithia sicut & Gothia à Magog filio Iaphet fertur cognominata: cuius terra olim ingens fuit: nam ab oriente India: à septentrione per paludes Mæotides inter Danubium & Oceanum vsque ad Germaniæ fines porrigebatur. Postea verò minor effecta, à dextra orientis parte qua Oceanus Syricus tenditur vsque ad mare Caspium, quod est ad occasum: dehinc à meridie vsque ad Caucasi iugum deducta est: cui subiacet Hircania, ab occasu habens pariter gentes multas propter terrarum infœcunditatem latè vagantes. Ex quibus quædam agros incolunt, quædam portentuosæ ac truces carnibus humanis & eorum sanguine vivunt. Scythiæ plures terræ sunt locupletes: inhabitabiles tamen plures: nam dum in plerisque locis auro & gemmis affluant, gryphorum immanitate accessus hominum rarus est. Smaragdis autem optimis hæc patria est. Cyaneus quoque lapis & crystallus purissimus Scythiæ est. Habet & flumina magna Oscoron, Phasiden atque Araxen.

Hirrania dicta à sylva Hircana, quæ Scythiæ subiacet, habens ab oriente mare Caspium: à meridie Armeniam: à septentrione Albaniam: ab occasu Iberiam. Est autem sylva aspera, copiosa immanibus feris tigribus pantherisq; ac pardis: de qua Virgilius:

—Hircanæq; admorunt vbera tigres.

Albania à colore populi nuncupata, eò quòd albo crine nascantur. Hæc ab oriente sub mari Caspio surgens, per ora Oceani septentrionalis vsque ad Mæotides paludes per deserta & inculta extenditur. Huic terræ canes ingentes sunt, tantęque feritatis, vt tauros premant, leones perimant.

Armenia nuncupata ab Armeo Iasonis Thessali comite, qui amisso rege Iasone collecta multitudine eius, quæ passim vagabatur, Armeniam cepit, & ex suo nomine nuncupavit. Sita est inter Taurum & Caucasum à Cappadocia vsq; ad Caspium mare protensa, habens à septentrione Ceraurios montes, ex cuius collibus Tigris nascitur: & in cuius montibus arca post diluvium resedisse perhibetur. Duplex est autem Armenia, superior & inferior: sicut duæ Pannoniæ.

Hiberia regio Asię est, prope pontũ Armenię iuncta. In hac herbæ tincturæ vtiles nascuntur.

Cappadociam vrbs propria nominavit. Hæc in capite Syriæ sita, ab oriente Armeniam tangit: ab occasu, Asiam minorem: ab aquilone, mare Cimmericũ: & Hemiscirios campos, quos habuere Amazones: à meridie verò, Taurum montem, cui subiacet Cilicia & Isauria vsque ad Cilicum sinum, qui spectat contra insulam Cyprum. Terra eius ante alias nutrix equorum. Alis amnis per eam fluit, qui quondam Lidiæ regna disiunxit à Persis.

Asia minor ab Oriente Cappadocia cingitur: ab alijs partibus vndique mari circumdatur. Nam à septentrione pontum Euxinum habet: ab occasu Propontidem: à meridie Ægyptium mare. Habet provincias Bithiniam, Phrygiam, Galathiam, Lidiam, Cariam, Pamphilia, & Hisauriam, Liciam atque Ciliciam.

* pronis

© Biblioteca Nacional de España

Prima Asiæ minoris Bitinia in Ponti exordio ad Solis orientis partem, adversa Traciæ iacet: multis antea nominibus appellata. Nam prius Beritia dicta, deinde Migdonia, mox à Bithinio rege Bithinia nuncupata. Ipsa est & maior Phrygia. Nicomedia vrbs in ea est, vbi Hannibal fugiens veneni haustu animam exhalavit.

Galatia dicta à priscis Gallorum gentibus à quibus extitit occupata. Nam Galli in auxiliũ à rege Bithiniæ evocati, regnum cum eo peracta victoria diviserunt: sicque deinde Græcis admixti, primùm Gallogræci, nunc ex antiquo Gallorum nomine Galatæ dicuntur, & eorum regio Gallatia nuncupatur.

Phrygia dicta à Phrygia Europis filia. Hæc Dardania à Dardano Iovis filio dicta. De quo Homerus ait:

Quem primùm genuit cælesti Iupiter arce.

Hic enim profectus de Corintho ciuitate primus venit in Phrygiam. Est autem regio Troiadis superiecta ab Aquilonis parte Galatiæ: à meridiana, vicina est Lycaoniæ: ab oriente Lidiæ adhæret: ab occidente Hellesponto mari terminatur. Huius regio Troia est, quam ex suo nomine appellavit Tros Troianorum rex Ganimedis pater. Duæ sunt autem Phrygiæ, maior & minor. Maior Phrygia Smirnam habet. Minor verò Ilium, Licaoniam.

Cariam Hermus fluvius discernit à Phrygia.

Lydia sedes antiqua regum, quam Pactoli vnda extulit in divitias, torrentibus aureis. hęc antea Męonia dicebatur. quæ dum pro brevitate duos fratres reges Lidum & Tirrhenũ ferre non posset: hinc ex sorte Tyrrhenus cum ingenti multitudine profectus loca Gallię occupavit, & Tyrrheniam nuncupavit. Lydia autẽ à Lydo regis fratre, qui in provincia remanserat, cognominata est. Coniungitur ab occidente minori Phrygiæ: ab ortu Smirnam vrbem habet, quam Helles fluvius cingit. cuius campos Pactolus & Hermus circumfluunt, arenis aureis ditissimi.

Isauria ex situ loci perhibetur cognominata, quòd vndique aurarum aperta flatibus pateat. Metropolim vrbem Seleuciam habet.

Cilicia à Cilice quodam nomen traxit, quem ortum Phœnice dicunt, & antiquiorem Iove fuisse asserunt. Plurima iacet campis, recipiens ab occiduo Lyciam: à meridie mare Persicum: à tergo montis Tauri iuga. Hanc * Cygnus amnis intersecat: matrem vrbium habet Tarsum. In ea & * Coriscos oppidum est: vnde crocum plurimum & optimũ venit: spiramine flagrantior & colore * pulchrior auro.

* Cydnus
* Corycus
* plus

Lycia nuncupata, quòd ab oriente adiuncta Ciliciæ sit. Nam habet ab ortu Ciliciam: ab occasu & meridie mare: à septentrione Cariam. Ibi est mons Chimera, qui nocturnis æstibus ignem exhalat: sicut in Sicilia Æthna & * Vesevus in Campania.

* Vesulus

De Europa. CAP. IIII.

POst Asiam ad Europam stilus vertendus est. Europa quippe Agenoris regis Libiæ filia fuit, quam Iovis ab Africa raptam Cretam advexit, & tertiam partem orbis ex eius nomine appellavit. Iste autem est Agenor Lybiæ filius, ex qua & Lybia, id est, Africa fertur cognominata. Vnde apparet prius Lybiam accepisse vocabulum, postea Europam. Europa autem in tertiam partem orbis divisa, incipit à flumine Tanai, descendens ab occasu per septentrionalem Oceanum vsque ad fines Hispaniæ, cuius pars orientalis & meridiana à Ponto consurgens, tota mari magno coniungitur, & in insulis Gadibus finitur. Prima Europę regio Scythia inferior, quę à Męotidis paludibus incipiens, inter Danubium & Oceanum septentrionalem vsq; ad Germaniam porrigitur: quæ terra generaliter propter barbaras gentes, quibus inhabitatur, barbarica dicitur. Huius pars prima Alania est, quæ ad Meotidas paludes pertingit. Post hanc Dacia, vbi & Gothia: deinde Germania vbi plurimam partem Suevi incoluerunt.

Germania post Scythiam inferiorem à Danubio inter Rhenum fluvium Oceanumque conclusa, cingitur à septentrione & occasu Oceano: ab ortu verò, Danubio: à meridie Rheno flumine dirimitur: terra dives virium, ac populis numerosis & immanibus. Vnde & propter fœcunditatem gignendorum populorum, Germania dicta est. Gignit aves hircinas, quarũ pennæ noctu perlucent. Bisontes quoq; feras & vrsos atque alces parturit. Mittit & gemmas, crystallum, & succinum, * callaicum quoque viridem, & ceraunium candidum. Duæ sunt autem Germaniæ, superior iuxta septentrionalem Oceanum: inferior circa Rhenum.

* Callainum

Provincias autem quas Danubius à Barbarico ad mediterraneum mare seclusit: prima est Mesia, à messium proventu vocata. Vnde eam veteres Cereris horreum nuncupabant. Hæc autem ab oriente ostijs Danubij iungitur, ab Euro verò, Thraciæ: à meridie Macedoniæ ab occasu Histriæ copulatur. Post Mesiam autem Pannonia est. Inde Noricus ager frigidus, & parcius fructuosus. Post quem Rheticus ferax frugibus, qui excipit Galliam Belgicam.

Thraciæ Tyras Iaphet filius veniens nomen dedisse perhibetur. Alij à sævitia incolarum Thraciam appellatam dixerunt. Huic ab Oriente Propontis & vrbs Constantinopolis opposita est: à septentrione verò Ister obtendit: à meridie verò Ægæo mari adhæret: ab occasu Macedonia illi subiacet. Cuius regionem olim Bessorum populus Massagetæ, Sarmatæ, Scythæ, & aliæ plurimæ nationes incoluerunt. Ampla est enim, ideoque plurimas continuit gentes. Ebrum fluvium Thracia fundit, qui etiam gentes barbarorum plurimas tangit.

Græcia à Græco rege vocata, qui cunctam eam

© Biblioteca Nacional de España

eam regionem regno incoluit. Sunt autem provinciæ Græciæ vij, quarum prima ab occidente Dalmatia, inde Epirus, inde Hellas, inde Thessalia, inde Macedonia, inde Achaia, & duæ in mari Creta & Cyclades. Illyricum autem generaliter omnis Græcia est.

Dalmatiam à Delmi maxima eiusdem provinciæ civitate traxisse nomen existimant. Adhæret ab oriente Macedoniæ: à septentrione, Misiæ: ab occasu Histria terminatur: à meridie 10 verò Adriatico sinu clauditur.

Epirus à Pirrho Achillis filio cognominata, cuius pars Chaonia, quæ ante Mollosia dicta est, à Molosso filio Pirrhi, quem de Andromacha habuit. Sed postquam occisus est Pirrhus Orestis insidijs, Andromacham Helenus suscepit, tenuitque regnum privigni qui successerat patri, à quo Mollosia dicta pars Epiri, quam Helenus postea à fratre Chaone, quem in venatu per ignorantiam dicitur occidisse, 20 Chaoniam nominavit, quasi ad solatium fratris extincti.

Hellas dicta à rege Hellene Deucalionis & Pirrhæ filio, à quo & prius Græci Hellenes nuncupati à rege Hellene sunt. Ipsa est & Attica terra Atta prius dicta. Nam Graius quidã Græciæ indigena fuit, ex cuius filia Attis nomine Attica terra vocata est. Hæc inter Macedoniam & Achaiam media iacet, Arcadiæ à septentrionali parte coniuncta. Ipsa est & vera Græcia, 30 vbi fuit Athenienſis civitas mater liberalium literarum, & philosophorum nutrix, qua nihil habuit Græcia clarius atque nobilius. In ea est & Maratonius campus opinione quondam prælij cruentissimus.

Hellades autem duæ sunt provinciæ, Bœotia & Peloponensis.

Bœotia autẽ dicta hac ex causa. Dum Cathmus Agenoris filius Europam sororem à Iove raptam ex præcepto genitoris quæreret nec 40 reperiret, patris iram formidans exilium elegit. Nam bovis fortè cõspectę secutus vestigia, amplexus est sedem vbi recubaverat: sicque locum de nomine bovis Bœotiam nominavit: vbi & Thebas vrbem construxit, in qua olim civilia bella detonuerunt: & vbi nati sunt Apollo & Hercules maior ille Thebanus. Eadem est Aonia vocata, à fonte quodam Apollini & Musis consecrato, qui in eadem Bœotia est.

Peloponensis secunda pars Helladis à Pelope regnata atque vocata. 50

Thessalia à Thessalo rege cognominata, quæ ad meridianam plagam Macedoniæ coniuncta est, cuius à tergo Pieria est. Multa in Thessalia flumina & oppida: inter quæ præcipuè Thessalonica & Thebæ. Ibi est mons Parnassus quondam Apollini consecratus. Thessalia patria Achillis, & origo Lapitarum fuit, de quibus fert, quòd hi primò equos frenis domuerunt. unde & Centauri dicti sunt. In Thessalia primùm solidi aurei facti sunt: domandorum quoq; equorũ vsus primũ repertus est. 60

Macedoniæ in exordio ab Emathio rege Emathiæ nomen erat, sed Macedo Deucalionis maternus nepos postquam ibi accepit principatum, mutavit vocabulum, Macedoniamque à suo nomine dixit. Est autem confinis ab oriente Ægeo mari: à meridie Achaiæ: ab occasu Dalmatiæ: à septentrione Misiæ: patria Alexandri Magni, & regio aureis venis argentoque opima. Lapidem quem * peraniten vocãt, ista gignit. Mons Olympus in ea est, qui excellenti vertice tantus attollitur, vt in cacumine eius nec nubes nec venti sentiantur. * Peoniten

Achaia ab Achæo rege & vrbs & provincia appellata. Hæc penè insula est. Nam absque septentrionali parte qua Macedoniæ iungitur, vndiq; septa est mari. Ab oriẽte enim habet Mirteum mare: ab Euro Creticum: & meridie Ionium: ab Africo & occasu Cassiopas insulas: à sola septentrionali parte Macedoniæ vel Atticæ terræ adiungitur: huius caput est vrbs Corinthus Græciæ decus. Inachus est Achaiæ fluvius.

Arcadia sinus Achaiæ est, vt platani folium, inter Ionium & Ægæum mare exposita, quam Arcas Iovis & Calistæ filius, Pelasgis in ditionem redactis, ex suo nomine Arcadiam nuncupavit. Ipsa est & Sicyonia à Sicyone rege, à quo & regnum Sicyoniorum est dictum. Habet autem Arcadia fluvium magnum Erimantum: Asbeston quoque lapidem, qui semel accensus nunquam extinguitur. Candidissimæ etiam merulæ ibi nascuntur.

Pannonia ab Alpibus Appenninis est nuncupata, quibus ab Italia secernitur: regio verò fortis & solida duobus satis acribus fluvijs Drabo Saboque vallata. Coniungitur autem cum Norico & Rhetia, habẽs ab oriente Misiam: ab Euro Istriam: ab Africo verò alpes Apenninas: ab occasu Galliam Belgicam: à septentrione Danubij fontem, vel limitem, qui Germaniam Galliamque secernit.

Istriam Ister amnis vocavit, qui eius terram influit. Ipse est Danubius. Habet autem Istria à septentrione Pannoniam.

Italia olim à Græcis populis occupata, magna Græcia appellata est: deinde à regis nomine Saturnia, mox & Latium dicta, eò quòd idem Saturnus à Iove sedibus suis pulsus ibi latuerit: postemò ab Italo Siculorum rege ibi regnante, Italia nuncupata est. Cuius situs longitudine amplius quàm latitudine à Circio in Eurum extenditur: meridie Tyrrheno mari: ab Aquilone Adriatico clauditur: ab occiduo Alpium iugis finitur: terra in rebus omnibus pulcherrima: soli fertilitate, pabuli vbertate gratissima. Habet lacus Benacum, Avernum, atque Lucrinum: fluvios, Eridanum & Tiberim, & tepentes fontibus Baias. Gignit gemmas Serciten, Ligurium, & corallium: Boam quoque serpentem, lyncem feram, & Diomedias aves. Italia autem & Hispania idcirco Hesperiæ dictæ, quòd Græci Hespero stel-

© Biblioteca Nacional de España

la navigent, & in Italia & in Hispania, duæque hac ratione discernuntur. Aut enim Hesperiam solam dicis, & significas Italiam: aut addis vltimam, & significas Hispaniam, quia in fine occidentis est.

Tuscia pars Italiæ: Vmbria verò pars Tusciæ. Tuscia autem à frequentia sacrorum & thuris vocata ἀπὸ τοῦ θυάζειν.

Vmbriam verò historiæ narrant, eò quòd tempore aquosæ cladis imbribus superfuerit, & ob hoc Vmbria Græcè cognominata. Est enim in iugis Appennini montis sita, in parte Italiæ iuxta meridiem.

Hetruria pars Italiæ dicta, quòd eius fines tendebantur vsq; ad ripam Tiberis, quasi ἕτερος ὅρος. Nam ἕτερος alter, ὅρος finis vocatur. Romæ enim finis antea vnam tantùm Tiberis ripam tenebat. Alij Etruriam ab Etrusco principe putant. Item & Tyrrhenia à Tyrrheno Lidij fratre, qui ex sorte cùm populi parte de Mæonia venit ad Italiam. Hæc est & Tuscia, sed Tusciam dicere non debemus, quia nusquam legimus. Tuscia autem à frequentia sacrificij & thuris dicta est ἀπὸ τοῦ θύειν. Illic & aruspicinam dicunt esse repertam.

Apulia est vbi Brundusium situm est, quam Etholi secuti Diomedem ducem condiderunt.

Campania habet terras hyeme atque æstate vernantes. Sol ibi mitis, temperies grata, aer purus & blandus.

Gallia à candore populi nuncupata est. γάλα enim Græcè lac dicitur. Montes enim & rigor cœli ab ea parte Solis ardorem excludunt, quo fit vt candor corporum non coloretur. Hanc ab oriente alpium iuga tuentur: ab occasu Oceanus includit: à meridie prærupta Pyrenæi: à septentrione Rheni fluenta atque Germania: cuius initium Belgica, finis Aquitania est, regio gleba vberi ac pabulosa ad vsum animantium apta, fluminibus quoque & fontibus irrigua, perfusa duobus magnis Rheno & Rhodano fluvijs.

Belgis autem civitas est Galliæ à qua Belgica provincia dicta est.

Cisalpina, quia citra alpes.

Transalpina, id est trans alpes, contra Septentrionem.

Rhetia verò quòd sit iuxta Rhenum.

Aquitania autem ab obliquis aquis Ligeri fluminis appellata, quia ex plurima parte terminus eius est, eamque penè in orbe cingit.

Hispania prius ab Ibero amne Iberia nuncupata. Postea ab Hispano Hispania cognominata est. Ipsa est & vera Hesperia, ab hesperia stella occidentali dicta. Sita est autem inter Africam & Galliam, à septentrione Pyrenæis montibus clausa: à reliquis partibus vndique mari conclusa, salubritate cœli æqualis, omnium frugum generibus fœcunda, gemmarum, metallorumq; copijs ditissima. Interfluũt eam flumina magna, Betis, Mineus, Iberus & Tagus aurum trahens vt Pactolus. Habet provincias sex, Taraconensem, Carthaginensem, Lusitaniam, Galiciam, Beticam, & trans freta in regione Africæ Tingitaniam. Duæ sunt Hispaniæ, Citerior, quę in septentrionali plaga à Pyrenæo vsque ad Carthaginem porrigitur: vlterior, quę in meridiem à Celtiberis vsque ad Gaditanum fretum extenditur. Citerior autem & vlterior dicta, quasi citra & vltra: sed citra, quasi circa terras: & vltra, vel quòd sit vltima, vel quòd non sit post hanc vlla, hoc est, alia terra.

DE LIBIA CAP. V.

Libia dicta, quòd inde Libs flat, hoc est, Africus. Alij aiunt Epaphum Iovis filium, qui Memphim in Ægypto condidit ex Cassiota vxore procreasse filiam Libiam, quæ postea in Africa regnum possedit. Cuius ex nomine terra Libia est appellata.

Africam autem nominatam quidam inde existimant, quasi apricam, quòd sit aperta cœlo vel Soli, & sine horrore frigoris. Alij dicunt Africam appellari ab vno ex posteris Abrahæ de Cethura, qui vocatus est Afer, de quo suprà meminimus. Incipit autem à finibus Ægypti pergens iuxta meridiem per Æthiopiam vsque ad Athlantem montem. A septentrionali verò parte, mediterraneo mari coniuncta clauditur, & in Gaditano freto finitur, habens provincias Libiam Cyrenensem, Pentapolim, Tripolim, Bizantium, Carthaginem, Numidiam, Mauritaniam Fitisensem, Mauritaniam Cæsariensem, Mauritaniam Tingitanã, & circa Solis ardorem Æthiopiam.

Libia Cyrenensis in parte Africæ prima est, à Cyrene vrbe metropoli, quæ est in eius finibus nuncupata. Hinc ab oriente Ægyptus est: ab occasu Sirtes maiores & Troglodytæ: à septentrione mare Libicum: à meridie Æthiopia, & barbarorum variæ nationes, & solitudines inaccessibiles, quæ etiam basiliscos serpentes creant.

Pentapolis Græca lingua à quinque vrbibus nuncupata, id est, Berenice, Ceutria, Apolonia, Ptolomais, ex quibus Ptolemais, & Berenice à regibus nominatæ sunt. Est autem Pentapolis Libiæ Cyrenensi adiuncta, & eius finibus deputata.

Tripolitanam quoque provinciam Græci lingua sua designant de numero trium magnarum vrbium:* Occa, Tabracæ, Leptis magnæ: hęc habet ab oriente Sirtes maiores & Troglodytas, à septentrione mare Adriaticum: ab occasu Bizantium: à meridie Getulos & Garamantes vsque ad Oceanum Æthiopicum pertendentes. * Occa

* Bizanzena regio ex duabus nobilissimis vrbibus nomen sortita est, ex quibus vna Adrumetus vocatur, altera Bizantium. Hæc sub Tripoli est, patens passuum ducenta vel amplius millia, fœcunda oleis, & glebis ita præpinguis vt * Bizacena

© Biblioteca Nacional de España

vt iacto ibi semine, incremento penè centesimo fruges renascantur.

Zeugis vbi Carthago magna. ipsa est & vera Africa inter Bizantium & Numidiam sita, à septentrione mari Siculo iuncta; & à meridie vsque ad Getulorum regionem porrecta: cuius proxima quæq; frugifera sunt: vlteriora autem bestijs & serpentibus plena, atque onagris magnis in deserto vagantibus.

Getulia autem Africæ pars mediterranea est.

Numidia ab incolis passim vagantibus sic vocata, quòd nullam certam haberent sedem. Nam lingua eorũ incertæ sedes & vagæ, Numidiæ dicuntur. Incipit autẽ à flumine * Amisiga, & Zeugitanũ limitem definit: habens ab ortu sirtes minores: à septentrione mare quod intendit Sardiniam: ab occasu Mauritaniam Sitifensem: à meridie Æthiopum gentes. regio campis præpinguis. Vbi autem sylvestris est, feras educat, vbi iugis ardua, equos & onagros procreat: eximio etiam marmore prædicatur, quod Numidicum dicitur. Habet vrbes præcipuas Hipponen, Regium & Susicadam.

* Amsiga. Plin. verò in Tingitania Ampsagam fluvium statuit.

Mauritania vocata à colore populorũ. Græci enim nigrũ μαῦρον vocant. Sicut enim Gallia à candore populi, ita Mauritania à nigredine nomen sortita est. Cuius prima provincia Mauritania Sitifensis est, quæ Sitifi habet oppidum: à quo & vocabulum traxisse regio perhibetur.

Mauritania verò Cæsariensis coloniæ, Cæsariæ civitas fuit, & nomen provinciæ ex ea datum. Vtræque igitur sibi coniunctæ ab oriente Numidiam habent: à septentrione mare magnum: ab occasu flumen Malvam: à meridie montem Astrixim, qui discernit inter fœcundam terram & arenas iacentes vsque ad Oceanum.

Mauritania Tingitana à Tingi metropolitana huius provinciæ civitate vocata. Hæc vltima Africæ exurgit à montibus vij, habens ab oriente flumen Malvam: à septentrione fretum Gaditanum: ab occiduo Oceanum Athlanticum: à meridie * Gaulalum gentes vsque ad Oceanum hesperium per errantes. regio gignens feras, simias, dracones, & struthiones. Olim etiam & elephantis plena fuit, quos sola nunc India parturit.

* Gaulacum

Garamantis regionis caput Garama oppidum fuit. Est autem inter Cirenensem & Æthiopiam, vbi est fons qui friget calore diei, & calet frigore noctis.

Æthiopia dicta à calore populorum, quos Solis vicinitas torret. Denique vim sideris prodit hominum color: est enim ibi iugis æstus. Nam quicquid eius est sub meridiano cardine est. Circa occiduum autem montuosa est, arenosa in medio, ad orientalem verò plagam deserta: cuius situs ab occiduo Athlantis montis ad orientem vsque in Ægypti fines porrigitur: à meridie Oceano: à septentrione Nilo flumine clauditur: plurimas habens gentes, diverso vultu & monstruosa specie horribiles. Ferarum quoque & serpentium referta est multitudine. Ibi quippe Rhinoceros bestia: & camelopardus, basiliscus, dracones ingentes, ex quorum cerebro gemmæ extrahuntur. Iacinctus quoque & chrysoprassus ibi reperiuntur. Cinamomum ibi colligitur.

Duæ sunt autem Æthiopiæ, vna circa Solis ortum: altera circa occasum in Mauritania.

Extra tres autem partes orbis, quarta pars trans Oceanum interior est in meridie, quæ Solis ardore nobis incognita est; in cuius finibus antipodes fabulosè inhabitare produntur. Proxima autem Hispaniæ Mauritania est, deinde Numidia: inde regio Carthaginensis, post quæ, Getuliam accipimus, postea Æthiopiam: inde loca exusta Solis ardoribus.

Sciendum sanè quòd quædam provinciæ primũ de nomine auctoris appellatæ sunt: postea à provincia gentis nomen est factum. Nam ab Italo Italia; & rursus ab Italia Italus, & sic vtimur ipso nomine gentis, quomodo fuit ipsum nomen auctoris: vnde derivatum est nomen provinciæ. Ex quo accidit ex vno homine nominari, & civitatem & regionem & gentem. Provinciæ autem ex causa vocabulum acceperunt. Principatus namque gentium, qui ad alios reges pertinebant: cùm in ius suum Romani vincendo redigerent, procul positas regiones provincias appellaverunt. Patria autem vocata, quòd communis sit omnium, qui in ea nati sunt. Terram autem significari, ut prædiximus, elementum: terras verò singulas partes, vt Africa, Italia. Eadem & loca. Nam loca, & terræ spacia in orbe terrarum, multas in se continent provincias, sicut in corpore locus est pars vnà multa in se continens membra: sicut & domus multa in se continens cubicula: sic terra & loca dicuntur terrarum spacia, quorum partes sunt provinciæ, sicut in Asia, Phrygia: in Gallia, Rhetia: in Hispania, Betica. Nam Asia locus est: provincia Asiæ Phrygia, Troia regio Phrygiæ: Ilium civitas Troiæ. Item regiones partes sunt provinciarum, quas vulgus conventus vocat: sicut in Phrygia Troia: sicut in Gallitia Cantabria, Asturia. A rectoribus autem regio nuncupata est: cuius partes territoria sunt.

Territorium autem vocatum, quasi tauritorium, tritũ bobus & aratro. Antiqui enim sulco ducto, possessionem & territorium limites designabant.

De insulis. CAP. VI.

INsulæ dictæ, quòd in salo sint, id est, in mari. Ex ijs quoque notissimæ & maximæ, quas plurimi veterum solerti studio indagerunt, notandæ sunt.

Britannia Oceani insula interfuso mari toto orbe divisa, à vocabulo suæ gentis cogno-

© Biblioteca Nacional de España

minata. Hæc adversa Galliarum parte ad prospectum Hispaniæ sita est: circuitus eius quadragies octies septuaginta quinque millia: multa & magna flumina in ea: fontes calidi, metallorum larga & varia copia. Gagates lapis ibi plurimus & margaritæ.

Thanatos insula Oceani freto Gallico à Britannia est, varia, tenuis, separata, frumentarijs campis & gleba vberi. Dicta autem Thanatos, à morte serpentum, quos dum ipsa nesciat, aspor 10 tata inde terra quoquo gentium vecta sit, angues ilicò perimit.

Thyle vltima insula Oceani inter septentrionalem & occidentalem plagam vltra Britanniam, à Sole nomen habens, quia in ea æstivum solstitium sol facit, & nullus vltra eam dies est. Vnde & pigrum & concretum est eius mare.

Orchades insulæ Oceani vltra Britanniam positæ numero octoginta tres, quarum duodecim desertæ sunt: tredecim coluntur. 20

Scotia eadem & Ibernia proxima Britanniæ insula: spacio terrarum angustior, sed situ fœcundior. Hæc ab Africo in Boream porrigitur. cuius partes priores Iberiam & Cantabricum Oceanum intendunt. Vnde & Ibernia dicta. Scotia autem quòd ab Scotorum gentibus colitur appellata. Illic nullus anguis, avis rara, apis nulla: adeò ut advectos inde pulveres seu lapillos si quis alibi sparserit inter alvearia, examina favos deserant. 30

Gades insula in fine Beticæ provinciæ sita, quæ dirimit Europam ab Africa, in qua Herculis columnæ visuntur: & vnde Tyrrheni maris faucibus Oceani æstus immittitur. Est autem à continenti terra centum viginti passibus divisa, quam Tirij à rubro profecti mare occupantes in lingua sua Gades, id est, septam nominaverunt, pro eo quòd circumsepta sit mari. Nascitur in ea arbor similis palmæ, cuius 40 gummi infectum vitrum Ceraunium gemmam reddit.

Fortunatæ insulæ vocabulo suo significant omnia ferè bona, quasi felices & beatæ fructuum vbertate. * Sua enim aptè natura preciosarum poma sylvarum parturiunt. Fortuitis vitibus iuga collium vestiuntur. Ad herbarum vicem messis & olus vulgò est. Vnde gentilium error & secularia carmina poetarum propter soli fœcunditatem easdem esse paradisum putaverunt. Sitæ sunt autem in Oceano contra levam Mauritanię occiduo proximæ, & inter se interiecto mari discretæ. 50

* Suapte enim

Gorgodes insulæ Oceani obversæ promontorio quod vocatur * Hespuceras, quas incoluerũt Gorgones fœminæ aliti pernicitate, hirsuto & aspero corpore, & ex ijs insulæ cognominatæ. Distant autem continenti tria biduj navigatione.

* Plin. Hesperiõ ceras

Hesperidum insulæ vocatæ à civitate Hesperide, quæ fuit in fine Mauritaniæ. Sunt enim vltra Gorgones sitæ sub Athlanteum littus in intimis maris finibus, in quarum hortis fingunt fabulæ draconem pervigilem aurea mala servantem. Fertur ibi esse maris æstuarium adeò sinuosis lateribus tortuosum, vt visentibus procul lapsus angueos imitetur. 60

Chryse & Argire insulæ in Indico Oceano sitæ, adeo fœcundæ copia metallorum, vt plerique eas auream superficiem & argenteam habere prodiderint, vnde & vocabula sortitæ sunt.

Taprobana insula Indiæ subiacens ad Eurũ, ex quo Oceanus Indicus incipit, patens in longitudine octingentis septuaginta quinque millibus passuum, in latitudine sexcentis xxv millibus stadiorum. Scinditur amne interfluo, tota margaritis repleta & gemmis. Pars eius bestijs & elephantis repleta est: partem verò homines tenent. In hac insula dicunt in vno anno duas esse estates & duas hyemes, & bis locum vernare floribus.

Telos insula est Indiæ, ferens omni tempore folia. Hucvsque insulæ Oceani.

Item insulæ quæ ab Hellosponto vsq; ad Gades in mari magno constitutæ sunt.

Cyprus insula à civitate Cypro quę in ea est, nomen accepit: ipsa est & Paphos Veneri consecrata in Carpathio mari, vicina Austro, famosa quondam diuitijs, & maximè æris. Ibi enim prima huius metalli inventio & vtilitas fuit.

Creta insula Græciæ pars est iungens contra Peloponnensem. Hæc primùm à temperie cœli Macaronesum sive μακάρων νῆσος appellata est: deinde Creta dicta à Crete quodam indigena, quem aiunt vnum Cretarum fuisse à quibus Iupiter ibi abscõditus est enutritus. Est autem insula Græciæ inter ortum & occasum longissimo tractu porrecta, à septentrione Grę ciæ estibus, ab Austro Ægyptijs vndis perfusa. Fuit autem quondam centum vrbibus nobilis, vnde & hæc Hecatompolis dicta est. Prima etiam hæc insula remis & sagittis claruit. prima literis iura * finxit: equestres turmas docuit. Studium musicum ab Idæis dactilis in ea ceptum: capris copiosa, cervis eget, lupos & vulpes aliaque ferarum noxia nusquam gignit, serpens ibi nullus, & noctua nulla, & si inveniatur statim moritur. Larga est autem vitibus & arboribus. Dyctamnus herba in Creta nascitur & Alimus, quæ admorsa diurnam famem prohibet. Phalangos autem venenatos gignit & lapidem qui Idæus dactylus dicitur.

* fixit

Abydos insula in Europa super Hellespontum posita, angustior & periculoso mari separata & ἄβυδος Græcè dicta, quòd introitus Hellesponti maris, in quo Xerxes pontem ex navibus fecit, & in Græciam transijt.

Coos insula adiacens provinciæ Atticæ, in qua Hippocrates medicus natus est, quæ vt Varro testis est, arte lanificij prima in ornamento fœminarum inclaruit.

Cyclades insulæ antiquitus Græciæ fuerunt quas inde Cyclades autumnãt dictas, quòd licet spacijs

© Biblioteca Nacional de España

ſpacijs longioribus à Delo proiectæ, in orbem tamen circa Delum ſitæ ſint. Nam orbem κύκλον Græci loquuntur. Quidam verò, non quòd in orbem digeſtæ, ſed propter ſcopulos, qui circa eandem ſunt, dictas putant Cyclades. Hæ in Helleſponto inter Ægeum & * Malelum mare conſtitutæ circundãtur etiam pelago Mirteo. Sunt autem omnes numero quinquaginta tres, tendentes à Septẽtrione in meridiem millia quingenta: ab oriente in occaſum millia ducenta: metropolis earum Rhodus.

* Mathæũ

Delos inſula in medio Cycladum ſita. Et dicta Delos fertur, quòd poſt diluvium quod Ogygij temporibus notatur, cùm orbem multis menſibus continua nox inumbraſſet, ante omnes terras radijs Solis illuminata eſt, ſortitaque ex eo nomen, quòd prima manifeſtata ſit viſibus. Nam δῆλον Græci manifeſtum dicunt. Ipſa eſt & Ortygia, eò quòd primùm ibi viſæ ſunt coturnices aves, quas Græci ὄρτυγας vocant. In hac inſula Latona enixa eſt Apollinem & Dianam. Delos autem & civitas dicitur & inſula.

Rhodos Cycladum prima ab oriente, in qua roſæ capitolium dicitur eſſe inventum, dum ibi civitas conderetur: ex quo & vrbs & inſula Rhodos eſt appellata. In hac vrbe Solis Coloſſus fuit æreus lxx cubitorum altitudine. Fuerunt & alij centum numero in eadem inſula Coloſſi minores.

Tenedos vna ex Cycladibus ad ſeptentrionem ſita, in qua olim civitas à Tene quodã condita eſt. Vnde nomen vrbis illius, vel potius inſulæ fuit. Nam Tenes iſte infamatus, vel quòd cum noverca ſua concubuiſſet, fugiens in hanc inſulam, vacuam cultoribus obtinuit. Vnde & Tenedos inſula dicta eſt: ſic Cicero, *Tenen ipſum, cuius ex nomine Tenedos nominatur.*

Carpathos vna ex Cycladibus à meridie poſita contra Ægyptũ, à qua Carpathium mare appellatũ eſt vocata propter celerẽ fructuum maturitatem. Eſt enim inter Ægyptum & Rhodũ. Ex hac inſula dicuntur & Carpaſiæ naves magnæ & ſpacioſæ.

Citherea inſula vna ex Cycladibus à parte occidua ſita: cuius Porphyris antea nomen fuit. Citherea autem vocata, quòd ibi Venus orta ſit.

Icaria inſula vna de Cycladibus, quæ Icario mari nomen dedit. Hæc inter Samum & Miconium procurrentibus ſaxis inhoſpitalis eſt, & nullis ſinibus portuoſa. Dicitur autem Icarum Cretenſem ibi naufragio interijſſe, & de exitu hominis impoſitum nomen loco.

Naxos inſula à Dionyſio dicta, quaſi Dionaxos, quòd fertilitate vitium vincat cæteras: eſt autem à Delo novemdecim millia paſſuum ſeparata, ex qua olim Iouis fertur adverſus Titanas fuiſſe profectus.

Melos ex numero Cycladum, vna omnium inſularum rotundiſsima, vnde & nuncupata.

Hiſtoria dicit ex Iaſone natum fuiſſe Philomelum & Plutum: ex Philomelo Pareantum genitum: qui de ſuo nomine Paron inſulam & oppidum appellavit. prius autem Minoia, deinde Paros dicta. De qua Virgilius:

—Niveumque Paron.

Gignit enim marmor candidiſsimũ, quod Parium dicunt. Mittit & Sardan lapidem marmoribus quidem præſtantiorem, & inter gemmas viliſsimum.

Chios inſula Syra lingua appellatur, eò quòd ibi maſtix gignitur. Syri enim maſticem Cio vocant.

Samos inſula eſt mari Ægeo, vbi nata eſt Iuno: ex qua fuit Sibylla Samia, & Pythagoras Samius, à quo philoſophiæ nomen inventum eſt. in hac inſula reperta prius fictilia vaſa traduntur. Vnde & vaſa Samia appellata ſunt.

Sicilia à Sicano rege Sicania cognominata eſt: deinde à Siculo Itali fratre Sicilia. Prius autem Trinacria dicta propter tria ἄκρα, id eſt, promontoria, Pelorum, Pachinum, & Lilibæum. Trinacria enim Græcum eſt, quod Latinè, triquetra dicitur, quaſi in tres quadras diviſa. hęc ab Italia exiguo freto diſcreta, Africum mare proſpectans, terris frugifera, auro abundans: cavernis tamen & fiſtulis penetrabilis, ventisque & ſulphure plena. Vnde & ibi Æthnæ montis extant incendia: in cuius freto Scilla eſt & Charibdis, quibus navigia aut abſorbẽtur aut colliduntur. Fuit autem quondam patria Cyclopum, & poſtea nutrix tyrannorum, frugum fertilis, ac primùm terris omnibus commiſsis ſeminibus aratro proſciſſa. Principem vrbium Syracuſas habet: fontem Aretuſam, & Alphæum fluvium magnorũ generatorem equorum. In ea inſula primùm eſt inventa comœdia. Achaten lapidem ipſa primùm ex Achate flumine edidit. Parturit & mare eius corallum: gignit & ſales Agrigentinos in igne ſolubiles, crepitantes in aquis. Omnis ambitus eius clauditur ſtadiorum trium millium. Saluſtius autẽ dicit Italię coniunctam Siciliam fuiſſe: ſed mediũ ſpacium impetu maris diviſum & per anguſtiam ſciſſum.

Tapſum inſula, ſtadijs decem à Sicilia remota iacens & planior, vnde & nuncupata. de qua Virgilius:

—Tapſumque iacentem.

Æoliæ inſulæ Siciliæ, appellatæ ab Æolo Hippotæ filio: quem poetæ finxerunt regem fuiſſe ventorum: ſed vt Varro dicit, rector fuit iſtarum inſularum: & quia ex earum nebulis & fumo futuros prædicebat flatus ventorum, ab imperitis viſus eſt ventos ſua poteſtate retinuiſſe. Eędem inſulæ & Vulcaniæ vocantur, quòd & ipſæ ſicut Æthna ardeant. Sunt autem novem habentes propria nomina: quarum primam Liparus quidam Liparen vocavit, qui eam ante Æolum rexit. Altera Hiera vocatur, quòd ſit collibus eminentiſsimis: reliquæ verò, id eſt, Strongyle, Didyme, Ericuſa, Phenicuſa, Evonymos, Ericodes, Phæcicodes: quæ quoniam nocte ardent, Æoliæ ſive Vulcaniæ

© Biblioteca Nacional de España

dicuntur. Ex ijs quædam ab initio non fuerunt, quædam postea mari editæ vsque nunc permanent.

Stœchades insulæ Massiliensium sexaginta millium spacio à continenti in fronte Narbonensis provincię, quà Rhodanus fluvius in mare exit. Dictæ autem Græcè Stœchades, quasi opere in ordinem sint positæ.

Sardis Hercule procreatus cum magna multitudine à Lybia profectus Sardiniam occupavit, & ex suo vocabulo insulę nomen dedit. Hęc in Africo mari facie vestigij humani, in oriente quàm occidēte latior prominet: fermè paribus lateribus, quæ in meridiem & septentrionē vertunt: ex quo ante commercium à navigantibus Gręcorū ἰχνος appellata est. Terra patet in longitudine millia cxl, latitudine xl. In ea neq; serpens gignitur, neque lupus, sed solifuga tantùm, animal exiguum hominibus perniciosum. Venenum ibi quoque non nascitur, nisi herba per scriptores plurimos & poetas memorata, apiastro similis, quæ hominibus rictus contrahit, & quasi ridentes interimit. Fontes habet Sardinia calidos, infirmis medelam præbentes: furibus cæcitatem, si sacramento dato oculos * aquæ eius tetigerint.

* aquis

Corsicæ insulæ exordium incolæ Ligures dederunt, appellantes eam ex nomine ducis. Nam quędam Corsa nomine Ligus mulier, cùm taurum ex grege, quem prope littora regebat transnatare solitum, atque per intervalla corpore aucto remeare videret: cupiens scire incognita sibi pabula, taurum à cæteris digredientem vsque ad insulam navigio prosecuta est. Cuius regressu insulæ fertilitatem cognoscentes Ligures, ratibus ibi profecti sunt, eamque nomine mulieris auctoris & ducis appellaverunt. Hæc autem insula Græcè κύρνη dicitur, à Cyrno Herculis filio habitata, de qua Virgilius: —*Cyrnia Taxos*.

Dividitur autem à Sardinia xx millium freto, cincta Ligustici æquoris sinu ad prospectum Italiæ. Est autem multis promontorijs angulosa, gignens lætissima pabula & lapidem, quem Catochiten Græci vocant.

* Ebosus. al. Ebysus. Plinius, Ebusus

* Ebolus insula Hispaniæ dicta, quòd à zonis non procul sit, quasi ebozos. Nam lxx stadijs ab ea distat. cuius terram serpentes fugiunt. Huic contraria est Colubraria, quæ referta est anguibus.

Baleares insulę Hispaniæ duę sunt, Aphrosiades, & Gymnasides, maior & minor. Vnde & eas vulgus Maioricam & Minoricam nuncupant. In ijs primùm insulis inventa est funda qua lapides emittuntur, vnde & Baleares dictæ: βάλλειν enim Græcè emittere dicitur: vnde & ballista quasi missa, & fundibulum. Virgilius: —*Balearis verbere funda*.

De Promontorijs. CAP. VII.

COmmune est insulis, vt promineant. Inde & loca earum promontoria dicuntur. Sic Salustius de Sardinia: *In Oriente latior prominet quàm in Occidente*.

Sigæum promontorium Asiæ, vbi Hellespontus apertius dilatatur. Dictum autem Sigæum propter Herculis taciturnitatem, quia prohibitus hospitio à Laomedonte Troianorum rege, simulavit abscessum, & inde contra Troiam cum silentio venit, quod dicitur Σιγὴ.

Maleum promontorium Græciæ, quod intrat mare, & per millia quinquaginta protenditur, vbi vnda ita sæva est, vt prosequi navigantes videatur. Hoc autem promontorium à Maleo rege Argivorum nomen accepit.

Pelorum promontorium Siciliæ respiciens ad Aquilonem, secundum Salustium dictum à gubernatore Hannibalis illic sepulto.

Pachinum promontorium Siciliæ, Austrum spectans ab aeris crassitudine dictum. Nam παχὺς est pinguis & crassus. Austro enim perflatur.

Lilibæum promontorium Siciliæ, Solis occasum intendens: vocatum ab eiusdem nomine civitatis, quæ ibi est sita.

Borio promontorium Numidiæ vocatum, eò quòd Aquilonem intendat. Hoc * Hippone regium postea dictum, pro eo quòd sit æquore interruptum.

* Hipporegium, & ita Plinius.

Calpis Hispaniæ promontorium.

De cæteris terræ vocabulis. CAP. VIII.

MOntes sunt tumores terrarum altissimi dicti, quòd sint eminentes. Quidam autem proprijs ex causis vocati sunt, ex quibus notandi sunt qui opinione maximi celebrantur.

Mons Caucasus ab India vsq; ad Taurū porrectus, pro gentium & linguarū varietate quoquo versum vadit, diversis nominibus nuncupatur. Vbi autem ad orientem in excelsiorem consurgit sublimitatem: propter nivium candorem Caucasus nuncupatur. Nam orientali lingua Caucasum significat candidū: id est, nivibus densissimis candidantem. Vnde & eum Scithæ qui eidem monti iunguntur, Casim vocaverunt. * Casim enim apud eos candor sive nix dicitur.

* Cran

Mons Taurus à plerisq; idem vocatur qui & Caucasus.

Libanus mons Phœnicum altissimus, cuius meminerunt prophetæ: dictus à thure, quia ibi colligitur. cuius ea pars quæ est super eum ad orientalem plagam respiciens, Antilibanus appellatur, id est, contra Libanum.

Ararath mons Armeniæ in quo arcam historiæ post diluvium resedisse testantur. Vnde & vsque hodie ibidem lignorum eius videntur vestigia.

Acroceraunij montes propter altitudinem & fulminum iactus vocati sunt. Græcè enim κέραυνος fulmen dicitur. Sunt autem inter Armeniam & Iberiam, incipientes à portis Caspijs vsque ad fontem Tigridis fluvij.

Hyper-

© Biblioteca Nacional de España

Hyperborei mõtes Scythię dicti, quòd supra, idest vltra eos flat Boreas.

Riphæi montes in capite Germaniæ sunt à perpetuo ventorum flatu nominati. Nam ῥιφὴ. Græcè impetus & ὁρμὴ dicitur, ἀπὸ τοῦ ῥίπτειν.

Olympus mons Macedoniæ nimium pręcelsus, ita vt sub illo nubes esse dicantur. De quo Virgilius,

— Nubes excessit Olympus.

Dictꝰ aũt Olympꝰ, quasi ὅλος λαμπρὸς, idest quasi cœlũ. Hic mons Macedoniã diuidit à Thracia.

Athos mons Macedonię, & ipse altior nubibus, tantoq; sublimis, vt in Lemnum vmbra eius pertẽdat, quę ab eo lxxvj. millibꝰ separatur.

Parnasus mons est Thessaliæ: iuxta Bœotiã, qui gemino vertice est erectus in cœlum. Hic in duo finditur iuga Cirra & Nisa. vnde & nũcupatus, eo quòd in singulis iugis colebãtur Apollo & Liber. Hæc iuga à duobus fratribus Cithęron & Helicon appellantur. Nã Helicon dictus ab Helicone fratre Cithæronis.

Itẽ Ceraunij sunt mõtes Epiri, à crebris dicti fulminibus. Græcè enim fulmẽ κέραυνος dicitur.

Apenninus mons appellatus, quasi alpes *Pœninæ: quia Hannibal veniẽs ad Italiã easdẽ alpes aperuit, vnde & Virgilius,

al peninæ.

Alpes immittit apertas.

Has enim Hannibal post bella Hispaniæ aceto rupit. Iuuenalis. *Et montem rupit aceto.* Et inde loca ipsa quæ rupit Apẽninæ alpes vocãtur.

Mons Aethna ex igne & sulphure dictus: vnde & Gehenna. Constat autem hunc ab ea parte qua Eurus & Africus flat, habere speluncas plenas sulphuris, & vsq; ad mare deductas: quæ speluncæ recipientes in se fluctus ventum creant, qui agitatus ignem gignit ex sulphure, vnde fit quòd videtur incendium.

Pyrenęus & ipse à crebris fulminum ignibus nuncupatus. Græcè enim ignis πῦρ vocatur. Iste est qui inter Galliam atque Hispaniam quasi de industria munimentum interiacet.

Solurius à singularitate dicitur, quòd omnibus Hispaniæ montibus solus altior videatur, siue quòd oriente sole antè radius eius in eo quàm ipse cernatur.

Calpes mons in ultimis finibus Oceani, qui dirimit Europam ab Africa, quem Athlantis finem esse dicunt, de quo Lucanus,

Hesperiam Calpem, summumq; impleuit Athlantẽ.

Athlas Promethei frater fuit & rex Africæ, à quo astrologiæ artem, prius dicunt excogitatã. ideoq; dictus est sustinuisse cœlum. Ob eruditionem igitur eius disciplinæ & scientiam cœli nomen eius in montem Africæ deriuatum est: qui nunc Athlas cognominatur, qui propter altitudinem suam quasi cœli machinam atq; astra sustentare videtur.

Alpes autem propriè montes Galliæ sunt de quibus Virgilius,

Aerias alpes. Et dicendo aerias, verbum expres sit à verbo. Nam Gallorum lingua alpes mõtes alti vocantur. Hæ sunt enim quæ Italiæ murorum exhibent vicem.

Colles sunt præminentiora iuga montium, quasi colla.

Iuga autem montium ex eo appellata sunt: quòd propinquitate sui iungantur.

Tumulus est mons breuis, quasi tumens tellus. Item tumulus terra congesta, vbi nulla memoria est.

Valles sunt humilia loca, quasi vulsa. Hinc & cõualles, depressa loca terrarum inter montes.

Campus est terrarũ planities. Dictus autem campus quòd breuis sit pedibus, nec erectus ut montes: sed patens & spatio suo porrectus & iacens. vnde & Græcè πεδίον dicitur. Sumpsit autem nomen ex Græca etymologia. χαμαὶ enim Græci humi dicunt.

Solum est omne quod sustinet, à soliditate dictum scilicet, vnde & de mari Virgilius ait,

Subtrahiturq; solum.

Saltus sunt vasta & siluestria loca, vbi arbores exiliunt in altum.

Fauces sunt angustorum locorũ aditus inter * arduos montes loca angusta & breuia, dicta à faucium similitudine, quasi foces.

al. duos montes locata.

Confrages loca in qua vndiq; venti currunt, ac saxa frangunt: vt Neuius ait,

In montes vbi venti frangebant locum.

Scabra sunt loca situ aspera, Vnde & scabies dicitur, à corporis asperitate.

Lustra obscura latibula ferarũ & luporũ cubilia sunt, vnde & lupanaria lustra dicuntur, per contrarium videlicet, quia parum lustrantur.

Lucus est locus densis arboribus septus, soli lucem detrahens. Potest & à collucẽdo crebris luminibus dici, quæ ibi propter religionẽ Gentilium cultumq; fiebant.

Deserta vocata, quia nõ serũtur, & ideo quasi deseruntur: vt sunt loca siluarũ & montiũ, cõtraria vberrimarũ terrarũ quæ sũt vberrimę glebę.

Deuia sunt loca secreta & abdita, quasi extra viã. Ipsa sunt & inuia. Inde & auiaria secreta loca, & à via remota: aut tantum adibilia auibus. Vnde est illud.

Inculta rubent auiaria baccis.

Amœna loca Varro dicta ait: eo quòd solum amorẽ pręstẽt, & ad se amãda alliciant. Verrius Flaccus, quòd sine munere sunt, nec quicquã in his officij, quasi amunia, hoc est sine fructu, vnde nullus fructus exsoluitur. Inde etiam nihil præstantes, immunes vocantur.

Aprica loca quę sole gaudent quasi ἄνευ φρίκης, idest, sine frigore: siue quòd sint aperto cœlo.

Opaca verò loca quasi operta cœlo, aprico contraria.

Lubricum dici constat locum ab eo quòd ibi quis labitur: & lubricum dicitur, non quod labitur, sed in quo labitur.

Aestiua sunt loca vmbrosa, quibus per æstatẽ vitant pecora solis ardorem. Statius,

Et umbrosi patuere æstiua Licæi.

Naualia sunt loca vbi naues fabricãtur. Hoc & textrinum vocatur.

© Biblioteca Nacional de España

Portus autem locus est ab accessu ventorum remotus, vbi hiberna opponere solent. Et portus dictus à deportandis commercijs. Hunc veteres à baiulādis mercibus baias vocabant, illa declinatione à baia baias, vt à familia familias.

Littus est terra aquę & mari vicina. Et dictū litus, quia fluctu eliditur, vel quod aqua alluitur. Cicero in Topicis, *Litus est quod fluctus allidit.*

Circumluuium locus quē aqua circumluit. Alluuium consumptio riparum ex aquis.

Margo est pars cuiuslibet loci, vtputa maris, vnde & nomen accepit.

Maritima quasi maris intima.

Ostia ab ingressu & exitu fluminis dicta in mari.

Continens perpetua terra, nec vllo mari discreta: quem Græci ἤπειρον vocant.

De inferioribus terræ. CAP. IX.

SPecus est fossa sub terra quæ prospici potest. σπήλαια Græcè, spelunca Latinè.

Spiracula appellata omnia loca pestiferi spiritus, quē Græci χαρωνεῖα appellant, vel Acherontea. Etiam Varro spiraculum dicit huiuscemodi locum, & spiracula ex eo dicuntur loca: qua terra spiritum edit.

al. iactus. Hiatus præruptio terræ profunda, quasi hiatus. Proprie autem hiatus est hominis oris apertio, translata à feris, quarū auiditas oris adapertione monstratur.

Profundū propriè, quasi cuius porro sit fundus. Abusiuè autem profundum vel sursum vel deorsum dicitur. vt,

Maria ac terras cœlumq; profundum,

Baratrum nimiæ altitudinis nomen est, & dictum baratrum quasi vorago atra, scilicet à profunditate.

Erebus inferorum profunditas atque processus.

Styx ἀπὸ τῆς συγκέτητος, idest à tristitia dicta, eo quòd tristes faciat, vel quòd tristitiam gignat.

Cocytus locus inferi. Cocytus autem nomē accepit Græca interpretatiōe, à luctu & gemitu.

Tartarus vel quia illic omnia turbata sunt ἀπὸ τῆ ταράτλειν, vel, quod verius, ἀπὸ τῆς τρήζεως, idest à timore frigoris qd' est algere, scilicet quia luce soleq; caret. Nam neq; illic vapores sunt, qui ex solis luce gignuntur: neq; flatus qui eiusdem motibus incitantur, sed perpetuus stupor. ταρταρίζειν enim horrere & tremere apud Græcos legitur. *Illic enim erit fletus & stridor dentium.*

Gehenna est locus ignis & sulphuris, quem putant ita nominatum à valle idolis consecrata, quæ est iuxta murum Hierusalem, repleta olim cadaueribus mortuorum. Ibi enim Hebræi filios suos immolabant dęmonibus, & appellabatur locus ipse Gehennon. Futuri ergo supplicij locus vbi peccatores cruciandi sunt, huius loci vocabulo designatur. Duplicem autem esse gehennam & ignis & frigoris in Iob legimus.

Inferus appellatur eo quòd infra sit. Sicut autem secundum corpus, si ponderis sui ordinem teneant, inferiora sunt omnia grauiora: ita secundum spiritum inferiora sunt omnia tristiora, vnde & in Græca lingua origo nominis quo appellabatur inferus: ex eo quòd nihil suaue habeat, resonare perhibetur: Sicut autem cor animalis in medio eius est, ita & infernus in medio terræ esse perhibetur. Vnde & in Euāgelio legimus, *In corde terræ.* Philosophi autem dicunt quòd inferi pro eo dicantur, quòd animę hinc illinc ferantur.

© Biblioteca Nacional de España

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM

LIBER XV.

CAPITA LIBRI QVINTIDECIMI.

1 *De ciuitatibus.*
2 *De ædificijs publicis.*
3 *De habitaculis.*
4 *De ædificijs sacris.*
5 *De repositorijs.*
6 *De operarijs.*
7 *De aditibus.*
8 *De partibus ædificiorum.*
9 *De munitionibus.*
10 *De tentorijs.*
11 *De sepulcris.*
12 *De ædificijs rusticis.*
13 *De finibus agrorum.*
14 *De mensuris agrorum.*
15 *De itineribus.*

De ciuitatibus. CAP. I.

DE authoribus conditarũ vrbium plerumque dissensio inuenitur: adeo vt nec vrbis quidẽ Romæ origo diligenter possit agnosci. Ná Salustius dicit:

Vrbem Romam sicuti ego accepi condidere atque habitauere in initio Troiani, & cum ijs Aborigines.

Alij dicunt ab Euandro, secundum quod Virgilius dicit,

Tunc rex Euandrus Romanæ conditor arcis.

Alij à Romulo, vt Ennius.

His nata auspicijs illa inclita Roma.

Si igitur tantæ ciuitatis certa ratio nõ apparet, non mirum si in aliarum opinione dubitatur. Vnde nec historicos nec cõmentatores varia dicentes imperitè condẽnare debemus, quia antiquitas ipsa creauit errorem. Sanè quasdam de quibus aut sanctæ scripturæ, aut historiæ gentium certam originem referunt, paucis admodum verbis retexere oportet.

Primus ante diluuium Cain ciuitatẽ Enoch ex nomine filij sui in India condidit: quam vrbẽ sola multitudine suæ posteritatis impleuit.

Primus post diluuiũ Nembroth gigas Babilonẽ vrbẽ Mesopotamiæ fundauit. Hanc Semiramis regina Assiriorum ampliauit, murumq; vrbis bitumine & cocto latere fecit. Vocabulũ autẽ sumpsit à cõfusione: eo quòd ibi cõfusę sint atq; permixtę linguę ædificantium turrim.

Iudæi asserunt Sem filiũ Noe, quẽ dicũt Melchisedech, primũ post diluuiũ in Syria cõdidisse vrbẽ Salẽ: in qua regnũ fuit eiusdẽ Melchisedech. Hãc postea tenuerunt Iebusæi: ex quibus & sortita est vocabulum Iebus: sicq; duobus nominibus copulatis, Iebus & Salẽ, vocata est Hierusalem, quæ postea à Salomone Hierosolyma quasi Ierosolomonia dicta est. Hæc & corruptè à poetis Solima nũcupata est, & postea ab Ælio Adriano Elia vocitata est. Inde ipsa est & Sion, quæ Hebraicè speculatio interpretatur, eo quòd in sublimi cõstructa sit, & de lõge venientia contempletur. Hierusalem autẽ pacifica in nostro sermone transfertur.

Oppida nobilia, qui vel quæ constituerunt.

Dyonisius, qui & Liber pater, cum Indiam victor perambulasset, Nisam vrbem ex suo nomine iuxta Indum fluuium condidit, & quinquaginta milibus hominum impleuit.

Medus autem Egęi filius Mediam cõstruxit. vnde & regio eius Mediæ nomen sortita est.

Parsipolim vrbẽ caput Persici regni Perseus * Adiæ filius condidit famosissimam confertissimamq; opibus, à quo & Persida dicta est. al. Andiæ.

Ctesiphontem quoq; Parthi apud Parthiam condiderũt, in æmulationem Babylonię vrbis.

Susis oppidum Persidæ aiunt Memnonis fratrem constituisse. Dictum autẽ Susis quod immineat Susę fluuio. Ibi est regia Cyri, lapide candido & vario cũ columnis aureis, & lacunaribus gemmisq; distincta, continens etiã simulacrum cœli, stellis micantibus pręsignatũ, & cætera humanis mentibus incredibilia.

Bactrum oppidum Bactriani condiderũt ex proprio amne illud cognominãtes, qui Bactrus vocatur.

Carra ciuitas Mesopotamię trans Edissam condita à Parthis, vbi quondam Romanus est cesus exercitus, & Crassus dux captus.

Edissam vrbem Mesopotamiæ cõdidit Nembroth filius Chus postquã de Babylone migrauit, in qua & regnauit, quæ antè Iare cognominata est. Ipse construxit & * Calamie quæ postea verso nomine à Seleuco rege dicta est Seleucia. al. Calames.

Philadelphiam vrbem Arabiæ condidit Raphaim, gens antiquissima, quam interfecerunt filij Loth.

Seleucus vnus ex pueris Alexandri post mortem eiusdem Alexandri occupato regno orientis vrbem in Syria condidit, eamque ex Antiochi patris sui nomine Antiochiam

© Biblioteca Nacional de España

nuncupauit, & Syrię caput instituit. Ipse quoq; Laodiciam & Seleuciam: ipse Apamiam & Edissam vrbem construxit.

Damascus Syrię condita & nuncupata à Damasco dispensatore Abrahæ filio. Hæc antea in omni Syria tenuit principatum. Necdum enim efflorebant ibi Antiochia, Laodicia, & Apamia: quas vrbes post Alexandrũ constructas esse cognoscimus. Hic est Damascus quem Abraham futurum sibi hæredem dixerat, antequam esset illi promissus Isaac.

Gazam oppidum Palęstinæ cõdiderũt Euęi, in qua habitauerũt Cappadoces pristinis cultoribus interfectis. Vocata autem Gaza, eo quòd ibi Cambises rex Persarum thesauros suos posuit, cum bellum Aegyptijs inutilisset. Persarũ enim lingua thesaurus Gaza nominatur.

Philistim vrbem condiderunt Allophili, ipsa est Ascalon, de qua superius memorauimus: nuncupata ex nomine Cesloim, qui fuit nepos Cain & filius Mesrain.

Dor vrbs fuit quondam potẽtissima, & versa vice Stratonis turris: postea ab Herode rege Iudeæ in honorem Cæsaris augusti Cæsarea nuncupata. In qua Cornelij domũ Christi vidit ecclesia, & Philippi ediculas, & cubiculũ quatuor virginum prophetarum.

Ioppe oppidum Paęlstinę maritimum. idem Palęstini ędificauerunt, vbi saxum ostenditur, quod vinculorum Andromadę adhuc vestigia retinet: cuius beluæ forma eminentior elephantis fuit.

Iericho à Iebusęis condita traditur: à quibus & nomen traxisse perhibetur. hanc subuertit Iesus. Post quam instruxit aliam Ozam de Bethel ex tribu Effraim. Sed & hæc eo tẽpore quo Hierusalem oppugnabatur à Romanis, propter perfidiam ciuium capta atq; destructa est. post quam tertia ędificata est vrbs, quæ vsque hodie permanet.

Sichem Samariæ vrbẽ, quæ Latinę & Græcè Sicima vocatur, ædificauit Emor, appellauitq; eã nomine Sichem filij sui. Ipsa est nunc Neopolis ciuitas Samaritanorum.

Bethel vrbem Samariæ cõdiderunt Iebusęi: quæ prius vocabatur Luza, sed postquam dormiens ibi Iacob vidit scalam innitentem cœlo & dixit, *Verè hæc domus Dei est & porta cœli:* hac ex causa nomen locus accepit Bethel: idest domus Dei. Quando autem ibi ab Ieroboam vituli aurei fabricati sunt, vocata est Bethauen, idest domus Ydoli, quæ antea vocabatur domus Dei.

Bethleem Iuda ciuitas Dauid, quæ mundi genuit saluatorem, à Iebusęis condita fertur, & vocata primùm Effrata. Quando autem Iacob ibi pecora sua pauit, eidem loco Bethleem nomen quodam vaticinio futuro imposuit, quod domus panis interpretatur, propter eum panẽ qui ibi de cœlo descendit.

Ebron ciuitas Iudæę, quæ quondam vocabatur Arbe, condita est à gigantibus ante septem annos quàm ab eis Tanis vrbs Aegypti condere tur. Ipsa est Arbe à numero ita vocata, quòd ibi tres patriarchę sepulti sunt, & quartus Adam. Ipsa est & Mambre vocata: ex vno amico Abrahæ.

Samariam à qua omnis regio quæ circa eam fuit, nomẽ accepit, Sennacherib rex Asiriorũ construxit, vocauitq; Samariam, idest custodiã, quã quando Israel transtulit, ibi cõstituit. Hanc obsidione captam Antiochus solo coæquauit. Quam postea Herodes à fundamentis instaurans, in honorem Augusti, Augustam id est Sebastiam Græco sermone vocauit. Ibi siti sunt Helisæus & Abdias Prophetæ, & quo maior inter natos mulierum non fuit Baptista Ioannes.

Tiberiadem verò Herodes alius in Iudæa in nomine Tiberij Cæsaris condidit.

Tirus vrbs Phœnicum condita à Phœnicibus fuit. Hæc est ciuitas, ex qua aurum regi Salomoni deferebatur, in qua optima purpura tinguitur. Vnde & Tiria dicitr nobilis purpura.

Phœnices à Rurbo mari profecti, Sidonẽ vrbem opulentissimam condiderunt: quã à piscium copia Sidon appellauerunt. Nam piscẽ Phœnices Sidon vocant. Ipsi etiã Tirũ in Syria: ipsi Vticam in Africa, Hipponem, Leptim, aliasque vrbes in ora maritima cõdiderunt. Ipsi Thebas in Bœotia duce Cathmo: ipsi postremò in vltima orbis tendentes vrbem in oceano condiderunt; eamq; lingua sua Gades nominauerunt. Nam mos erat antiquus Phœnicum gentis, cũ multis simul mercandi causa à domo proficisci, & cum incolarum animos commercio rerum ijs antè incognitarũ sibi conciliassent: loca quę condendis vrbibus idonea videbantur, capere. Ex ijs profecta & Dido in litus Africæ vrbẽ condidit, & Carthadam nominauit, quòd Phœnica lingua exprimit ciuitatem nouam. mox sermone verso Cartago est dicta. hanc Scipio deleuit. Quæ autem nunc est, postea à Romanis est condita. Cartago autem antea Birsa, postea Tirus dicta est, deinde Cartago.

Memphim ciuitatem Aegypti ędificauit Epaphus Iouis filius, cum in secunda Aegypto regnaretur. Hæc est vrbs in qua carta nascitur, vbi etiam optimi mathematici fuerunt. Nam hanc vrbem magicis artibus deditam, pristini vsq; ad præsens tempus vestigia erroris ostendunt.

Tanis Metropolis Aegypti, vbi Pharao fuit, & Moyses cuncta signa fecit, quæ in Exodo scriptuntur, Hanc construxisse perhibẽtur Titanes, id est gigãtes, & ex suo nomine nuncupauerũt.

Aeliopolis vrbs Aegypti, quę Latinè interpretatur solis ciuitas, sicut lxx. interpretes arbitrãtur. Aedificata est autem à filijs Israel, in qua Phutifares sacerdos fuit, cuius meminit Ezechiel.

Vrbem Alexandrinam condidit Alexander magnus, cuius & nomen detinet. Hanc enim idẽ in terminis regionis Africæ & Aegypti constituit, & caput esse regionis Aegypti iussit. Interiacet autem inter Aegyptum & mare: quasi claustrum, importuosa. Hæc est vrbs Aegypti, postea

© Biblioteca Nacional de España

postea versa in Alexandriam.

Thebas Aegyptias condidit Cathmus, quæ inter Aegyptias vrbes numero portarum nobiliores habentur, ad quas commercia Arabes vndiq; subuehunt. Hinc regio Aegypti Thebais dicta est. Thebæ autem & Bœotiæ sunt & Aegyptiæ, vno tamen auctore sunt conditę.

Ptolemais & Berenice à regibus Aegyptijs nominatę, à quibus & ædificatę fuerunt.

Cæsaream Cappadocię Philippus in honorẽ Cæsaris ædificauit.

Tarsum Ciliciæ Danaes proles Perseus ædificauit. de qua ciuitate Paulus Apostolus, *Natus* inquit, *Tarso Ciliciæ*. Quidam etiam locus Indię Tarsus vocatur.

Seleuciam Isauriæ condidit Seleucus: qui & Antiochiam.

Ilus autem Apollinis filius in Phrygia Ilium condidit.

Amazones Ephesum in Asia construxerunt.

Theseus verò Smirnam construxit, quæ Homero poetę patria extitit, & Smirna vocata, quòd eius campos Ermus fluuius secat.

Dioscoriam Colchorum vrbem Amphitus & Circius aurigę Castoris & Pollucis fabricauerunt, ex eorum nomine eam cognominantes. Nã Castor & Pollux Græcè διόσκουροι appellãtur.

Nicomedia à Nicomedo rege Bithinię ædificata est.

Bithinia condita à Phœnice, quę primum Mirandina vocabatur.

Constantinopolim vrbẽ Thracię Constantinus ex nomine suo instituit, solam Romæ meritis & potentia adęquatam. Hæc condita primũ à * Pausina rege Spartanorum, & vocata Bizantium, vel quod tãtum pateat inter Adriaticum mare & Propontidem, vel quod sit receptaculũ terrę marisq; copijs. Vnde & eã Constantinus aptissimam condere iudicauit, vt receptaculum sibi terra mariq; fieret. Vnde & nũc Romani imperij sedes & totius caput est orientis: sicut & Roma occidentis.

al. Pausima.

Epirus Thraciæ condita est à Pyrrho & cognominata.

Athenas in Hellade Cecrops condidit, & ex suo nomine Cecropiã nominauit: hanc Amphion qui in Gręcia tertius post Cecropẽ regnauit, Mineruę sacrauit, & nomen ciuitati Athenas dedit. Nam Minerua Græcè Ἀθήνη dicitur. vnde & Mineruam Græci inuentricem multarum artium asserunt, quia & literæ & artes diuersorum studiorum, & ipsa Philosophia veluti templum Athenas habuerunt.

Corinthum in Achaia condidit Corinthus Orestis filius. Hanc Gręci Corintheam vocant, hoc est administrationem reipublicæ.

Thebas hoc Bœotiæ Cathmus veniens à Phœnicibus condidit, Thebis Aegyptijs prius ab eo constructis.

Mycenas Lacedæmonia condita à Lacedæmone Semele filio.

Sparta à Sparto filio Phoronei vocata: qui fuit filius Inachi. Ipsam autem esse Spartam, quam & Lacedęmoniam ciuitatẽ, atq; inde Lacedæmonios Spartanos dici.

Achaia ab Achæo constructa.

Pelops qui apud Argos regnauit, Peloponensem vrbem condidit.

Cecrops in insula Rhodo, Rhodũ ædificauit.

Carpatus Coum.

Acos Tifonis filius, Paphum.

Angæus Licurgi filius, Samum.

Dardanus autem condidit Dardaniam.

Thessalonicam Thessalus Græci filius ędificauit, in qua etiam regnauit.

Brundisium construxerunt Græci. Brundisium autem dictum est Græcè, quòd brunda caput cerui dicatur: sic est enim vt & cornua videantur: & caput & lingua in positione ipsius ciuitatis.

In Italia autem à Iano Ianiculum: à Saturno Saturnia atq; Latium cõditum, eo quòd ibi fugiens latuisset, cognominatum.

Ab Hercule in Campania Pompeia, qui victor ex Hispania pompam boum duxerat.

Aeneas autem post excidium Troiæ in eandem Italiam veniens, ab vxoris nomine Lauiniam condidit.

Ascanius verò relicto Lauinię nouercæ suæ regno, Albam longam ædificauit. Alba autem vocata propter colorem * suis, longa, quia longum oppidum est, iuxta prolixitatem collis in quo positum est. Ex hac etiam vrbe reges Albanorum appellari cæperunt.

al. suis

Capuam Capis Siluius rex Albanorum construxit, appellatam nomine conditoris, licet & sint qui dicãt à capacitate eam capuam dictam, quòd eius terra omnem vitæ fructum capiat: alij, à locis campestribus in quibus sita est. Est autem caput vrbium Campaniæ, inter tres maximas Romam, Cartaginemq; numerata: ex qua & prouincia Italię Campania dicta est.

Romulus cum interfecto apud Albam Amulio, auum Numitorem in regnum constituisset, in eum locum vbi nunc Roma est deuenit: ibique sedes posuit, męnia construxit, vrbemq; ex nomine suo Romam vocauit. Hanc autem antè Euander dicitur condidisse, vt est illud.

Tunc pater Euander Romanæ conditor arcis.

Ancus Martius ex filia Numæ Põpilij natus, hic vrbem in exitu Tiberis condidit, quæ & peregrinas merces exciperet, & hostem moraretur, quam ab ipso situ Ostiam appellauit.

Galli quidam intestina discordia & assiduis dissensionibus suorum permoti, sedes nouas quærentes Italiam profecti sunt: sedibusq; proprijs Tuscis expulsis, Mediolanum atque alias vrbes condiderunt. Vocatum autem Mediolanum, ab eo quòd ibi sus in medio * lanea perhibetur inuenta.

media lanea.

Historijs placet à Mesappo Græco Mesapię datam originem, versa post modum in nomen Calabriæ, quã in exordio * Oenotri frater Peucetius Peucetiam nominauerat.

al. Enotri.

© Biblioteca Nacional de España

Manto Tiresię filia post interitum Thebanorum dicitur delata in Italiam Mantuam condidisse. Est autem in Venetia quæ Gallia Cisalpina dicitur. Et Mátua dicta, quòd manes tuetur.

Parthenopia à Parthenope virgine quadam illic sepulta, Parthenopia appellata: quòd oppidum postea Augustus Neapolim esse maluit.

Ad promontorium Leucateti in quo actu apollinis templũ fuit, bellum Augustus contra Antonium gessit. Quo victo, vrbem in Actiaco sinu condidit: quam à victoria Nicopolim appellauit.

Palantus Partheniorum dux Parthenios constituit.

Taras Neptuni filius fuit, à quo Tarentum ciuitas & condita & appellata est.

Cum Cyrus maritimas vrbes Græciæ occuparet, & Phocenses ab eo expugnati omnibus angustijs premerentur, iurauerunt vt profugerẽt quàm longissimè ab imperio Persarum, vbi ne nomen quidem eorum audirent: atq; ita in vltimos Galliæ sinus nauibus profecti, armisq; se aduersus Gallicam feritatem tuentes, Massiliam condiderunt, & ex nomine ducis nuncupauerunt. Hos Varro trilingues esse dicit: quòd & Græcè loquantur, & Latinè & Gallicè.

Narbonam & Arelatum & Pictauium coloni proprij condiderunt.

Burdegalim appellatam ferũt, quòd Burgos Gallos primũ colonos habuerit: quibus antea cultoribus impleta est.

Terraconã in Hispania Scipiones construxerunt: ideò caput est Terraconensis prouinciæ.

Cæsaraugusta Terraconensis Hispaniæ oppidum à Cæsare Augusto & situm & nominatum, loci amœnitate & delitijs præstantius ciuitatibus Hispaniæ cunctis, atq; illustrius, florens sanctorum martirum sepulturis.

Afri sub Hannibale maritima Hispaniæ occupantes, Cartaginem Spartariam construxerunt, quæ mox à Romanis capta & colonia facta, nomen etiam prouincię dedit. Nunc autem à Gothis subuersa atque in desolutionem redacta est.

Saguntum Græci ex insula Zacyntho profecti in Hispaniam cõdiderunt: quam Afri postea bello impetitam deleuerunt.

Emeritam Cæsar Augustus ædificauit, postquam Lusitaniam & quasdam Oceani insulas cepit: dans ei nomen ab eo quòd ibi milites veteranos constituisset. Nam emeriti dicuntur veterani, solutiq; à militia.

Vlyssipona ab Vlysse condita & nuncupata: quo loco, sicut historiographi dicunt, cœlum à terra, & maria disiunguntur à terris.

Hispalim Cæsar Iulius condidit: quàm ex suo nomine, & Romæ vrbis vocabulo Iuliam Romulam nuncupauit.

Hispalis aũt à situ cognominata est, eo quòd in solo palustri suffixis profundo palis locata sit: ne lubrico atq; instabili fundamento caderet.

Gades oppidũ à Pœnis cõditum: qui & Cartaginem Spartariam condiderunt.

Septa oppidum, à montibus septem: qui à similitudine fratres vocati Gaditano imminent freto.

Tingis ciuitatis & Lixis Anteus auctor est, quem Hercules fertur luctę certamine superatũ interfecisse. Lix autem à Lixo flumine Mauritanię nũcupata, vbi antea regia fuit & Sala quod immineat Salę flumini.

Cæsaream Mauritanię oppidũ Iuba rex Mauorum in honorem Cæsaris Augusti condidit: quam ex eius nomine Cæsaream appellauit: sicut Herodes aliam Cæsaream in Palęstina, quæ nunc est vrbs clarissima.

Icosium Cæsariensis Mauritanię oppidum, Hercule illic transeunte, viginti à comitatu eius discedentes construxerunt. Hãc ne quis imposito à se nomine priuatim gloriaretur, de condentium numero vrbi Icosio nomen est datum.

Cyrene regina fuit Lybię quæ ex suo nomine ciuitatem Cyrenem condidit: ex qua & Lybiam Cyrenensem vocauit.

De ædificijs publicis. CAP. II.

Ciuitas est hominum multitudo societatis vinculo adunata, dicta à ciuibus, idest ab ipsis incolis vrbis, ꝓ eo quòd plurimorũ cõsciscat & contineat vitas. Nam vrbs ipsa mœnia sunt: ciuitas autem non saxa, sed habitatores vocantur.

Tres autem sunt societates: familiarum, vrbium, gentium.

Vrbs vocata ab orbe, quod antiquæ ciuitates in orbe fiebant: vel ab vrbo parte aratri quo muri designabantur, vnde est illud,

Optauitq; locum regno & concludere sulco.

Locus enim futuræ ciuitatis sulco designabatur, id est aratro. Cato, *Qui vrbem*, inquit, *nouam condit, tauro & vacca aret, vbi arauerit, murum faciat: vbi portam vult esse, aratrum sustollat & portet, & portam vocet.* Ideo autem vrbs aratro circundabatur, dispari sexu iuuencorum, propter commixtionem familiarum, & imaginem serentis, fructumq; reddentis. Vrbs autẽ aratro conditur: aratro vertitur. Vnde Oratius,

Imprimeretq; muris hostile aratrum.

Oppidum quidam ab oppositione murorũ dixerunt: alij ab opibus recondendis: eo quòd sit munitum, alij quod sit in eo conuentus habitantium, & opem det mutuam contra hostem. Nam primum homines tanquam nudi & inermes, nec cõtra beluas prędsidia habebant, nec receptacula frigoris & caloris, nec ipsi inter se homines abhominibus satis erant tuti. Tandẽ naturali solertia speluncis silueſtribusq; tegumẽtis tuguria sibi & casas virgultis arundinibusq; contexuerũt, quo esset vita tutior, ne ijs qui nocere possent aditus esset. Hæc est origo oppidorum, quæ quod opem daret, idcirco oppida nominata dixerunt. Oppidum autẽ magnitudine & mœnibus discrepat à vico & castello & pago.

Ciuita-

© Biblioteca Nacional de España

Manto Tiresię filia post interitum Thebanorum dicitur delata in Italiam Mantuam condidisse. Est autem in Venetia quæ Gallia Cisalpina dicitur. Et Mátua dicta, quòd manes tuetur.

Parthenopia à Parthenope virgine quadam illic sepulta, Parthenopia appellata: quòd oppidum postea Augustus Neapolim esse maluit.

Ad promontorium Leucateti in quo actu apollinis templũ fuit, bellum Augustus contra Antonium gessit. Quo victo, vrbem in Actiaco sinu condidit: quam à victoria Nicopolim appellauit.

Palantus Partheniorum dux Parthenios constituit.

Taras Neptuni filius fuit, à quo Tarentum ciuitas & condita & appellata est.

Cum Cyrus maritimas vrbes Græciæ occuparet, & Phocenses ab eo expugnati omnibus angustijs premerentur, iurauerunt vt profugerẽt quàm longissimè ab imperio Persarum, vbi ne nomen quidem eorum audirent: atq; ita in vltimos Galliæ sinus nauibus profecti, armisq; se aduersus Gallicam feritatem tuentes, Massiliam condiderunt, & ex nomine ducis nuncupauerunt. Hos Varro trilingues esse dicit: quòd & Græcè loquantur, & Latinè & Gallicè.

Narbonam & Arelatum & Pictauium coloni proprij condiderunt.

Burdegalim appellatam ferũt, quòd Burgos Gallos primũ colonos habuerit: quibus antea cultoribus impleta est.

Terraconã in Hispania Scipiones construxerunt: ideò caput est Terraconensis prouinciæ.

Cæsaraugusta Terraconensis Hispaniæ oppidum à Cæsare Augusto & situm & nominatum, loci amœnitate & delitijs præstantius ciuitatibus Hispaniæ cunctis, atq; illustrius, florens sanctorum martirum sepulturis.

Afri sub Hannibale maritima Hispaniæ occupantes, Cartaginem Spartariam construxerunt, quæ mox à Romanis capta & colonia facta, nomen etiam prouincię dedit. Nunc autem à Gothis subuersa atque in desolutionem redacta est.

Saguntum Græci ex insula Zacyntho profecti in Hispaniam cõdiderunt: quam Afri postea bello impetitam deleuerunt.

Emeritam Cæsar Augustus ædificauit, postquam Lusitaniam & quasdam Oceani insulas cepit: dans ei nomen ab eo quòd ibi milites veteranos constituisset. Nam emeriti dicuntur veterani, solutiq; à militia.

Vlyssipona ab Vlysse condita & nuncupata: quo loco, sicut historiographi dicunt, cœlum à terra, & maria disiunguntur à terris.

Hispalim Cæsar Iulius condidit: quàm ex suo nomine, & Romæ vrbis vocabulo Iuliam Romulam nuncupauit.

Hispalis aũt à situ cognominata est, eo quòd in solo palustri suffixis profundo palis locata sit: ne lubrico atq; instabili fundamento caderet.

Gades oppidũ à Pœnis cõditum: qui & Cartaginem Spartariam condiderunt.

Septa oppidum, à montibus septem: qui à similitudine fratres vocati Gaditano imminent freto.

Tingis ciuitatis & Lixis Anteus auctor est, quem Hercules fertur luctę certamine superatũ interfecisse. Lix autem à Lixo flumine Mauritanię nũcupata, vbi antea regia fuit & Sala quod immineat Salę flumini.

Cæsaream Mauritanię oppidũ Iuba rex Mauorum in honorem Cæsaris Augusti condidit: quam ex eius nomine Cæsaream appellauit: sicut Herodes aliam Cæsaream in Palęstina, quæ nunc est vrbs clarissima.

Icosium Cæsariensis Mauritanię oppidum, Hercule illic transeunte, viginti à comitatu eius discedentes construxerunt. Hãc ne quis imposito à se nomine priuatim gloriaretur, de condentium numero vrbi Icosio nomen est datum.

Cyrene regina fuit Lybię quæ ex suo nomine ciuitatem Cyrenem condidit: ex qua & Lybiam Cyrenensem vocauit.

De ædificijs publicis. CAP. II.

Ciuitas est hominum multitudo societatis vinculo adunata, dicta à ciuibus, idest ab ipsis incolis vrbis, ꝓ eo quòd plurimorũ cõsciscat & contineat vitas. Nam vrbs ipsa mœnia sunt: ciuitas autem non saxa, sed habitatores vocantur.

Tres autem sunt societates: familiarum, vrbium, gentium.

Vrbs vocata ab orbe, quod antiquæ ciuitates in orbe fiebant: vel ab vrbo parte aratri quo muri designabantur, vnde est illud,

Optauitq; locum regno & concludere sulco.

Locus enim futuræ ciuitatis sulco designabatur, id est aratro. Cato, *Qui vrbem*, inquit, *nouam condit, tauro & vacca aret, vbi arauerit, murum faciat: vbi portam vult esse, aratrum sustollat & portet, & portam vocet.* Ideo autem vrbs aratro circundabatur, dispari sexu iuuencorum, propter commixtionem familiarum, & imaginem serentis, fructumq; reddentis. Vrbs autẽ aratro conditur: aratro vertitur. Vnde Oratius,

Imprimeretq; muris hostile aratrum.

Oppidum quidam ab oppositione murorũ dixerunt: alij ab opibus recondendis: eo quòd sit munitum, alij quod sit in eo conuentus habitantium, & opem det mutuam contra hostem. Nam primum homines tanquam nudi & inermes, nec cõtra beluas prędsidia habebant, nec receptacula frigoris & caloris, nec ipsi inter se homines abhominibus satis erant tuti. Tandẽ naturali solertia speluncis silueſtribusq; tegumẽtis tuguria sibi & casas virgultis arundinibusq; contexuerũt, quo esset vita tutior, ne ijs qui nocere possent aditus esset. Hæc est origo oppidorum, quæ quod opem daret, idcirco oppida nominata dixerunt. Oppidum autẽ magnitudine & mœnibus discrepat à vico & castello & pago.

Ciuita-

© Biblioteca Nacional de España

Ciuitates autē aut coloniæ, aut municipia, aut vici, aut castella, aut pagi appellantur.

Ciuitas propriè dicitur quam non aduenę, sed eodem innati solo condiderunt. Ideoq; vrbes à proprijs ciuibus cōditæ, ciuitates non coloniæ nuncupantur.

Colonia verò est quæ defectu indigenarum nouis cultoribus adimpletur. Vnde & Colonia à cultu agri est dicta.

Municipiū est quòd manente statu ciuitatis ius aliquod minoris aut maioris officij à principe impetrat. Dictum autem municipiū à munijs, id est officijs, quòd tantum munia idest tributa debita, vel munera reddant. Nam liberales & famosissimæ causæ, & quæ ex principe proficiscuntur, ibi non aguntur. Hæc enim ad dignitatem ciuitatum pertinent.

Vici & castella & pagi ij sunt, qui nulla dignitate ciuitatis ornantur, sed vulgari hominū conuentu incoluntur, & propter paruitatē sui maioribus ciuitatibus attribuuntur.

al. ab ipsis. Vicus autem dictus à * vicinis tantum habitatoribus, vel quod vias habeat tantum sine muris. Est autem sine munitione murorum licet & vici dicantur ipsę habitationes vrbis. Dictus autem vicus: eo quòd sit vice ciuitatis, vel quòd vias habeat tantùm sine muris.

Castrum antiqui dicebant oppidum loco altissimo situm, quasi casam altam: cuius pluralis numerus castra, diminutiuum castellum est: siue quòd castrabatur licentia inibi habitantium, ne passim * vaga hosti pateret. al. vagantes hosti paterent.

Pagi sunt apta ædificijs loca, inter agros habitantibus. Hęc & conciliabula dicta, à conuentu & societate multorum in vnum.

Cōpeta sunt vbi vsus est cōuentus fieri rusticorum, & dicta competa, quia multa loca in agris eodem competunt, & quo conuenitur à rusticis.

Suburbana sunt circumiecta ciuitatis ædificia, quasi sub urbe.

Mœnia sunt muri ciuitatis, dicti ab eo quòd muniant ciuitatem, quasi munimenta ciuitatis idest tutamenta.

Munium autem dictum, quasi manu factum: sic & muri à munitione dicti, quasi muniti: eo quòd muniant & tueantur interiora vrbis. Mœnia autem duplicem habent significationem. Nam interdum mœnia abusiue dici solent omnia ædificia publica ciuitatis, vt,

Diuidimus muros, & mœnia pandimus vrbis.

Propriè autem Mœnia sunt tantùm muri.

Murus autem turribus propugnaculisq; ornatur.

Turres vocatę quòd teretes sint & longæ. Teres enim est aliquid rotundum cum proceritate, vt columna. Nam quamuis quadratę aut latę construantur, procul tamen videntibus rotundę existimantur, ideò quia omne cuiusque anguli simulacrū per lōgum aeris spacium euanescit atq; consumitur, & rotundum videtur.

Propugnacula pinnę murorum sunt dicta, quia ex his propugnatur.

Promurale verò eo quòd sit pro munitione muri. Est enim murus proximus antè murum.

Porta dicitur: quia potest vel importari vel exportari aliquid. Propriè autem porta aut vrbis aut castrorum vocitatur, sicut superius dictū est. Vicus, vt prędictum est, ipsę habitationes vrbis sunt, vnde & vicini dicti. Vię ipsa spatia angusta quæ inter vicos sunt.

Plateæ perpetuę ac latiores ciuitatum viæ sunt: iuxta proprietatem linguę Græcę à latitudine nuncupatę. πλάτος enim Græci latū dicūt.

* Quintanæ pars plateæ quinta est: qua carpentum progredi potest. al. Quintana.

Cloacę dictę quòd ijs percolantur aquę. Has primum Romæ fecisse dicunt Tarquinium Priscum, vt quotiens pluuiarum inundatio existeret, per eas aquæ extra ciuitatem emitterentur, ne maximis perpetuisq; tempestatibus planitiem vel fundamenta vrbium strages aquarum subuerteret.

Imbuli, vel quia sub volumine sunt, vel quia sub ijs ambulant. Sunt enim porticus hinc inde platearum. al. Imbulia, quia subuelamina.

Forus est exercēdarum litium locus à fando dictus: siue à Phoroneo rege, qui primus Græcis leges dedit. Hæc loca & prorostra vocātur, ideò quod ex bello Punico captis nauibus Cartaginensium, rostra ablata sunt, & in foro Romano præfixa, vt essent huius insigne victoriæ.

Curia dicitur, eo quòd ibi cura per senatum de cunctis administretur.

Prætorium eo quòd ibi prætor sedeat ad discutiendum.

Gymnasium generalis est exercitiorū locus. Tamen apud Athenas locus erat vbi discebatur philosophia, & sapientiæ exercebatur studium. Nam γυμνάσιον Græcè vocatur, quod Latinè exercitium dicitur, hoc est meditatio. Sed & balnea, & loca cursorū & athletarū gymnasia sunt, eo quòd illic omnes in suę artis studio exercitētur.

Capitolium Romæ vocatum, eo quòd fuerit Romanæ vrbis & religionis caput summū. Alij aiunt, cum Tarquinius Priscus Capitolij fundamenta Romæ aperiret, in loco fundamenti caput hominis literis Tuscis notatum inuenit, & proinde Capitolium appellauit.

Arces sunt partes vrbis excelsæ atq; munitæ. Nam quæcunque tutissima vrbium sunt, ab arcendo hostem arces vocantur. Vnde & arcus & arca.

Circum Romani dictum putant à circuitu equorum, eò quod ibi circū metas equi currant.

Theatrum autem à spectaculo nominatum, ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι quòd in eo populus stans desuper atq; spectans, ludos scenicos contemplaretur.

Amphitheatrum verò vocatū quod ex duobus sit theatris cōpositum. Nam amphitheatrū rotundum est, theatrum verò ex medio amphiteatri est, semicirculi figuram habens.

Labyrinthus est perplexis parietibus ędificiū, qualis est apud Cretā à Dedalo factus, vbi fue-

© Biblioteca Nacional de España

rit Minotaurus inclusus: in quo si quis introierit sine glomere lini, exitum inuenire non valet. Cuius ędificij talis est situs, vt aperientibus fores, tonitruum intus terribile audiatur. Descenditur centenis vltra gradibus, intus simulacra & *monstriferę effigies, in partes diuersas transitus innumeri per tenebras, & cætera ad errorem ingredientium facta, ita vt de tenebris eius ad lucem venire impossibile esse videatur. Quatuor sunt labirinthi. Primus Aegyptius: secundus Creticus; tertius in Lemno: quartus in Italia, omnes ita constructi, vt dissoluere eos nec vlla secula quidem possint.

*al. monstrifica.

Pharus turris est maxima, quam Græci & Latini in commune ab ipsius rei vsu Pharum appellauerint: eo quòd flammarum indicio longe videatur à nauigãtibus, qualem Ptolemæus iuxta Alexandriam construxisse octingentis talentis traditur. Vsus eius est nocturno nauiũ cursui ignes ostendere, ad pronuntianda vada, portusq; introitus, ne decepti tenebris nauigantes in scopulos incidant. Nam Alexandria fallacibus vadis insidiosos accessus habet. Hinc igitur in portubus machinas ad prelucẽdi ministeriũ fabricatas, pharos dicunt. Nam φῶς lux est. ὁρᾶν videre. Vnde & lucifer Græcè φωσφόρος appellatur.

Cocleæ sunt altæ & rotundæ turres, & dictæ cocleæ, quasi cyleæ, quòd in eis tanquam per circulum orbemq; conscendatur, qualis est Romæ clxxxv pedibus.

Thermæ appellatę quod caleant. Greci enim θερμὸν calorem vocant.

Balneis verò nomen inditũ à leuatione meroris. Nam Graeci βαλανεῖον dixerunt, quòd anxietatem animi tollat. Hæc & gymnasia dicuntur, quia ibi athletę vncto corpore & perfricato manibus exercitantur. Nam γυμνάσιον Græcę, Latinè exercitium dicitur. γύμνης verò nudus.

Apodyterium vbi lauantium vestimenta ponuntur, ab exuendo dictum. Ἀποδύειν enim Græcè exuere dicitur.

Propina Græcus sermo est, qui apud nos corruptè popina dicitur. Est autẽ locus iuxta balnea publica, vbi post lauacrum à famè & siti reficiũtur. Vnde & propina & propinare dicitur. Πεῖνα enim Græcè famem significat, eo quòd hic locus famem tollat.

Tabernæ olim vocabantur ædiculæ plebeiorum paruæ & simplices in vicis, axibus & tabulis clausæ, vnde & tabernarię, quòd ibi soleant consedere. dictæ autem tabernæ quod ex tabulis ligneis erant constructæ: quæ nunc, & si non speciem, nomen tamen pristinum retinent.

Macellum dictum, quòd ibi mactentur pecora, quæ mercantibus venundantur.

Mercatum autem à commercio nominatum. Ibi enim res vendere vel emere solitum est, sicut & telonium dicitur, vbi merces nauium & nautarum emolumenta redduntur. Ibi enim vectigalis exactor sedet, precium rebus impositurus, & voce à mercatoribus flagitans.

Carcer est à quo prohibentur exire, & dictus carcer à coercendo. Hinc Fronto, *Vt pergræcari potius amœnis locis, quàm coerceri carcere videretur.*

De habitaculis. CAP. III.

HAbitatio ab habitando vocata, vt, Habitare casas.

Domus ex Græca appellatione vocata. Nam δόματα Græci tecta dicunt. Est autem domus vnius familię habitatio: sicut vrbs vnius populi: sicut orbis, domicilium totius generis humani.

Omne ædificium antiqui ædem appellauerunt. Alij ædem ab ædendo quidem sumpsisse nomen existimant, dantes exemplũ de Plauto, *Si vocassem vos in ædem ad prandium.* Hinc & ędificium, eo quòd fuerit prius ad edendũ factũ.

Aula domus est regia, siue spatiosum habitaculum, porticibusq; quatuor conclusum.

Atrium magna ædes est, siue amplior & spatiosa domus, & dictum est atrium, eo quòd addantur ei tres porticus extrinsecus. Alijs atrium quasi ab igne & ligno atrum dixerunt. Atrum enim fit ex fumo.

Palatium à Palante principe Arcadum dictum: in cuius honore Arcades palanteum oppidum construxerunt, & regiam in ipsius nomine conditam palatium vocauerunt.

Thalamum hac ex causa vocatum ferunt. Cũ enim raptę fuissent à Romanis Sabinæ. ex quibus cum vna ante alias specie nobilis cũ magna omniũ admiratione raperetur, Talamoni duci eam oraculo responsum est dari, & quoniã hæ nuptię feliciter cesserant, institutum est, vt in omnibus nuptijs thalami nomen iteretur. Aegiptij quoque lingua sua loca in quibus nubentes succedũt & incubant, thalamũ nominãt.

Cœnaculum dictum à communione vescendi: vnde & cœnobium, congregatio. Antiqui enim publicè & in commune vescebantur, nec vllius conuiuium singulare erat, ne in occulto deliciæ luxuriam gignerent.

Triclinium est cœnaculum, à tribus lectulis discumbentium dictum. Apud veteres enim in loco vbi conuiuij apparatus exponebatur, tres lectuli strati erant, in quibus discumbentes epulabãtur. Κλίνη enim Græcè lectus vel accubitus dicitur, ex quo confectũ est, vt tricliniũ diceretur.

Cella dicta quòd nos occultet & celet.

Cubiculũ verò, quòd eo cubemus, ibiq; dormientes requiescamus.

Cubile autem cubandi locus est.

Secessus, quòd sit locus secretus, idest sine accessu.

Diuersorium dictum, eo quòd ex diuersis vijs ibi conueniatur.

Hospitiũ sermo Græcus est: vbi quis ad tempus hospitali iure inhabitat, & iterum inde transiẽs migrat. Inde & metatũ, quia mutatur. Vnde & legitur, & *Castra metati sunt* pro mutauerunt. Nõ enim illic permanet exercitus: sed pertransit.

Mœniana dicta sunt qd' maneamus. Mœnianus collega Crassi in foro fecit* materias, vt essent

*macellum

© Biblioteca Nacional de España

sent loca in quibus spectantes insisterẽt, quę ex nomine eius mœniana appellata est. Hæc & solaria, quia patẽt soli: post hæc alij lapide, alij materia ædificare porticibus mœniana, & foribus, & domibus adiecerunt.

Tabulata olim ligneæ domus fiebant. Inde nomen permanet tabulatorum.

Apogeum est constructum sub terris ædificium, quod nos antrum vel speluncã dicimus.

Solariũ quòd soli & auris pateat, qualis fuit locus in quo Dauid Bersabeæ lauantem aspexit & adamauit.

Cũ Hierosolimã Antiochus obsideret, Hircanus princeps Iudæorũ reserato Dauid sepulcro, tria milia auri talenta inde abstraxit: ex quibus ccc Antiocho dedit, vt obsidionẽ relinqueret: atq; vt facti inuidiã demeret, fertur ex reliqua pecunia instituisse primus Xenodochia, quibus aduẽtum susciperet pauperum & peregrinorũ, vnde & vocabulum sumpsit. Nam ex Græco in Latinum ξενοδοχεῖον peregrinorũ susceptio nuncupatur. Vbi autem ægrotantes de plateis colliguntur: νοσοκομεῖον Græcę dicitur: in quo cõsumpta languoribus atque inedijs miserorum membra fouentur.

De ædificijs sacris. CAP. IIII.

SAcra sunt loca, diuinis cultibus instituta, vtpote ea in quibus altaria litãtibus de more pontificibus consecrantur.

Sancta iuxta veteres exteriora templi sunt.

Sancta autem sanctorum locus templi secretior, ad quem nulli erat accessus, nisi tantum sacerdoti. Dicta autem Sancta sanctorũ, quia exteriori oraculo sanctiora sunt, vel quia sanctiorum comparatione sanctiora sunt, sicut Cãtica canticorum, quia cantica vniuersa pręcellunt. Sanctum autem à sanguine hostiæ nuncupatũ. Nihil enim sanctum apud veteres dicebatur, nisi quod hostiæ sanguine esset consecratum aut conspersum. Item sanctum quod extat esse sancitum. Sancire autem est confirmare & irrogatione pœnę ab iniuria defendere, sic & leges sanctæ, & mores sancti esse dicuntur.

Propitiatorium oraculum inter duo Cherubin. Et dictum propitiatorium quasi propitiationis oratorium. Propitiatio enim placatio est.

Oracula dicta eo quòd inde responsa reddantur, & oracula ab ore.

Penetralia secreta sunt oraculorum, & penetralia dicta ab eo quòd est penitus, hoc est penè intus.

Oratorium orationi tantùm est cõsecratum, in quo nemo aliud agere debet, nisi ad quod est factum, vnde nomen accepit.

Monasterium vnius monachi, id est solitarij habitatio.

Cœnobium ex Græco & Latino videtur esse compositum. Est enim habitaculum plurimorum in commune viuentium. κοινὸν enim Græcè commune dicitur.

Templi nomen generale, pro locis enim quibuscunq; magnis antiqui templa dicebant. Et templa dicta quasi tecta ampla. Sed & locus designatus ad orientem, à cõtemplatione templũ dicebatur. Cuius partes quatuor erant: antica ad ortum, postica ad occasum, sinistra ad septentrionem, dextra ad meridiem spectans, vnde & quando templum construebant, orientem spectabant æquinoctialem, ita vt lineæ ab ortu ad occidentem missę fierent partes cœli dextra sinistra ęquales, vt qui consuleret ac deprecaretur rectum aspiceret orientem.

Fana dicta à Faunis quibus templa error gentilium construebat, vnde consulentes dęmonũ responsa audirent.

Delubra veteres dicebant templa fontes habentia, quibus antè ingressum diluebantur, & appellari delubra à diluendo. Ipsa nunc sunt ædes cum sacris fontibus in quibus fideles regenerati purificantur, & bene quodam pręsagio delubra sunt appellata. Sunt enim in ablutionẽ peccatorum. Fons autem in delubris locus regeneratorum est, in quo septem gradus in Spiritus sancti mysterio formantur, tres in descensu & tres in ascensu. Septimus verò is est qui & quartus, idest similis Filio hominis: extinguens fornacem ignis, stabilimentũ pedum, fundamẽtum aquę, in quo plenitudo diuinitatis habitat corporaliter.

Basilicę prius vocabantur regum habitacula, vnde & nomẽ habent. Nam βασιλεὺς rex, & basilicæ regię habitationes. Nunc autem ideò diuina templa basilicę nominantur, quia ibi regi omnium deo cultus & sacrificia offeruntur.

Martyrium locus martyrum Græca deriuatione, eo quòd in memoriam martyris sit constructum, vel quòd sepulchra sanctorum ibi sint martyrum.

Aram quidam vocatam dixerunt, quod incensæ ibi victimæ ardeant. Alij aras dicunt à precationibus, idest quas Græci ἀραὰς vocant, vnde contra imprecatio satura dicitur. Alij volunt ab altitudine aras: sed male.

Altare autem ab altitudine constat esse nominatum, quasi alta ara.

Pulpitum quòd in eo lector vel psalmista positus in publico conspici à populo possit, quo liberius audiatur.

Tribunal eo quòd inde à sacerdote tribuantur pręcepta viuendi. Est enim locus in sublimi constitutus, vnde vniuersa exaudiri possint. Alias tribunal à tribubus denominatum: quòd ad illum tribus conuocentur.

Analogium dictum quòd sermo inde prædicetur. Nam λόγος Græcę sermo dicitur: quòd & ipsum altius situm est.

De repositorijs. CAP. V.

SAcrarium propriè est, locus templi in quo sacra reponuntur: sicut donarium est in quo collocantur oblata, sicut lectisternia dicuntur, vbi homines sedere consueuerũt.

© Biblioteca Nacional de España

Ab inferendis ergo & deportandis sacris sacrarium nuncupatur.

Donaria verò eo quòd ibi dona reponantur, quæ in templis offerri consueuerunt.

Aerarium vocatum, quia prius æs signatũ ibi recondebatur. Hoc enim olim in vsu erat auro argentoq; nõdum signato, ex quorum metallis quamuis postea facta fuisset pecunia, nomẽ tamen ęrarij permansit ab eo metallo vnde pecunia initium sumpsit.

Armarium locus est vbi quarumcunq; artiũ instrumenta ponuntur. Armamentarium verò vbi tantum tela armorũ. Vnde Iuuenalis,

Quicquid habent telorum armamentaria cœli.

Dicta autem vtraq; ab armis, idest brachijs quibus exercentur.

Bibliotheca est locus vbi reponuntur libri, βίβλος enim Grecè liber, θήκη repositoriũ dicitur.

Promptuarium dictum eo quòd inde necessaria victui promuntur, idest proferuntur.

Cellarium quod in eo colligantur ministeria mensarum, vel quæ necessaria victui supersunt. Inter promptuarium autẽ & cellarium hoc interest, quòd cellarium est paucorum dierum, promptuarium verò temporis longi.

Apotheca autem vel horrea à Græco verbũ ex verbo repositoria vel reconditoria dici possunt, eo quòd in ijs homines elaboratas fruges reponunt. Vnde & ἀποθήκαι Græco sermone repositam rei copiosam substantiam appellamus.

De operarijs. CAP. VI.

ERgasterium locus est vbi opus aliquod fit. Græco enim sermone ἐργάζομαι operor significat.

Ergastula quoque & ipsa à Græco vocabulo nuncupantur, vbi deputantur noxij ad aliquod opus faciendum, vt solent gladiatores & exules qui marmora secant, & tamen vinculorum custodijs alligati sunt.

Gynæcium Græcè dictum, eo quòd ibi conuentus fœminarũ ad opus laneficij exercendũ cõueniat. Mulier enim Græcè γύνη nuncupatur.

Pistrinum quasi pilistrinum, quia pilo antea tundebant granum. Vnde & apud veteres non molitores, sed pistores dicti sunt quasi * finsores, à findendis granis frumẽti, molæ enim nondum vsus erat, sed granum pilo tundebãt, vnde Virgilius,

Nunc torrete igni fruges, nunc frangite saxo.

Clibanus fornax à cliuo dictus, ab eo quòd in erectione sit collectus. Cliuum enim ascensum dicimus siue flexuosum.

Furnus per deriuationẽ à farre dictus, quoniam panis ex eo factus ibi coquitur.

Torcular dictum, eo quòd ibi uvę calcentur, atq; extortę exprimantur.

Forus est locus vbi uva calcatur, dictus quòd ibi feriatur uva, vel propter quod ibi teratur pedibus Vnde & calcatorium dicitur: sed hoc nomen multa significat. Prima species fori, locus est in ciuitate ad exercendas nundinas relictus. Secunda, vbi magistratus iudicare solet. Tertia, quã suprà diximus, quã calcatoriũ nominamus. Quarta, spacia plana in nauibus. de quibus Virgilius, —*Laxatq; foros.*

Lacus dictus quod ibi decurrit frugũ liquor.

De aditibus. CAP. VII.

ADitus ab eundo dictus, per quem ingredimur & admittimur.

Vestibulũ est vel aditus domus priuatę, vel spacium adiacens ędibus publicis. Et vestibulum dictum, eo quòd vestiuntur fores, aut quòd aditum tecto vestiat, aut à stando.

Porticus quòd transitus sit magis quãm ad standũ sita sit, quasi porta, & porticus eo quòd sit aperta.

Ianua à Iano quodam appellatur, cui gẽtiles omnẽ introitum vel exitum sacrauerunt. Vnde Lucanus, *Ferrea Belligeri compescat limina Iani.* Est autem primus domus ingressus: cætera intra ianuam ostia vocãtur. Generaliter quidem ostium est, per quod ab aliquo arcemur ingressu, ab obstando dictum, siue ostium, quia ostendit aliquid intus. Alij aiunt ostium appellari, quia hostem moratur. Ibi enim aduersarijs nos obicimus. hinc & Ostia Tiberina, quia hostibus sunt opposita.

Fores & valuæ claustra sunt. Sed fores dicuntur quæ foras: valuæ, quæ intus reuoluuntur, & duplices complicabilesq; sunt: sed generaliter vsus vocabula ista corrumpit.

Claustra ab eo quòd claudantur dicta.

Fenestræ sunt quibus pars exterior angusta & interior diffusa est, quales in horreis videmus: dictę, eo quòd lucem fœnerẽtur. Lux enim Grecè φῶς dicitur: vel quia per eas intus positus homo foras videt. Alij fenestram putant dictam, eo quòd domui lucem ministrat, compositum nomen ex Græco latinoq; sermone. φῶς enim Græcè lux est.

Cardo est locus in quo ostium vertitur, & semper mouetur, dictus ἀπὸ τῆς καρδίας, quòd quasi cor hominem totum, ita ille cuneus ianuã regat ac moueat. Vnde & prouerbiale est, *In cardine rem esse.*

Limina ostiorum dicta, eo quòd transuersæ sunt, vt limes, & per ea sicut in agro aut introeatur, aut foris eatur.

Postes & antes quasi post & ante stantes. Et antes quia ante stat, vel quia antea ad eas accedimus priusquam domum ingrediamur. Postes eo quòd post ostium stent.

De partibus ædificiorum. CAP. VIII.

FVndamentum dictum quòd fundus sit domui. Idem & cementum à cedendo dictum, quòd crasso lapide surgat.

Paries nũcupatus, quia semper duo sunt pares, vel à fronte, vel à latere. Siue enim tetragonum siue hexagonum sit, qui se conspiciunt ex pari erunt. Aliter enim structura facta deformis est.

Parie-

al. pinsores.

© Biblioteca Nacional de España

Parietinas dicimus quasi parietũ ruinas. Sũt enim parietes stantes sine tecto & sine habitantibus.

Angulus qd duos parietes in vnũ coniũgat.

Culmina dicta sunt, quia apud antiquos tecta tegebantur culmo, vt nunc rustica. Hinc tecti summitas culmen dicitur.

Cameræ sunt volumina introrsum respicientia, appellatę à curuo. καμπύλον enim Græcè curuum est.

Laquearia sunt quæ cameram subtegunt & ornant: quæ & lacunaria dicuntur. Principaliter autem lacus dicitur, vt Lucilius,

Resultant ædes q̃ lacuq̃.

Cuius diminutio lacunar facit, vt Horatius,

Neq; aureum mea renidet in domo lacunar.

Inde fit alia diminutio lacunarũ, & per ἀντίστιχον laquearium facit.

Absida Græco sermone, Latinè interpretatur lucida, eo quòd lumine accepto per arcũ resplẽdeat. Sed vtrum absidam an absidem dicere debeamus, hoc verbi genus ambiguum quidã doctorum existimant.

Testudo est camera templi obliqua. nam in modum testudinis veteres templorum tecta faciebant: quæ ideo sic fiebant, vt cœli imaginem redderet, quod constat esse conuexũ. Alij testudinem volunt esse locum in partem atrij aduersum venientibus.

Arcus dicti quod sint arta conclusione curuati. ipsi & fornices.

Pauimenta originẽ apud Græcos habent elaborata arte picturæ, Litostrota paruulis crustis ac*tessellis tinctis in varios colores. vocata autẽ pauimenta, eo quòd pauiantur, idest cędantur. Vnde & pauor, quia cędit cor.

*tessellis.

Ostracus est pauimentũ testaceum, eo quòd fractis testis calce admixta feriatur. Testã enim Græci ὄστρακα dicunt.

Compluuium dictum, quia aquæ partes quæ circa sunt eò conueniant.

Tessellæ sunt è quibus domicilia sternuntur, à tesseris nominata, idest quadratis lapillis, per diminutionem.

Bases fulturę sunt columnarum, quę à fundamento cõsurgunt, & superpositæ fabricæ sustinent pondus. Bases autem nomen petræ est fortissimæ Syro sermone.

Columnæ pro longitudine & rotũditate vocatæ, in quibus totius fabricę pondus erigitur. Antiqua ratio columnarum erat altitudinis, tertia pars latitudinis. Genera rotundarũ quatuor Doricę, Ionicę, Tuscanicæ, Corintheæ, mẽsura grossitudinis & altitudinis inter se distantes. Quintum genus est earum quæ vocantur Atticæ, quaternis angulis aut amplius, paribus laterum interuallis.

Capitolia dicta, quòd sint columnarum capita: sicut super collum, caput.

Epistilia sunt, quæ super capitella columnarum ponuntur: & est Græcum, idest supermissa.

Tegulę quod tegant ædes, & imbrices, quòd accipiant imbres.

Lateres & Laterculi, quòd lati formentur circumactis vndiq; quatuor tabulis.

Canalis ab eo quòd caua sit in modum cannæ. Sanè canalẽ melius genere fœminino quã masculino proferimus.

Fistulæ aquarum sunt dictæ, quòd aquas fundant, & emittant. Nam σίλλειν Græcè mittere est. Formæ earum pro magnitudine aquæ & capacitatis modo fiunt.

De munitionibus. CAP. IX.

MVnitum vel munimentum dictum, quia manu est factum.

Cohors vocata, vel quòd coartet cuncta quæ interius sunt, idest concludat, vel quod coerceat obiectu suo extraneos, & adire prohibeat.

Vallum est, quod mole terrę erigitur, vt custodia prętẽdatur. dictũ autẽ vallum à vallis. Nam valli fustes sunt, quibus vallum munitur. Et valli dicti, quòd figantur & euellantur. Interualla spacia sunt inter capita vallorum, idest stipitum quibus vallum fit, vnde & cætera quoq; spacia dicuntur, à stipitibus scilicet.

Agger est cuiuslibet rei aceruatio, vnde fossę aut valles possunt repleri. Agger propriè dicitur terra aggesta, quæ vallo facto propius ponitur, sed abusiuè & muros & munimenta omnia aggerem dicimus.

Macerię sunt parietes longi, quibus vineę aliquę clauduntur. Longum enim Græci μακρὸν dicunt.

Formatum siue formatiũ in Africa vel Hispania parietes de terra appellant, quomodo in forma circumdatis duabus vtrimq; tabulis infertiuntur verius quã instruuntur. Aetis durant incorrupti, vẽtis, ignibus, omni cemẽto fortiores. *Hodie Hispani vocant Tapias.*

Sepes munimenta satorum sunt, vnde & appellatæ.

Caulæ munimẽta ouiũ, vel sepimenta ouiliũ. Est enim Græcũ nomen c detracta. Nam Græci αὐλὰς vocant animalium receptacula.

De tentorijs. CAP. X.

TAbernacula tẽtoria sunt militum, quibus in itinere solis ardores tempestatesq; imbrium frigorisq; iniurias vitant. Dicta autem tabernacula, quòd cortinæ distentæ funibus, tabulis *interstantibus appẽderentur, quę tentoria sustinerent. *al. in terra stantibus.*

Tentorium vocatum, quòd tẽdatur funibus & palis. vnde & hodie prętendere dicuntur.

Papiliones vocãtur à similitudine paruuli animalis volantis, quod maximè abundat floribus maluis. Hæ sunt auiculæ quæ lumine accenso conueniunt, & circa volitantes ab igne proximo interire coguntur.

De sepulchris. CAP. XI.

SEpulchrum à sepulto dictum. Prius autem quisq; in domo sua sepeliebatur. Postea vetitum est legibus, ne fætore ipso corpora

© Biblioteca Nacional de España

viuentium contacta inficerentur. Monumentũ ideo nuncupatur, eò quòd mentem moneat ad defuncti memoriam. Cũ enim non videris monumentum: obliuisceris mortuum. Hoc est illud quod scriptum est, *Excidit tanquam mortuus à corde.* Cum autem videris, monet mẽtem & ad memoriam te reducit, vt mortuum recorderis. Monumenta itaq; & memorię, pro mẽtis admonitione dictę.

Tumulus dictus quasi tumens tellus.

Sarcophagus Græcũ nomen est, eo quòd ibi corpora assumãtur, σάρξ enim Grecè, caro, φάγειν comedere dicitur.

Mausolea sunt sepulchra seu monumenta regum, à Mausoleo rege Ægyptiorum dicta. Nam eo defuncto vxor eius miræ magnitudinis & pulchritudinis sepulchrum extruxit, in tantum vt vsq; hodie omnia monumenta preciosa ex eius nomine mausolea nuncupentur.

Pyra est genus sepulchrorum quadratum & fastigiatum vltra omnem celsitudinem quæ fieri manu possit, vnde & mensuram vnam vmbrarum egressę nullam habere vmbram dicuntur. Tali autem ædificio surgunt, vt à lato incipiant & in angusto finiantur, sicut ignis. πῦρ enim dicitur ignis. has Egyptus habet. Apud maiores enim, potentes aut sub montibus aut in montibus sepeliebantur. Inde tractum est, vt super cadauera aut pyramides fierent, aut ingentes columnæ collocarentur.

De ædificijs rusticis. CAP. XII.

CAsa est agreste habitaculum palis atque virgultis, arundinibusq; contextum. quibus possint homines tueri à vi frigoris, vel caloris iniuria.

Tugurium casula est, quã faciunt sibi custodes vinearum ad tegimẽ sui quasi tegurium, siue propter ardorem solis & radios declinãdos, siue vt inde homines vel bestiolas, quæ insidiari solent natis frugibus, abigant. Hanc rustici capannam vocant: quod vnum tantum capiat.

al. Tesqua. Tescua quidam putant esse tuguria, quędam loca prerupta & aspera.

Magalia ædificia Numidarum agrestium oblonga, incuruis lateribus tecta, quasi nauium carinę sint: siue rotunda in modum furnorum. Et magalia dicta, quasi magaria, quia magar Punici nouam villam dicunt, vna litera commutata l pro r magaria, Tuguria.

De agris. CAP. XIII.

AGer Latinè appellari dicitur, eo quòd in eo agatur aliquid. Alij agrum ex Græco nominari manifestius credũt. Vnde & villa Grecè χωράγιος dicitur.

Villa à vallo, idest aggere terræ nuncupata, quòd pro limite constitui solet.

Possessiones sunt agri latè patentes publici priuatiq; : quos initio non mancipatione, sed quisq; vt potuit occupauit, atque possedit. vnde & nuncupati.

Fundus dictus, quòd eo fundãtur vel stabiliatur patrimonium. Fundus autem, & vrbanũ ædificium & rusticum intelligendum est.

Prędiũ, quòd ex omnibus patrifamiliàs maximè preuidetur, idest apparet, quasi preuidium, vel quòd antiqui agros, quos bello ceperant, vt predę nomine habebant.

Omnis autem ager, vt Varro docet, quadrifarius diuiditur. Aut enim aruus est ager, idest sationalis: aut consitus, idest aptus arboribus: aut pascuus qui herbis tãtum, & animalibus vacat: aut florens, quòd sunt horti apibus congruẽtes & floribus. Quod etiam Virgilius in quatuor libris Georgicorum secutus est.

Rura veteres incultos agros dicebant, idest siluas & pascua, agrum verò qui colebatur. Nãrus est quo mel, quo lac, quo pecus haberi potest. Vnde & rusticus nominatur: hæc agrestiũ prima & otiosa fœlicitas.

Seges ager est in quo seritur, vnde & Virgilius,

Illa seges demum votis respondet auari Agricolæ.

Compascuus ager dictus, qui à diuisoribus agrorum relictus est ad pascendum communiter vicinis.

Alluuius ager est, quem paulatim fluuius in agrum reddit.

Arcifinius ager dictus est, quia certis linearum mensuris continetur: sed arcentur fines eius obiectu fluminum, montium, arborũ, vnde & in ijs agris nihil subsiciuorum interuenit.

Noualis ager est primum proscissus, siue qui alternis annis vacat, nouandarum sibi virium causa. Noualia enim semel cũ fructu erãt, & semel vacua.

Squalibus ager quasi excolidus, eo quòd iam à cultura exierit, sicut exconsul, quod à consulatu discesserit.

Vliginosus ager est semper uvidus. Nã uvidus dicitur, qui aliquando siccatur. Vligo enim humor terrę naturalis est, ab ea nũquã recedẽs.

Subsiciua sunt ꝓpriè quæ * de materia prącidẽs sutor quasi superuacua abijcit. Inde & subsiciui agri, quos in pertica diuisos recusant, quasi steriles vel palustres. Item subsiciua, quę in diuisura agri non efficiunt cẽturias, idest iugera cc.

Area dicitur tabularũ æqualitas. dicta autem area à planicię atq; æqualitate. vnde & ara. Alij areã vocatã dicũt, quòd pro triturãdis frugibus eradatur, vel quòd nõ triturẽtur in ea nisi arida.

Pratũ est cui? fœni copia armẽta tuentur, cui veteres Romani nomẽ indiderũt ab eo qd pro tinus sit paratũ: nec magnũ laborẽ culturæ desideret. Prata autem sunt quæ secari possunt.

Paludes dictę à Pale pastorali dea, quòd paleam, idest pabula nutriat iumentorum.

De finibus agrorum. CAP. XIIII.

FInes dicti, eo quòd agri funiculis sunt diuisi. Mensurarum enim lineæ in terrarum partitione tenduntur, vt dimensionis æqualitas teneatur.

Limi-

© Biblioteca Nacional de España

Limites appellati antiquo verbo transversi. Nam transversa omnia antiqui lima dicebant: à quo & limina ostiorum per quæ foris & intus itur: & limites quòd per eos foras in agros eatur. Hinc & limus vocabulum accepit, cingulum quo servi publici cingebantur obliqua purpura.

Termini dicti, quòd terræ mensuras distinguunt atque declarant. His enim testimonia finium intelliguntur, & agrorum intentio & certamen aufertur.

Limites maximi in agris sunt duo, cardo & decumanus. Cardo qui à septentrione directus à cardine cœli est: nam sine dubio cœlum vertitur in septentrionali orbe. Decumanus est qui ab oriente in occidentem per transversum dirigitur, qui pro eo quòd formam X faciat, decumanus est vocatus. Ager enim bis divisus figuram numeri denarij efficit.

Area ab arcendo vocata. Fines enim agri custodit, eosque adire prohibet.

Trifinium dictum, eò quòd trium possessionũ fines astringit. Hinc & quadrifinium, quod quatuor. Reliqui limites angustiores & inter se distant imparibus intervallis & nominibus designatis.

De mensuris agrorum. CAP. XV.

MEnsura est quicquid pondere, capacitate, longitudine, altitudine, animoq; finitur. Maiores itaque orbem in partibus: partes, in provincijs: provincias in regionibus: regiones, in locis: loca, in territorijs: territoria, in agris: agros, in centurijs: centurias, in iugeribus: iugera in climatibus: deinde climata in actus, perticas, passus, gradus, cubitos, pedes, palmos, vncias, & digitos diviserunt: Tanta enim fuit eorum solertia.

Digitus est minima pars agrestium mensurarum. Inde vncia habens digitos tres. Palmus autem quatuor habet digitos: pes sedecim digitos: passus pedes quinq; pertica passus duos, id est, decem pedes.

Pertica autem à portando dicta, quasi portica. Omnes autem precedentes mensurę in corpore sunt, vt palmus, pes, passus, & reliqua: sola pertica portatur. Est enim decem pedum ad instar calami in Ezechiele templum mensurãtis.

Actus est minimus, latitudine pedum quatuor, longitudine centum sexaginta.

Climata quoque vndiqueversum habent sexaginta pedes.

Actus quadratus vndiq; finitur pedibus centum viginti. Hunc Betici arapennem dicunt, ab arando scilicet.

Actus duplicatus iugerũ facit: & ab eo quod est iunctum, iugeri nomen accepit.

Iugerum autẽ constat longitudine pedũ ducentorũ quadraginta, latitudine centũ viginti.

Actũ provinciæ Beticæ rustici *agrum vocãt. *agnum

Porcam ijdem Betici triginta pedum latitudine, & octoginta longitudine definiunt. Sed porca est quod in arando extat. *Lyra quod defossum est. At Galli candetum appellant in arcis vrbanis spacium centum pedum, quasi *centetum. In agrestibus autem * pedum C L, quod aratores candecum vocant. Porrò stadialis ager habet passus cxxv, id est, pedes D C X X V, cuius mensura octies computata miliare facit, quod constat quinque millibus pedum.

Centuria autem ager est ducentorum iugerum, qui apud antiquos à cẽtum iugeribus vocabatur: sed postea duplicata est, nomenque pristinum retinuit. In numero enim centuriæ multiplicatæ sunt, * nomen mutare non potuerunt.

** Quod defossum est lyra. Galli*
** centenum.*
** pedes CL, quadratos iustum candetum.*
** nomen tamen nõ perdiderunt.*

De itineribus. CAP. XVI.

MEnsuras viarum nos milliaria dicimus, Greci stadia, Galli leucas, Ægypti signes, Persæ parasanges. Sunt autem propriè quæque spacia.

Miliarium mille passibus terminatur: & dictum milliarium, quasi mille adium, habens pedes quinque millia.

Leuca finitur passibus quingentis.

Stadium octava pars milliarium est, constãs passibus cxxv. Hoc primùm Herculem statuisse dicunt, eumq; eo spacio determinasse, quod ipse sub vno spiritu confecisset: ac proinde stadium appellasset, quòd in fine respirasset, simúlque stetisset.

Via est, qua potest ire vehiculum. & via dicta à vehiculorum incursu. Nam duos actus capit, propter euntium & venientium vehiculorum occursum.

Omnis autem via aut publica est, aut privata. Publica est quæ in solo publico est, qua iter actus populo patet. Hæc autem ad mare, aut ad oppida pertinet. Privata est quæ vicino municipio data est.

Strata dicta, quasi vulgi pedibus trita. Lucretius: *Strataq; iam vulgi pedibus detrita viarum.* Ipsa est & delapidata, id est, lapidibus strata. Primũ autem Pœni dicuntur lapidibus vias stravisse: postea Romani eas per omnem penè orbem disposuerunt, propter rectitudinem itinerum, & ne plebs esset ociosa.

Agger est media stratæ, eminentia coaggeratis lapidibus strata ab aggere, id est, coacervatione dicta, quam historici viam militarem dicunt, vt:

Qualis sæpe viæ deprensus in aggere serpens.

Iter vel itus est via, qua iri ab homine quaqua versum potest.

Iter autem & itiner diversam habent significationẽ. Iter enim locus est transitu facilis: vnde & appellamus * itum. Itiner autem est itus longæ viæ, & ipse labor ambulandi, vt quò velis pervenias. ** aditum*

Semita itineris dimidium est, à semitu dicta. Semita autem hominum est: callis, ferarum & pecudum.

Callis est iter pecudũ inter montes angustũ

© Biblioteca Nacional de España

* pedum

& tritum, à callo * pecudum vocatum, sive callo pecudum perduratum.

Tramites sunt transversa in agris itinera, sive recta via, dicti quòd transmittant.

Divortia sunt flexus viarum, hoc est, viæ in diversa tendentes: eadem diverticula sunt, hoc est, diversæ ac divisæ viæ: sive semitę transversæ, quæ sunt alteræ viæ.

Bivium, quia duplex est via.

Competa, quia plures in ea competunt vię, quasi triviæ, quatriviæ.

Ambitus inter vicinorũ ædificia locus, duorum pedum & semipedi ad circumeundi facultatem relictus, & ab ambulando dictus.

Orbita vestigium carri, ab orbe rotæ dicta.

Porrò actus quo pecu agi solet.

Clivosum iter flexuosum.

Vestigia sunt pedum signa primis plantis expressa, vocata quòd ijs viæ præcurrentium investigentur, id est, cognoscantur.

ISIDORI HISPALENSIS
EPISCOPI, ORIGINVM
SIVE ETYMOLOGIARVM
LIBER XVI.

CAPITA LIBRI DECIMISEXTI.

1 *De pulveribus & glebis terræ.*
2 *De glebis ex aquis.*
3 *De lapidibus vulgaribus.*
4 *De lapidibus insignioribus.*
5 *De marmoribus.*
6 *De gemmis.*
7 *De viridioribus gemmis.*
8 *De rubris gemmis.*
9 *De purpureis.*
10 *De candidis.*
11 *De nigris.*
12 *De varijs.*
13 *De crystallinis.*
14 *De aureis.*
15 *De vitro.*
16 *De metallis.*
17 *De auro.*
18 *De argento.*
19 *De ære.*
20 *De ferro.*
21 *De plumbo.*
22 *De stanno.*
23 *De electro.*
24 *De ponderibus.*
25 *De mensuris.*
26 *De signis ponderum.*

De pulveribus & glebis terræ. CAP. I.

Vlvis dictus, quòd vi venti pellatur. Tollitur enim eius flatu nec resistit: nec stare novit: sicut ait propheta: *Tanquam pulvis, quẽ proijcit vẽtus à facie terræ.*

Limus vocatus, quòd levis sit.

Cœnum est vorago luti.

Cinis ex incendio dicitur, ab eo enim fit.

Favilla, quòd per ignem effecta sit. Nam φῶς ignis est.

Gleba, quòd globus sit. Pulveris enim collectione compingitur, & in vno glomere adunatur. Terra autem ligata gleba est, soluta pulvis.

Labina, eò quòd ambulantibus lapsum inferat, dicta per derivationem à labe.

Lutum vocatum quidam per antifrasim putant, quòd non sit mundum: nam omne lotum mundum est.

Volutabra appellata, quòd ibi apri volutentur.

Vligo sordes limi vel aquæ sunt.

Zabulum levissimum terræ genus.

Argilla ab Argis vocata: apud quos primùm ex ea vasa confecta sunt.

Creta, ab insula Creta, vbi melior est.

Creta Cimolia candida est: à Cimæa Italiæ insula dicta: quarum altera vestimẽtorum preciosos colores emollit: & * confricato sulphure quodam nitore exhilarat: altera gemmis nitorem præstat.

* contritu. al. contriflatos.

Creta argentaria & ipsa candida appellata, eò quòd nitorem argento reddat.

Tetra Samia à Samo insula dicta, glutinosa & candida, & linguæ lenis, medicamentis & vasculis necessaria.

Pulvis Puteolanus in Puteolanis Italiæ colligitur collibus, opponiturque ad sustinenda maria fluctusque frangendos. Nam mersus aquis protinus lapis fit, vndisque cotidie fortior effectus in saxum mutatur, sicut argilla igne in lapidem vertitur.

Sulphur vocatum, quia igne accenditur. σῦρ enim ignis est. Nam vis eius in aquis ferventibus sentitur, nec alia res facilius accenditur. Nascitur in insulis Æolijs inter Siciliam & Ita-

© Biblioteca Nacional de España

Italiam, quas ardere dicunt. Invenitur & in alijs locis effossum. Huius genera quatuor.* Vnum quod foditur transfucet & viret, quo solo ex omnibus medici vtuntur. Alterum quod appellant glebam, usibus tantùm fullonum familiare. Tertium liquor est, vsus eius ad lanas *sulfindendas, quia candorẽ mollitiemq; præstat. † Quartum ad licinia cõficienda maximè aptũ. Sulphuris tanta vis est, vt morbos comitiales deprehendat * nitore suo * impositis ignibus in calice vini, prunaque subdita circumferens exardescentibus repercusso pallorem dirũ velut defunctorum effundit.

* Primum istud Plin. vocat viuum

* suffiendas. al. sisffundendas

* nidore. al. impositũ.

Annot.

De Creta cimolia Plin. lib. 35. cap. xvij. Veros autem & preciosos colores emollit Cimolia, & quodam nitore exhilarat contristatos sulphure. Antea enim dixerat suffiri sulphure, & mox desquamari Cimolia.

† Plinius lib. 35. cap. 15. ita habet. Quartò autem ad ellychnia maximè conficienda. Cætero tanta vis est, vt morbos comitiales deprehendat nidores impositum igni. Lusit & Anaxilaus eo, candens in calice novo, prunaque subdita circumferens, exardescẽtis repercussu pallorem dirum velut defunctorum offundente convivis.

De glebis ex aqua. CAP. II.

BItumen in Iudæa de lacu Asphaltite emergit, cuius glebas supernatantes, nautæ scaphis appropinquantes colligunt. In Syria autem limus est passim à terra exæstuans. Spissantur autem utraq; & d nsitate co unt, & vtraque Græci πισάσφαλτον appellant. Natura eius ardens & igni cognata, & neq; aqua neq; ferro rumpitur, nisi solis muliebribus inquinamentis: vtilis ad compages navium.

Alumen vocatum à lumine, quòd lumen coloribus præstat tinguendis. Est autem salsugo terræ, efficiturq; hyeme ex aqua & limo, & æstivis solibus maturatur. Huius species duæ sunt, liquidum & spissum.

Sal quidam dictum putant, quòd in igne exiliat. Fugit enim ignem dum sit igneus, sed naturam sequitur, quia ignis & aqua semper inter se inimica sunt. Alij sal à salo & sole vocatum existimãt: nam aquis maris spontè gignitur, spuma in extremis littoribus vel scopulis derelicta & sole decocta. Sunt & lacus & flumina & putei è quibus hauritur. Dehinc in salinis ingestus Sole siccatur, sed & flumina densantur in sale amne, reliquo sub gelu fluente. Alibi quoq; detractis arenis colligitur, crescens cum * lunæ noctibus: nam in Cyrenea Ammoniacus sub arenis invenitur. Sunt & montes nativi salis, in quibus ferro ceditur, vt lapis renascens maius: tantę alicubi duritię, vt muros domosque massis salis faciant, sicut in Arabia.

*Plinius habet, luna

In natura quoq; salis differẽtiæ sunt. Nã alibi suavis, alibi salsissimus: commune sal in igne crepitat. Tragasæum nec crepitat in igne, nec exilit. Agrigentinum Siciliæ flammis patiens in aqua exilit, in igne fluit contra naturam.

Sunt & colorum differentiæ: Memphiticus rufus est: in parte quadam Siciliæ purpureus, ubi Æthna mons est. Item in eadem Sicilia in Pachyno adeò splendidus & lucidus, vt imagines reddat. In Cappadocia crocinus effoditur.

Salis natura necessaria est ad omnem escam. Pulmentis enim saporem dat: excitat aviditatem, & appetitum in omnibus cibis facit. Ex eo quippe omnis victus, delectatio & summa hilaritas. Hinc & salis nomen accepisse putatur. Nihil enim vtilius sale & sole. Denique cornea videmus corpora nauticorum. Quin etiam pecudes, armenta & iumenta sale maximè provocantur ad pastum: multum largiores lacte, multoque gratiores casei dote. Corpora etiam sal astringit, siccat & alligat. Defuncta etiam à putrescendi labe vindicat, vt durent.

Nitrum à loco sumpsit vocabulum. Nascitur enim in oppido vel regione Ægypti Nitria, ex quo & medicinæ fiunt & sordes corporum vestiumq; lavantur. Huius natura non multum à sale distat. Habet enim virtutem salis & similiter oritur canescentibus * littoribus siccitate.

* Plinius convallibus.

Aphronitrum Græcè, Latinè spuma nitri est, de quo quidam ait,

Rusticus es, nescis quid Græco nomine dicar.
Spuma vocor nitri, Græcus es aphronitrum.

Colligitur autem in Asia, in speluncis distillãs, dehinc siccatur sole. Optimum putatur, si minimè fuerit ponderosum & maximè * fricabile, colore penè purpureo.

al. friabile

Chalcantum dictum, quia chalcidis est timum, id est, flos: vnde & apud Latinos aeris flos appellatur. Fit autem nunc multis in regionibus: olim in Hispaniæ puteis vel stagnis id genus aquæ habentibus, quam decoquebant, & in piscinas ligneas fundebant, appendentes super eas restes, lapillis extentas, quibus limus in similitudinem vitreis acinis adhærebat: sicq; eiectum siccabatur diebus xxx. Fit autem nunc alibi in speluncis, quod liquidè collectum dehinc diffusum in quosdam solidatur botros: fit & in scrobibus cavatis, quarũ de lateribus decidentes guttæ coalescunt: fit & salis modo, ex flagrantissimo sole. Adeò autem constrictæ virtutis est, vt in leonum & vrsorum ora sparsum tantam vim habeat ad stringendum, vt non valeant mordere.

In codice quodam manuscripto ante vocabulum Aphronitrum *habentur hæc:*

Nam sicut salem in littore maris fervor conficit Solis, durando in petrã aquas marinas, quas maior vis ventorũ vel ipsius maris fervor in littora vlteriora proiecerit: ita in Nitria, vbi æstate pluviæ prolixiores telluri infundunt, adurit sideris ardor tantus, qui ipsas pluviales per latitudinem arenarũ concoquat in petrã: sali quidem vel glaciei aspectu similimam, sed nihil rigidi rigoris, nil salsi saporis habentem, quæ tamen iuxta naturã salis in caumate durare atq; nubiloso aere fluere ac liquefieri solet. Hanc indigenę sumentes servant, & vbi opus fuerit pro lumento vtuntur. Vnde Iudæę peccanti dicit

© Biblioteca Nacional de España

propheta: *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam Borith, maculata es in iniquitate tua, dicit Dominus.* Crepitat autem in aqua, quomodo calx viva, & ipsa quidem disperit, sed aquam lavationi aptam reddit.

De lapidibus vulgaribus CAP. III.

LApis à terra tanquam densior etiam vulgò discernitur. Lapis autem dictus, quòd lædat pedem. Lapis mollis est & sparsus.

Saxa hærent & à montibus exciduntur.

Petra Græcum est.

Silex est lapis durus, eò quòd exiliat ignis, ab eo dictus.

Scopulus à saxo eminenti, quasi à speculando dictus: sive à tegimẽto navium, ἀπὸ τῆς σκέπης.

Spelea Græcè, spelunca Latinè. Est autem rupis cavata.

Crepido extremitas saxi * abrupti: vnde & crepido vocata, quòd sit abrupti saxi altitudo: sicut hæret pede pes densus, vnde & vocatur.

Cautes aspera saxa in mari, dictæ à cavando, quasi cavatæ.

Murices petræ in littore similes muricibus vivis, acutissimæ & navibus perniciosæ.

Icon saxum est, quod humanæ vocis sonum captans, etiam verba loquentium imitatur. εἰκὼν autem Græcè, Latinè imago vocatur, eò quòd ad vocem respondẽs alieni efficitur imago sermonis: licet hoc quidem & locorum natura eveniat, ac plerumque convallium.

Calculus est lapillus terræ admixtus, rotundus atque durissimus, & omni putitate lenissimus. Dictus autem calculus, quòd sine molestia brevitate sui calcetur: cui contrarius est scrupus, lapillus minutus & asper: qui si inciderit in calciamentum nocet, & molestia est animo: vnde & molestiam animi dicimus scrupulum: hinc & scrupea saxa, id est, aspera.

Cos nomen accepit, quòd ferrum ad incidendum acuat. * Cos enim Græco sermone incisio nominatur. Ex his aliæ aquariæ sunt: aliq; oleo indigent in acuendo, sed oleum lenem, aquariæ aciem acerrimam reddunt.

Pumex vocatur, eò quòd spumæ densitate concretus fiat, & est aridus, cãdore parvus: tantamque naturam refrigerandi habens, vt in vase missus, musta defervere desinant.

Rudos artifices appellant lapides contusos & calci admixtos, quos in pavimentis faciendis superfundunt: vnde & rudera dicuntur.

Gipsum cognatum calci est, & est Græcum nomen: plura eius genera. Omnium autem optimum lapis specularis. Est enim signis ædificiorum & coronis gratissimus.

Calx viva dicta, quia dum sit tactu frigida, intus occultum * continet ignem. Vnde & perfusa aqua statim latens ignis erumpit. Natura eius mirum aliquid facit. Postquam enim arsesserit, aquis incenditur, quibus solet ignis extingui: oleo extinguitur, quo solet ignis accendi. Vsus eius structuris fabricæ necessarius. Nam lapis lapidi non potest adhærere fortius, nisi calce coniunctus. Calx è lapide albo & duro melior structuræ: ex molli, vtilis tectorijs.

Arena ab ariditate dicta, non adhærendo in fabricis, vt volunt quidam. Huius probatio, si manu impressa stridat: aut si in vestem candidam sparsa nihil sordis relinquat.

De lapidibus insignioribus. CAP. IIII.

MAgnes lapis Indicus ab inventore vocatus. Fuit autem in India ita primũ repertus. Clavis crepidarum, baculiq; cuspidi hærens cùm armenta idem Magnes pasceret: postea & passim inventus. Est autem colore ferrugineus, sed probatur cum ferro adiunctus eius fecerit raptum. Nam adeò apprehendit ferrum, vt catenam faciat anulorum. Vnde & eum vulgus ferrum vivum appellat. Liquorem quoq; vitri, ut ferrum trahere creditur, cuius tanta vis est (ut refert beatissimus Augustinus) quòd quidam eundem Magnetem lapidẽ tenuerit sub vase argenteo, ferrumque super argentum posuerit: deinde subtermovente manu cum lapide ferrum cursu desuper movebatur. Vnde factum est, ut in templo quodam simulachrum ex ferro pendere in aere videretur. Est quippe & alius in Æthiopia Magnes, qui ferrum non ambit, sed respuit.

Omnis autẽ Magnes tanto melior est, quanto magis cœruleus.

Gagates lapis primùm inventus est in Sicilia: Gagatis fluminis fluore reiectus. Vnde & nominatus, licet in Britannia sit plurimus. Est autem niger, planus, lenis & ardens igni admotus. Fictilia ex eo * scripta non delentur: incensus serpentes fugat: dęmoniacos perdit, virginitatem deprehendit: mirum, quia accenditur aqua, oleo restinguitur.

Asbestõ Arcadię lapis, ferrei coloris: ab igne nomen sortitus, eò quòd accensus semel, nunquam extinguitur. De quo lapide mechanicum aliquid humana ars molita est: quòd gentiles capti sacrilegio mirarentur. Denique in templo quodam fuisse Veneris fanum dicunt, ibique candelabrum & in eo lucernam sub divo sic ardentem, ut eam nulla tempestas, nullus imber extingueret.

Pyrites Persicus lapis fulvus aeris simulans qualitatem, cuius plurimus ignis: siquidem facilè scintillas emittit: hic tenentis manum si vehementius premat urit: propter quod ab igne nomen accepit. Est alius Pyrites vulgaris, quem vivum lapidem appellant, qui ferro vel lapide percussus scintillas emittit, quæ excipiuntur sulphure vel alijs fungis vel folijs, & dicto celerius præbet ignem. Hunc vulgus focarem petram vocat.

Selenites Latinè lunaris interpretatur, eò quòd interiorem eius candorem cum luna crescere atque deficere aiunt. Gignitur in Perside.

Dio-

* abrupta

* cotis, fortè κόμμα.

al. gerat

* sculpta

© Biblioteca Nacional de España

Dionysius lapis fuscus & rubentibus notis sparsus. Vocatur autem ita, quia si aquę mixtus conteratur, vinum flagrat: & quod in illo mirum est, ebrietati resistit.

Thracius niger & sonorus: nascitur in flumine, cuius nomen est pontus in Equitia.

Phrigius lapis ex loco traxit vocabulum. Nascitur enim in Phrigia, colore pallidus, mediocriter gravis. Est autem gleba pumicosa. Vritur anteâ vino perfusus, flatusque follibus donec rubescat: ac rursus vino dulci * intinguitur, trinis vicibus, tinguendis tantùm vestibus vtilis.

*intinguit.

Syrius lapis à Syria, vbi reperitur appellatur: hic integer fluctuari * traditur: comminutus mergi.

*creditur

Arabicus similis est ebori sine vlla macula. Hic defricatus ad *cutem, succum dimittit croco similem.

*al. cotem

Iudaicus lapis albus est, atque in schemate grandis scripturis sub invicé modulatus, quas Græci γραμμὰς appellant.

Samius à Samo insula, ubi reperitur, vocatus, & est gravis & candidus, poliendi aurum vtilis.

Memphitis vocatus à loco Ægypti, & est gemmantis naturę. hic tritus, atque in ijs quæ urenda & secanda sunt ex aceto illinitus ita obstupescere facit corpus, ut non sentiat cruciatum.

Sarcophagus lapis dictus, eò quòd corpora defunctorum condita in eo infra quadraginta dies assumuntur. Σάρξ enim Græcè caro dicitur, φάγειν comedere. Nascitur autem in Troade, * fissiliqué vena scinditur. Snnt & eiusdem generis in Oriente saxa, quæ etiam viventibus alligata, erodunt corpora.

*filicisque

Æmathites appellatus, eò quòd * cute resolutus in colorem veniat sanguinis. Est autem admodum lividus. Est & ferrugineus. Nascitur in vltima Ægypto, Babylonia & Hispania.

*cote

Androdamantus colore niger, pondere & duritia insignis. Vnde & nomen traxit, præcipuus reperitur in Africa. Trahere autem in se argentum vel æs dicitur, quique attritus vt hęmathites in colorem redigitur sanguinis.

Iscistos invenitur in vltima Hispania croco similis cum levi fulgore, facilè friabilis.

Amiantos appellatus à veteribus, eò quòd si ex ipso vestis fuerit * contexta, contra ignem resistat, & igni imposita non ardeat, sed splendore accepto nitescat, & est scissi aluminis similis: veneficijs resistens omnibus, specialiter magorum.

*contacta

Batrachites similis est testæ laminosæ * scissibilis.

*al. sed Iscis similis

Gallactites colore cinereus, gustu suavis, sed ideo sic vocatus, quòd quiddam de se lacteum attritus dimittat.

* Obsius lapis niger est translucidus, & vitri habens similitudinem. Ponitur in speculis patrietum propter imaginum umbras reddendas.

*al. Obscius. Plin. Obsidius dicitur

Gemmas multi ex eo faciunt: nascitur in India & in Samo * Italiæ.

*al. in sula

* Mytridas lapis Euphratis Sole repercussus coloribus micat varijs.

* Plin. Mystrax.

Æthites lapides reperiuntur in nidis aquilarum: aiunt binos inveniri, marem & fœminam: nec sine ijs parere aquilas. Horum masculus durus similis gallæ, subrutilus: fœmineus verò pusillus ac mollis. Alligati, partus celeritatem faciunt: etiam à quibus vulvæ excidunt, nisi citò parturientibus auferantur.

Phengites Cappadociæ lapis, duritia marmoris candidus atq; translucens: ex quo quondam templum constructum est à quodam rege foribus aureis, quibus clausis claritas intus diurna erat.

* Emites eboris similis, in quo Darium conditum ferunt, Parioque similis candore & duritia, minus tamen ponderosus, qui Porus vocatur.

* Ita V. cod. Ego ex Plinio corrigo Chernites. li. 36. cap. 17.

Ostracites vocatus, quòd similitudinem testæ habeat: vsus eius est pro pumice.

* Melantes lapis dictus, eò quòd melleum & & dulcem succum emittat.

* Plin. Melitites vocat lib. 36. cap. 39.

* Ismirus lapis asper & indomitus, & omnia atterens: ex quo gemmæ teruntur.

* V.C. Hismines. al. Hismiridius.

Chrysites colore similis † ocreæ: invenitur in Ægypto.

† Corrigo ex Plinio, Ostreæ.

* Amnites similis nitro, sed durior: gignitur in Ægypto & Arabia, qui nascitur in Æthiopia veluti viridis, sed lacteus, cũ resolvitur, remordens vehementer.

* Amites

Coranus albus est, duriorque Pario.

* Melotius veluti viridis & grandis invenitur in Ægypto.

* Melotius

Tusculanus à loco Italię dictus, dissilire igne traditur.

* Savinus lapis fuscus addito oleo etiam lucere fertur. Est & quidam viridis lapis vehementer igni resistens.

*al. Sabinus.

Sisnius mollis & candidus, excalefactus oleo nigrescit atque durescit.

Lapides quoq; medicinalium mortariorũ & pigmentorum vsibus apti: Edesius præcipuus & inde colaticus.

Thebaicus quoque & basanites lapides vel ex sese * remittentes.

*al. renitentes.

Specularis lapis vocatus est, quòd vitri more transluceat: repertus primùm in Hispania citeriore & circa Segobricam vrbem. Invenitur enim sub terra & effossus exciditur atque finditur in quamlibet tenues crustas.

De marmoribus. CAP. V.

POst lapidum genera veniemus ad marmora. Nam inter lapides & marmora differentia est. Nam marmora dicuntur eximij lapides, qui maculis & coloribus commendantur. Marmor sermo Græcus est à viriditate vocatus, & quamvis postea & alij colores inveniantur: nomen tamen pristinum à viriditate retinuerunt.

© Biblioteca Nacional de España

Marmorum colores & genera innumerabilia sunt. Non tamen omnia è rupibus excidunturſed multa sub terra sparsa sunt preciosissimi generis: sicut Lacedæmonium viride, cunctis hilarius: repertum prius apud Lacedæmones vnde & vocabulum traxit.

Ophites, serpentium maculis simile est, vnde & vocabulum sumpsit: duo eius genera, molle candidum, nigrum durum.

Augustũ & Tiberium in Ægypto Augusti & Tiberij primùm principatu reperta sunt. Differentia eorũ est ab Ophite: cùm illud, vt prædiximus, serpẽtium maculis sit simile: hæc maculas diverso modo colligunt. Nam Augusteũ vndatim est crispum in vertice: Tiberium sparsa non convoluta canitie.

Purpurites ex Ægypto, est rubens, candidis intervenientibus punctis. Nominis eius causa quòd rubeat ut purpura.

Basanites ferrei coloris sine duritia. Vnde & nomen ei datum est: inventus in Ægypto & Æthiopia.

Alabastrites lapis candidus: *intertinctus varijs coloribus: ex quo Euangelici illius vnguenti vasculum fuit. Cavant enim hunc ad vasa unguentaria: quoniam optimè servare incorrupta dicitur. Nascitur circa Thebas Ægyptias & Damascum Syriæ, cæteris candidior: probatissimus verò in India.

al. interdistinctus. al. interstinctus

Parius candoris eximij, * Ligdinus cognomento: hic apud Paron insulam nascitur: vnde & Parius nuncupatus. Magnitudo eius quę lances craterasque non excedat. unguentis & ipse aptus.

al. lychnites

Coralliticus in Asia repertus, mensuram nõ vltra cubitos binos: candore proximo eboris ad quandam similitudinem è diverso niger.

Alabandicus terræ suę nomine nuncupatus: purpuræ aspectu similis. Iste in oriente igni liquatur, atque ad vsum vitri funditur.

Thebaicus * intertinctus aureis guttis invenitur in parte Ægypti ascriptus * coticulis ad terenda colliria quadam vtilitate naturali conveniens.

** interstinctus. * concolis*

Sienites circa Sienem vel Thebas nascitur: trabes ex eo fecere reges.

Marmora autem quæ in officinis sunt, rupibus gignuntur: ex quibus istæ Sienites diversi coloris maculis distinctus est: cuius primum usum insulæ Cyclades dederunt.

Lesbius lividior est paulo hoc, sed & ipse diversi coloris maculas habens.

Corintheus Ammoniacæ guttæ similis cum varietate diversorum colorum, Corintho primùm repertus: ex eo columnæ ingentes liminaque fiunt ac trabes.

Charisteum viride, optimũ nomen ab aspectu habens, eò quòd gratum sit ijs qui gemmas sculpunt: eius enim viriditas reficit oculos.

Numidicũ marmor Numidia mittit ad * cutem succum dimittit, croco similem: vnde & nomen accepit, non crustis, sed in massa & liminum vsu aptum.

al. cotem

Luculleum marmor nascitur in * Choo insula, cui Lucullus consul nomen dedit, qui delectatus illo primùm Romam invexit, solúmque penè hoc marmor ab amatore nomen accepit.

al. Chio

Est & * Limenisis λίφειον appellatus à colore cineris, cuius lapidis alligatio contra serpentes laudatur.

al. Lunensis

01 Ebur à barro, id est, elephante dictum. Horatius:

Quid tibi vis mulier nigrũ dignissima barris?

De gemmis. CAP. VI.

POst marmorum genera gemmæ sequuntur, quæ multum auro decorem tribuunt venustate colorum. Primordia earum à rupe Caucasi. Fabulę ferunt, Prometheum primũ 20 fragmentum saxi * eiusdem inclusisse ferro ac digito circumdedisse: ijsque initijs cepisse anulum atque gemmas.

al. eius

Genera gemmarum innumerabilia esse traduntur, è quibus nos ea tantùm quæ principalia sunt sive notissima annotabimus.

Gemmæ vocatæ, quòd instar gummi transluceant.

Preciosi lapides ideo, quia carè valent: sive vt à vilibus discerni possint: seu quòd rari sint. 30 Omne enim quod rarũ est, magnum & preciosum vocatur: sicut & in Samuelis volumine legitur: *Et sermo Domini pretiosus erat in Israel*, hoc est, rarus.

De viridioribus gemmis. CAP. VII.

OMnium gemmarum virentium Smaragdus principatum habet, cui veteres tertiam post margaritas & uniones tribuunt dignitatem. Smaragdus à nimia viriditate 40 dicitur. Omne enim satis viride * Smaragdum dicitur. Nullis enim gemmis vel herbis maior hoc austeritas est. Nam herbas virentes frondesque exuperat: inficiens circa se viriditate repercussum aerem. Sculpentibus quoq; gemmas nulla gratior oculorum refectio est. Cuius corpus si extentum fuerit, sicut speculum, ita imagines reddit. Quippe Nero Cæsar gladiatorum pugnas in smaragdo spectabat. Genera 50 eius duodecim, sed nobiliores Scythici, qui in Scythica gente reperiuntur. Secundum locum tenent Bactriani. Colliguntur enim in commissuris saxorum flante Aquilone. Tunc enim tellure deoperta intermicant, quia ijs ventis arenæ maximè moventur. Tertium Ægyptij habent. Reliqui in metallis ærarijs inveniuntur, sed vitiosi. Nam aut ære aut plumbo aut * lapillamentis vel salis similes notas habent.

al. amarum

** forte capillamentis*

Smaragdi autem mero & viridi proficiunt 60 oleo, quamvis natura imbuantur.

Chalcosmaragdus dicta, quòd viridis sit: & turbida

© Biblioteca Nacional de España

turbida,* aeris venis. Hæc in Ægypto vel Cypro insula nascitur.

al. hærens

Prasius pro viridante colore dictus, sed vilis. Cuius alterum genus sanguineis punctis * abhorret. Tertium distinctum virgulis tribus candidis.

Emendo ex Plin. Obhorret.

Berillus in India gignitur, gentis suæ lingua nomen habens, viriditate similis smaragdo, sed cum pallore. Politur autem ab Indis in sexangulas formas, vt hebetudo coloris repercussione angulorum excitetur: Aliter politus non habet fulgorem. Genera eius novem.

Chrysoberillus dictus, eò quòd pallida eius viriditas in aureum colorem resplendeat: & hunc India mittit.

Chrysoprassus Indicus est, colore porri succum referens, aureis intervenientibus guttis, vnde & nomen accepit, quem quidam Berillorum generis iudicaverunt.

Iaspis de Græco in Latinum viridis gemma interpretatur. Est autem smaragdo subsimilis & crassi coloris. Species eius xvij. Volunt autem quidam Iaspidem geminam, & gratię & tutelæ esse gestantibus, quod credere non fidei, sed superstitionis est.

Topazion ex virenti genere est omniq̃ue colore resplendens: inventa primùm in Arabiæ insula, in qua Troglodytæ prædon s fame & tempestate fessi cum herbarum radices effoderent, eruerunt. Quæ insula postea quæsita nebulis cooperta tandem à navigantibus inventa est. Sed ob hoc locus & gemma nomen ex causa accepit. Nam τοπάζειν Troglodytarum lingua significationem habet quęrendi. Est autem amplissima gemmarum: eadem sola nobilium, limam sentit: genera eius duo.

Callaica colore viridis, sed pallens & nimis crassa, nihil iocundius aurum decens, vnde & appellata. Nascitur in India vel * Germania in rupibus gelidis, oculi modo extuberans.

Corr. ex Pli. Carmania.

Molochites spissius virens & crassior quàm smaragdus, à colore malvæ nomen accepit: in reddendis laudata signis. Nascitur in Arabia.

Heliotropium viridi colore & nubilo stellis puniceis supersparsa cum sanguineis venis. Causa nominis de effectu lapidis est. Nam deiecta in labris æneis * radio Solis mutat sanguineo repercusso. Extra aquam autem speculi modo Solem excipit, deprehenditq̃ue defectus eius, subeuntem lunam ostendens † Magorum impudentiæ. Manifestissimum in hoc quoque exemplum est, quòd admixta herba Heliotropio quibusdam additis * præcantationibus gerentem conspici negent. Gignitur in Cypro & Africa, sed melior in Æthiopia.

al. precationibus

Sagda gemma prasini coloris apud Chaldæos. Cuius tanta vis est, vt permeantes naves è profundo petat, & carinis ita tenaciter adhæreat, vt nisi abrasa parte ligni vix separetur.

Myrrhites dicta est, quòd in eo myrrhæ color est. Compressus autem vsque ad colorem nardi, spirat suavitatem aromatis. Reperitur in Arabia vel Ægypto myrrhæ coloris & odoris, vnde & nomen accepit.

Melichloros bicolor ex vna parte viridis: ex altera melli similis.

Choaspites à flumine Persarum dicta est, ex viriditate fulgoris aurei.

Annot.

* *V. C. radios Solis imitatur sanguineo repercussu. Plin. deiecta in vas aquæ, fulgorem Solis accedentem percussu sanguineo mutat.*

† *V. C. & Plinius ita distinguunt, vt post ostendens sit periodus. Et deinde nova sententia,* Magorum impudentiæ vel manifestissimum, &c.

De rubris gemmis. CAP. VIII.

Corallius gignitur in mari, forma ramosus, colore viridis & maximè rubens: * baccæ eius vel viæ candidæ sub aqua & molles: detractæ confestim durantur & rubescunt, tactuq̃ue protinus lapidescunt. Itaq; occupari evelliq; retibus solet aut acri ferramento præcidi: qua de causa corallius vocitatur. Quantum autem apud nos margaritum Indicum preciosum est, tantũ apud Indos corallium. Hunc Magi fulminibus resistere affirmant, si creditur.

** V. C. venæ eius candidę*

Sardius dicta, eò quòd primùm reperta sit à Sardis: hæc rubrum habet colorem marmoribus præstans: sed inter gemmas vilissima. Genera eius quinque.

Onyx appellata, quòd habet in se permixtũ candorem in similitudinem vnguis humanæ. Græci enim vnguem ὄνυχα dicunt. Hanc India & Arabia gignit: distant autem invicem. Nam Indica igniculos habet albis cingẽtibus zonis: Arabica autem nigra est cum candidis zonis. genera eius quinque.

Sardonix ex duum nominum societate vocata est. Est enim ex onychis candore & Sardo. Constat autem tribus coloribus: subterius nigro, medio candido, superius mineo. Hæc sola in signando nihil ceræ evellit. Reperitur autem apud Indos & Arabes detecta torrentibus. Genera eius quinque.

Hæmathites rubore sanguineus ac propterea Hæmathites vocatur. αἷμα quippe sanguis est. Gignitur in Æthiopia quidem, sed principalis in Arabia & in Africa invenitur. De qua promittunt Magi quiddam ad coarguendas barbarorum insidias.

Succinus, quem appellant Græci ἤλεκτρον fulvi cereiq; coloris, fertur arboris succus esse: & ob id succinum appellari. Electrum autem vocari fabulosa argumentatio dedit. Namq; Phaetonte fulminis ictu interempto sorores eius luctu mutatas in arbores populos, lacrymis electrum omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnem: & electrum appellatum, quoniam sol vocitatus sit * electron plurimi poetæ dixerunt. Constat autem non esse succum populi, sed pineæ arboris. Nam accensus tedę nidore flagrat. Nascitur autem in insulis Oceani septentrionalis sicut gummi, densaturq; vt crystallum rigore vel tempore. Ex ea fiunt decoris gratia agre-

** V. C. Elector, ita & Plinius.*

© Biblioteca Nacional de España

ſtium fœminarum monilia. Vocari autem à quibuſdam harpaga, eò quòd attritu digitorum accepta caloris anima folia paleasque veſtium fimbrias rapiat: ſicut magnes ferrum. Quocunque autem modo libeat tingitur. Nam Anchuſæ radice conchilioque inficitur.

Corr. ex Pli. Lyncurius. * Ligurius vocatus, quòd fiat ex vrina lyncis beſtiæ tempore indurata. Eſt autem ſicut & ſuccinum fulva, attrahens ſpiritu folia propinquantia.

De purpureis. CAP. IX.

INter purpureas gemmas principatum Ametiſtus Indicus tenet. Ametiſtus purpureus eſt permixto violaceo colore, & quaſi roſæ nitor, & leniter quaſdam flammulas fundens. Alterum eius genus deſcendit ad hyacinthos. Cauſam nominis eius aſſerunt, quia ſit quiddam in purpura illius non ex toto igneum, ſed vini colorem habens. Eſt autem * ſculpturis facilis: genera eius quinque. * Plin. ſcalpturis.

Saphirus ceruleus eſt cum purpura, habens pulveres aureos ſparſos: apud Medos optimus, nuſquam tamen perlucidus.

Hyacinthus ex nominis ſui flore vocatur. Hic in Æthiopia invenitur, cœruleum colorẽ habens. Optimus qui nec rarus eſt, nec denſitate * obtuſus, ſed ex vtroque temperamento lucens purpuraq; refulgens: hic autem non rutilat æqualiter, ſed cum facie cœli mutatur. Sereno enim perſpicuus eſt atq; gratus, nubilo coram oculis evaneſcit atq; marceſcit: in os miſſus frigidus eſt, in ſculpturis duriſsimus, nec tamen invictus. Nam adamante ſcribitur & ſignatur. * obtuſus.

Hyacinthizon Indicus eſt Hyacinthum propè referens. Quidam autem eorum cryſtallis ſimiles, capillamentis intercurrentibus obſcurantur, ex quo etiam vitio nomen illorum eſt.

Ametiſtizon appellatur, quia eius extremus igniculus in ametiſti violam exit.

Chelidonia ex hirundinum vocata colore, & duum eſt generum, quarum vna ex altera parte purpurea, & altera purpurea nigris interveniẽtibus maculis.

Cyanea Scythiæ gemma cœruleo coruſcans nitore * purpura interdum & punctulis intermicantibus auratis pulviſculis varians. * pura

Roditis roſea eſt, & ex eò nomen accepit.

De candidis. CAP. X.

MArgarita prima candidarum gemmarum, quam inde margaritam aiunt vocatam, quòd in conchulis maris hoc genus lapidum inveniatur. Ineſt enim in carne cochleæ calculus natus, ſicut in cerebro piſcis lapillus. Gignitur autem de cœleſti rore, quẽ certo anni tempore conculæ hauriunt. Ex quibus margaritis quædam vniones vocantur: aptum nomen habentes, quòd tantùm vnus nunquã duo vel plures ſimul reperiantur. Meliores autem candidæ margaritæ, quàm quæ flaveſcunt. Illas enim aut iuventus: aut matutini roris conceptio reddit candidas: has ſenectus vel veſpertinus aer gignit obſcuras.

* Pedorus ſecunda poſt margaritã candidarum gemmarũ: de qua quæritur in quo colore numerari debeat: toties iactati per alienas pulchritudines nominis: adeò vt decoris prærogativa * vocabulo facta ſit. Emendo ex Plin. Pædorus, quã eandem cũ Opalo facit. * Pli. in vocabulo.

Aſterites candida eſt: incluſam lucem continens veluti ſtellam intus ambulãtem, redditq; Solis candidantes radios, vnde & nomen invenit.

Galactites lactea eſt, quæ attrita reddit ſuccum album ad * lacteum ſaporem: fœminis nutrientribus illigata fœcundat vbera. Infantium quoque collo ſuſpenſa ſalivam facere fertur: in ore autem liqueſcere, & memoriam adimere. Mittunt eam Nilus & Acheloüs amnes. Sunt qui ſmaragdum albis venis circumligatum Galactiten vocant. * lactis

* Galatias grandinis & candorem præfert & figuram, duritie quoque invicta vt adamas: etiam in igne poſita, manet ſuum frigus. Pli. Galaxia

Solis gemma candida eſt, traxitque nomen quòd ad Solis ſpeciem in orbem fulgentes ſpargit radios.

Selenites tranſlucet candido melleoque fulgore, continens lunæ imaginem quã iuxta curſum aſtri ipſius perhibent in dies ſingulos minui atque augeri. Naſcitur in in Perſide.

* Cimedia invenitur in cerebro piſcis eiuſdem nominis: candida & oblonga. Præſagire ijs ferunt Magi ſigna tranquillitatis vel tempeſtatis. Corr. ex Pli. Cynœdia.

* Beloculus albicans pupillam cingit, nigra medio aureo fulgore lucentem, & propter ſpeciem Aſſyriorum regi Belo dicatam, vnde & appellata. Emendo ex Plin. Beliocculus

Epimelas dicitur cùm in candida gemma ſupernè nigricat color, vnde & nomen habet.

Exebenus ſpecioſa & candida, qua aurifices aurum poliunt.

De nigris. CAP. XI.

AChates reperta primùm in Sicilia iuxta flumen eiuſdem nominis poſteà plurimis in terris. Eſt autem nigra habẽs in medio circulos nigros & albos iunctos & variatos, ſimilis Hæmathiti. Magi ſuffitu earum, ſi creditur, tempeſtates evertunt: flumina ſiſtunt. * V. C. Agathes

* Abſectos nigra & ponderoſa diſtincta venis rubentibus. Hæc excalefacta igni ſeptem diebus calorem tenet. * Ex Plinio emẽdo Apſyctos. in Indice verò Pliniij corruptè legitur Apersyctes.

Ægyptilla nigra eſt radice, cœrulea facie, ex Ægypto vbi invenitur vocata.

† Media nigra eſt à Medea illa fabuloſa inventa. Habet venas aerij coloris, ſudorem reddit croci, ſaporem vini. al. Medea

Veientana Italica gemma eſt, à * Vegenis reperta nigra facie, albis intermicantibus notis. * Veientib. Plin. Veijs.

† Bariptos nigra eſt cum ſanguineis & albis notis. Em. ex Plin. Baroptis.

Me-

© Biblioteca Nacional de España

*corr. ex Pl. Mesomelas

* Meramelas nigra vena, quemlibet colorem secans per medium.

Veneris crinis nigerrimi nitoris: continens in se speciem rufi crinis.

corr. Trichrus

* Tricuus ex Africa nigra est, sed tres succos reddit: ab radice nigrũ est, medio sanguineum, è summo * ocreæ.

Plin. candidum. V.C. habet acrem. forte legendum est, croceum.

Dionysia nigro mixtis rubentibus notis ex aqua trita vinum flagrat, & odore suo ebrietati resistere putatur.

Pyritis nigra quidem, sed attritu digitos adurit.

De varijs. CAP. XII.

*corr. Panchrus. al. Olea

S*angrus varius ex omnibus penè coloribus constans, vnde & nominatur.

†Olea barbari nominis ex fulvo & nigro, viridique & candido est.

corrigo ex Pli. Mitrax.

† Mitridax Sole percussa: coloribus micat varijs. Gignitur in Perside.

Droselitus varius nominis causa: quia si ad ignem applicetur velut sudorem mittit.

Opalus distinctus, diversarum colore gemmarum. Est enim in eo carbunculi tenuior ignis: ametisti fulgens purpura: smaragdi nitens viriditas, & cuncta pariter sub quadam varietate lucentia. Nomen habet ex patria. Sola enim eum parturit India.

Ponticæ à ponto dicuntur: genere diverso, nunc sanguineis, nunc auratis guttis micantes: aliæ habentes stellas, aliæ longis colorum ductibus lineatæ.

corr. ex Pli. Hexecontalithos.

† Exocontalibus in parva magnitudine multicolor: vnde & hoc nomen sibi adoptavit. Tam diversis enim notis sparsus est, vt sexaginta gemmarum colores in parvo eius orbiculo deprehendantur. Nascitur autem in Lybia apud Troglodytas.

corr. ex Pli. Murrhina.

† Murina apud Parthos gignitur, sed præcipua in *Germania, humore sub terra putant calore densatũ, vnde & nomen sumpsit. Varietas eius in purpurâ candoremq; & ignẽ cum quibusdam colorum repercussionibus, quales in cœlesti arcu spectantur. Cuius contraria causa crystallum facit, gelu concreto vehementiore.

Emendo ex Plin. Carmania

De crystallis. CAP. XIII.

CRistallus resplendens & aquosus colore. Traditur, quòd nix sit glacie durata per annos. Vnde & nomen ei Græci dederũt. Gignitur autẽ in Asia & Cypro: maximè in Septentrionum alpibus, vbi nec æstate sol ferventissimus invenitur. Ideo ipsa diuturna & annosa duritia reddit hanc speciem quæ crystallus dicitur. Hic oppositus radijs Solis adeò rapit flammam, vt aridis fungis vel folijs ignem præbeat. Vsus eius etiam ad pocula destinatur. Nihil autem aliud quàm frigidum pati potest.

Adamas Indicus lapis parvus & indecorus, ferrugineum habens colorem & splendorẽ crystalli. Nunquam autem vltra magnitudinem nuclei avellani repertus. Hic nulli cedit materiæ, nec ferro nec igni, nec vnquam incalescit: vnde & nomẽ Græca interpretatione, indomita vis, accepit. Sed dum sit invictus ferri ignisq; contemptor, hircino rumpitur sanguine, recenti & calido maceratur, sicq; multis ictibus ferri perfringitur. Cuius fragmentis sculptores pro gemmis insigniendis perforandisque vtuntur. Hic autem dissidet cum Magnete lapide, intantum vt iuxta positus, ferrum non patiatur † abstrahi Magneti, aut si admotus Magnes comprehenderit, rapiat atque auferat. Fertur quoque in electri similitudine venena deprehendere: metus vanos expellere: maleficis resistere artibus. Genera eius sex.

al. abstrahere Magnetẽ.

Galatias grandinum & candorem & figuram: adamantinæ duritiæ habet. Etiam in igne positus manet suum frigus.

Cerauniorum duo genera sunt. Vnum quem Carmania mittit crystallini similem, splendet tamen cœruleo, & si sub divo positus fuerit, fulgorem rapit sidereum. Ceraunium alterum Hispania in Lusitanis littoribus gignit, cui color Pyropo rubenti, & qualitas vt ignis. Hæc adversus vim fulgurum opitulari fertur, si credimus. Dicta autem Ceraunia: quoniam alibi nõ invenitur, quàm in loco fulminis ictui proximo. Græcè enim fulmen κέραυνος dicitur.

Iris apud Arabiã in mari Rubro nascitur coloris crystallini, sexangulata: dicta ex argumento iris. Nam sub tecto percussa Sole, species & colores arcus cœlestis in proximos parietes * imitatur.

† Pl. eiaculat.

Astrion ex India est, crystallo propinqua: in cuius centro stella lucet fulgore lunæ plenæ. Sumpsit autem nomen quòd astris opposita, fulgorem rapit ac * regit.

Emendo ex Pli. regerit.

* Electria quasi electoria. In ventriculis enim gallinacijs invenitur, crystallina specie, magnitudine fabæ. Hac in certaminibus invictos fieri Magi volunt, si credimus.

* Electria quasi electoria

Enhydros ab aqua vocata. Exundat enim aquam, ita vt clausam in ea putes fontaneam scaturiginem.

Omnium ardentium gemmarum principatum carbunculus habet. Carbunculus autem dictus, quòd sit ignitus vt carbo, cuius fulgor nec nocte vincitur. Lucet enim in tenebris, adeò vt flãmas ad oculos vibret. Genera eius xij. sed præstantiores qui videntur fulgere, & velut ignem effundere. Carbunculus autem Græcè ἄνθραξ dicitur. Gignitur in Lybia apud Troglodytas.

Anthracites vocatus, quòd sit & ipse coloris igniei, vt carbunculus, sed candida vena præcinctus, cuius proprium est quòd iactatus in ignẽ velut * inter mortuos extinguitur: at contrà aquis perfusus exardescit.

* Ita cod. omnes: corrigo ex Plin. intermortuus.

* Sandasirus nascitur in India loco eiusdem nominis. Species eius, quòd veluti * intro lucido igne intus fulgent aureæ guttæ. Constat autem inter omnes quantus numerus stillarum accedit, tantò & precium accedere.

Corr. ex Pli. Sandastros. V.C. intralucidũ ignem. Pli. in trãslucido stellantes,

© Biblioteca Nacional de España

Plin. Lychnites. * Lignis ex eodem genere ardentium est appellata à lucernarũ flagrantia. Gignitur in multis locis, sed probatissima apud Indos. Quidam eam remissiorem carbunculum esse dixerunt. Huius duplex facies: vna quæ purpura radiat: altera quæ cocci rubore. A Sole excalefacta, aut digitorum attritu paleas & chartarum fila ad se rapere dicitur. *Sculpturis resistit, a si quãdo sculpta fuerit, dum signa imprimit, quasi quodam * animali morsu partem cerę temptat. Genera eius quatuor.

*Plin. sculpturæ.

Annot.

* V. C. Animali morsu partem carpere tentat.
al. partem ceræ retentat.
Plin. partemque ceræ in signo tenent.

Carchedonius hoc quod & Lychnites facecere dicitur, quanquã multum vilior prædictis. Nascitur apud Nasamonas imbre, vt ferunt, divino. Invenitur ad repercussum lunæ plenæ. Omnia autem genera sculpturæ resistunt.

Plin. Alabandica. * Alabandina dicta ab Alabanda Asiæ regione, cuius color ad Carchedoniũ vadit, sed rarus.

Plin. Draconites. * Dracontites ex cerebro draconis eruitur, quæ nisi viventi abscisa fuerit nõ *ingemmescit: unde & eam Magi dormientibus draconibus amputant. Audaces enim viri explorant draconum specus & spargunt ibi gramina medicata ad incitandum draconum soporem, atq; ita somno sopitis capita desecant & gemmas detrahunt. Sunt autem candore translucido. Vsu earum orientis reges præcipuè gloriantur.

*igneſcit Plin. gemmeſcit

Chrysoprasius Æthiopicus est, quem lapidem lux celat, prodit obscuritas. Nocte enim igneus est die aureus.

Plin. Phlegontis *Flogites ex Persida est ostẽtans intra se quasi flammas ęstuantes quæ non exeant.

Syrtites vocata quoniam in littore Syrtium inventa primũm est in parte Lucaniæ. Color eius croceus, iritus stellas continens elanguidas, sub nubilo renitentes.

Ermiscion inter gratissimas aspicitur, & ex igneo colore radians auro, portans secum in extremitatibus candidam lucem.

De aureis. CAP. XIIII.

SVnt quædam gemmarum genera ex specie metallorum vel lapidum cognominata.

Chrysophis aurũ tantùm videretur esse.

Chrysolitus auro similis est cum marini coloris similitudine: hunc Æthiopia gignit.

Chryselectrus similis auro, sed in colorem electri vergens, matutino tantũ aspectu iocundus, rapacissimus ignium, & si iuxta fuerit celerrimè ardescens.

Chrysolampis ex auro & igne vocata. * Aurea est enim die, & nocte ignea: hanc Æthiopia gignit.

Plin. pallida

Ammochrysus arenis auro intermixtis nunc bractearum, nunc pulveris habet quadrulas. Gignitur in Perside.

Corr. ex Plinio Leucochrysos. * Leocrisus colore aureo interveniente candida vena.

* Melectrisis dicta, quòd veluti per aurum sincerum: sic hæc gemma transluceat.

Plin. Melichrysos

Chrysocolla gignitur in India, vbi formicæ eruunt aurum. Est autem auro similis & habet naturam Magnetis, nisi quod augere aurum traditur, vnde & nuncupatur.

Argirites similis argento, habens stigmata aurea.

Androdamas argenti nitorem habet & penè adamas, *quadrata semper tesseris. Magi putãt nomen impositum ab eo quòd animorum impetus vel iracundias domare & refrenare dicatur, si credimus. Gignitur in mari Rubro.

Plin. quadrata, semper tesellis similis.

Chalcites aerij coloris est.

* Calcofanus nigra est, sed lapidi illisa æris tinnitum reddit.

Plin. Chalcophonos.

Balanites duo sunt genera, subvirides & Corinthij æris similitudine, mediam secante flammea vena.

Sideritis à contemplatione ferri nihil dissonat. * In maleficijs quoque modo si inferatur discordias excitat.

Plin. litigio illata

Ideus dactilus ex insula Creta est, ferrei coloris, causa nominis eius, quia pollicem humanum exprimit.

Æthiopicus ferrei coloris est, qui dum teritur, succum emittit.

* Similianicius in Euphratis alveo legitur * pro connexione marmoris similis, medio colore glauco, veluti oculi pupilla internitens.

Plin. Zmilacis al. Proconsio marmori, ita Plin.

Arabica ex patria dicta, aspectu eburnea est.

Hephæstitis speculi naturam habet in reddendis imaginibus, quanquam * rutilet: experimentum eius * si ferventi aquæ addita statim refrigeret: aut si Soli opposita aridam materiam accendat. Nascitur in Coryco.

Plin. rutilat al. si ferventã aquã, &c.

Ostracites lapidosus colore testaceo durior. Alteria Achati similis, nisi quòd Achates politura pinguescit. Duriori tanta inest vis, vt aliæ gemmæ * sculpantur fragmentis eius.

al. Scalpãtur

Glossopetra similis est linguæ humanæ, vnde & nomen sumpsit. Fertur autem deficiente luna cœlo cadere, cui non modicam Magi tribuunt potestatem. Nam ex eo lunares motus excitari putant.

Sunt & quædam gemmarum genera cognominata ab animalibus.

Echites vipereas maculas exprimit.

*Carcinæ marini cancri coloris est.

al. Carcinias

Scorpitis scorpionẽ & colore & effigie refert.

Myrmicites formicæ reptantis effigiem imitatur.

Taos pavoni est similis.

Hieracites accipitris coloris.

Aetites aquilæ.

Ægopthalmos, caprino oculo similis.

Lycophthalmos quatuor est colorũ, ex rutilo * sanguineum, in medio nigrum * candidus cingit vt luporum oculus.

*sanguineo. Plin sanguinea. V. C. candido cingit. ita & Plin.

Meconites papaver exprimit.

Sunt & quædam gemmæ quibus gentiles in superstitutionibus quibusdam vtuntur.

Li-

© Biblioteca Nacional de España

Liparia* suffita, omnes bestias evocare tradunt.

* Anancitidæ in necromantia dæmonum imagines evocar: dicuntur.

Synochitidę vmbras inferorũ evocatas *tenere dicuntur.

Chelonites oculus est Indicæ testudinis, varius & purpureus. Per hunc Magi impositum linguæ futura prænunciare fingunt.

* Bronia à capite testudinũ, è tonitruis * cadi putatur, & restinguere fulminis ictus.

Hienia lapis in oculis hienæ bestiæ invenitur. qui si sub lingua hominum subditus fuerit: futura eum præcinere dicunt.

Sed & corallius tempestati & grandini resistere fertur.

Pontica est gemma quædam livore perlucida: habens * stellas rubras: interdum & aureas. Dicunt per eam interrogari dæmones & fugari.

In quibusdam gemmarum generibus vera à falsis discernere magna difficultas est: quippe cùm inventum sit * ex vero genere alterius in alia falsa transducere, vt Sardoniches, † quæ trinis glutinantur gemmis, ita vt deprehendi non possint. Fingunt enim eas ex diverso genere, nigro, candido minioque colore. Nam & pro lapide preciosissimo smaragdo quidam vitrum arte inficiunt, & fallit oculos sub dolo quædam falsa viriditas, quo adusque non est qui probet simulatum & arguat: sic & alia alio atque alio modo. Neque enim est sine fraude vlla vita mortalium.

Omnes autem non translucidas gemmas cęcas appellãt, eò quòd densitate sua obscurẽtur.

Plin. Liparis. Pl. Ananchitide in hydromantia. Pli. teneri. V.C. tenere magani.

Pli Bronia. al. cadere

** stillas*

al. Plin. ex veris gemis in alterius generis falsas traducere. V.C. qui è triis. Plin. è ceraunijs.

De vitro. CAP. XV.

Vitrum dictum, quòd visui perspicuitate transluceat. In alijs enim metallis quicquid intrinsecus continetur absconditur. in vitro verò quilibet liquor vel species qualis est interius, talis exterius declaratur, & quodammodo clausus patet. Cuius origo hæc fuit. In parte Syriæ quæ Phœnice vocatur finitima Iudaęę circa radicem montis Carmeli palus est, ex qua nascitur Belus amnis, quinque millium passuum spacio in mare fluens iuxta Ptolemaidem: cuius arenæ de torrente fluctu sordibus eluuntur. Hic fama est * pulsa nave mercatorum nitri, cùm sparsim per littus epulas pararent, nec essent pro attollendis vasis lapides: glebas nitri ex nave subdiderunt, quibus accensis permixta arena littoris, translucentes novi liquoris fluxisse rivos, & hanc fuisse originem vitri. Mox vt est ingeniosa solertia, non fuit contenta solo nitro, sed & alijs mixturis hanc artẽ * studuit. Levibus enim aridisque lignis * concoquitur, adiecto * cupro ac nitro, continuisque fornacibus, vt ęs liquatur massæq; fiunt. Postea ex massis rursus funditur in officinis, & aliud flatu figuratur: aliud torno teritur: aliud argenti modo cælatur. Tinguitur etiam multis modis, ita vt hyacinthos saphirosque & virides imitetur, & oniches vel aliarum gemmarum colores: neque est alia * speculis aptior materia vel picturæ accommodatior. Maximus tamen honor in candido vitro, * proximo in crystalli similtudine. Vnde & ad potandum argenti metalla & auri vitium * repulit. Olim fiebat & in Italia, & per Gallias & Hispaniam arena alba & mollissima pila molaq; terebatur. Deinde miscebatur tribus partibus, nitri pondere & mensura: ac liquata in alias fornaces transundebatur. quæ massa vocabatur * admonitrum, atq; hæc recocta fiebat vitrum purum & candidũ. In genere vitri & * obsianus lapis annumeratur. Est autem virens interdũ & niger aliquando & translucidus, crassiore visu & in speculis parietũ pro imagine vmbras reddente: gemmas ex eo multi faciunt. Hunc lapidem & in India, & in Italia, & ad Oceanum in Hispania nasci tradunt. Fertur autem sub Tiberio Cęsare quendam artificem excogitasse vitri temperamentum, vt flexibile esset & ductile. Qui dum admissus fuisset ad Cæsarẽ, porrexit phyalam Cæsari. Qui ille indignatus in pavimentum proiecit. Artifex autem sustulit Phyalam de pavimento, quæ complicaverat se tanquam vas ęneum: deinde malleum de sinu protulit & phialam correxit. Hoc facto Cæsar dixit artifici, Nunquid alius scit hanc condituram vitrorum? Postquã ille iurans negavit, alterum hoc scire, iussit eum Cęsar decollari, ne dum hoc cognitum fieret: aurum pro luto haberetur & omnium metallorum precia * abstraherentur. Revera, quia si vasa vitrea non frangerentur meliora essent quàm aurum & argentum.

Plin. appulsa

al. forte deest, perficere, aut aliquid huiusmodi. al. coquitur al. Cypro, et ita Plinius.

al. Plin. sequacior.

** Plin. quam proxima.*

al. pepulit.

al. ex Plinio ammonitrũ.

Plin. Obsidianus.

Plin. detraherẽtur.

De metallis. CAP. XVI.

Metallum dictũ Græcè ἀπὸ τοῦ μεταλλᾶν, quòd natura eius ea sit, vt vbi vna vena apparuerit, ibi spes sit alterius inquirendi. Septem autem sunt genera metallorum: aurum, argentum, æs, electrum, stagnum, plumbum, & & quod domat omnia ferrum.

De auro. CAP. XVII.

Aurum ab aura dictum, id est, à splendore, quòd repercusso aere plus fulgeat. Vnde & Virgilius:

Discolor inde auri per ramos aura refulsit, hoc est, splendor auri. Naturale enim est vt metallorum splẽdor plus fulgeat luce alia repercussus. Hinc & aurarij dicti, quorũ fulgor splendidos reddit.

Obryzum aurum dictũ, quòd obradiet splendore: est enim coloris optimi, quod Hebræi Ophax, Græci * cairon vocant.

Bractea dicitur tenuissima lamina, ἀπὸ τοῦ βρεχεῖν, quod est ἠχεῖν, id est, à crepitando.

Pecunia prius de pecudibus, & proprietatẽ habebat & nomen. De corio enim pecudum nummi incidebantur & signabantur. Postea à

forte καθαρὸν.

† Ita ex coniectura posui

© Biblioteca Nacional de España

Saturno æreus nummus inventus est. Ipse enim signari nummos & scribi constituit. Propterea & ærarium Saturno à gentilibus consecratum est. Alij, ut superius, pecuniam à pecudibus appellaverunt: sicut à iuvando iumenta dicta sunt. Omne enim patrimonium apud antiquos peculium dicebatur à pecudibus, in quibus eorum constabat universa substantia. unde & pecuarius dicebatur qui erat dives: modò verò pecuniosus. Antiquissimi nondum auro argentoque invento, ære vtebantur. Nam prius ærea pecunia in vsu hominum fuit: pòst argentea: deinde aurea subsecuta: sed ab ea qua cepit nomen retinuit. Vnde & ærarium dictum, quia prius æs tantùm in vsu fuit, & ipsum solùm recondebatur, auro argentoque nondum signato, ex quorum metallis quamvis postea facta fuisset pecunia, nomen tamen ærarij permansit ab eo metallo, vnde initium sumpsit.

Thesaurus iuxta Græcam proprietatē ἀπὸ τῆς θέσεως à positione, hoc est, à reposito nominatur. Nam θέσις positio dicitur, & est nomen ex Græco Latinoque sermone compositum. Nam θὶς Græci repositum dicunt: χρυσὸν aurum quod iunctum sonat repositum aurum.

Auraria nomen habet ab auro.

Tributa verò, eò quòd anteà per tribus singulas exigebantur: sicut nunc per singula territoria. Sic autem in tres partes divisum fuisse Romanum populum constat, vt qui præerant in singulis partibus Tribuni dicerentur. Vnde etiam sumptus, quos dabant populi tributa nominaverunt.

Vectigalia sunt tributa, à vehendo dicta.

Stipendium à stipe pendenda nominatum. Antiqui enim appendere pecuniam soliti erāt, magis quàm annumerare.

Moneta appellata est, quia monet, ne qua fraus in metallo vel pondere fiat.

Numisma est solidus aureus vel argenteus sive ęreus, qui ideo numisma dicitur, quia nominibus principum effigiebusque signabatur. Prius nummus ἄργυρος nuncupabatur, quia quamplurimum ex argento percutiebatur.

Numi autem à Numa Romanorum rege vocati sunt, qui eos primùm apud Latinos imaginibus notavit, & titulo nominis sui præscripsit.

al. Folles * Solidi dicuntur à sacculo, quo conduntur, à continente, id quod continetur appellatum.

In numismate tria quæruntur, metallum, figura, & pondus. Si ex ijs aliquid defuerit, numisma non erit.

Tria sunt autem genera argēti, & auri, & ęris: signatum, factum, infectum. Signatum est quod in nummis est: factū est quod in vasis & signis: infectum quod in massis est, quod & grave dicitur, id est, massa. In notitiam autem formarum metalla ita venerūt. Dum enim * quacumque causa ardentes sylvæ excoquerent terram, ex calefactis venis fudit rivos cuiuscunq; structuræ. Sive igitur æs illud fuerat, sive aurum cùm in loca terræ depressiora decurrerit, sumpsit figuram, in quam illud vel profluens rivus vel excipiens lacuna formaverat. Quarum rerum splendore capti homines cùm ligatas attollerent massas, viderunt in ea terræ vestigia figurata, * in quæ excogitaverunt liquefactas ad omnem formam posse deduci.

* quocunq; casu.

De argento. CAP. XVIII.

01 ARgentum non longè à Greca appellatione distat. Hoc autem illi ἄργυρον vocant. Cùm mirum in modum illud dum candidū sit: impressum corpori lineas nigras reddit.

Argentum vivum dictū, quòd * excindat materias, in quibus inijcitur: hoc & liquidum, quia percurrit. Invenitur specialiter in metallis, sive in argentarijs fornacibus guttarum concretione tectis inhęrens: sæpe etiam & in stercore vetustissimo cloacarum vel puteorum limo. Fit etiam & ex minio impositio conchulæ ferreæ patera testea superposita. tum circumlito vasculo circumdantur carbones, sicque argentum vivum ex minio * stillat: sine hoc neque argentum, neque æs inaurari potest. Tantæ autem virtutis est, vt si super sextarium argenti vivi centenarium saxum superponas: oneri statim resistat. Sin verò auri scrupulum, levitatem eius raptim sinu recipit: ex quo intelligitur non pondus, sed naturam esse cui cedit. Servatur autem melius in vitreis vasis: nam cæteras materias perforat. Potui autem datum interficit, ponderis causa.

al. excedat. fortè exedat. Ita Pli. exesi & perrumpit vasa.

al. defillat

Argenti purgamenta λιθάργυρος, quam nos spumam argenti appellamus. Fit autem ex argento & plumbo.

De ære. CAP. XIX.

AEs à splendore aeris vocatum, sicut aurum & argentum. Apud antiquos autem prius æris quàm ferri cognitus vsus. Ære quippe prius scindebant terram, ære certamina belli gerebant: eratque in pretio magis æs: aurum verò & argentum propter inutilitatem reijciebantur. Nunc versa vice iacet æs, aurum summo cessit honori:

Sic volvenda ætas commutat tempora rerum: Et *Quod fuit in precio, fit deniq; nullo in honore.* Vsus ęris postea transijt in simulacris, in vasis, in ædificiorū structuris: maximè & ad perpetuitatem monimentorum etiam publicę in eis constitutiones scriptæ sunt.

Cyprium æs in Cypro insula prius repertū, vnde & vocatum: factum ex lapide eroso, quem Cadmiam vocant, & est ductile: huic si addatur plumbum, colore purpureo fit.

Aurichalcum dictum, quòd & splendorē auri & duritiam æris possideat. Est autem nomen compositum ex lingua Latina & Græca. Æs enim sermone Græcorum χάλκος vocatur. Fit autem ex ære & igne multo, ac medicaminibus perducitur ad aureum colorem.

Co-

© Biblioteca Nacional de España

Corintheum est omnium commixtio metallorum quod casus primum miscuit, Corintho cum caperetur incensa. Nam dum hanc ciuitatē Hannibal cepisset: omnes statuas æneas & aureas & argenteas in vnum rogum congessit & eas incendit. Ita ex hac cōmixtione fabri sustulerunt & fecerunt parapsides. Sic Corinthia nata sunt ex omnibus in vnum, nec hoc nec illud. Vnde & vsq; in hodiernum diem: siue ex ipso, siue ex imitatione eius æs Corinthium vel Corinthia vasa dicuntur. Huius tria genera, candidum vnum ad argenti nitorem accedens, alterū in quo ipsius auri fulua natura est: tertium in quo ęqualis cunctorum temperies.

Coronarium ex ductili ære tenuatur in laminas: taurorumq; felle tinctum speciem auri in coronis histrionum præbet, vnde & appellatū.

Pyropum igneus color vocauit. Nanq; in singulas vncias æris additis auri scrupulis senis * prętenui bractea igneſcit, flammasq; imitatur, vnde & pyropum dicitur.

Plin. prætenui pyropi bractea.

Regulare æs dicitur, quòd ab alijs ductile appellatur: quale omne Cyprium est.

Ductile autē dicitur, eo quòd malleo producatur: sicut cōtrà fusile, quòd tantùm funditur. Hoc & caldarium, quòd tantùm funditur. Nam malleis fragile est. Siquidem omne ęs diligentius purgatis igne vitijs excoctisq;, regulare efficitur.

Campanum quoq; inter omnia genera æris vocatur à Campania prouincia, quæ est in Italiæ partibus, vtensilibus & vasis omnibus probatissimum.

Æs omne frigore magno melius funditur. Aes rubiginē celerius trahit nisi oleo perungua tur, seruari aūt id optimè in liquida pice tradūt.

Inter omnia metalla æs vilissimū est, & maxime potestatis, ideo & ænea limina, vnde & Virgilius,

Hinc foribus cardo stridebat abenis.

Origo æris Cadmia & Chalcitis. Purgamēta æris Cadmia, & origo, & æris, flos.

Cadmia gignitur in metallorum ęris atq; argēti fornacibus * insidēte nidore. Nāq; vt ipse lapis ex quo fit æs Cadmia vocatur: sic rursus in fornacib⁹ existit & nominis sui originē recipit.

al. desinēte.

Aeris flos fit seu gignitur conflationibus, resoluto atq; liquato ære, superfusa frigida aqua. Repentina enim densatione tāquam de * succo reparatur flos.

Aeruginē æs quoq; creat. Nā laminæ ęreæ super vas aceti acerrimi sarmētis superpositę, atq; ita distillantibus, quòd ex eo cecidit in ipsum acetum teritur & cribratur.

De ferro. CAP. XX.

FErrum dictū quòd farra, idest semina frugū terræ cōdat. Idē & chalybs à Chalybe flumine vbi ferrū optima acie tēperatur. Vnde & abusiuè dicitur chalybs ipsa materies, vt, *Vulnificusq; chalybs.*

Ferri vsus post alia metalla repertus est. Cuius postea versa in opprobriū species. Nā vnde prius tellus tractabatur, inde modo cruor effunditur. Nullum autē corpus tā dēsis inter se cohe rentibus & implicitis elemētis quā ferrū: vnde inest illi duritia cum frigore. Ferri autē metallū penè vbiq; reperitur: sed ex omnibus generib⁹ palma Serico ferro datur. Seres enim hoc cum vestibus suis pellibusq; mittunt. Secunda Parthico, neq; alia genera ferri ex mera acie tēperātur. Cęteris enim admiscetur mollior cōplexus.

Differentia ferri plurima iuxta terræ genus. Nam aliud molle plumboq; vicinum, rotarum & clauorum vsibus aptum. aliud fragile & erosum, culturæ terræ cōueniens. aliud sola breuitate placet clauisq; caligarijs. aliud rubiginē celerius sentit. Stricturæ vocantur hę oēs, * quòd nō in alijs metallis: à stringendo aptè vocabulo imposito. Aquarum verò summa differentia est quibus ferrum candens immergitur quo vtilior fiat: sicut Bilbilis in Hispania & Tirrasona, Comus in Italia.

Plin. à stringendā acie.

In acuendo ferro: oleo * delectatior fit acies vnde & tenuiora ferramenta oleo restringi mos est: ne aqua in fragilitatē durentur. A ferro sanguis humanus sese vlciscitur. Contactum nāq; celerius rubiginē trahit. Cum ferro magnes lapis concordiam habet. Sola enim hæc materia vim ab hoc lapide accipit, retinetq; longo tēpore. Ex eodē lapide architectus quidam Alexandrię tēplum cōcamerauit: * vnde & in eo simulacrum ferro in aere pendere videretur. Ferrum accēsum igni nisi duretur ictibus, corrumpitur. Rubens non est habile ad tundendum, neq; antequam albescere incipiat, aceto vel alumine illitum ferrum, fit æris simile.

Plin. delicatior.

vt in eo sim. eius à ferro pendere in aere videretur.

Purgamenta ferri, rubigo & scoria.

Rubigo est vitium rodens ferrum ipsum vel etiam segetes, quasi rodigo mutata vna litera: hæc & erugo ab erodendo. Nam erugo vitium est ferri ab erodendo dicta, nō ab ęramento.

Scoria verò purgamenta & sordes sunt quæ ignę excoquuntur. Et dicta scoria: quia de ferro excutitur.

Rubigine autem caret ferrū si ceruſſa & gipso & liquida pice perungitur. Item rubigo ferramenta nō vitiat, si eadem medulla ceruina, vel ceruſſa mixta rosaceo vngatur.

De plumbo. CAP. XXI.

PLumbum dictū quòd ex eo primū pilis factis maris altitudo tentata est. Huius verò genera duo sunt: nigrum & candidum: sed melius candidum, quod prius in insulis Atlāntici maris inuentum est. Siquidem & in Lusitania & in * Gallicia gignitur, summa terra arenosa, & coloris nigri & ponderis grauis: interueniunt & minuti calculi, maximè torentibus siccatis: lauant eas arenas, & quòd subsidit coquunt in fornacibus. Inueniuntur & in aurarijs metallis aqua missa calculi nigri, & graues & dum aurum colligitur cum eo

Plin. Gallecia.

© Biblioteca Nacional de España

remanent, postea separati cõflantur & in plumbum albũ resoluuntur. Inde & eadem grauitas plumbi quæ auri.

Nigrum plumbum circa Cantabriam abundat, cuius origo duplex est. Aut enim solum ex sua vena prodit, aut cũ argento nascitur, mixtisq; venis conflatur. Huius primus in fornacibus liquor stannum est, secũdus argentũ: quod remanet superaddita vena rursusq; conflata, fit nigrum plumbum.

India neq; plumbum neque æs habet, gemmis tantùm & margaritis hæc permutat. Nigro plumbo fistulis laminisq; vtimur. Laboriosius in Hispania & Gallia eruitur plumbum. Nam in Britannia summo terræ corio.

De stagno. CAP. XXII.

STanni etymologia ἀποχωρίζωνα idest separans dicitur & secernens. Mixta enim & adulterata inter se per ignẽ metalla dissociat & ab auro & argento æs plumbumque secernit, alia quoq; metalla ab igne defendit, & cum sit natura æris ferriq; durissima, si absque stanno fuerit vritur & crematur. Stannum illitum æreis vasis saporem facit gratiorem, & compescit virus eruginis. Specula etiam ex eo temperantur. Cerussa quoq; ex eo sicut ex plumbo conficitur.

De electro. CAP. XXIII.

ELectrum vocatum quod ad radium solis clarius auro argentoq; reluceat. Sol enim à poetis * electron vocatur. Defecatius est enim hoc metallum omnibus metallis. Huius tria sunt genera. Vnum quod ex pini arboribus fluit, quod succinum dicitur. Alterum metallum, quod naturaliter inuenitur, & in precio habetur: Tertium quod fit de tribus partibus auri & * argenti vna. Quas partes, etiam si naturam resoluas, inuenies. Vnde & nihil interest natum sit an factum, vtrumq; enim eiusdem naturæ est. Electrum quod est naturale, eiusmodi natura est, vt in conuiuio & ad lumina clarius cunctis metallis fulgeat, & venenũ prodat. Nam si eo infundas venenum: stridorem edit & colores varios in modum arcus cœlestis emittit.

V. C. Elector, ita & Plin.

V. c. argenti & auri.

De ponderibus. CAP. XXIIII.

POnderum ac mensurarum iuuat cognoscere modum. Nã omnia corporalia sicut scriptum est à summis vsq; ad ima in mensura & numero & pondere disposita sunt atq; formata. Cũctis corporeis rebus põdus natura dedit.

Suum regit omnia pondus.

Primus Moyses in heremo filijs Israel pondera & mensuras dedit. Primus Sidon Argiuus ponderum rationem in Græcia constituit, & licet alij antiquiores extiterint: iste hac arte experientior fuit.

Pondus dictum, eo quòd in statera libratum pendeat, hinc & pẽsum. Abusiue autem pondus libra vna est. Vnde etiam dipõdium dictum est quasi duo pondera, quod nomen adhuc in vsu retinetur.

Trutina est gemina ponderum lances equali examine pendens, facta propter talenta & centenaria appendenda, sicut momentana pro parua modicaq; pecunia. Hæc & moneta vocata. Eadẽ & statera nomen ex numero habens, quòd duabus lancibus & vno in medio stilo librata equaliter stet.

Examen est filum medium quo trutinę statera regitur, & lances equantur. * Vnde in lanceis amentum dicitur. *In v.c. deest.*

Campana à regione Italiæ nomẽ accepit, vbi primum eius vsus repertus est. Hęc duas lances non habet: sed virga est signata libris & * vncijs & vago pondere mensurata. *al. vncis.*

Vnicuique autem ponderi certus est modus nominibus proprijs designatus.

Calcus minima pars ponderis, quarta pars obuli est constans lentis geminis granis. Appellatur autem calcus quòd sit paruulus, sicut & lapis calculus, qui adeo minimus est, vt sine mole ista sui calcetur.

Siliqua vigesima quarta pars solidi est, ab arboris semine vocabulum tenens. *al. ab arbore cuius semen est.*

Cerates oboli pars media est siliquam habẽs vnam semis. Hũc latinitas semiobulum vocat. Cerates autem Græcè: Latinè siliqua cornuum interpretatur. Obulus siliquis tribus appenditur, habẽs cerates duos, calcos quatuor. Fiebat enim olim ex ære adinstar sagittæ. Vnde & nomen à Græcis accepit, hoc est sagitta.

Scrupulus sex siliquarum pondere constat. Hic apud Græcos dramma vocatur. Scrupulus autem dictus per diminutionẽ à lapillo breui: qui scrupus vocatur.

Dragma octaua pars vncię est, & denarij pondus argenti tribus cõstans scrupulis, id est xviij siliquis. Denarius autem à dando dictus, quia pro decem nummis imputatur.

Solidus nuncupatur, quia nihil illi deesse videtur. Solidum enim antiqui integrum dicebãt & totum. Ipse quoq; nomisma vocatur pro eo quòd nominibus principum effigiebusq; signatur. Ab initio verò vnum nomisma vnus argenteus erat. Hoc enim ab Assyrijs cœpit. Dicunt enim Iudæi, quòd Abraham in terrã Chanaam primus hanc aduexit formam. Solidus apud Latinos alio nomine sextula dicitur, quòd ijs sex, vncia compleatur. Hunc, vt diximus, vulgus aureum solidum vocat. cuius tertiam partem ideo dixerunt tremissem: eo quòd solidum faciat ter missus.

Sextula bis assumpta duellam facit, ter posita staterem reddit.

Stater autem medietas vnciæ est, appendens aureos tres, vnde & vocatur stater quòd tribus solidis stet. Hic & semiuncia, quia semis habet de vncia. Hic & semissis, quia ponderis * semissem quasi semis assis. *semis est.*

Quadrantem similiter Hebręi codrantem vocant, & vocatur quadra quòd vnciæ quartam partem

© Biblioteca Nacional de España

partem appendant.

Sicel qui Latino sermone siclus corruptè appellatur: Hebręum nomen est, habens apud eos vncię pondus. Apud Latinos autem & Græcos quarta pars vnciæ est, & stateris medietas, dragmas appendens duas. Vnde cum in literis diuinis legitur siclus, vncia est: cum vero in gentilium libris, quarta pars vnciæ est.

Vncia dicta quòd vniuersitatē minorū ponderum sua vnitate vinciat, id est complectatur. Cōstat autē dragmis viij, id est scrupulis xxiiii. Quod proinde legitimum pondus habetur, quia numerus scrupulorum eius horas diei noctisq; metitur, vel quia libram efficit duodecies computatus XII vncijs perficitur, & inde habentur perfecti ponderis genus: quia tot constat vncijs quot mensibus annus. Dicta autē libra quod sit libera, & cuncta inter se pōdera prędicta concludat.

Mna in ponderibus centum dragmis appenditur, & est nomen Græcum.

Talentum autē summum esse pondus perhibetur in Græcis. nam nihil est chalco minus, nihil talento maius. Cuius varium apud diuersas gentes pondus habetur. Apud Romanos enim talentum est lxxij librarum, sicut Plautus ostendit, qui ait duo talenta esse CXLIIII. libras. Est autē triplex, id est minor, medius, summus. Minor quinquaginta, medius lxxij. librarū: summus cxx constat.

Centenarium numeri nomen est, eo quòd centum librarum ponderis sit. Quod pondus propter perfectionem centenarij numeri Romani instituerunt.

De mensuris. CAP. XXV.

MEnsura est res aliqua modo suo vel tempore circumscripta. Hęc aut corporis est: aut temporis. Corporis est, vt hominum, lignorum, & columnarum longitudo, vel breuitas. Sed & solem istum propriam sui orbis habere mensuram, quòd Geometrici perscrutari audēt. Temporis, vt horarum, dierum, & annorū. Vnde & metiri pedes horarum dicimus, hoc est mensurare.

Propriè autem mensura vocata, quòd ea fruges metiuntur atq; frumentum, id est humida & sicca, vt modius, vrna, & amphora.

Mensurarum pars minima cochlear, quòd est dimidia pars dragmę, appendens siliquas nouem. Qui triplicatus conculam facit.

Cōcula dragma vna & dimidia adimpletur.

Cyathi pondus decem dragmis appenditur: qui etiam à quibusdam* caulacus dicitur. *l. cauſatus.*

Oxifalus fit si quinq; dragmæ adduntur ad x.

Acitabulus quarta pars heminæ est, xij dragmas appendens.

Cotula emina est habēs cyathos sex, quę idcirco cotula vocatur, quia Græco sermone* cote incisio dicitur, & hemina sextarij in duo æqua inciditur, & cotulam facit. *forte κοτὴ.*

Emina autem appendit libram vnam, quæ geminata sextarium facit.

Sextarius duarum librarū est, qui bis assumptus bilibris nominatur. assumptus quater, fit Græco nomine Chœnix. quinquies complicatus quinarem siue gomor facit. Adijce sextum, congium reddit. Nā congius sex metitur sextarijs: à quo & sextarij nomen dederunt.

Congium autem â congiendo, id est per augmentum crescendo vocatur. Vnde postea pecunia beneficij gratia dari cæpta, congiarium appellatum est. Vnusquisq; enim sui temporis imperator fauorem populi captans, adijciebat vt largior videretur in donis.

Congiarium autem specialiter mensura est liquidorum, cuius & rem simul & nomen à Romanis impositum inuenimus.

Metreta est mensura liquidorum. Hæc à mensura accepit nomen. μέτρον enim mensuram dicunt Græci: & inde appellata* metreta, licet & vrna & amphora & reliqua huiusmodi nomina mensurarum sint: tamen ista hoc nomen à denarij numeri perfectione accepit. *al. metra.*

Metrum ad omnem mensurā pertinet. μέτρον enim Græcè: Latinè mensura dicitur. Nā & cyathus mensura est, & amphora mensura est, & quicquid plus minusue capit, mensura est. Sed ideo hoc nomē specialiter sibi assumpsit, quòd sit mensura perfecti numeri, id est denarij.

Modius dictus ab eo quòd sit suo modo perfectus. Est autem mensura librarum XLIIII. id est sextariorum xxij. Cuius numeri causa inde tracta est, eo quòd in principio Deus xxij opera fecerit. Nam prima die vij operā fecit, id est materiam informem, angelos, lucem, cœlos superiores, terram, aquam atq; aerem. Secunda die firmamentum solū. Tertia die quatuor maria, semina, sationes atq; plantaria. Quarta die tria, solem & lunam & stellas. Quinta die tria, pisces & reptilia aquarū, & volatilia. Sexta die quatuor: bestias, pecudes, reptilia terræ & hominē. Et facta sunt omnia xxij. genera in diebus sex. Et xxij generationes sunt ab Adam vsq; ad Iacob, ex cuius semine nascitur omnis gens Israel. Et xxij libri veteris testamēti vsq; ad Hester. Et xxij literarum sunt elementa quibus constat diuinæ legis doctrina. His igitur exemplis modius xxij sextariorum à Moyse secundū sacrę legis mensuram effectus est. Et quamuis diuersæ gentes huic mensurę pondus vel adijciant ignoranter vel detrahant: apud Hebræos cōstitutione diuina tali ratione seruatur. Modius enim à modo dictus. Hinc & modica, id est moderata. Modicis enim modius nomen imposuit. Nam modica pro paruis abusiuè non propriè dicimus.

Satum genus est mensurę iuxta morem prouincię Palęstinę, vnum & dimidium modicum capiens. Cuius nomen ex Hebræo sermone tractum est. Satum enim apud eos nominatur sumptio, siue leuatio: eo quòd qui metitur, eandem mensuram sumat ac leuet. Est & aliud satum mensura sextariorum xxij. capax quasi modius.

© Biblioteca Nacional de España

Batus vocatur Hebraica lingua ab olearia mola quæ bath apud eos vel batha nominatur, capiens quinquaginta sextaria, quæ mensura, vna molæ vice proteritur.

Amphora vocata quòd hinc & inde leuetur. Hæc Græcę à figura sui dicitur: quòd eius ansę geminatę videantur aures imitari. Recipit autē vini vel aquę pedem quadratum, frumenti verò modios Italicos tres.

Cadus Græca amphora est continens vrnas tres.

Vrna mensura est: quam quidam quartarium dicunt. Propriè autē vrna vas est quod pro condendis defunctorum cineribus adhiberi solet. de quo poeta,

Cœlo tegitur qui non habet vrnam.

Medimna est mensura quinque modiorum. Medimna autem Latina lingua vocatur, idest dimidia, eo quòd quinque modijs metiatur, qui est dimidius numerus à perfecto denario.

Artaba mensura est apud Aegyptios sextariorum lxxij, composita ex numero, propter lxxij. gentes vel linguas, quæ orbem impleuerunt.

Gomor xv modiorum onus appendit.

Corus xxx modijs impletur. Hic ab Hebraico sermone descēdit: qui vocatur cora similitudine collis. Cora enim Hebraicè colles appellantur. Coaceruati enim modij xxx instar collis videntur, & onus cameli efficiunt.

De signis. CAP. XXVI.

Ponderis signa plerisq; ignota sunt, & inde errorem legentibus faciunt. Quapropter formas eorum & characteres ita vt à veteribus signata sunt subijciamus.

Zeta litera significat dimidium obolum. Z

Virgula æqualiter iacens & porrecta simpliciter significat obolum. ⊢

Geminata virgula duo oboli sunt. ⊢⊢

T Latinum significat obolos tres. T

F Latinum significat obolos quatuor. F

E Latinum demonstrat obolos quinq;. E.

Oboli vero sex propterea characterem nō habent quod in vna dragma sex veniant, quòd est pondus denarij argentei.

Heta litera significat siliquas viij. id est tremissem. H.

N Latinum significat nomisma Græcum, id est solidum. N.

Iota adiuncta beta significat dimidium solidum. IB.

Virgule duæ ex vno angulo à leua in dextram se diuidentes, significant dragmam: quā etiam olcem appellant. ⊂

N Latinum adiuncto gamma Græco significat semiunciam. Nr.

Gamma autem Græcè literę o Latinum in fine adiunctum, significat vnciam. ro.

Lambda Græcum per medium sui i Latinū adiectum, significat libram. Λ

Kappa Græcum circa finem cornuum adiuncto y Græco significat cyatum. KY.

Si verò o Latinum habuerit adiunctum, eminam demonstrat quam Græci cotylen vocant. Ko.

Xi Græcū si habuerit iunctum E Latinum, significat sextarium. ΓE.

Si verò o Latinum habuerit adiunctum, indicat acitabulum, quòd Greci oxifalon vocant. ΞO.

M Græcū superposito n Latino significat mna. ⋔

A Latinum in fine habens Lambda Græcū significat talentum. AΛ.

Alpha Græcum in dextro brachio superiori o litera coniuncta chānix est. α°

© Biblioteca Nacional de España

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM

LIBER XVII.

CAPITA LIBRI DECIMISEPTIMI.

1 *De autoribus rerum rusticarum.*
2 *De cultura agrorum.*
3 *De frumentis.*
4 *De leguminibus.*
5 *De vitibus.*
6 *De arboribus.*
7 *De proprijs nominibus arborum.*
8 *De arboribus aromaticis.*
9 *De herbis aromaticis vel communibus.*
10 *De oleribus.*
11 *De odoratis oleribus.*

De autoribus rerũ rusticarũ. CAP. I.

Erum rusticarum scribendi solertiam apud Græcos primus Hesiodus Bœotius humanis studijs contulit, deinde Democritus * magnus quoq; Carthaginẽsis in xviij voluminibus studiũ agricolationis conscripsit. Apud Romanos autem de agricultura primus Cato instituit, quã deinde Marcus Terentius expoliuit, mox Virgilius laude carminum extulit. Nec minus studiũ habuerunt postmodum Cornelius Celsus & Iulius Atticus, Æmilianus siue Columella, insignis orator, qui totum corpus eiusdem disciplinę complexus est.

al. Magus.

Primum ad aratrum boues iunxisse ferunt quendam priuatum hominem & fulminatum nomine Homogirum. Quidam autem Osirim dicũt esse artis huius inuentorẽ: quidam Triptolemũ. Et hic quæstio est, quomodo prima Ceres ferro in Græcia vertere terram instituit, sed ferro qualicunq;, non specialiter vomere aut aratro. Stercorandi agri rationẽ primus induxit quidam nomine * Stercutus in Italia. Cuius ara * apico dedicata est Romę. Hic plura instrumenta agriculturę reperit, primusq; agros firmauit. Eundem quidam Saturnum putauerunt: vt maiorem illi nobilitatem facerẽt hoc nomine, quo splendidè sonaret, & dignitatẽ tituli cõpararet.

Plin. Stercutius.
** à Pico.*

De cultura agrorum. CAP. II.

CVltura est qua frumenta vel vina magno labore quæruntur; ab incolendo vocata. Diuitię enim antiquorum in ijs duobus erant, bene pascere & bene arare. Cultura agri cinis, aratio, intermissio, incensio stipularum, stercoratio, occatio, runcatio.

Cinis est incendium per quod ager inutilem humorem exudat.

Aratio dicta, quia de ære prius terræ culturam exercebant, antequam ferri fuisset vsus repertus. duplex est autem aratio, vernalis & autumnalis.

Intermissio est qua alternis annis vacuus ager vires recipit.

Stercoratio est lętaminis aspersio. Stercus autem vocatũ vel quia sternitur in agris, vel quòd extergi oportẽat quicquid sordium in ciuitate redundat. Idem & fimus est, qui per agros iacitur. Et dictus fimus quòd fiat imus, id est stercus quod vulgo lętamen vocatur, eo quòd suo nutrimento læta faciat germina, reddatq; pinguia arua & fœcunda.

Occatio est cum rustici sationę facta bubus dimissis grandes glebas cędunt & ligonibus frangunt: & dicta occatio quasi obcęcatio, quòd operiat semina. Occare igitur est operire semina terra, vites vel arbores.

Runcatio est à terra herbas euellere. Nam rus terra est.

Sulcus à sole vocatus, quòd prosciſſus solem capiat.

Veractum dicitur, quasi verè actum, id est verò aratum.

Prosciſsio est aratio prima cum adhuc durus est ager.

Satio dicta quasi seminis actio, vel quæ sit satorum actio. Serere autẽ vocatum, quia hoc cęlo sereno faciendum est: non per imbres. Hinc est & illud Virgilianum,

Nudus ara, sere nudus.

Messis à metendo, id est recidendo dicta.

Seges autem de semine dicta quòd iacimus, siue à sectione.

De frumentis. CAP. III.

PRima Ceres cepit vti frugibus in Græcia, & habere segetes translatis aliunde seminibus. Huius meminit Ouidius dicens,

Prima Ceres vnco glebam dimouit aratro,
Prima dedit fruges alimentaq; mitia terris.

Frumenta sunt propriè quæ aristas habent: fruges autem reliqua: frumenta autẽ vel fruges à frumendo, hoc est à vescendo dictæ. Nam frumen dicitur summa pars gulæ.

Primitię propriè sunt quæ de frugibus prącerpuntur.

© Biblioteca Nacional de España

Triticum vel à tritura dictum quod purissimum horreo cōdatur, vel quia granū eius commolitur & teritur.

Far dicitur, eo quòd initio frangeretur. Apud antiquos enim molarum vsus nōdum erat: sed frumentum in pila missum frangebant & hoc erat genus molendi.

Adoreum tritici genus, quòd idem vulgo semen dicitur.

Edor quondam appellatum ab edendo, quia primo eo vsi sunt homines, siue quia in sacrificio ipsius generis panis ad aras offerebatur. Vnde adorea sacrificia dicuntur.

Siligo genus tritici à selecto dictum. Nam in pane eius species precipua est.

Trimense triticum ideo nūcupatum, quia sātum post tres menses colligitur. Nam vbi propter aquam aliamūe causam matura satio omissa est, presidium ab hoc petitur.

Alica Græcum nomen est.

Alicastrum simile est alicę, pondere & bonitate precipuum.

V. c. sex ordines. Hordeum dictum, quòd præ cæteris generibus frumenti aridum antè fiat, vel quod spica eius ordines habeat. Horum tria genera. Primū hexaticum vocatur, eo quod spica eius sex ordines habeat, quòd quidam canterinum appellāt, quoniam animalia melius quàm triticū pascit, & homines salubrius quàm malum triticum. Alterum distichon, eo quòd duos ordines habeat, hoc pleriq; calaticum vocant. Tertium trimense, quia dum cogit necessitas verno seminatur & celeriter colligitur.

al. Scādula. Scindula à diuisione vocata. Duplex enim est, scinditur, idest diuiditur.

Centenum appellatum, eo quòd in plerisq; locis iactus seminis eius in incrementum frugis centesimum renascantur.

Hinc & miliū à multitudine fructus vocatū.

Panicium dictū, quòd in multis regionibus ex eo panis vice homines sustententur, quasi panis vitium.

Pistum à pastu.

Sisamum Græcum nomen est.

Farrago dicta à farre. Est enim herba hordeacea adhuc viridis: necdum granis ad maturitatem turgentibus.

Spicā de maturis frugibus abusiuè dicimus. Nam propriè spica est, cum per culmi folliculū, id est extremum tumorem aristę adhuc tenues in modum spiculi eminent.

Arista appellata, quòd prius ipsa arescat.

Culmus est ipse calamus spicę qui à radicibus nascitur. Et dictus culmus, quasi calamus.

Folliculus est theca frumenti, in qua granum seruatur interius. Hæc super spicam vallo instructa munimen prętēdit, ne auium minorum morsibus spica suis fructibus exuatur, aut vestigijs proteratur.

Stipulę sunt folia seu vaginæ, quibus culmus ambitur atq; fulcitur; ne pondere frugis * curuetur qua ambiunt culmum. Et dicta stipula quasi vsta, & quasi vstipula. Stipula dicta ab vsto: collecta enim messe vritur propter culturā agri. Item stipulā, vel quia pars eius vritur, pars interdum pro palea præciditur.

al. curuentur quæ.

Palea à quibusdam vocari dicitur, quòd pala ventiletur, vt frumenta purgentur. Gentiles autem paleam à quadam Pale frugum inuentrice vocauerunt: quam Cererem esse volūt. De qua Virgilius,

Te quoq; magna Pales, & te memorande canemus.

Itē alij à pabulo nuncupatā dicunt paleā, quòd ea primùm solā in pascendis animalibus pastus prębebatur. Cuius natura ex contrario tantùm est frigida, vt obrutas niues fluere non sinat: adeo calida, vt maturescere poma compellat.

De leguminibus. CAP. IIII.

LEgumina à legendo dicta, quasi electa. Veteres enim meliora quæq; legebant: siue quòd manu legantur, neq; sectionem requirant.

Leguminum plurima genera, ex quibus faba, lens, pisa, faselum, cicer, lupinum gratiora in vsu hominum videntur.

Faba Græca etymologia à vescendo vocabulū sumpsit, quasi faga. φάγειν enim Grecè comedere dicitur. Primum enim homines hoc legumine vsi sunt. Huius species duæ, quarum altera communis, altera Aegyptia.

Faba fresa dicta, eo quòd eam homines frendant, id est frangant, idest molendo cōminuant.

Lens vocata, quòd humida & lenta est, vel quòd adhæret humi.

Faselum autem & cicer Græca nomina sunt, sed faselum vile gēnus leguminis, quia omne quod abundat vile est, hoc autem semen abundanter inuenitur.

Lupinum Græcum & ipsum nomen est, de quo Virgilius, —*Tristesq; lupini*, quia vultum gustantis amaritudine contristant, vnde & illud præ amaritudine, nec vermis nec vllum animal comedit.

Medica, vicia, eruum pabulorū optima sunt.

Medica dicta, quia à Medis translata est in Græciam, tempore quo eum Xeres rex Persarum inuasit. Hæc semel seritur & decem annis permanet, ita vt quater vel sexies possit per annum recidi.

Vicia dicta, quòd vix ad triplicem perueniat fructum: cum alia legumina prouentum habeant fertilem: vnde & Virgilius,

Et tenuis fætus viciæ.

Pisa quòd ea pēsabatur aliquid auri minutū. Nam pis aurum dicitur.

Eruum à Græco trahit vocabulum. Hoc enim illi ἔρυθρον dicunt, quod dum sit quibusdam pecoribus infestū, tauros tamen pingues efficit.

De vitibus. CAP. V.

VItis plantationem primus Noe instituit, rudi adhuc seculo. Apud Græcos autem inuentorem

© Biblioteca Nacional de España

uentorem vitis Liberum appellant. Vnde & eũ gentiles post mortem deum esse voluerunt.

Vitis dicta, quòd vim habeat citius radicãdi. Alij putant vites dictas, quòd inuicẽ se vittis innectant, vicinisq; arboribus reptando religentur. Est enim earum natura flexibilis, quia quasi brachijs quibusdam quicquid comprehẽderint stringunt.

Labrusca est vitis agrestis quæ in terræ marginibus nascitur. Vnde & labrusca dicta à labris & extremitatibus terræ.

Codex dictus, quasi caudex. Sic enim & vetere clodum pro claudo dicebant.

Sarmentum à serendo, quasi seramentum.

Malleolus est nouellus palmes innatus prioris anni flagello, cognominatus ob similitudinẽ rei: quòd in ea parte qua deciditur ex veteri sarmẽto prominẽs vtrumq; mallei speciẽ prębeat.

Spadones sunt surculi fruge carentes, ex ipsa appellatione, quòd sint inhabiles fructu & sterilitate affecti.

Sagittam rustici vocant nouissimam partem surculi: siue quia lõgius recessit à matre, & quasi prosiliuit: seu quia acuminis tenuitate teli speciem præfert.

Summitates vitium & fruticum flagella nuncupantur, eo quòd flatu agitentur.

Palmes vitis materia mollis, quia per nouella brachia emissus fructum affert. Nam ideò rustici partem vitis palmitem vocant. Palmes enim diminutiuum nomen est, quòd nomen paragogum dicitur, quòd à palma deriuetur. Palma enim habet nomen * propriũ, quòd dicitur principale, ab eo quòd ex se deriuatum faciat.

al. πρωτότυπον.

Pampinus est foliũ cuius subsidio vitis à frigore vel ardore defenditur, atq; aduersus omnẽ iniuriam munitur. Qui ideo alicubi intercisus est, vt & solem ad maturitatem fructus admittat & vmbram faciat. Et dictus pampinus, quòd de palmite pendeat.

Caprioli dicti quòd capiant arbores, sunt enim cincinni siue vncinoli: quibus se innectere vites & suspendere solent arboribus, quo adminiculo freti palmites ventos ac turbines continere queant, & sine lapsu pediculorũ fructus suos sustineant, ac sese vaga proceritate diffundant.

Corimbi sunt annuli qui proxima quæq; ligant & comprehendunt: ne longius laxati palmites ventorum flatibus dissipentur.

Vuæ dictæ quòd intrinsecus humore sunt plenę, succiq; & pinguedinis. Nam humidum est, quòd exterius humorẽ habet, uvidum quod interius.

Acinus botrus est.

Racemus est botrionis pars, & botrio Græcum est.

Suburbanæ uvę quædam dicuntur, quia fructus earum ad escam velut pomum in vrbibus venditur. Commendat enim eas & species & saporis iocunditas, ex quibus sunt prękoquę, duracinę, purpureæ, dactyli, Rhodiæ, Lybicę, Cerauniæ Stephanitę, Tripedianæ, Vnciariæ, Cidonitæ.

Prękoquę vocatę, quòd cito maturescãt, & ante omnes sole coquantur. Has λάγως dicũt, quòd currant ad maturitatem velociter vt lepus. Duracinæ autem per totam hiemem: * Veniculæ & Numesianæ.

al. Venunculæ.

Purpureæ à colore dicuntur.

Dactyli à longitudine.

Rhodię & Lybicę à regionib9 nũcupatę sunt.

Cerauniæ vero quòd rubeant velut ignis.

Stephanitæ à rotunditate.

Vnciariæ à magnitudine.

Genera autem uvarum quæ vino deseruiunt plurima. Ex quibus aminea dicta, quasi sine minio, id est sine rubore. Album enim vinum reddit, quæ cum sint vnius nominis, non vnam speciem reddit. Amineæ enim duæ geminę ab eo dictę quòd duplices uvas mittunt.

Aminea lagana, quia plus omnibus lanescit lanugine.

Rubiliana dicta, quia eius materia rubet.

Fecinia minuti acini & duræ cutis uvas habet, nobilitate Amineam sequitur, fœcunditate prękedit. Quam proinde Feciniam vocãt, quòd plus quàm cæterę feces afferat.

Apianę vinum dulce faciunt: quas nisi cito legas pluuijs & ventis, & maximè apibus infestantur, quarum deprędatione apianę cognominatę sunt.

Balanitę à magnitudine nomen sumpserunt. * Balanin etiam Græcè grande vocata.

Ann. fortasse ita legendũ, est βαλανος enim Græcè glandem significat.

Biturica à regione nomẽ sortita est, turbines & pluuias & calores fortissimè sustinens, nec in macra terra deficiẽs, huius meriti & basilisca est.

Argitis græcula vitis generis albi, fertilis, vastam materiam, & breue, & latum folium mittens. cuius fructum nisi primo tempore colligas, aut ad terram decidet, aut humore putrescit.

Inerticula nigra est, quam Græci amaracion vocant, boni vini & * lenis, à quo etiam nomen traxit, quòd iners in tentandis neruis habeatur, quamuis gustu non sit hebes.

Mareoticę à regione Aegypti Mareotis dictæ, vnde prius venerunt, sunt enim, & albę & nigræ.

Elbolę quas quidam varias appellant, neque purpureæ, neq; nigrę: ab elbo colore ita dictæ, subalbi tamen musti. Elbum enim est inter nigrum candidumq; colore. Nam elbum nec albũ nec nigrum est.

Tertius locus vitium quæ sola fœcunditate commendantur, abundantia copiosa, multũq; vini fluens.

Viticionia uvas magnas magis quàm multas habet: nomen autem inde hoc sumẽs, quòd multum vini fluat.

Siriaca, vel quia de Syria allata, vel quia nigra est.

Multa autẽ genera vitiũ sunt: quę tamẽ mutatione loci, & qualitatem & nomen amittunt.

© Biblioteca Nacional de España

Vitibus inter cætera magis ista conueniunt, oblaqueatio, putatio, propaginatio, fossio.

Oblaqueare est circa codicem terram aperire & velut lacus efficere. Hoc aliqui excodicare appellant.

Putare est virgam ex vite superfluam resecare cum flagellis luxuriat. Putare enim dicitur purgare, id est amputare.

Traducere transducere. Propaginare verò flagellum vitis terræ submersum sternere, & quasi porrò pangere. Hinc propagines ac propagare & protendere dicuntur.

Fodere verò est foueam facere, quasi fouere.

De arboribus. CAP. VI.

ARborum nomen siue herbarum ab aruis inflexum creditur, eo quòd terris, fixis radicibus adhærent. Vtraq; autem ideò sibi penè similia sunt, quia ex vno alterũ gignitur. Nam dum sementem in terram ieceris: herba prius oritur, dehinc confota surgit in arborem, & infra paruum tempus quam herbam videras, arbustam suspicis.

Arbusta arbor nouella & tenera in qua insertio fieri potest, & dicta arbusta, quasi arboris hasta. Alij arbustum locum in quo arbores sunt volunt accipere, sicut salictum. Sic & virectũ vbi virgulę nouellę & virentes.

Arbor autem & fructifera & sterilis, arbos autem non nisi fructifera. Genere autem fœmininо arbores dicimus, poma vero neutro.

Frutex breuis est appellatus, quòd terram fronde tegat. cuius plurale nomen fruteta arbor alta est.

Sylua verò spissum nemus & breue. Sylua dicta quasi xilua, quòd ibi ligna cędantur. Nam Græci ξύλον lignum dicunt. Multa enim Latina nomina Græcam plerumq; etymologiam recipiunt.

Nemus à numinibus nuncupatum, quia pagani ibi idola constituebant. Sunt enim nemora arbores maiores, vmbrosæ frondibus.

Lucus est densitas arborum solo lucẽ detrahens, tropo per antifrasin, eo quòd non luceat, siue à luce, quòd in eo lucebant funalia vel cerei propter nemorum tenebras.

Saltus est densitas arborum alta vocata hoc nomine: eo quòd exiliat in altum, & in sublime consurgat.

Auiaria secreta nemora dicta, quòd ea aues frequentant.

Recidiua arborum sunt quæ alijs sectis repullulant. Alij recidiua à cædẽdo dicunt, quia post casum nascuntur. Alij à recidẽdo & repullulando dixerunt. Ergo recidiuum vbi mors aut casus.

Insitio dicitur, cum fisso trunco surculus fœcundę arboris sterili inseritur, aut oculorum impositio, cum inciso cortice, libro alienę arboris germen immittitur.

Plantę sunt de arboribus: Plantaria verò quę ex seminibus nata sunt cum radicibũs, & à terra propria transferuntur.

Cespites frutices sunt, quasi cuspites vel quasi circa pedes.

Frondes quòd ferãt virgulta vel vmbras, sunt autem causa vmbrarum.

Oculi nodi sunt ex quibus frondes exeunt.

Radix appellatur, quòd quasi radijs quibusdam fixa terris, in profunda dimergitur. Nam physici dicunt parem esse altitudinem radicum & arborum. Alij radicem à similitudine radiorum dictam putant, vel quia si eradatur non repullulat.

Truncus est statura arboris insistens radici.

Corticem veteres corucem vocabãt. Dictus autem cortex, quòd corio lignum tegat.

Liber est corticis pars interior dictus à liberato cortice id est ablato. Est autem medium quoddam inter lignum & corticem.

Rami sunt qui de trunco manant, sicut à ramusculis cætera.

Surculi à præcisione serrę nuncupati.

Virgultum est, quod de radice pullulat. ramus qui de ipso robore arboris. virga quæ de ramis. Propriè autẽ Virgultum appellatur, quod ad radicem arboris nascitur, & quasi inutile ab agricolis amputatur. Et hinc dictum virgultũ, quia ex virga tollitur. Virga à virtute dicitur, quòd vim in se multam habeat, vel à viriditate, vel quia pacis indicium est, quòd vim regat. Vnde hac vtuntur magi ad placandos inter se serpentes, & idcirco in ea hos sustinent illigatos. Hac etiã philosophi & reges ac magistri & nuncij & legati vtuntur.

Flagella dicuntur: vt prędiximus, summę arborum partes, ab eo quòd crebros ventorũ sustinent flatus.

Cimas vocatas dicunt quasi comas.

Folia Græcè φύλλα dicuntur, inde est ad nos hoc nomen per deriuationem translatum.

Flores nominati, quòd cito defluant de arboribus, quasi fluores, quòd cito soluantur. In his duplex gratia, coloris & odoris. Austro enim flores soluuntur. Zephyro fiunt.

Germen dicimus surculum prægnantem, à gerendo: vnde & germinatio.

Fructus nomen accepit à frumine, id est eminente gutturis parte qua vescimur. Inde & fruges. Fructus autem propriè dicuntur agrorum & arborũ, quibus vtiq; vtimur. In animalibus verò abusiuè & translatiuè vocamus fructum.

Poma dicta ab opimo, id est à copię vbertate. Matura dicuntur, quia apta sunt ad manducandum: sic & immatura, quia priusquam matura fiant, dura sunt ad manducandum.

Ligna dicta, quia incensa conuertuntur in lumen. Vnde & * licinium dicitur, quòd lumẽ det. *al. lucinium.*

* Hastula à tollẽdo nuncupata, quasi abstula. *Ann.* Ita hodie Hispani Hastillas vocãt, quæ Græci καρφη.

fomes est hastula quæ ab arboribus excutitur, recisione aut hastulę ambustę, aut ligno cauata, à fungis nomine accepto, quòd ita capiat ignẽ. De quo Virgilius.

Rapuitq;

© Biblioteca Nacional de España

Rapuitq; in fomite flammam.

Torris lignum adustum: quem vulgus titionem appellat extractum ex foco, semiustum & extinctum.

Quisquilię stipulę immixtę surculis & folijs aridis. Sunt autem purgamenta terraru ~.

Caries putredo lignorum, dictum hoc nomine, quòd eueniat lignis virtute carentibus.

De proprijs nominibus arborum. CAP. VII.

PAlma dicta, quia manus victricis ornatus est, vel quòd oppansis est ramis, in modum palmę hominis. Est enim arbor insigne victoriæ, proceroque ac decoro virgulto, diuturnisq; frondibus vestita, & folia sua sine vlla successione conseruans. Hanc Gręci φοινικον dicunt: quòd diu duret, ex nomine auis illius Arabiæ quæ multis annis viuere perhibetur. Quæ dum in multis locis nascatur: nõ in omnibus fructus perficit maturitatem. Frequenter autẽ in Aegypto & Siria. Fructus autem eius dactili, à digitorum similitudine nuncupati sunt: quorum etiã & nomina variantur. Nam alij appellant palmulas, similes mirobalani. Alij Thebaici: qui & Nicolai. Alij nucales quos Græci καρυωτὰς vocant.

Laurus à verbo laudis dicta. Hac enim cum laudibus: victorum capita coronabãtur. Apud antiquos autem laudea nominabatur, postea d litera sublata & subrogata r dicta est laurus: vt in auriculis quæ initio audiculę dicte sunt, & medidies, qui nunc meridies dicitur. Hãc arborem Græci Δάφνλω vocant, quòd nunquam deponat viriditatẽ, inde illa potius victores coronantur. Sola quoq; hæc arbor vulgo fulminari minimè creditur.

Malum à Græcis dictum, quòd sit fructus eius pomorum omnium rotundissimus. Vnde & hæc sunt vera mala, quæ vehementer rotunda sunt. Malum Matianum à loco vocatum, vnde prius aduectum est. Nam multæ arbores nomina ex prouincijs & ciuitatibus de quibus allatæ sunt acceperunt. Virgilius, Amantibus quid ex malo quæri soleat ostendit.

Mala cidonia nomen sumpserunt ex oppido, quòd est in insula Creta, de qua dicere solent Gręci, vrbium Cretensium matrem Cidoniam: ex cuius pomo cidonitum conficitur. Fit quoq; ex ea & vinum quo languentium desideria falluntur. Nam specie & gustu & odore cuiuslibet vini veteris imaginem repræsentat.

al. melimelum. Malomellum à dulcedine appellatum, quòd fructus eius mellis saporem habeat, vel quòd in melle seruetur, vnde & quidam.

Si tibi Cecropio saturata cidonia melle
Ponentur, dicas: hæc melimella placent.

Malum punicum dicitur, eo quòd ex Punica regione sit genus eius translatum. Idem & malogranatum, eo quòd inter corticis rotunditatẽ granorum contineat multitudinem. Arbor autem malogranata est generis fœminini, pomum vero generis neutri. Flores malorum à Græcis appellati sunt * quintinas: Latini caducum vocant. Agrestium autem malorum flores Græci βαλαύστιον appellauerunt, quorũ alij albi, alij purpurei, alij rosei reperiuntur similes floribus mali punici. Negãt medici mali punici cibo nostra corpora nutriri: sed eo sic opinantur vtendum v medicari potius non alere videatur.

Malumpersicum, cuius breuis admodum vita concessa est, trium generum esse fertur, Duracenum, Armeniacum, & Persicum. Duracenum nuncupatur pro eo quòd pomum eius in gustu * acorem referat. Armeniacũ dicitur: quòd primum genus ab Armenia sit aduectum. Persicũ vocatum, quòd eam arborem primus in Aegypto seuerit Perseus, à quo se oriundos Ptolemęi ferebant. Hæc in Perside fructum generat interfectorium, apud nos autem iocundum ac suauem. Horum aliud pręcox, aliud vocatur æstiuum. al. aquorẽ.

Medica arbor cuius nomen etiam in carminibus Mantuanis inclaruit, asportata primum a Medis, vnde & vocabulum sumpsit. Hanc Græci κεδρόμηλον, Latini citriam vocant, quòd pomũ eius ac folia cedri odorem referãt. Malum eius inimicum venenis, & hoc est quòd idem poeta intelligi voluit: cum tradat ex illa foueri animã. Hæc arbor omni penè tẽpore plena est pomis, quæ in ea partim acerba partim matura, partim adhuc in flore sunt posita, quòd in cæteris arboribus rarum est.

Mella quam Græci loton appellant quæ vulgo propter formam & colorem faba Syrica dicitur. Arbor enim est magna, fructum ferens commestibilem, maiorem pipere, gustu suauẽ, vnde & mella vocata est.

Coquimella quam Latini ob colorem primũ vocant, alij à multitudine enixi fructus nixam appellant. Cuius generis Damascena melior à Damasco oppido vnde prius asportata est, dicta: cuius solum pomum stomacho mederi probatur: nam cætera noxia perhibentur. Hæc sola arbor gummi glutinosum, & compactiuũ distillat, quo & medici & scriptores vtuntur.

Oleomella nascitur in Palmaria Syriæ ciuitate, ex eo ita appellata, quòd ex trunco oleum defluat in crassitudine mellis, saporis suauis.

Pomelida sorbo similis, mediocris arbor & flore candidulo, dicta quòd * dulcedine sit eius fructus & acuto sapore commixtus. Hæc arbor ætate durat exigua. al. dulcis.

Melofos arbor in Aphrica punica lingua vocata, ex qua profluit lentus succus, qui à loco Ammoniacus nominatur.

Mespila arbor spinosa, fructu similis malorũ: sed paulo breuiore, vnde & appellata, quòd pilulę formam habeant eius poma.

Pirus vocata videtur: quòd in ignis speciem formata est. nam hoc genus pomi ab amplo incipit, & in angustum finit, sicut ignis. Pirus autem arbor, fructus eius pirum est. Cuius multæ species, ex quibus Crustumia sunt pira ex parte rubentia, ab oppido Crustumio nominata. Poma piri iumentis imposita, vel si pauca vehe-

Corr. κύτινοι.

© Biblioteca Nacional de España

menter onerosa dicuntur esse.

Cerasus à Ceraso vrbe Ponti vocata. Nã Lucullus cum Cerasum ciuitatem Ponti delesset: hoc genus pomi inde aduexit, & à ciuitate cerasum appellauit. Arbor autẽ cerasus, pomum vero cerasum dicitur. Hoc etiam & ante Lucullũ erat in Italia, sed durum, vnde & cornum appellatum est. Est autem arbor apta hastilibus. Vnde & Virgilius,

Bona bello cornus.

Ficus Latinè à fœcũditate vocatur. Feracior enim est cæteris arboribus. Nã ter quaterq; per singulos annos generat fructum, atq; altero maturescente alter oboritur. Hinc & Caricæ à copia nominatę. Ficus Aegyptia fæcundior fertur, cuius lignũ in aqua missum illico mergitur, & cũ in limo aliquãdiu iacuerit, deinde in superficiẽ sustollitur versa vice naturę, quãdo madefactũ debuit humoris pondere residere. Antea athletę ficis alebãtur. priusquã eos Pytagoras exercitator ad carnis vsum, qui fortior cib⁹ est, trãstulisset. A senibus quoq; in alimentum sumptę sepius ficus, rugas eorum feruntur distendere. Tauros quoq; ferocissimos ad fici arborem colligatos repente mansuescere dicunt.

Caprificus appellata, eo quòd parietes quibus innascitur carpitur. Rumpit enim & prodit ex latebris quibus concepta est. Alij putant caprificum dictum, quòd ficus arbor eius remedio fœcundetur.

Morus à Grecis vocata, quam Latini rubum appellant, eo quòd fructus vel virgulta eius rubent. Est enim morus sylueſtris fructus afferẽs, quibus in deserto pastorum fames vel penuria cõfouetur. Huius folia superposita serpenti: feruntur interimere eum.

Sicomorus sicut & morus sunt Greca nomina. Dicta autem sicomorus, quòd sit folijs similis moro. Hanc Latini Celsam appellant ab altitudine, quia non est breuis vt morus.

Nux appellata: quòd vmbra vel stillicidium foliorum eius proximis arboribus noceat. Hãc alio nomine Latini iuglandem vocant, quasi Iouis glandem. Fuit enim hæc arbor consecrata Ioui: cuius pomum tantam vim habet, vt missa inter suspectos herbarum vel fungorum cibos, quicquid in eis virulentum est * exudet, rapiat atq; extinguat. *al. excludat.*

Nuces autem generaliter dicũtur omnia poma tecta corio duriori, vt pineę, nuces, auellanę, glandes, castaneæ, amigdalæ. Hinc & nuclei dicti, quòd sint duro corio tecti. At contrà poma omnia mollia, mala dicta: sed cum adiectione terrarum in quibus antea nata sunt, vt Persica, Punica, Matina, Cidonia, &c.

Amygdala nomen Græcum est: quòd Latinè nux longa vocatur. Hanc alij nucidam vocant, quasi minorem nucem. De qua Virgilius,

Cum se nux plurima syluis Induit in florem.

Cunctis enim arboribus prior se flore vestit, & ad ferenda poma, arbusta sequentia prẽuenit.

Auellana ab Auellano Campanię oppido vbi abundant cognominatę sunt. Hæc à Græcis ponticę appellantur, eo quòd circa ponticum mare abundent.

Castaneam Latini à Græco appellant vocabulo. Hanc enim Græci κάστανον vocant, propter quod fructus eius gemini in modum testiculorum intra folliculum reconditi sunt, qui dum eijciuntur quasi castrantur. Hæc arbor semel, vt excisa fuerit, tanquam sylua expullulare consueuit.

Ilex ab electo vocata. Huius enim arboris fructum homines primum ad victum sibi elegerunt, vnde poeta,

Mortales primum ructabant gutture glandem.

Prius enim quàm frumẽti vsus esset antiqui homines glande vixerunt.

Suberies arbor ex qua validissimus cortex natatorius extrahitur. Et ideo appellata suberies, eo quòd fructus eius sues edunt. porcorum enim sunt alimenta nõ hominum, & dicta suberies quasi subedies.

Fagus & esculus arbores glandiferę, ideò vocatę creduntur, quòd harum fructibus olim homines vixerunt: cibumque sumpserunt, escamque habuerunt. Nam esculus ab esca dicta, fagus vero à Græco vocabulũ traxit. φάγειν enim Græcè comedere dicitur.

* Silicon quam Latini corruptè siliquam vocant, ideo à Græcis tale nomẽ accepit, eo quòd ligni eius fructus dulcis. ξύλον quippe dicunt lignum γλυκὺ dulce. Huius arboris pomo succus expressus acatia à Græcis dicitur. *al. Silicon, forte ξυλὶ γλυκον.*

Pistacia quòd cortex pomi eius nardi pistici odorem referat.

Pinus arbor picea ab acumine foliorum vocata. Pinum enim antiqui acutum nominabant. Pinum autem aliam pitin, aliam Græci πεύκλω vocant, quam nos piceam dicimus, eo quòd desudat picem. Nam & specie sibi differunt. In * Germaniæ autem insulis huius arboris lacrima gignit electrum. Gutta enim defluens rigore vel tempore in soliditatem durescit, & gemmam facit de qualitate sua nomen accipiens, id est succinum: eo quòd succus sit arboris. Pinus creditur prodesse cunctis quæ sub ea seruantur, sicut nux nocere omnibus. * *forte Germaniæ.*

Abies dicta, quòd præ cæteris arboribus longè eat & in excelsum promineat. Cuius natura expers est terreni humoris, ac proinde habilis atque leuis habetur. De qua Virgilius.

Et casus abies visura marinos.

quia ex ea naues fiunt. Hanc quidam Gallicum vocant propter candorem. Est autem sine nodo.

Cedrus quàm Greci κέδρον vocãt, quasi *ceomenes driosioron, id est arboris humor ardentis, cuius folia ad cypresi similitudinem respondent. Lignum verò iocundi odoris est & diu durans: nec à tinea vnquam exterminatur. De qua Persius. * Ex Cõiect. κεομένης δρυὸς ἐστὶ τὰ μεστὶ ridicula est etymologia.

Et

© Biblioteca Nacional de España

Et cedro digna locutus.

Scilicet propter durabilem perpetuitatem. Vnde & in tẽplis propter diuturnitatẽ ex hoc ligno lacunaria fiunt. Huius ligni resina cedria dicitur, quę in cõseruandis libris adeo est vtilis, vt perliniti ex ea nec tineas patiãtur, nec tẽpore cõsenescãt. Nascitur in Creta, Aphrica atq; Siria

al. κυπάρισσος. * Cypressus Græcè dicitur quòd caput eius à rotunditate in acumen erigitur. Vnde & conon vocatur, id est alta rotunditas. Hinc & fructus eius conus, quia rotunditas eius talis est, vt conum imitetur. Vnde & coniferę cyparissi dicuntur. Huius lignum cedro penè proximam habet virtutem. Templorum quoq; trabibus aptum, impenetrabili soliditate nunquam oneri cedit: sed ea qua in principio fuerit firmitate perseuerat. Antiqui cypressi ramos propè rogum constituere solebant, vt odorem cadaue

al. opprimerent. rum dum vrerentur * comprimerent iocunditate odoris sui.

Iuniperus Græcè dicta: siue quòd ab amplo in angustũ finiat, vt ignis: siue quòd conceptũ diu teneat ignem: adeò vt si prunæ ex eius cinere fuerint opertę, vsque ad annum perueniant. πῦρ enim apud Græcos ignis dicitur. Iuniperus autem alia parua, alia magna est.

Ebenus in India & Aethiopia nascitur, quæ cęsa durescit in lapidem. Cuius lignũ nigrum est, & cortex leuis vt lauri: sed Indicum maculosum est in paruis distinctionib⁹ albis ac fuluis. Aethiopicum verò, quod præstãtius accipitur, in nullo est maculatum: sed est nigrum leue & corneum. Est autem Mareotica palus in India vnde ebenus venit. Lucanus. *Ebenus Mareotica*, inquit. Ebenus autem crepundijs illigatur, vt infantem visu nigra non terreant.

Platanus à latitudine foliorũ dicta, vel quòd ipsa arbor patula sit & ampla. Nam πλάτος Græci latum vocant. Expressit huius arboris Scriptura & nomen & formam dicens, *Quasi platanus dilatata sum in plateis.* Est autem tenerrimus folijs ac mollibus & vitium similis.

Quercus siue quernus dicta, quòd ea soliti

al. præcanere. erãt dij gentiũ quærentibus responsa * dare, arbor multum annosa: sicut legitur de quercu Mambrę, sub qua habitauit Abrahã: quæ fertur vsq; ad Cõstantis regis imperiũ per multa secula perdurasse. Huius fructus * glãdula appellatur. E quib⁹ vna agrestis ἐμφακὶς dicta, parua for

al. Gall. ma, sed firmo corpore atq; nodoso, quæ medicaminibus & incaustis adhibetur, altera βάλανος leuis ac lenis: ac nimium perforata. Lucernarum tantùm vsibus necessaria.

Fraxinus vocari fertur, quòd magis in asperis locis montanisq; fragis nascatur. Hinc per deriuationem fraxinus, sicut à monte mõtanus. De quo Ouidius,

Et fraxinus vtilis hastis.

Taxus venenata arbor. Vnde & toxica venena exprimũtur. Ex hac arcus Parthi & aliæ gentes faciunt. Vnde & poeta.

Istireos taxi torquentur in arcus. Istireos autem dicit Parthicos.

Acer coloribus impar.

Robur autẽ generaliter dicitur ex omni materia quicquid est firmissimum.

Alnus vocatur quòd alatur amne. Proximè enim aquę nascitur, nec facilè extra vndas viuit. Hinc & tenera & mollis, quia in humecto loco nutritur.

Vlmus nomẽ accepit, quòd vliginosis locis & humidis melius proficit. Nam in montanis & asperis minus leta est.

Larex cui hoc nomẽ à castello Laricino inditũ est, ex qua tabulæ tegulis affixę flammam repellunt, neq; ex se carbonem ambustæ efficiunt.

Populus dicta, quòd ex eius calce multitudo nascatur. Cuius genus duplex est. Nã altera est alba, altera nigra. Alba autẽ populus dicta, quia folia eius vna parte sunt alba, altera viridia. Hęc igitur bicolor habẽs quasi noctis & diei notas: quę tempora ortu solis occasuq; cõstant. Generat etiã resinã circa Eridanum fluuium, vel vt alij memorant, in finibus Siriæ.

Tiliam dicunt vocatam, eo quòd vtilis sit ad vsum telorum nitore & leuitate iaculandi. Est enim genus materię leuissimæ.

Salix dicta quòd celeriter saliat, hoc est velociter crescat, arbor lenta vitibus habilis vinciendis. Cuius feminis hanc dicunt esse naturã, vt si quis illud in poculo hauserit, liberis careat: sed & fœminas infœcundas efficit.

Populus autem & salix, & tilia molles materiæ sunt, & ad sculpturam aptæ.

Vimen vocatur, eo quòd vim habeat multã viroris. Natura enim eius talis est, vt etiam si arefacta abluatur, virescat: deinde excisa atque in humo fixa, radicibus sese ipsa dimergat.

Miricę quam Latini tramaritiam uocant: ex al. tramariam. amaritudine nominata. Gust⁹ enim eius nimis amarus est. Hęc arbor in solitudine & saxoso humo nascitur: ex qua etiam arbore maleficis artibus * mistra, id est odia concitari dicuntur. al. ministra odia, forte μίσος, id est odia, tametsi riidicula est etymologia.

Mirtus à mari dicta: eo quòd magis litorea arbor sit. Vnde & Virgilius,

Littora mirtetis lætissima, & Amãtes littora mirtæ.

Hinc est quòd & à Græcis μυρίνη dicitur. Medicorum autẽ libri hãc arborem aptam scribunt mulierum necessitatibus plurimis.

Lentiscus, quòd cuspis ipsius lẽtus sit & mollis. Nam lentum dicimus quicquid flexibile est: vnde & lentum vimẽ & vites. Virgilius, *Et lentæ vites*: pro, flexibiles. Huius fructus oleum desudat, cortex resinã quę mastix appellatur, cuius plurima & melior in Chio insula gignitur.

Terebintus arbor, Græcum nomẽ, generans resinam omnium resinarum præstantiorem.

Buxus Gręcum est nomen à Latinis ex parte corruptum. πύξος enim appellatur apud eos arbor semper virẽs & lenitatẽ materię elemẽtorũ apicibus apta. Vnde & Scriptura, *Scribe in buxo.*

* Rodandarũ quòd corruptè vulgo lorandeũ vocatur, quòd sit folijs lauri similibus, flore vt rosa, arbor venenata. Interficit enim animalia, *forte Rhododaphne vel Rhododendron.*

© Biblioteca Nacional de España

& medetur serpentium vexationes.

Herbitum vocauerunt pastores eo quòd vice herbę prębeatur pecoribus vbi desunt pascua.

Turbiscus, quòd de vno cespite eius multa virgulta surgant quasi turba.

Stipa vocata propter quod ex eo stipętur tecta. Hinc & stipula per diminutionem.

Arundo dicta, quòd cito arescat. Hanc veteres cannam vocauerũt, arundinem verò postea Varro dixit. Sanè sciendum, quòd latinum canna de lingua hebręa sumptũ est. Apud eos enim calamus canna dicitur.

Cicuta autẽ est, quòd est inter cannarum nodos: dicta, quòd lateat. In Indicis stagnis nasci arundines calamiq; dicuntur, ex quorum radicibus expressum suauissimum succum bibunt. vnde & Varro ait:

al. magna. *Indica non magnum in arbore crescit arundo:*
Illius & lentis præmitur radicibus humor.
Dulcia cui nequeant succo concedere mella.

Sambucus mollis & peruia arbor.

Rhamnus genus est rubi quam vulgo senticẽ vrsinã appellant, asperum nimis & spinosum.

Sentix dicta à situ, quòd est terra inculta: in qua sentices spinęq; nascuntur. Maiores autem nostri omnem arborem spinosam veprem dicebant, quòd vi prendat.

Oleaster dictus quòd sit folijs oliuę similibus sed latioribus, arbor inculta atq; siluestris: amara atq; infructuosa. cui insertus oliuæ ramus vim mutat radicis & vertit eam in propriã qualitatem. Lacrima oleastri arboris duplex est. Alia enim gummi similat sine vllo qualitatis morsu, alia ammoniaci guttam ex stillatione collectam ac remordentem.

Oliua Grękè ἔλαιος dicitur: ex quo in latinum tractum est, vt oliua dicatur. Olea autem ipsa arbor est, fructus oliua, succus oleum. Est autẽ arbor pacis insigne, cuius fructus diuersis nominibus appellatur.

Orchades oliuæ Græca etymologia à similitudine testiculorum vocatæ: quos Græci ὄρχεις vocant.

Radiolæ pro eo quòd oblongè sunt in modũ radiorum.

Paphę à Papho insula dictę, vnde prius allatę sunt.

Lychnię eò quòd optimum dent lumẽ. Nam λύχνος lumen est. Vnde & lignum nomẽ accepit, quia aptum est flammis & luminibus.

Pausia quam corruptè rustici pusiam vocãt, viridi oleo & suaui apta. Et dicta pausia quòd pauiatur, id est tundatur, vnde & pauimentum.

Syria dicta, pro eo quòd de Syria est allata, siue quia nigra est.

Crustumia idem & volemis dicta: eo quòd volam compleat magnitudine, hoc est mediam manum: vnde & involare dicimus. Quidam autem volemum Gallica lingua bonum & magnum intelligunt: colymbades appellatæ.

Oleum autẽ ab olea nominatur. Nã vt diximꝰ olea est arbor, vnde deriuatũ fit oleũ. Sed quod ex albis fuerit oliuis expressum vocatur Speranũ, à Grękis ὀμφάκιον appellatũ. Quod autẽ ex fuluis & nõdum maturis fuerit expressum, Viride appellatur. Quod verò ex nimiũ maturis, Commune dicitur. Ex ijs ad vsum vitę primũ est spanum, secundum viride, tertium commune.

Amurca olei pars aquosa ab emergẽdo dicta, id est quòd ab oleo se mergat & fex eius sit. Hãc Græci amurcem vocant ex latina lingua trahentes vocabulum.

Gumen Græcum nomen est, hoc enim illi κόμμι dicunt.

Resinam Græci ῥητίνην vocant: ῥέον enim Græcè dicitur quicquid manat. Est enim lacrina sudore exhalata lignorũ, vt cerasi, lẽtisci, balsami, vel reliquarũ arborũ siue virgultorũ quæ sudare produntur, sicut & odorata orientis ligna: sicut gutta balsami, ac ferularũ vel fucinorum, cuius lacrima durescit in gemmam. Prima est resina terebintina omnium præstãtior. Affertur autẽ ex Arabię partibus atq; Iudęa & Syria, Cipro & Aphrica, ex insulis quoq; Cycladibus. Secunda est lentiscina: quæ mastix vocatur: hæc ex Chio insula deportatur. Tertia pinalis: quarum alia πιτυίνη. alia πευκίνη. alia liquida, alia arida: & afferũtur ex Tyrrhena Colophonia. Vnde etiam nomen Colophonia resina sumpsit.

Pix Græcũ nomẽ est: quã illi πίσσαν vocãt. Alij volunt ex pino picẽ vocari, hæc à Græcis appellatur * clodonia, nos ramalẽ dicere possumꝰ, cui * probatio splendens lenis & munda. *al. colonia: fortè, cladonia.*

Creandarum arborũ naturaliter tria sunt genera: aut enim sua sponte nascũtur, aut ex seminibus fortuitu iacentibus surgũt, aut ex radicibus pullulant. Nam cætera vsus inuenit fauente natura. *al. natura probabilis.*

Omnia poma Latinè neutri generis esse dicuntur: arbores autẽ fœminini sunt generis: exceptis paucis, vt hic oleaster, hoc filer, vt Virgilius, *Molle filer.* Item hoc buxum, licet & hæc buxus dicatur. Nam superfluã quidã volunt facere discretionem, vt hæc buxus de arbore dicamus: buxum verò de ligno composito.

De arboribus aromaticis. CAP. VIII.

Aromata sunt quæq; fragrantis odoris quę India vel Arabia mittit, siue alię regiones. Nomen autem aromata traxisse videntur: siue quòd aris imposita diuinis inuocationibus apta videantur, seu quòd sese aeri inserere ac miscere probantur. Nam quid est odor nisi aer contactus?

Thus arbor Arabiæ immensa atq; ramosa lenissimi corticis, ramis ad aceris qualitatem. Amigdala modo succum aromaticum fundens album & masticatione velut in puluerem resolutum: & cum frangitur, intus pingue est & igni appositum facile ardescens. Et appellatur apud nos masculum, eo quòd sit natura rotundum in modum testiculorum. Reliquum planum penè scabrosum: minus optimũ. Adulteratur autem admixta

© Biblioteca Nacional de España

admixta resina sive gummi, sed dinoscitur sua proprietate. Nam thus igni impositum ardescit, resina fumescit: gummi verò liquescit calefactũ. Tus verò sine aspiratione à tundendo dicitur, quia dum gummi guttæ ex arbore cadũt in glebis miscentur: dum verò glebę in pulverẽ rediguntur, thus carpitur & virgulis tunditur, & sic inde manibus tollitur. Hoc & libanũ vocatum à monte Arabiæ vbi Sabæi sunt. Nam mons eorum Libanus dicitur vbi thura colliguntur.

Myrrha Arabiæ arbor altitudinis quinq; cubitorum similis spinæ, quam ἄκανθον dicunt. cuius gutta viridis atque amara, vnde & nomen accepit myrrha. Gutta eius spontè manans preciosior est, elicita corticis vulnere vilior iudicatur. Sarmenta eius Arabes ignibus fovent: quorum fumo satis noxio, nisi ad odorem storacis accurrant plerumque insanabiles morbos contrahunt. Myrrha autem Troglodyta ab insula Arabiæ dicta, vbi melior colligitur & purior.

Storax arbor Arabiæ, similis malo Cidonio, cuius virgulæ inter Caniculæ ortũ cavernatim lacrymam fluunt. Distillatio eius in terram cadens munda non est, sed cum proprij corticis scrobe servatur. Illa autem quæ virgis & calamis inhæserit, munda est & albida: dehinc fulva fit Solis causa, & ipsa storax calamites pinguis, resinosa, odoris iocundi, humecta & veluti mellosum liquorem emittens. Storax autem dicta, quòd sit gutta arboris profluens & congelata. Nam Græci styriam guttam dicunt. Græcè autem στύραξ, Latinè storax dicitur.

Bidella Indiæ & Arabiæ arbor, cuius lacrima melior Arabica. Est enim lucida subalbida, leuis, pinguis, æqualiter cerea. & quæ facile molliatur, neq; ligno vel terræ commixta, amara, odoris boni. Nam ex India sordida est & nigra & maiori gleba. Adulteratur autem admixto gummi: qui non ita amarificat gustu.

Mastix arboris lentisci gutta est. Hæc granomastix dicta est, quia in modum granorum est. Melior autem in Chio insula gignitur, odoris boni, candoris ceræ punicæ. Vnde & splendorem cutis pulchrificat. Adulteratur autem interdum resina vel thure.

Piperis arbor nascitur in India, & in latere montis Caucasi, quòd Soli obversum est: folijs ad iuniperi similitudinem. Cuius sylvas serpentes custodiunt, & serpentes igne fugantur: & inde ex flamma nigrum piper efficitur. Nam natura piperis alba est, cuius quidem diversus est fructus. Nam quod immaturum est piper longum vocatur: quod incorruptum ab igne, piper album. quod verò cute rugosa & horrida fuerit, ex calore ignis trahit & colorem & nomen. Piper si leve est vetustum est, si grave est novellum: vitanda est autem mercatorũ fraus. Solent enim vetustissimo piperi humecto argenti spumam aspergere aut plumbum vt ponderosum fiat.

Aloa in India atque Arabia gignitur: arbor odoris suavissimi ac summi. Denique lignum ipsius, vice thymiamatum adoletur altaribus, unde & nomen traxisse videtur.

Cinamomum dictum, quòd cortex eius in modum cannæ sit rotundus & gracilis. Gignitur in Indiæ & Æthiopiæ regionibus, frutice brevi: duorum tantùm cubitorum, colore subnigro vel cinereo: tenuissimarum virgularum. Nã quod in crassitudinẽ extenditur despectui est, quod verò gracilius provenerit, eximium. Quod cùm frangitur visibile spiramentum emittit: ad imaginem nebulæ vel pulveris.

Amomum vocatum, quòd veluti odorem cinamomi referat. Nascitur in Syria & Armenia: frutex eius botrosum semen reddens sibi connexum, flore albo veluti violæ, folijs similibus brioniæ, odore etiam bono, somnos suavificat.

Cassia nascitur in Arabia: virga robusti corticis, & purpureis folijs, vt piperis. Est autem virtutis cinamomi similis, sed potẽtia inferior: unde pro cinamomi vice duplex eius pondus in medicamentis admiscetur.

Calamus aromaticus à similitudine calami vsualis vocatur. Gignitur in India multis nodis geniculatus, fulvus, fragrans suavitate spiritus. Qui cùm frangitur, in multas fit partes scissilis, simulans gustu cassiam cum levi acrimonia remordente.

Balsami arbor in Iudæa intra terminos tantùm xx iugerum erat. Posteaquam eandem regionem Romani potiti sunt, etiam latissimis collibus propagata est, stirpe similis viti, folijs similis rutæ, sed albidioribus semperq; manentibus. Arbor autem balsamum: lignum eius xilobalsamum dicitur, fructus sive semen carpobalsamum: succus opobalsamum. Quod ideo cum adiectione significatur, eò quòd percussus ferreis vngulis cortex ligni per cavernas eximij odoris guttam distillat. Cuius guttam adulterant admixto Cyprino oleo vel melle. Sed sincera probatur à melle, si cum lacte coagulaverit: ab oleo, si instillata aqua aut admixta facilè fuerit resoluta: præterea si laneæ vestes ex ipsa pollutæ non maculantur. Adulteratum quidem neque cum lacte coagulat, & vt oleum in aqua supernatat & vestem maculat. Balsama autem si pura fuerint, tantam vim habent, vt si Sol excanduerit, sustineri manu non possint.

De herbis aromaticis sive communibus.

CAP. IX.

EXtant & quarundam herbarum nomina, quæ ex aliqua causa resonant, habentes nominum explanationem. Non tamen omnium herbarum etymologiam invenies. Nam pro locis mutantur etiam nomina.

Folium dictum, quòd sine vlla radice innatãs in Indiæ littoribus colligitur. Quod * ligno perforatum, siccant Indi atque reponunt. Fer- *al. lino*

© Biblioteca Nacional de España

tur autem paradisi esse herba gustu nardum referens.

Nardus herba est spicosa, vnde & à Græcis νάρδοσταχυς appellata: quarum alia Indica, alia Syriaca vocatur, non quòd in Syria nascatur, sed quòd mons in quo invenitur alio latere Indiã spectat, alio Syriam. Est autem Indica multiformis, sed melior Syriaca, levis, fulva, comosa spica parva, odorissima,* Cyprum simulãs. Quòd si multum in ore tardaverit, linguam siccat. Nardus Celtica à regione Galliẹ nomen traxit. Nascitur enim sæpius in Liguriæ alpibus, & in Syria, frutice parvo, radicibus in manipulo collectis ligamentis. Flos eius tantùm propter odorem bonus. Tyrsi eius atque radiculæ vtiles probantur vsibus nostris.

*Cyperum

Costum radix herbæ est nascentis in India, Arabia & Syria, sed melius Arabicum: est enim album & leve, suave, iocundi odoris: Indicum colore nigro, & leve vt ferula: Syriacum verò pondere grave, colore buxeo, odore acro, summum tamen album, leve, aridum, gustu incendens.

Crocus dictus ab oppido Ciliciæ, quod vocatur Coritium, quanquam & alibi nascatur, sed non tantùm vel tale quale in Cilicia. Vnde & à potiore parte nomen accepit. Nam multæ res nomina sumpserunt à locis vbi plus provenit, & aliquid melius. Optimum est autem quod fuerit recens, odoris boni, albedine parva, porrectæ longitudinis, integrum, & neque in fragmenta comminutum inspiratione, & cùm carpitur manus inficiens, & leviter acre. Quòd si eiusmodi non fuerit, aut vetustum, aut infusum agnoscitur. Adulteratur autem admixto crocomagmate. Augendi quoque ponderis causa spuma argenti contrita adijcitur, & proditur, si pulverulentum reperitur, atque decoctum ab odore propriò fuerit lapsum.

Crocomagma expressis aromatibus crocini vnguenti atque informato * redimine in pannuliculos fit: & ideo sic applicatur.

al. serimine

Alarum nascitur in vmbrosis montibus, floribus Cassiæ similibus, inter quæ flos iuxta radicem purpureus, in quo semen continetur uvarum simile, radicibus pluribus atque tenuissimis & bene redolentibus, & est virtute similis nardo.

Fu nascitur in Põto, folijs oleastro similibus.

* Quipparum à Græcis vocatur, quòd habeat virtutem ferventem. Radix eius est iunci trianguli folijs porri similibus, radicibus nigris sive contiguis, in similitudinem olivarum odorissimis atque acerrimis. Nascitur in paludibus atque varijs locis. Traditur etiam alia species quippari, quæ in India nascitur & appellatur lingua eorum zingiber.

Emendo κύπειρος

Iris Illyrica à similitudine Iris cœlestis nomen accepit. Vnde & Latinis arcumen dicitur. Iris quòd flos eius coloris varietate eundẽ arcum cœlestem imitetur. Illyrica autem dicitur, quia in Illyrico plurima & violentissima est: species eius folijs * gladioli similibus, radice aromatica, odoris boni.

al. gladiola

Acorum folijs viridibus, similibus radicibus, acerrimi odoris, sed iocundi propter quod & aromatica est.

Meu folijs pastinacæ similibus.

Cardamomum herba, quam vulgus Nasturgum vocat.

Schinos melius quod in Euphrate nascitur, quã quod in Arabia fulvum, multiflorũ, purpureum, tenue, odoris rosei cum manu fricatur, gustu multum incendit linguam atque mordet. Huius flos χιάνθος dicitur. Ἄνθος enim Græcè flos nuncupatur.

Timum appellatum, quòd flos eius odorem refert. De quo Virgilius:

—Redolentq; timo flagrantia mella.

Epitimum Græcum nomen quod Latinè dicitur flos timi. Nam flos Græcè timum vocatur. Est autem flos timbræ similis.

Samsucus est, quem Latini amaracum vocãt. Cuius nominis vsum Virgilius etiam ad Venerem referens ait:

— Vbi mollis amaracus illum
** Floribus aspirans molli complectitur vmbra.*

al. Florib. & dulci aspirans.

Apta est autem hæc herba vnguentis. Vnde & nomen traxit amaracus à puero cuiusdam regis: qui casu lapsus dum ferret vnguenta, novum & gratissimum ex confusione odorem creavit.

Hyacinthus herba est habens florem purpureum. Traxit autem nomen à puero quodam nobili, qui in saltibus inter purpureos flores repertus est interfectus, deditque nomen herbæ puerilis funeris casus. Est autem radice & flore * violæ similis, pueros à pubertate retinens.

al. volui

Narcissus herba fabulosè impositum nomen habet à quodam puero, cuius membra in hunc florem transierunt, qui & nomen Narcissi in appellatione custodit, & decus pulchritudinis in candore retinet foliorum.

Rosa à specie floris nuncupata, quòd rutilante colore rubeat.

Lilia lactei floris herba, vnde & nuncupata, quasi lidia, cuius cùm candor sit in folijs, auri tamen species intus effulget.

Viola propter vim odoris nomen accepit. Huius genera sunt tria, purpureum, album, melinum.

Acanthus herba Ægyptia semper frondens, spinis plena, flexibili virgulto. In cuius imitatione arte vestis ornatur, quæ acanthina dicitur, & acanthis dicta.

Hedera dicta, quòd arboribus reptando adhæreat. De qua Virgilius:

Inter victrices hederam tibi serpere lauros.

Alij hederam aiunt vocatam, quòd hedis supra lactis abundantiam in esca à veteribus præbeatur. Hederæ, frigidæ terræ indices sunt secundum Physicos. Nam antipharmacum ebrietatis est, si quis potus hedera coronetur.

Elle-

© Biblioteca Nacional de España

Elleborum memorant Græci circa Elleborum quendam fluvium plurimum gigni, atque inde à Græcis appellari. Hoc Romani alio nomine veratrum dicunt, pro eo quòd sumptum, motam mentem in sanitatē reducit. Duo sunt autem genera, album & nigrum.

Acone portus est Bithiniæ, qui proventu malorum graminum vsque adeò celebris est, vt noxiam herbam aconita illinc nominemus. Nam toxica venena ex eo dicta, quòd ex arboribus taxeis exprimuntur: maximè apud Cantabriam.

Euphorbium dictum, quòd eius succus oculorum acuat visum. Cuius vis tanta est, vt duris carnibus superadiecta citius coqui compellat. Nascitur iu multis locis, sed maximè in Mauritania.

Lafer herba nascitur in monte Oscobagi: vbi & Ganges fluvius oritur: cuius succus dictus primùm lafir: quoniam manat in modum lactis: deinde vsu derivante lafer nominatum est. Hoc & à quibusdam opium Cyrenaicum appellatum, quoniam & apud Cyrenas nascitur.

Aloe herba amarissimi succi.

Panace herba fragrantis odoris, tyrso ferulæ similis, ex quo profluit succus, qui opopanace dicitur, croceus & pinguis, odore gravis & amarissimus.

Galbanum est genus pigmenti albi, crescens in monte Amomo Syriæ. Aliàs succus est ferulæ.

Dycta est mons Cretæ, ex quo dictamnum herba nomen accepit, propter quam apud Virgilium cerva vulnerata salus peragrat. Tantæ enim potentiæ est dictamnum vt ferrum à corpore expellat, sagittas excutiat: unde & eius pabulo feræ percussæ sagittas à corpore inhærentes eijciunt. Hanc quidam Latinorum * poleium Martis dicunt, propter belli tela excutienda.

*polegium

Mandragora dicta, quòd habeat mala suaveolentia, in magnitudinem mali Matiani. Vnde & eam Latini malum terræ vocant. Hanc poetæ ἀνθρωπόμορφον appellant, quòd habeat radicem formam hominis simulantem. ἄνθρωπος enim Græcè, Latinè dicitur homo. Cuius cortex vino mixtus ad bibendum datur ijs quorum corpus propter curam secandum est, vt soporati dolorem non sentiant. Huius species duæ. Fœmina, folijs lactucæ similibus, mala generàs in similitudinem prunorū. Masculus verò, folia betæ similia habet.

Papaver herba somnifera: de qua Virgilius:

—Lethæo perfusa papavera somno.

Soporem enim languentibus facit. Eius alia est vsualis, alia agrestis, ex qua fluit succus, quem opium vocant.

Colocynthis cucurbita agrestis & vehementer amara, quæ similiter vt cucurbita flagella per terram tendit. Dicta autem colocynthis, quòd sit fructu rotundo atque folijs vt cucumis vsualis.

Centauriam Græci vocant, quoniam à Chirone Centauro fertur reperta. Eadem & λιμενήσιος, quia locis humectis nascitur. Eadem & fel terræ propter amaritudinem.

Glycyriza Græcè ex eo dicta, quòd dulcem radicem habeat. γλυκὺ enim dulce Græci dicunt. Eadem ἄδιψος, quia sitientibus sitim sedat.

Dracontea vocata, quòd hasta eius varia sit in modum colubri, similitudinemque draconis imitetur, vel quòd eam herbam vipera timeat.

Chelidonia ideo dicitur, vel quòd adventu hirundinum videtur erumpere, vel quòd pullis hirundinum si oculi auferantur, matres eorum illis ex hac herba mederi dicuntur.

Heliotropium nomen accepit primò, quòd æstivo solstitio floreat, vel quòd Solis motibus folia circūacta convertat. Vnde & à Latinis solsequia nuncupatur. Nam & Sole oriente flores suos aperit, item serò claudit, cùm sol occubuerit. Ipsa est quam Latini intubum sylvaticum vocant. Hęc & verrucaria, quòd extinguat verrucas ex aqua potata, vel in cataplasmate posita abstergat.

Pentaphyllon à numero foliorum dicta: unde eam Latini quinquefolium vocant: herba adeò munda vt purificationi & templis adhiberi à gentibus solita esset.

Hysopus herba purgandis pulmonibus apta. Vnde & in veteri testamento per Hysopi fasciculos aspergebantur sanguine qui mundari volebāt. Nascitur in petris hærens saxo radicibus.

Reubarbarum sive reuponticum, illud quod trans Danubium in solo barbarico: istud quod circa Ponticum colligitur nominatum est. Reu autem radix dicitur. Reubarbarum ergo quasi radix barbara. Reu ponticum, quasi radix pontica.

Hyosquiamos à Græcis, à Latinis herba calicularis, quòd caliculi eius in figuram cantarorum nascantur, vt est mali Punici, quorum ora serrata sunt, habentia intrinsecus semina papaveris similia. Hæc herba insana vocatur, quia vsus eius periculosus est. Denique si bibatur vel edatur insaniam facit, vel somni imaginem torpidam. Hanc vulgus milimindrum dicit: propter quod alienationem mentis inducit.

Saxifragia vocata, quòd semen eius petras in vesica frangat atque comminuat.

Gentiana nomen sumpsit vt medici memorant, ab inventore, radicibus aristolochiæ similibus. Nascitur sub alpibus Galaciæ & Asiæ.

Satureia calida & propè ignita. Vnde illi & nomen inditum credunt, quòd pronos facit in Venerem. Satirion dicta à Satyris, propter incendium libidinis, quam vulgus * stringum vocat: Venerem enim suscitat. Eadem & orchis, quòd radix eius in modum testiculorum sit: quos Græci ὄρχεις vocant. Item & leporina, propter quod caulem mollem emittat.

*stinĉum

Vrtica vocata, quòd tactus eius corpus adu-

© Biblioteca Nacional de España

rat. Est enim igneæ omnino naturæ, & tactu perurit: unde & pruriginem facit.

Artemisia herba Dianæ à gentilibus consecrata est, vnde & nuncupata. Græcè enim Diana ἄρτεμις dicitur.

Chamæmelon Græcè dicta, quòd mali Matiani odorem habeat: sitque brevis terræque vicina.

Chamædrys à Græcis appellatur, quòd sit brevis, & per terram strata & minuta folijs parvissimis.

Pæon quidam medicus fuit, à quo Pæonia herba perhibetur inventa, vt Homerus dicit. Hanc quidam glycysiden vocant, quòd dulcis saporis, vel * penterobinam à numero granorum, vel vt alij dactilosam à digitorum similitudine. Nascitur in sylvis.

Corrige penterobon

Buglossos à Græcis dicta, eò quòd folia asperrima ad modum linguæ bovis habeat. Quæ mirum in modum ob sapientiam nutriendam vino infundenda à veteribus memoratur. Convivij quoque hilaritatem præbere fertur. pro olere etiam sumitur.

Arnoglossos, id est, agni lingua, quæ Romanis plantago dicitur, quòd planta eius citò adhæreat terræ. Hac multi pro olere vescuntur.

Herpillus quæ apud nos serpillus vocatur, pro eo quòd radices eius longæ serpant. Eadem & matris animula, propter quod menstrua moveat.

Aristolochia dicitur, quòd mulieribus fœtis optima sit. Nam superfessa post partum, matricem beneficio vaporis expurgat. Huius herbæ genera sunt duo: quarum vna aristolochia rotunda dicitur, propter quod rotundam radicem habeat: altera aristolochia longa, quia longam radicem habet, cum ramis & folijs longioribus. quam etiam & dactilinam vocant, quòd sit radice robore digitali & longa.

Erigonon nomen à Græcis dicitur, quòd vere primò senescat. Vnde & eam Latini herbam senecionem vocant. Nascitur per macerias.

Psyllion dicta, quòd semen pulicis simile habeat. Vnde eam Latini herbam pulicarem vocant.

Hierabotane ideo à Græcis hoc nomen accepit, quòd remedijs ac ligamentis hominum & purificationibus sacerdotum à gentilibus probaretur apta. Vnde & eam pontifices sagmen appellabant, quasi sancinem, & hęc verbena, quia pura.

Paliurus herba asperrima & spinosa, pungēs & retinens: vulnerans appropinquantem sibi & adunco dente comprehendens.

Strutius, quam quidam herbam lanariam vocant, eò quòd plerique lanam ex ea lavent. Nascitur in locis cultis.

Cimicia propter similitudinem cimicis. Vnde & eam Græci corionem vocaverunt. Nascitur in locis asperis atque cultis.

Marubium, quod Græci prasium dicunt, vocatū propter amaritudinē. Nascitur in campis.

*Pulegium apud Indos pipere preciosius est. Habet autem vim thermanticam, calefacit & deducit, extenuat & purgat & digerit. *Polcium*

Absinthium Græcum nomen, cuius probabilius est, quod in Ponti regione nascitur: unde & absinthium ponticum nominatur. Est amarum gustu, suave odore, temperamentum corpori præstans. cuius contusa folia auferendis doloribus vel contusioni corporum vtilissima comprobantur.

Symphyton Græcè dictum, eò quòd tantam in radice virtutem habeat, vt frusta carnis aspersa in cacabo coagulet.

Polypodion herba, cuius radix hispida atque crinita, vt est polypus: ex quo derivatum vt polypodion diceretur. Nascitur in teneris petrarum terris, sive quercubus vicinis.

Polios à Græcis, à Latinis Omnimorbia, quòd multis morbis subveniat. Nascitur in montibus & duris locis.

In quodam exemplari hæc præterea habentur:

De vna radice multas & tenues fibras mittit seminis plenas: in summitate habens quosdam corimbos canescentes: odore gravi & subdulci. Succus eius in aqua cocta à serpentibus percussos sanat: sparsa in domo vel incensa omnes serpentes fugat.

Scammonia, quam Latini acridium vocant, herba succi plena, quæ colligitur sub cavata radice. Deniq; terram rotunda cavitate fodiunt: tum suppositis aut cochleis, aut nucis folijs excipitur succus atque siccatus aufertur. Venit autem sæpius probabilior ex Mysia Asiæ. Huic contrarius atque falsus ex Syria atque Iudæa.

* Daucus folijs fœniculis tirso bipalmis. *al. Daucus herba, fœniculi similis folijs tyrso bipalmis.*

Citocatia dicta, quòd ventrem citò depurget, quam vulgus corruptè citocotiam vocant.

Lappa dicta, quòd habeat caulem ingentem per terram dispositam. Hæc herba à Græcis φιλάνθρωπος vocatur, quòd vestibus hominum inhæreat ob asperitatem sui. Nascitur iuxta muros.

Capillus Veneris vocatus, sive quòd delapsos post alopeciam capillos recreat, vel quòd capillorum fluores coercet, vel quòd sit virgulis nigris lenibus cum splendore quasi capilli. Nascitur in aquosis locis.

Rubia dicta, quòd radix eius sit rubea, unde & colorare lanas perhibetur. Est & vtilis pulvis ex eius radice factus, sive in cibum sumptus, sive potui datus ad eos qui rabiem patiuntur.

Anchusa cuius radix contrita digitos inficit. Est enim colore sanguineo, unde etiam pictoribus ad purpuram efficiendam vsui est.

Chamæleon quæ Latinè viscarago vocatur, eò quòd viscum gignat: in quo hærent aves quę propria voluntate descenderunt ad escam.

Cicuta propter quod in thyrso geniculatos nodos habeat occultos ut canna: sic dicitur fossa cæca, quæ occulta est. Hæc potui data interficit. Hanc in carcere Socrates bibit & expiravit

© Biblioteca Nacional de España

vit. Persius dicit: —*Sorbitio quē tollit dira cicutæ.* Hæc dum hominibus venenum fit: capellas efficit pingues.

Trifolium est quod Græci τριφυλλον vocant, quòd sit folijs trinis per singulas * annotationes.

* fortè additiones.

Flomos, quam Latini herbam lucernalem vocant, ab eo quòd ad * lucinium proficiat. Eadem & lucubros, quòd lucem præbeat vmbris.

* l. lychnia

Pyretron Græcè dicta, quòd habeat radicem incendiosam atque coacervantem.

Althea malva agrestis, sive malvæ viscus, sed althea, quòd in altum surgit: & viscus, quia glutinosa est.

Origanum quod Latinè * colena interpretatur, propter quod infusum coloret vinum.

* al. Colora. Plin. cum li. verbam Origano simile facit sa. ore.

Titimallum vocabulum sumpsit, quòd foliorum comam ad radium Solis circumacta convertat. Nam Græci Solem τιτάνα vocant, μαλλὸν comam ex quo confectum est, vt titimallum diceretur. Huius species septem diversis locis nascentes.

Strychnos, quę Latinè herba salutaris vocatur, propter quod dolorem capitis: & stomachi incendium mitigat. Eadem & uva lupina propter semen eius uvæ simile.

* Pilogonus, quam Latini herbam sanguinariam vocant, propter quod missa in naribus sanguinem moveat.

* Corr. Polygonon

Ambrosia, quam Latini apium sylvaticum vocant. De qua Virgilius:

Ambrosiæq; comæ divinum vertice odorem
Spiravêre —.

Apiacum, quòd flores eius apes maximè appetunt.

Rosmarinum, quā Latini ab effectu herbam salutarem vocant: cuius folia fœniculi sunt similia atq; aspera: & rotatim terræ prostrata.

Mentha agrestis, quam Græci καλαμίθλω nostri vulgo nepeta vocaverunt: maioris virtutis & vehemens in calore.

Genicularis herba substernitur ob scorpionum vim repellendam.

Gladiolus, quòd sit folijs gladij similibus, cubitalis, floribus purpureis.

Agaricum radix vitis albæ.

Asphodelus, quam Latini à calore albutium vocant.

Squilla, quòd nocens sit: de qua superstitio gentilium dicit, quòd si integra ad limen suspendatur omnia mala fugat.

Κακαφάτης à Græcis dicta, quòd terræ adhęreat, & odorem pini habeat. Hanc Latini cucurbitularem vocant, quòd ex parte odorem cucurbitæ referat.

Staphysagria nascitur in locis amœnis.

Splenion dicta, quòd splenem auferat, sive scolopendryos, eò quòd folia ipsius scoloprēdo animali sunt similia. Nascitur in humidis petris.

Volvus appellatus, quòd radix eius volubilis sit & rotunda.

Sthœchas in insulis Sthœchadibus nascitur: unde & nuncupatur.

Cyclaminos Græcè dicta à quodam qui Κύκλος vocatus est, qui primus virtutem huius herbæ invenit: sive quòd talis herba habeat radicem rotundam. Græci enim κύκλον rotundum vocant. Cuius radix aut succus si vino fuerit admixtus, ebrios facit. Nascitur in sylvosis locis & agris.

Ἀμπελος λευκὴ sive brionia, quam Latini vitem albam vocant: vel à qualitate coloris, vel quòd eius radix contrita & corpori infricata teneriorem & candidiorem cutem reddat. Nam & succus baccarum eius lac vberibus siccis reddit.

Ἄμπελος μέλαινα, id est, vitis nigra, eademque labrusca: folia hederæ similia, in omnibus maior quàm ipsa vitis alba: baccas similiter habēs, quæ baccæ immaturitate nigrescunt: unde & vocabulum sumpsit.

Viticella verò herba à Latinis appellata, quòd sicut vitis quicquid proximum habuerit, apprehendat corimbis, quos annulos appellamus.

Bupthalmos florem habet croceum, oculo similem. Vnde & à Græcis nomen accepit. Est autem caule molle, folijs coriandri similibus. Nascitur iuxta muros civitatum.

Flomos, quam Latini verbascum vocāt, quarum altera est masculus, albidioribus folijs atque angustioribus: altera fœmina folijs latioribus atque nigris.

Ferula vocata à medulla. Nam ilum Varro tradit esse ferulæ medullam, quam * appodelon Græci vocant. Nonnulli à feriendo ferularum dicunt. Hac enim pueri & puellæ vapulare solēt: huius succus galbanum est papirum dictum, quòd igni & cereis est aptum: πῦρ enim Græci ignem dicunt.

* opodelon

Iuncus dicitur, eo quòd iunctis radicibus hæreat.

Scirpus à quo segetes teguntur sine nodo: de quo Ennius,

*Quærunt in scirpo soliti * quid dicere nodum.*

* prædicere

Et in proverbio: *Qui inimicus est, etiam in scirpo nodum quærit.*

Fucus genus herbæ est, de qua tingitur vestis: dicta, quia mentitur alienum colorem: vnde & Virgilius:

— *Discet mentiri lana colores.*

Alga nascitur in aquis stantibus. Ita denique nomen sumpsit ab algore aquę: vel quòd alliget pedes, quia crassa est folijs aquā ex parte superantibus.

Vlva & tiphus herbæ circa fontes & paludes stagnisque nascuntur. Ex quibus ulva, id est, alga mollis & quodammodo fungus, dicta ab uligine.

Tiphus verò quæ se ab aquis inflat. Vnde etiam ambitiosorum & sibi placentium hominum tumor typhus dicitur.

Carix acuta herba & durissima sparto similis. de qua Virgilius: —*Et carice pastus acuta.*

© Biblioteca Nacional de España

Spartus frutex virgosus sine folijs, ab asperitate vocatus. Volumina enim funium quæ ex eo fiunt, aspera sunt.

Gramen à situ potius dictum, quòd plurimorum agrorum sit. Vnde illud Græci ἀγρῶστιν vocaverunt: licet omnis herba gramen vocetur, ab eo quòd germinetur: sicut robur omnis ligni * species & cutis, ab eo quòd firmissima.

* cutis & species

Filix à singularitate folij dicta. Denique ex una virgula altitudine cubitali vna scissa folia gignit * resimplicata, velut pinna.

* res implicata

Zizania quòd poetæ semper infelix lolium dicunt, quòd sit invtile & infœcundum.

Fœnum dictum, quòd eo flamma nutritur. φῶς enim flamma est.

Manipulum dicimus fascem fœni. Et dictus manipulus, quòd manum impleat.

De oleribus. CAP. X.

HOrtus nominatur, quòd semper ibi aliquid oriatur. Nam cùm alia terra semel in anno aliquid creet: ortus nunquam sine fructu est.

Olus ab alendo dictum, eò quòd primùm homines ab oleribus alerentur, antequam fruges & carnes ederent. Tantùm enim pomis arborum & oleribus alebantur, sicut animalia herbis.

Caulis est generaliter herbarum & olerum medius frutex: qui vulgò tyrsus dicitur, quòd à terra sursum conscendat: ex quo derivatum est, vt specialiter quoddam genus olerum caulis diceretur, quia tyrsus ipsius amplius cæteris oleribus coalescit, id est, crescit. Est autem generale nomen. Omnis enim frutex caulis.

Cima dicitur quasi coma. Est enim summitas olerum vel arborum, in qua vigens virtus naturalis est.

Malva ex parte Græco vocabulo appellatur ἀπὸ τοῦ μαλάσσειν, eò quòd molliendi alvum solvendique naturam habeat. Cuius succo si quis se oleo mixto perunxerit, ab apibus negatur feriri. Folia eius ex oleo trita & imposita scorpionibus, creduntur afferre torporem.

Pastinaca vocata, quòd radix eius precipuus pastus sit hominis. Est enim odoratu iocunda, cibo delectabilis.

Rapa dicta à rapiendo, id est, comprehendendo. Est autem radice amplior napo, sapore dulcior, & folio tenui.

Napus à similitudine rapę vocatus, nisi quòd folijs latior & radicis gustu subacrior est. Nominis autem affinitas in vtrisq; inde penè communis, quia vtrumque semen in alterum vicissim mutatur. Nam rapa in alio solo vt Æmilianus ait, per biennium mutatur in napum: alio verò, napus transit in rapam.

Napocaulis ex duobus oleribus compositum nomen habet, quia dum sit sapore napo similis: non in radice, sed in tyrso conscendit vt caulis.

Sinapis appellatur quòd folijs sit similis napis.

Raphanum Græci, nos radicem vocamus, eò quòd deorsum totus nititur: dum reliqua olera in summa magis prosiliant. cuius semine macerato quisquis manus infecerit, serpentes impunè tractabit. Siquidem ex ipsius radice etiam ebur albescit. In cibo quoque venenis obsistit. Nam contra venena radices, nuces, lupini, citrum, apium, prosunt, sed contra futurum, non contra acceptum venenum. Vnde & apud veteres ante alias epulas hoc solebant mensis apponere.

Lactuca dicta est, quòd abundantia lactis exuberet, seu quia lacte nutrientes fœminas implet. Hæc & in viris Veneris vsum coercet.

Lactuca agrestis est, quam sarraliam nominamus, eò quòd dorsum eius in modum serræ est.

Intubus Græcum nomen est. Et intubus quòd intus sit tofus.

Cepa vocatur, quia non aliud est, nisi tantùm caput.

Ascalonia nuncupata ex una urbium Palęstinæ, quæ Ascalòn dicitur, vnde prius advecta est.

Allium dictum quòd oleat.

Vlpicum appellatum, quòd allij odorem habeat.

Faselos vocari aiunt à Phaselo insula Græciæ, vbi non procul mons Olympus est.

Porrum cuius duo genera sunt, capitatum & sectile. Capitatum melius, sectile parvulum.

Beta apud nos oleris genus, apud Græcos litera est.

Blitum genus oleris, saporis evanidi, quasi vilis beta.

Cucumeres quòd sint interdum amari, qui dulces nasci perhibẽtur, si lacte mellito eorum semen infundatur.

Olus molle atriplex, brassica, olisatrum.

Nasturtium sapor appellavit, quòd acrimonia sui nasum torqueat.

Fungi, quòd aridi ignem acceptum concipiant. φῶς enim ignis est, vnde & * esca vulgò dicitur, quòd sit fomes ignis & nutrimentum. Alij dicunt fungos vocatos, quòd sint ex eorum genere quidam interemptorij, vnde & defuncti.

* Hodie etiã Hispani fomite ignis accendendo apium yesca vocant. Itali ipsum nomen Esca retinent.

Tubera tumor terræ prodit, eaque causa nomen illi dedit.

Volui appellati, quòd sint volubiles & rotundi.

Asparagus, quòd sit spinosa & aspera, & frutex eius ex quo gignitur.

Capparis à Græcis nomen sumpsisse videtur, quòd habeat rotunda in summitatibus seminum capitella.

Arboraca, hoc est, lapsana.

Lapistrus lapatium. Hæc in cibo sumpta stomachum confortat, Venerem reprimit.

Carduus genus herbæ spinosæ. Huius natura mordax & cum austera est mollis. Frigidus & indi-

© Biblioteca Nacional de España

indigestus succus eius alopecias curat.

Eruca quasi urica, quòd ignitæ sit virtutis, & in cibo sæpe sumpta Veneris incendium moveat. Huius species duæ: quarum altera usualis, altera agrestis, acrioris virtutis: vtraq; tamen Veneris commovens vsum.

De odoratis oleribus. CAP. X.

APium dictum, quòd ex eo apex, id est, caput antiquorum triumphantium coronabatur. Hercules autem hanc herbam primus capiti circumtulit. Nam nunc populum capite præferebat: nunc oleastrum: nunc apium. Cuius radices efficaciter pugnant contra insidias venenorum. Eius generis sunt petroselinon, hipposelinon & oleoselinon.

Petroselinon vocatum, quòd sit simile apio, & nascatur in petris montibusque præruptis, quod nos petrapium dicere possumus. Σέλινον enim Græcè apium dicitur, sed est summum ac probabile Macedonicum: gustu suave, & odore aromatico.

Hipposelinon, quòd sit durum & austerum.

Oleoselinon, quòd mollius folio & caule tenerum.

Feniculum Latini vocat, quòd eius tyrsi seu radicis succus acuat visum: cuius virtus traditur vt serpentes annuam senectutem eius gustu deponant. Hoc olus Græci μάραθρον vocant.

Liguritium à regione nomen accepit. Nascitur enim plurimum in Liguria, odore aromatico & gustu acre.

Annesón, vt Græci dicunt, sive vt Latini anesum, herba omnib. cognita, acerrimè fervens.

Coriandrum ex Græco nomine sumptum, quod illi κόριον vocant. Cuius semen in dulci vino datum proniores reddit in Venerem, si supra modum dederis, amentiam nutrit. Canos etiam ex coriandro infici traditum est.

Ruta dicta, quòd sit ferventissima. Cuius altera agrestis atq; virtute acrior, sed vtraque ferventissima comprobatur. Hanc venenis repugnare mustelæ docent, quæ dum cum serpente dimicaverint, cibo eius armantur.

Inula quam rustici * alant vocant, radice aromatica, odoris summi, levi acrimonia. * alam

Mēta, genus herbę odoriferę, huius genera vj.

ISIDORI HISPALENSIS
EPISCOPI, ORIGINVM
SIVE ETYMOLOGIARVM
LIBER XVIII.

CAPITA LIBRI DECIMIOCTAVI.

1 *De bellis.*
2 *De triumphis.*
3 *De signis.*
4 *De buccinis.*
5 *De armis.*
6 *De gladijs.*
7 *De hastis.*
8 *De sagittis.*
9 *De pharetris.*
10 *De fundis.*
11 *De ariete.*
12 *De clypeis.*
13 *De loricis.*
14 *De galeis.*
15 *De foro.*
16 *De spectaculis.*
17 *De ludo gymnico.*
18 *De generibus gymnicorum.*
19 *De saltu.*
20 *De cursu.*
21 *De actu agonum.*
22 *De virtute.*
23 *De luctatione.*
24 *De palæstra.*
25 *De agone.*
26 *De generibus agonum.*
27 *De ludis Circensibus.*
28 *De Circo.*
29 *De ornamentis Circi.*
30 *De metis.*
31 *De obelisco.*
32 *De carceribus.*
33 *De aurigis.*
34 *De cursu.*
35 *De equis quibus currunt.*
36 *De septem spacijs.*
37 *De equitibus.*
38 *De desultoribus.*
39 *De peditibus.*
40 *De coloribus equorum.*
41 *De theatro.*
42 *De scena.*
43 *De orcistra.*
44 *De tragœdis.*
45 *De comœdis.*
46 *De themelicis.*
47 *De histrionibus.*
48 *De mimis.*
49 *De saltatoribus.*
50 *Quid pro patrono agatur.*
51 *De amphitheatro.*
52 *De ludo equestri.*

T

© Biblioteca Nacional de España

53 De retiarijs.
54 De secutoribus.
55 De laqueatoribus.
56 De velitibus.
57 De ferali certamine.
58 De horum execratione.
59 De tabula.
60 De pyrgis.
61 De calculis tesserarum.
62 De tesseris.
63 De figuris aleæ.
64 De vocabulis.
65 De iactu tesserarum.
66 De calculorum motu.
67 De interdictione aleæ.
68 De pila.

DE BELLIS. CAP. I.

Primus bella intulit Ninus Assyriorum rex. Ipse enim finibus suis nequaquā contentus, humanæ societatis fœdus irrumpens exercitus ducere, aliena vastare, liberos populos aut trucidare, aut subijcere, vniversamq; Asiam usq; ad Lybię fines nova servitute perdomuit. Hinc etiam studuit orbis in mutuo sanguine grassari alterna cæde.

Quatuor autem sunt genera bellorum, id est iustum, iniustum, civile & plusquam civile. Iustum bellum est, quod ex prædicto geritur de rebus repetitis, aut propulsandorum hostium causa. Iniustum bellum est quod de furore, non de legitima ratione initur. De quo in republica dicit Cicero: *Illa iniusta bella sunt, quæ sunt sine causa suscepta. Nam extra ulciscendi aut propulsandorum hostium causam, bellum iustum geri nullum potest.* Et hoc idem Tullius parvis interiectis subdidit: *Nullum bellum iustum habetur, nisi denuntiatum, nisi indictum, nisi de repetitis rebus.* Civile bellum est inter cives orta seditio & concitatio tumultus, sicut inter Syllam & Marium, qui bellum civile invicem in una gente gesserunt. Plus quàm civile bellum est, vbi non solū cives concertant, sed & cognati: quale actum est inter Cęsarem & Pompeium: quando gener & socer invicem dimicaverunt. Siquidem in hac pugna frater cum fratre dimicavit: & pater adversus filium arma portavit. Lucanus:

— In fratrem ceciderunt præmia fratris.

Item, *— Cui cervix cæsa parentis Cederet —.*

Bella itaq; dicuntur interna, externa, servilia, socialia, piratica. Nam piratica bella sunt sparsa latronum manus per * maria miioparonibus, levibus & fugacibus, non solùm navium commeatus, sed etiam insulas provinciasque vastantibus. Quos primùm Cneus Pompeius post multam vastationē quam terra mariq; diu egerat, mira celeritate compressit ac superavit.

*in alio V.C. agami

Sicut autem bellum vocatur, quod cōtra hostes agitur: ita tumultus qui civili seditione concitatur. Nam seditio est dissensio civium: dicta quòd seorsum alij ad alios eant. Alij æstimant dissensionem animorum seditionem vocari, quam Græci ἀφέσεις vocant. Quo autem differat vtrumq; Cicero docet: *Potest enim, inquit, esse bellum ut tumultus non sit. Tumultus autem esse sine bello non potest.* Quid est enim tumultus, nisi perturbatio tanto ut maior timor oriatur? Vnde etiam dictus tumultus, quasi timor multus. Gravior autem est tumultus, quoniam bellū. Nam in bello *vocationes valent, in tumultu non valent.

al. vacationes

Differt autē bellum, pugna & prælium. Nam bellum universum dicitur, vt Punicum. Huius partes sunt pugnæ, ut Cannensis, Trimensis. Rursum in una pugna sunt multa prælia. Aliud enim in cornibus, aliud in media, aliud in extrema acie geritur. Bellum igitur est totum: pugna unius diei, prælium pars pugnæ est.

Bellum antea duellū vocatum, eò quòd duæ sint partes dimicantium, vel quòd alterum faciat victorem, alterum victum. Postea *detracta litera d, & mutata u in b, dictum est bellum. Alij per antiphrasin putant bellum, quòd sit horridum: vnde est illud, *Bella horrida bella*, cùm bellum contrà sit pessimum.

*V.C. mutata & detracta litera

Prælia dicuntur à premendo, hostis hostem. Vnde & præla, ligna quibus uva premitur.

Pugna vocata, eò quòd initiò usus fuisset in bello pugnis contendere, vel quia primò bellum pugnis incipiebant. Vnde etiam pugna duorum est aliquando sine ferro.

Quatuor autem in bello aguntur. Pugna, fuga, victoria, pax. Pacis vocabulum videtur à pacto sumptum. Posterius autem pax accipitur, fœdus primùm initur. Fœdus est pax, quę fit inter dimicantes, vel fide, vel à fecialibus, id est, sacerdotibus dictum. Per ipsos enim fiebant fœdera, sicut per seculares bella. Alij fœdera dicta putant à porca *fœdè & crudeliter occisa, cuius mors optabatur ei qui à pace resilisset. Virgilius: *— Et cæsa fingebant fœdera porca.* Fœderis partes induciæ. Et dictæ, quasi in dies ocia.

al. fœda

De triumphis. CAP. II.

Omne regnum seculi huius bellis quæritur, victorijs propagatur. Victoria dicta, quòd vi, id est, virtute adipiscitur. Hoc est enim ius gētium, vim vi expellere. Nam turpis est dolo quæsita victoria. Certa autem victoria est vel occisio hostis, vel exspoliatio, vel utrumq;. Non est autem iocunda victoria, quæ per immensa detrimenta contingit. Et hoc est quod laudat Salustius, duces victoriam incruento exercitu deportasse.

Pompa dicta est Græca significatione, ἀπὸ τοῦ πομπεύειν, hoc est, publicè ostentare. Pręcedit autem victoria pompam, ideo quòd iuris ad hoc certamen primum est victoriæ votum.

Trophęum dictū ἀπὸ τῆς τροπῆς. i. conversione hostis

© Biblioteca Nacional de España

hostis & fuga. Nam ab eo quòd hostem quis fugasset merebatur trophęũ: quod occidisset triumphum, qui dictus est ἀπὸ τῆς θριάμβης, id est, ab exultatione. Plenæ enim victoriæ triumphus debetur: semiplenæ trophęum, quia nondum plenam est consecutus victoriam. Non enim obtinuit, sed fugavit exercitum. Hæc tamen nomina scriptores confundunt. Tranquillus autem triumphum Latinè dicit potius appellatum, quòd is qui triumphans vrbem ingrederetur, tripartito iudicio honoraretur. Nam primùm de triumpho duci concedendo exercitum iudicare solitum erat: secundò senatum: tertiò populum.

Erat autē apud Romanos mos, ut triumphantes quadrigis veherētur: ex illo quòd soliti sunt priores duces hoc habitu bella inire. Quicunq; autem in conflictu vicissent, palma aurea coronabantur, quia palma stimulos habet. Qui verò sine conflictu fugientem prostrasset: laurea, eò quòd hæc arbor sine spinis est. Namq; & purpuream & palmatam togam triumphantes induebantur, & scorpionem cum sceptro in manu gerebant ad imitationem victoriæ Scipionis: licet & scipio baculus sit quo homines innituntur. Vnde & ille primus Cornelius Scipio appellatus est, quia in foro pater eius cæcus innixus eò ambulabat. Super Scipionem autem aquila sedebat ob indicium quòd per victoriā quasi ad supernam magnitudinem accederent. Inde & colore rufo perliniebantur, quasi imitarentur divini ignis effigiem. Quod verò à carnifice contingebantur, id erat indicio, vt ad tantum fastigium evecti mediocritatis humanæ commonerentur.

Duobus autem generibus deletur exercitus, aut internicione, aut dispersione. Salustius, *Hostes*, inquit, *aut oppressi aut dilapsi forent*. Sic & utrumque Virgilius. Internitione, vt:

— Submersasq; obrue puppes.

Dispersione, vt:

Aut age diversos & disjice corpora ponto.

* Spolia * Expolia hostium præda: manubiæ, exuvię, partes. Præda à prædando vocata. Manubiæ eò quòd manibus detrahuntur. Hæ & exuviæ ab exuendo dictæ, quia exuuntur. Hæ & partes à pari divisione pro personarum qualitate, & laborum iusta divisione. Expolia autem à * pallijs, quasi expallia: victis enim detrahuntur. * spolia

De signis. CAP. III.

SIgna bellorum dicuntur, quòd ex ijs exercitus & pugnandi & victoriæ receptui accipit symbolon. Nam aut per vocem tubæ, aut per symbolon admonetur exercitus *legionum. Principalia signa aquilę, dracones & pilę.

Aquilæ ideo quòd eadem avis Iovis in armis auspicio fuerit. Nam dum idem Iouis adversus Titanas proficisceretur, aquilam ei in auspicio apparuisse ferunt, quā ille pro indicio victoriæ acceptam tutelæ suæ auspicatus, eam legioni signum dedit: quo factum est, vt deinceps militum signis cōmitteretur. Cuius Lucanus meminit dicens:

Annot. Ita in duob. cod. At in vetustissimo post exercitus, est punctū: et deinde, Legionū prin. signa, &c.

Signa pares aquilas & pila minantia pilis.

Draconū signa ab Apolline morte Pythonis serpentis inchoata est. Dehinc à Græcis & Romanis in bello gestari ceperunt.

Pilam in *signo constituisse fertur Augustus, propter nationes sibi in cuncto orbe subiectas, vt *magis figuram orbis ostenderet. *signa * V. Cod. habet Malus

Vexillum & ipsum signū bellicum, tractum nomen habens à veli diminutione, quasi velillum. Sub Romulo autem fasciculos fœni, pro vexillis milites habuerunt. Hinc & manipuli appellantur. Manipulos enim dicimus fasces fœni, quòd manum impleant. Cætera signa diversis prelata *agminibus secundum militarem consuetudinem existunt, per quæ exercitus permixtionem præliorum agnosceret. * imaginib.

De bucinis. CAP. IIII.

BVcina est, qua signum datur in * hoste dicta à voce, quasi vocina. Nam pagani agrestesq; ad omnem vsum bucina ad compita vocabantur. Propriè ergo hoc agrestibus signūm fuit: de qua Persius: al. hostem

Bucina iam priscos cogebat ad arma Quirites.

Huius clangor bucinum dicitur.

Tubam Tyrrheni primùm invenerunt. unde Virgilius:

Tyrrhenusq; tubæ mugire per æthera clangor.

Hanc enim à Tyrrhenis prædonibus excogitatam dicunt, cùm dispersi circa maritimas oras non facilè ad quamq; prædæ occasionem voce aut bucina convocarentur, vento plerumq; obstrepente. Hinc postea bellicis certaminibus adhibita est ad denuncianda signa bellorum, vt vbi exaudiri pręco pro tumultu non poterat, sonitus tubæ clangentis attingeret. Tuba autem dicta quasi tofa, id est, cava. Item tuba, quasi tibia. Inter tubam autem & bucinam veteres discernebant. Nam buccina insonans solicitudinem ad bella denunciabat. Virgilius:

Qua buccina signum — Dira dedit.

Tuba autem prælia indicabat, vt:

At tuba terribilem sonitum dedit ære canoro.

Cuius sonitus varius est. Nam interdum canitur ut bella committantur: interdum vt insequantur eos qui fugiunt: interdum receptui. Nam receptus dicitur, quo se exercitus recipit. unde & signa receptui canere dicuntur.

Classica sunt cornua quę convocandi causa, erant facta, & à calando classica dicebantur. de quibus Virgilius: *Classica namq; sonant*—. Apud Amazonas autem nō tuba sicut à regibus: sed à regina sistro vocabatur fœminarum exercitus.

De armis. CAP. V.

ARma generaliter omnium rerum instrumēta sunt: unde & ubi repoūntur armaria dicta sunt. Item arma & tela omniū ge-

© Biblioteca Nacional de España

rum, sed arma sunt quibus ipsi tuemur, tela quę emittimus. Nam arma duplicia, id est, quibus percutimus, vel quibus tegimur. Arma autem propriè dicta sunt, eò quòd armos tegunt. Nam arma vel ab armis dicuntur, id est, humeris, vt:

Latos huic hasta per armos Acta tremit —.

vel ἀπὸ τοῦ ἄρεως, id est, à Marte.

De gladijs. CAP. VI.

GLadius generaliter dicitur ensis in prelio, sed ensis ferrum tantùm: gladius verò totus. Propriè autem appellatus gladius, quia gulam dividit, id est, cervicem desecat. Ad hoc enim est factus: nam cætera membra securibus cęduntur, collum gladio tantùm. Acies autem gladij ab acumine dicta est. Capulus vocatur, vel quia caput est gladij, vel quia ibi capitur vt teneatur. Nam alibi acies ferri non finit. Mucro non tantùm gladij est, sed & cuiuslibet teli acumen: dictus à longitudine. Nam μακρὸν Græci longum dicunt: hinc & machera.

Machera autem est gladius longus ab vna parte acutus.

Framea verò gladius ex vtraq; parte acutus, quã vulgò spatam vocant. Ipsa est & romphæa. Framea autem dicta, quòd ferrea est. Nam sicut ferramentum sic framea dicitur, ac proinde omnis gladius framea.

Spata à passione dicitur verbo Græco, quoniam πάθος Græcè dicitur pati: vnde & patior & patitur dicimus. Alij spatam Latinè autumãt dictum, eò quòd spaciosa sit, id est, lata & ampla. Vnde & spatula in pecoribus.

Semispatium gladius est à media longitudine spatæ appellatus, non vt imprudens vulgus dicit, sine spacio, dum sagitta velocior sit.

Pugio à pungendo & transfigendo vocatur. Est enim gladius parvus bis acutus lateri adhęrens. Item & clunabulum dictum, quòd religetur ad clunem.

Chelidoniacus gladius ferrum est latum: cuius duplex mucro ac bifurcus in modum caudæ hirundineæ formatur: vnde & chelidoniacus dicitur.

Sica à secando dicta est. Est enim gladius brevis, quo maximè utuntur qui apud Italos latrocinia exercent, à quo & sicarij dicti sunt.

al. Tranquillus * Tranquillinus autem dicit: *Dum cuiusdam gladiatoris in ludum emissi gladius curvatus fuisset ex acie recta: procucurrit unus ad eum corrigendum, tumq; à pugnante responsum est, sica pugnabo: inde sicæ nomen datum est.*

Secures signa sunt quę ante cõsules ferebantur, ne aut usum perderent belli, aut vacantes ocio aspectum amitterent gladiorum. Quas & Hispani ab usu Francorum per derivationem Franciscas vocant.

De hastis. CAP. VII.

HAsta est contus cum ferro: cuius diminutivum facit hastile. Nomen autem hasta ab astu sumpsit: vnde & astutia.

Contus ferrum non habet: sed tantũ cuspide acuta est. Virgilius:

Ferratasq; trudes & acuta cuspide contos.

Contus autem, quasi conitus. Est enim * conitus acuta rotunditas. al. contus, al. conum

Trudes amites sunt cum lunato ferro, quæ Græci * aplustria dicunt. Trudes autem dicuntur ab eo, quòd trudunt & detrudunt. Virgilius: *Ferratasq; trudes —.* * alpestria, forte ἀπλήστεις

Venabula dicta, quasi * venatui habilia. Excipia, quia venientem excipiunt, quasi excipiabilia. Excipiunt enim apros, * expectantq; leones, intrant vrsos, sit tantùm firma manus. Annot. V. C. ita habet Venatui habilia, vel quæ venientem excipiunt, &c. * exceptiãtq;

Lancea est hasta, amẽtum habens in medio: dicta autẽ lancea, quia æqua lance, id est, æqualiamento ponderata vibratur.

Amentum vinculum est iaculorũ hastilium, quod medijs hastis aptatur. Et inde amentum, quo media hasta religatur, vt scil. iaculetur.

Clava est, qualis fuit Herculis, dicta quòd sit clavis ferreis invicem religata, & est cubito semis facta in longitudine. Hęc & cateia, quã Horatius caiam dicit. Est enim genus gallici teli ex materia quammaximè lenta, quæ iactu quidem non longè propter gravitatem evolat: sed quò pervenit, vi nimia perfringit: quòd si ab artifice mittatur, rursum redit ad eum qui misit. Huius meminit Virgilius dicens:

Teutonico ritu soliti torquere cateias.

Vnde & eos Hispani & Galli, teutonos vocant.

Falarica est telum ingens torno factum, habens ferrum cubitale & rotunditatem de plumbo in modũ spheræ in ipsa summitate. Dicitur etiam & ignem habere affixum. Hoc autem telo pugnatur de turribus, quas phalas dici manifestum est. Iuvenalis:

Consulis ante phalas delphinorumq; columnas.

A phalis igitur dicta est phalarica: sicut à muro muralis. Sanè phalaricam Lucanus dicit nervis mitti tortilibus, & quadam machina, vt:

— Nunc vibrata phalerica nervis.

Virgilius verò ait, Turnum manu phalaricam iaculasse.

Pila sunt arma iaculorum atq; telorũ à torquendo vel emittendo vocata. De quibus Lucanus: *Signa paresq; aquilas & pila minantia pilis.* Cuius singulare pilum dicitur.

Telum vocatur secundum Græcam etymologiam, ἀπὸ τοῦ τηλόθεν, quicquid longè iaci potest: quanquã abusivè dicatur & gladius, vt est illud: *At non hoc telum mea quod vi dextera versat.* Propriè autem telum à lõgitudine dicitur. Vnde & mustela dicitur, quòd longior sit quã mus.

Cuspis, hastile amentatum, à cespite dicta quod est virgultum. Virgilius,

Et pastoralem præfixa cuspide myrtum.

Propriè autem cuspis est, posterior pars hastæ.

De sagittis. CAP. VIII.

SAgitta à sagaci iactu, id est, veloci ictu vocata. Pennis enim fertur quasi avis, vt celeriter mors percurrat ad hominem. His primùm

© Biblioteca Nacional de España

mùm Cretenses vsi sunt. quibus pennæ ideo, vt diximus, agglutinantur, vt leves sint & * pervolent scutatos.

* prævolent hastas

Spicula sunt sagittæ vel lanceæ breves, ab spicarum specie nuncupatæ.

Scorpio est sagitta venenata arcu vel tormentis excussa. Quæ dum ad hominem venerit: virus quod figit infundit: unde & scorpio nomen accepit.

De pharetris. CAP. IX.

PHaretra sagittarum theca, à ferendo iacula dicta, sicut & feretrum, vbi funus defertur: quæ ideo etymologiam communem habent, quia pharetra mortem, feretrũ mortuum portat.

Coriti propriè sunt arcuum thecæ: sicut sagittarum pharetræ.

Vagina appellatur, eò quòd in ea mucro vel gladius baiuletur.

Theca ab eo quòd aliquid receptum tegat: c litera pro g posita. Alij Græco nomine thecam vocari asserunt, quòd ibi reponatur aliquid. Inde bibliotheca librorum repositio dicitur.

Dolones sunt vaginæ ligneæ, inter quas latet pugio sub baculi specie. Dolones autem à dolo dicti sunt, quòd fallant & decipiant ferro cũ speciem præferant ligni. Hos vulgus Græco nomine oxos vocat, id est, acutos. Vnde & apud medicos acutus morbus ὀξεῖα vocatur.

Arcus vocatur, eò quòd arceat adversarium. Inde & arces dicuntur, à quibus arcentur hostes. Item arcus ob speciem, quòd sint curvati artius.

De fundis. CAP. X.

FVnda dicta, eò quòd ex eo fundantur lapides, id est, emittantur.

Balista genus tormenti, ab emittendo iacula dicta. βάλλειν enim Græcè mittere dicitur. Torquetur enim verbere nervorum, & magna vi iacit aut hastas aut saxa. Inde, & fundibalus quasi fundens & emittens. Contra balistam testudo valet. Series enim fit armorum umbonibus inter se * collectis.

* colligatis

De ariete. CAP. XI.

ARieti nomen species dedit, eò quòd cum impetu impingit murum in modum arietum pugnantium. Validę enim ac nodosæ arboris caput ferro vestitur, eaque suspensa funibus multorum manu ad murum impellitur: deinde retrorsum ducta impetu maiore destinatur: sicque crebris ictibus concussum muri latus cedit, cavatumque irrumpit ac fenestram facit. Contra impulsum arietis remedium est saccus paleis plenus: & in eum locum demissus, quo aries percutit. Laxo enim saccorum sinu ictus arietis illisus mollitur. Duriora enim mollioribus facilius cedunt.

Plutei sunt crates corio crudo intextæ, quæ in opere faciendo hosti obijciuntur.

Musculus cuniculo similis est, quo murus perfoditur, ex quo & appellatur, quasi murusculus.

De clypeis. CAP. XII.

CLypeus est scutum maius, dictus ab eo quòd clepet, id est, cęlet corpus, periculisque subducat, ἀπὸ τοῦ κλέπτειν. Oppositus enim sua defensione ab hastis & iaculis corpus munit. Clipeus autem peditum est, scutum equitum.

Scutum appellatum, eò quòd à se excutiat telorum ictum. Vt enim telis resistatur, clypeus antefertur.

Vmbo scuti pars media est, quasi vmbilicus.

Ancile vocatur scutum breve & rotundum. de quo Virgilius:

— Leva ancile gerebat.

Et ancile dictum ab ancisione, quòd sit ab omni parte veluti ancisum & rotundũ. Ovidius:

Idq; ancile vocant quod ab omni parte recisum.
Quemq; notes oculis angulus omnis abest.

Pelta scutum brevissimum in modum lunæ mediæ. Cuius meminit liber Regum. Fecit rex Salomon ducenta scuta de auro puro & trecentas peltas ex auro probato.

Scetra scutum loreum sine ligno, quo vtuntur Afri & Mauri, de quo Poeta:

Levam scetra tegit —.

Parma levia arma, quasi parvus clypeus. Dicitur autem & testudo scutum. Nam in modum testudinis fit clypeus. Est & testudo scutorum connexio curvata in testudinis more. Namque in armorum generibus milites etiam ab animalibus nomina sumunt, vt aries. Et Salustius, *In modum*, inquit, *ericij militaris.*

De loricis. CAP. XIII.

LOrica vocatur, eò quòd loris careat: solis enim circulis ferreis contexta est.

Squama est lorica ferrea ex laminis ferreis aut æreis concatenata in modum squamarum piscis, & ex ipso splendore squamarum & similitudine nuncupata est. De cilicijs autem & poliuntur & teguntur loricæ,

De galeis. CAP. XIIII.

CAsis de lamina est: galea de corio. Nam galeros corium dicitur. Cassidem autem à Tuscis nominatam dicunt. Illi enim galeam cassim nominant: credo à capite.

Apex est, quod in summa galea eminet, quo figitur crista, quam Græci κῶνον vocant. Nam conus est curvata, quæ in galea prominet, & supra quam cristæ sunt.

De foro. CAP. XV.

FOrum exercendarum litium locus, à fando dictum. Qui locus & Prorostra vocatur ab eo quòd ex bello Punico captis navibus

© Biblioteca Nacional de España

Carthaginensium rostra ablata sunt, & in foro Romano præfixa, vt essent huius insigne victoriæ. Constat autem forum causa, lege, & iudice.

Causa vocatur à casu quo euenit. Est enim materia & origo negocij: necdum discussionis examine patefacta: quæ dum præponitur causa est, dum discutitur iudicium est, dum finitur iustitia: Vocatum autem iudicium quasi iurisdictio, & iustitia, quasi iuris status. Iudicium autem prius inquisitio vocabatur. Vnde & actores iudiciorum & præpositos quæstores vel quæsitores vocamus.

Negocium multa significat, modò actum alicuius, cui est contrarium ocium: modò actionem causæ, quod est iurgium litis. Et dictum negocium, quasi nec ocium, id est, sine ocio. Negocium autem est in causis, negociatio in commercijs dicitur, vbi aliquid datur vt maiora lucrentur.

Iurgium dictũ, quasi iuris garrium, eò quòd qui causam dicunt, iure disceptent.

Lis à contentione limitis prius nomen sumpsit. De quo Virgilius:

Limes erat positus litem vt discerneret agri.

Causa aut argumẽto aut probatione cõstat.

Argumentum nunquam testibus, nunquam tabulis dat probationem, sed sola investigatione invenit veritatem: unde & dictum argumentum, id est, argutum inventum.

Probatio autem testibus & fide tabularum constat.

In omni autem iudicio sex personæ quærun tur, iudex, accusator, reus & tres testes.

Iudex dictus, quasi ius dicens populo, sive quòd iure disceptet. Iure autem disceptare est iustè iudicare. Non est autem iudex, si non est in eo iustitia.

Accusator vocatus, quasi adcausator, quia ad causam vocat eum quem appellat.

Reus à re qua petitur nũcupatus, quia quamvis sceleris conscius non sit: reus tamen dicitur quamdiu in iudicio pro re aliqua petitur.

Testes antiquitus superstites dicebantur, eò quòd super statum causæ proferebantur. Nunc parte ablata nominis, testes vocantur.

Testis autem consideratur: conditione, natura & vita. Conditione, si liber non servus. Nam sæpe servus metu dominãtis testimonium supprimit veritatis. Natura, si vir, non fœmina. Nam *Varium & mutabile semper Fœmina*: Vita, si innocens & integer actu. Nam si vita bona defuerit, fide carebit. Non enim potest iustitia cum scelerato habere societatem.

Duo sunt autem genera testium: aut dicendo id quod viderunt, aut proferẽdo id quod audierunt. Duobus autem modis testes delinquunt cùm aut falsa promũt, aut vera silentio obtegũt.

De spectaculis. CAP. XVI.

SPectacula, vt opinor, generaliter nominantur voluptates, quæ non per semetipsa inquinant, sed per ea quæ illic gerũtur. Dicta autem spectacula, eò quòd hominibus publica ibi præbeatur inspectio. Hæc & ludrica nuncupata, quòd in ludis gerantur aut in scenis.

Ludorum origo traditur: Lydij ex Asia transeuntes in Hetruria consederunt duce Tyrrheno qui fratri suo successerat in regno. Contentione ergo in Hetruria inter cæteros ritus superstitionum suarum, spectacula quoque religionis nomine instituerunt. Inde Romani accersitos artifices mutuati sunt, & inde ludi à Lydijs vocati sunt. Varro autem dicit ludos à luso vocatos, quòd iuvenes per dies festos solebant ludi exultatione delectare populum. Vnde & eum lusum iuvenum & diebus festis & templis & religionibus reputant. Nihil iam de causa vocabuli, dum rei causa idololatria sit. Vnde & promiscuè ludi, Liberalia vocabantur, ob honorem Liberi patris. Ob hoc despicienda est originis macula, ne bonũ æstimes, quòd initium à malo accepit. Ludus autem gymnicus est aut circensis, aut gladiatorius, aut scenicus.

De ludo Gymnico. CAP. XVII.

GYmnicus ludus est velocitatis ac virium gloria. Cuius locus gymnasium dicitur, ubi exercentur athletæ & cursorum velocitas comprobatur. Hinc accidit vt omnium prope artium exercitia gymnasia dicantur. Antea enim in locis certantes cincti erant ne nudarẽtur: pòst relaxato cingulo repentè prostratus & exanimatus est quidam cursor. Quare ex consilij decreto tunc archon Hippomenes, vt nudi deinceps omnes exercitarentur permisit. Ex illo gymnasium dictum est, quòd iuvenes nudi exercẽtur in campo, vbi sola tantùm * pudenda operiuntur. *verecunda

De generibus gymnicorum. CAP. XVIII.

GEnera gymnicorũ quinq; saltus, cursus, iactus, virtus atq; luctatio. Vnde ferunt quendã regem tot filios adolescentes habentem: totidem generibus de regno iussisse contendere.

De saltu. CAP. XIX.

SAltus dictus, quasi exilire in altum. Est enim saltus altius exilire, vel longius.

De cursu. CAP. XX.

CVrsus à velocitate crurum vocatur. Est enim cursus celeritas pedum.

De iactu. CAP. XXI.

IActus dictus à iaciendo. Vnde & piscatoriũ rete iaculatum dicitur. Huic arti usus est arreptos lapides procul ferire, hastas pondere librato iacere, sagittas arcu emittere.

De virtute. CAP. XXII.

VIrtus est immensitas virium in labore & pondere corporis.

De

© Biblioteca Nacional de España

De luctatione. CAP. XX.

LVctatio à laterum complexu vocatur: qui bus cominus certãtes * inuitent qui Græca appellatione athletæ vocãtur. Locus autem luctationis palæstra dicitur.

al. inuitent. al. innituntur.

De palæstra. CAP. XXI.

PAlęstram autem vel ἀπὸ τῆς πάλης, id est à luctatione vel ἀπὸ τοῦ πάλλειν, id est à motu rui nę fortis nominatam dicunt. scilicet, quòd in luctãdo cum medios arripiat, ferè quatiunt, idq; apud Cræcos πάλλειν vocatur. Quidam opinantur artem luctandi vrsorum contentione monstratam. Namq; inter cæteras feras eos solos & erigi congressos, & subsidere celeriter ac reuerti, & modo manibus tentare inuicem, modo complexu * abigere sese more luctantium dicunt.

al. ambigere.

De agone. CAP. XXII.

QVæ Latini certamina, Græci ἀγῶνας vocant, à frequentia qua celebrantur. Siquidem & omnem cœtum atq; conuentum agona dici. alij quòd in circulis, & quasi agonijs id est sine angulo locis ederentur, nuncupatos agonas putant.

De generibus agonum. CAP. XXIII.

AGonum genera fuisse: immẽsitas virium, cursus celeritas, sagittandi peritia, standi patientia: ad citharam quoq; vel tibias incedendi gestus: de moribus quoq;, de forma, de cantandi modulatione, terrestris quoq; belli & naualis prelij, perpetiendorumq; suppliciorum certamina.

De ludis Circensibus. CAP. XXIIII.

LVdi Circenses sacrorum causa ac deorum gentilium celebrationibus instituti sunt. Vnde & qui eos spectant dæmonum cultibus inseruire videntur. Nã res equestris antea simplex agebatur, & vtiq; communis vsus reatus non erat: sed cum ad ludos coactus est naturalis vsus, ad dæmoniorum cultum translatus est. Itaq; & Castori & Polluci deputantur hæ species: quibus equos à Mercurio distributos historiæ docẽt. sed & Neptuno equestris ludus est, quem Græci ἱππικὸν vocant: sed & Marti & Ioui in ludis equi sunt cõsecrati, & ipsi quadrigis præsunt. Circenses autem ludi ideo dicti, vel à circumeundo, vel vbi nunc metæ sunt, olim gladij ponebantur, quos quadrigæ circuibant, & inde dicti Circenses, ab ensibus circa quos currebãt. Siquidem in litore circa ripas fluminum cursus agitantes, gladios in ordine in ripæ litore ponebant, & erat artis, equum circa pericula torquere. Inde & Circenses dicti putantur: quasi circum enses.

De circo. CAP. XXV.

CIrcus Soli principaliter consecratus est à paganis, cuius ædes medio spacio & effigies de fastigio ædis emicat, quòd non putauerunt sub tecto consecrandum, quẽ in aperto habẽt. Est autem circus omne illud spacium quòd circuire equi solent. Hunc Romani dictũ putant à circuitu equorùm, eo quòd ibi circum metas equi currant. Græci verò à Circe filia solis, quę patri suo hoc genꝰ certaminis instituit, asserunt nuncupatum, & ab ea circi appellationem argumentantur. Fuit autem maga & venefica, & sacerdos dęmonum, in cuius habitu & opere magicæ artes & cultus idololatriæ recognoscuntur.

De ornamentis. CAP. XXVI.

ORnamenta circi, oua, meta, obeliscus, carcer. Oua, honori Castoris & Pollucis ascribunt, qui illos ouo editos credendo de cigno Ioue non erubescunt. Fingunt autem Circẽsia Romani ad causas mũdi referri: vt sub hac specie superstitiones vanitatum suarũ excusent.

De metis. CAP. XXVII.

MEtarum quippe appellatione propriè terminum ac finem mũdi designare volunt, ab eo quòd aliquis emensus finis est, siue ad testimonium orientis occidentisq; solis.

De obelisco. CAP. XXVIII.

OBeliscum * Mespres rex Aegypti primus fecisse fertur tali ex causa. Cum quodam tempore Nilus vehementi inundatione Aegyptum nocuisset: indignatus rex tanquam pœnas à flumine exigeret, sagittam in vndas misit. Non multo pòst graui valitudine correptus, lumen amisit: qui post cæcitatem visu recepto duos obeliscos Soli cõsecrauit. Obeliscus enim sagitta dicitur: qui ideo in medio Circo ponitur, quia per mediũ mundum sol currit. Medio autẽ spacio ab vtraq; meta cõstitutus obeliscus, fastigium summitatemq; cœli significat: cum sol ab vtroque spacio medio horarum discrimine transcendit. Summo obelisco superpositũ est quoddam auratum in modum flammę formatum, quoniam sol plurimum caloris atq; ignis habet.

al. Mesfres. al. Meseres.

De carceribus. CAP. XXIX.

IN Circo vnde emittũtur equi carceres dixerunt, ab ea re qua & ille carcer qui est in ciuitate: quòd, vt ibi homines damnati atque inclusi, ita hic equi coercẽtur, ne exeant antequã signum emittant.

De aurigis. CAP. XXX.

ARs Circi auriga & currus, equites vel pedites. Auriga propriè dictus, quòd currum agat, siue quòd feriat iunctos equos. Nã haurit, ferit dicimus, vt *Latus haurit apertum*. Ipse est & agitator, id est verberator ab agendo dictus. Aurigæ autem duobus coloribus sunt: quibus.

© Biblioteca Nacional de España

speciem idololatrię vestiunt. Nam prasinus terræ, venetus cœlo & mari à paganis dicatus est.

De quadrigis. CAP. XXXI.

ERicthonius autē qui regnauit Athenis primus quatuor equos iunxisse fertur, sicut Virgilius autor est dicens,

Primus Erictbonius currus & quatuor ausus
Iungere equos, rapidisq; rotis insistere victor.

Fuit autem Mineruæ & Vulcani filius de caduca in terram libidine, vt fabulę ferunt procreatus, portētum dæmoniacum, imò diabolus qui primo Iunoni currū dedicauit. Tali autore quadrigæ productę sunt.

De curru. CAP. XXXII.

CVrrus à cursu dictus, vel quia rotas videtur habere multas, vnde & carrum quasi currum. Quadrigarum verò currus duplici temone olim erant perpetuoq;, & qui omnibus equis inijceretur. Iugo primus * Ciristenes Sicionius tantùm medios iugauit, eosq; singulos ex vtraq; parte simplici vinculo applicuit, quos Græci σειραφόρους Latini funarios vocant, à genere vinculi quo prius alligabantur.

* criffines.

De equis quibus currimus. CAP. XXXIII.

QVadrigæ & bigę, trigę & seiugæ ab equorum numero & iugo dictæ. Ex quibus quadrigas soli: bigas lunæ, & trigas inferis, seiugas Ioui: desultores lucifero, & hespero consecrauerunt. Quadrigas ideò soli iungunt, quia per quatuor tempora annus vertitur, ver & estatem, autumnum & hyemem. Bigas, lunæ quoniam gemino cursu cum sole contendit, siue quia & nocte videtur & die. Iungunt enim vnum equum nigrum, alterum candidum. Trigas dijs inferis, quia hi per tres ætates homines ad se rapiunt, id est per infantiam, iuuentutem atq; senectam. Seiuga maximus currus currit Ioui, propter quòd maximum deorum suorum eum esse credunt.

Ideo autem rotis quadrigas currere dicūt, siue quia mundus iste circuli sui celeritate transcurrit, siue propter solem, quia volubili ambitu rotat, sicut ait Ennius.

Inde patefecit radijs rota candida cœlum.

De septem spacijs. CAP. XXXIIII.

SEptem spacia quadrigæ currunt referentes hoc ad cursum septem stellarū quibus mundum regi dicunt, siue ad cursum septem dierum potentium, quibus peractis vitæ terminus consummatur, quorum finis est * creta, id est iudicium.

V. C. certa meta, id est iudiciū: alius V. C. habet actus.

De equitibus. CAP. XXXV.

POrrò equites singulares ideo currere dicūt, quia singulariter vnusquisq; cursum vitæ huius peragit atq; transit, alio tempore sequens alium: per vnam tamen viam mortalitatis videlicet ad propriam metam mortis.

De desultoribus. CAP. XXXVI.

DEsultores nominati, quòd olim prout quisq; ad finem cursus venerat desiliebat, & currebat: siue quòd de equo in equum transiliebat.

De peditibus. CAP. XXXVII.

PEdites autem aiunt propterea pede currere, quia pedibus curritur mortalitati. Ob hoc à superiore parte curritur ad inferiora, id est ab oriente ad occidentem, quia mortales oriuntur & occidunt. Nudi currunt, quia & hominis in seculo nullę reliquię sunt. Recto spacio currunt, quia inter vitam & mortem nihil distant. Hæc ergo propterea fingunt, vt vanitates suas, & sacrilegia excusare conentur.

De coloribus equorum. CAP. XXXVIII.

CIrca causas quoq; elementorum idem gentiles etiam colores equorum iunxerunt: roseos soli, id est igni: albos aeri: prasinos terræ, venetos mari assimilantes. Item roseos æstati currere voluerunt, quod ignei coloris sint, & cuncta tūc flauescant. Albos hiemi, quòd sit glacialis, & frigoribus vniuersa canescant: veri prasinos viridi colore, quia tunc pāpinus dentatur. Item roseos currere Marti sacrauerunt, à quo Romani exoriuntur, & quia vexilla Romanorum cocco decorantur, siue quòd Mars gaudeat sanguine. Albos zephiris & serenis tempestatibus: prasinos flori & terræ: venetos aquis vel aeri, quia ceruleo sunt colore: luteos, id est croceos igni & soli: purpureos Iri sacrauerunt, quem arcum dicimus, quòd Iris plurimos colores habeat. Sicq; dum hac * expectatione deorū cultibus atq; elementis mundialibus prophanantur: eosdem deos atq; eadē elementa procul dubio colere noscuntur. Vnde animaduertere debes Christiane, quòd Circū numina immunda possideant. Qua propter alienus erit tibi locus, quem plurimi sathanæ spiritus occupauerunt. Totum enim illum diabolus & angeli eius repleuerunt.

* forte spectatione.

De theatro. CAP. XXXIX.

THeatrum est quo scena includitur, semicirculi figuram habens: in quo stātes omnes inspiciunt. Cuius forma primum rotunda erat sicut & amphitheatri, postea ex medio amphitheatro theatrum factū est. Theatrum à spectaculo nominatum ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, quòd in eo populus stans desuper atq; spectans ludos cōtemplaretur. Idem verò theatrum, idem & prostibulum: eo quòd post ludos exactos meretrices ibi prosternentur. Idem & lupanar vocatum ab eisdem meretricibus: quæ propter vulgati corporis leuitatem lupæ nuncupabantur. Nam lupę meretrices sunt à rapacitate vocatę, quòd ad se miseros rapiant & apprehendant. Lupanaria autem à paganis constituta sunt: vt pudor infelicium mulierum ibi publicaretur, & ludibrio haberentur tā ij qui facerēt, quā quę paterētur.

De

© Biblioteca Nacional de España

De scena. CAP. XL.

SCena autem erat locus infra theatrũ in modum domus instructa cũ pulpito. qui pulpitus orcistra vocabatur, vbi cantabant comici tragici, atque saltabant histriones & mimi. Dicta autẽ scena Græca appellatione, eo quòd in speciem domus erat instructa. Vnde & apud Hebręos tabernaculorum dedicatio à similitudine domiciliorum σκηνοπηγία appellabatur.

De orcistra. CAP. XLI.

ORcistra autem pulpitus erat scenę vbi saltator agere posset, aut duo inter se disputare. Ibi enim poetę comœdi & tragœdi ad certamen conscendebant, ijsq; canentibus alij gestus edebant. Officia scenica tragœdi, comœdi, themelici, histriones, mimi & saltatores.

De tragœdis. CAP. XLII.

TRagœdi sunt qui antiqua gesta atque facinora sceleratorum regum luctuoso carmine spectante populo concinebant.

De comœdis. CAP. XLIII.

COmœdi sunt qui priuatorum hominum acta dictis aut gestu canebant, atq; stupra virginum & amores meretricum in suis fabulis exprimebant.

De themelicis. CAP. XLIIII.

THemelici autem erant musici scenici qui in organis & liris & citharis præcinebant. Et dicti themelici, quòd olim in orcistra stantes cantabant super pulpitum, quòd theme le vocabatur.

De histrionibus. CAP. XLV.

HIstriones sunt qui muliebri indumento gestus impudicarum fœminarum exprimebant: ij autem saltando etiam historias & res gestas demonstrabãt. dicti autẽ histriones siue quòd ad Histria id genus sit adductum. siue quòd perplexas historijs fabulas exprimerent, quasi historiones.

De mimis. CAP. XLVI.

MImi sunt dicti Græca appellatione, quòd rerum humanarum sint imitatores. nam habebant suum autorem qui antequam mimum agerẽt, fabulam pronunciaret. Nam fabulę ita componebantur â poetis, vt aptissimę essent motui corporis.

De saltatoribus. CAP. XLVII.

SAltatores autem nominatos Varro dicit ab Arcade Salio, quem Aeneas in Italiam secum adduxit, quiq; primo docuit Romanos adolescentes nobiles saltare.

Quid quo patrono agatur. CAP. XLVIII.

ESt planè in artibus scenicis Liberi & Veneris patrociniũ, quæ priuata & propria sunt, scenę de gestu & * fluxu corporis. Nam molliciem Libero & Veneri immolabãt, illi per sexum, illi per * fluxum dissoluti. Quæ verò ibi vocibus & modis & organis & liris transigunturs, Apollines & Musas & Mineruas & Mercurios patronos habent. Quòd spectaculum odire debes Christiane: * quorum odisti autores.

al. luxu. forte flexu. — forte, flexu. — al. cuius.

De amphitheatro. CAP. XLX.

AMphitheatrum locus est spectaculi: vbi pugnant gladiatores. Et inde ludus gladiatorius dictus: quòd in eo iuuenes vsum armorum diuerso motu condiscant, & modo inter se aut gladij aut pugnis certantes, modo contra bestias incedentes: vbi non odio sed prẽmio illecti subeunt ferale certamen. Amphitheatrũ dictum, quòd ex duobus theatris sit factum. Nã amphitheatrũ rotundum est, theatrum verò ex medio amphitheatro est, semicirculi figuram habens.

De ludo equestri. CAP. L.

GEnera gladiatorum plura, quorum primũ ludus equestrium. Duo enim equites prẽcedentibus prius signis militaribus vnus à porta orientis, alter ab occidentis procedebãt in equis albis cũ aureis galeis minoribus & habilioribus armis, sicq; atroci perseuerantia pro virtute sua inibant pugnam, dimicantes quousque alter in alterius morte prosiliret, vt haberet qui caderet casum, gloriam qui perimeret. Quæ armatura pugnabat Marti duelli causa.

De retiarijs. CAP. LI.

REtiarius ab armaturę genere, in gladiatorio ludo contra alterum pugnantẽ occultè ferebat rete (quòd iaculũ appellatur) vt aduersarium cuspide insistente operiret, implicitumq; viribus superaret, quę armatura pugnabat Neptuno tridentis causa.

De secutoribus. CAP. LII.

SEcutor est ab insequendo retiarium dictus. Gestabat enim cuspidem & massam plumbeam, quæ aduersarij iaculum impediret, vt antequam ille feriret rete, iste superaret. Hæc armatura sacrata erat Vulcano. Ignis enim semper insequitur: ideoq; cũ retiario cõponebatur, quia ignis & aqua semper inter se inimica sunt.

De laqueatoribus. CAP. LIII.

LAquearíorum pugna erat fugientes in ludo homines iniecto laqueo impeditos cõsecutosq; prostrare amictos vmbone pelliceo.

De velitibus. CAP. LIIII.

VElitum pugna erat, vt vltro citroque tela obiectarent. Erat autem eorum varia pugna & spectantibus gratior quàm reli-

al. Veletum.

© Biblioteca Nacional de España

qua: velites autem vocati sunt, siue à volitatione: siue à ciuitate Hetruscorum quæ Veletes vocabatur.

De ferali certamine. CAP. LV.

FErarum pugna erat missas bestias iuuenes excipere & pugnare aduersus eas vltroneo funere certare, non crimine sed furore.

De horum exercitatione ludorum. CAP. LVI.

HÆc quippe spectacula crudelitatis & inspectio vanitatum: non solum hominum vitijs: sed & dæmonum iussis instituta sunt. Proinde nihil esse debet Christiano cum Circensi insania, cum impudicitia theatri, cum amphitheatri crudelitate, cum atrocitate arenę, cum luxuria ludi. Deum enim negat, qui talia præsumit, fidei Christianę præuaricator effectus, qui id denuo appetit quod in lauacro iam pridem renunciauit, id est diabolo pompis, & operibus eius.

De tabula. CAP. LVII.

ALea, id est ludus tabulæ inuenta à Græcis in ocio Troiani belli à quodam milite nomine Alea, à quo & ars nomē accepit. Tabula luditur pirgo, calculis, tesserisq;.

De pirgis. CAP. LVIII.

PIrgus dictus, quòd per eum tesserę pergāt, siue quòd turris speciē habeat. Nam Græci turrim πύργον vocant.

De calculis. CAP LVIIII.

CAlculi vocati, quòd leues sint & rotundi: Vnde & calculus dicitur lapis breuis qui sine molestia sui breuitate calcatur. Item calculi, quòd per vias ordinales quasi per calles eant.

De tesseris. CAP. LIX.

TEsseræ vocatę, quia quadræ sunt ex partibus omnibus. Has alij lepusculos vocant, eo quòd exiliendo discurrunt. Olim autem tesseræ iacula appellabantur à iaciendo.

De figuris aleæ. CAP. LX.

QVidam autē aleatores sibi videntur phisiologicè per allegoriam hanc artem exercere, & sub quadam rerum similitudine fingere. Nam tribus tesseris ludere perhibēt propter tria seculi tempora, præterita, pręsentia & futura, quia non stant sed decurrunt. Sed & ipsas vias senarijs locis distinctas propter ætates hominum trinarijs lineis propter tempora argumentantur. Inde & tabulam ternis descriptam dicunt lineis.

De vocabulis tesserarum. CAP. LXI.

IActus quisq; apud lusores veteres à numero vocabatur, vt vnio, binio trinio, quatrio, quinio, senio. Postea appellatio singulorum mutata est, & vnionem canem, trionem suppū, quatrionem planum vocabant.

De iactu tesserarum. CAP. LXII.

IActus tesserarū ita à peritis aleatoribus componitur, vt afferat quòd voluerit, vtputa senionem, qui eis * actu bonum affert. Vitant autem canem, quia damnosus est, vnum enim significat.

De calculorum motu. CAP. LXIII.

CAlculi partim ordine mouentur, partim vagè. Ideo alios ordinarios, alios vagos appellant. At verò qui moueri omnino non possunt incitos dicunt. Vnde & egentes homines inciti vocantur: quibus spes vltra procedendi nulla restat.

De interdictione aleæ. CAP. LXIIII.

AB hac arte fraus & mendacium atq; periurium nunquam abest, postremo & odium & damna rerum, vnde & aliquando propter hæc scelera interdicta legibus fuit.

De pila. CAP. LXV.

PIla propriè dicitur, quòd sit pilis plena. Hęc & sphera à ferendo vel feriendo dicta, de quarum genere & pondere Dorcatius sic tradidit.

Neu tu parce pilos viuaces condere cerui.
Vncia donec erit geminam super addita libram.

Inter species pilarum sunt, trigonaria & arenaria. Trigonaria est quā inter tres luditur. Arenaria qua in * grege dum ex circulo astantium spectantiumq; emissa, vltra iustum spatium pilam excipere lusumq; inire consueuerunt. Cubitalem lusum appellant, cum duo cominus ex proximo ac penè coniunctis cubitis palam feriunt. Suram dicitur dare, qui pilam crure prolato feriendam colluso-ribus præbet.

* Ita in omnibus exemplar. huius dubia quin legendum sit, lectum.

al. Græcia.

ISIDO-

© Biblioteca Nacional de España

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM LIBER XIX.

CAPITA LIBRI DECIMINONI.

1 *De nauibus.*
2 *De partibus nauium & armamentiũ.*
3 *De velis.*
4 *De finibus.*
5 *De retibus.*
6 *De fabricis siue fornacibus.*
7 *De instrumentis fabrorum.*
8 *De fabricis parietum.*
9 *De dispositione.*
10 *De constructione.*
11 *De venustate.*
12 *De laquearijs.*
13 *De crustis.*
14 *De litostrotis.*
15 *De plastris.*
16 *De pictura.*
17 *De coloribus.*
18 *De instrumentis ædificiorum.*
19 *De lignarijs.*
20 *De inuentione laneficij.*
21 *De veste sacerdotali in lege.*
22 *De nominibus vestium cæterarum.*
23 *De vestibus quarundam gentium.*
24 *De pallijs virorum.*
25 *De pallijs fœminarum.*
26 *De stratu & reliquis quæ in vsu habentur.*
27 *De lanis.*
28 *De coloribus vestium.*
29 *De instrumentis vestium.*
30 *De ornamentis.*
31 *De anulis.*
32 *De cingulis.*
33 *De calciamentis.*

De nauibus. CAP. I.

Artium quarundam vocabula quibus aliquid fabricatur vel instrumenta artificũ vel quæ ministerium exhibent, atq; aliquid huiusmodi dein ceps ex parte notãda studui.

Artifex generale nomen vocatur quòd artẽ faciat: sicut aurifex qui aurũ. Faxo enim antiqui pro facio dicebant.

Nauclerus dñs nauis est appellatus ita quòd nauis in sorte eius sit. κλῆρος enim Græcè sors dicitur. Cæteri aũt in naui in contributione sunt.

Gubernio qui & gubernator, quasi cohibernator, quòd cohibeat prudentia sua hiberna, id est tempestates maris.

Nauta à naue dictus per deriuationem. Nauita autem pro nauta poeticè dicitur, sicut Mauors pro Mars. Nam rectum est nauta.

Remex vocatur quòd remũ gerit, sic autẽ remex quomodo tubex dicitur nominatiuo casu. *al. regit.*

Epipata Græco sermone appellatur: qui Latinè dicitur superueniẽs. Hic nihil habet negotij: sed naulo dato in alias terras transire disponit.

Nauim quidã perhibẽt dictã, eo quòd gnauũ rectorẽ quẽrat, id est peritũ, sapientẽ, strennuũ, qui continere & gubernare nouit propter maritima pericula & casus. vnde est illud Salomonis: *Intelligens gubernacula possidebit.* Lydij autẽ primũ nauim fabricauerunt, pelagiq; incerta petẽtes peruium mare vsibus humanis fecerũt.

Rates primũ & antiquissimũ genus nauigij è rudibus tignis asseribusq; cõsertum. Ad cuius similitudinẽ fabricatę naues, ratarię dictæ. Nũc iam rates abusiuè naues. Nã propriè rates sunt connexæ inuicem trabes.

Trieris nauis magna quã Græci * dulconem vocant: de qua in Esaia dicitur, *Non transibit per eam trieris magna.* *al. durconem puto legendũ δολκάδας*

Carpasia nauis à Carpátho insula nominata: sicut à Rodo Rodia: sicut ab Alexandria Alexandrina.

Liburnæ dictę à Lybijs: naues enim sunt negotiatorum. De quibus Horatius,

Ibis liburnis inter altà nauium.

Rostratę naues dictę ab eo quòd in frõte rostra ærea habeant propter scopulos, ne feriantur & collidantur.

Lõgæ naues sunt, quas * dromones vocamus: dictę eò quòd lõgiores sint cæteris, cuius cõtrarius musculus, curtũ nauigiũ. Droma aũt à decurrẽdo dicitur. Cursũ enim Græci δρόμον vocãt. * *forte δρομάδας.*

Classis dicta est à Græco vocabulo, ἀπὸ τῶν καλῶν, id est lignis. vnde & calones nauiculę quæ ligna militibus portant.

Anciromacus dictus, pro eo quòd celeritate sui anchoris & instrumentis reliquis nauiũ vehendis sit aptus.

Phaselus est nauigiũ, quod nos corruptè baselũ dicimus. De quo Virgilius, *Pictisq; phaselis.*

Scafa quæ κατάσκοπος nauigium, quod Latinè speculatorium dicitur.

Barca est, quę cuncta nauis cõmertia ad litus portat. Hæc naues in pelago propter nimias vndas suo suscipit gremio. Vbi autẽ appropinquauerit portui, reddit vicẽ barca naui quam accepit in pelago.

© Biblioteca Nacional de España

Paro nauigium piratarum aptum, & ex ijs ita vocatum Cicero,

Tunc se fluctigero tradit mandatq; paroni. Et alibi, *Parunculis ad litus ludit celeribus.*

Mioparo quasi minimus paro, idē & carabus. Est enim parua scafa ex vimine facta, quæ contexta crudo corio genus nauigij præbet, quales vtuntur Germanorum piratæ in oceani littoribus vel paludibus ob agilitatem. De qualibus. Historia *Gens*, inquit, *Saxonū mioparonibus non viribus nituntur, fugæ potius quàm bello parati.*

Celones quas Græci κέλητας vocant, id est veloces biremes vel triremes agiles, & ad ministerium classis aptæ. Ennius,

Labitur vncta carina per æquora cana celonis.

Biremes autem naues sunt habentes remorū ordinem geminum.

Triremes & quatriremes trium & quatuor ordinū: sic & penteremes & hexeremes quinos vel senos ordines habentes.

Actuariē naues sunt, quæ velis simul & remis aguntur.

Hippagogæ, in quo equos transuehere solitum est.

Pontonium nauigiū fluminale tardū & graue, quod nonnisi remigio progredi potest.

Hinc & traiectus, id est extentus. Est enim funis latus, vnde & transenna dicitur extentus funis.

Limbus nauicula breuis, quæ alia appellatione dicitur & cymba & * caupolus: sicut & lintris, id est carabus quo in Pado paludibusque vtuntur. *al. caupillus.*

Carabus parua scafa ex vimine facta, quē contexta crudo corio genus nauigij præbet.

Portemia nauicula Syriatici generis lata & sine carina à portando vocata. Vtuntur ijs in Pannonia.

Trabariē amnicæ naues, quæ ex singulis trabibus cauantur: quæ alio nomine litorariē dicuntur. Hæ ex caudice factē ex vno ligno cauato, & inde caudice: quia à quatuor vsq; ad decē homines capiant.

De partibus nauium & armamentis. CAP. II.

PVppis posterior pars nauis est, quasi post. Prora anterior quasi priora.

Cymba locus vnus nauis, quòd aquis incumbat.

Carina à currendo dicta quasi currina.

Fori nauium latera cōcaua, à ferendo onere dicta, siue tabulata nauium quæ sternuntur dicta, ab eo quòd incessus ferāt vel foris emineāt. De quibus Virgilius, *Laxantq; foros.*

Columbaria in summis lateribus nauium loca concaua: per quæ eminent remi, dicta credo, quòd sint similia latibulis columbarum in quibus nidificant.

Agiauia sunt loca in naui per quæ ad remiges hortator accedit. De qua Ennius, *Multa foro ponet Et, Agiauia longa repletur.* *V. C. Agea pernia loca sunt.*

Transtra sunt tabulē vbi sedēt remiges, quòd in transuerso sint dicta, quæ Virgilius iuga appellat.

Remi à remouēdis, & decutiendis fluctibus dicti: sicut tonsores à tondendis, & decutiendis capillis.

Palmula est extrema latitudo remi à palma dicta, qua mare impellitur.

Antemnē autem dictē, quòd ante amnē sint positē. Præterfluit enim eas amnis. Cornua extremē partes antemnarum sunt, dicta per tropū ab animali ad inanimale.

Malus est arbor nauis, qua vela sustinentur. Malus autem dictus: quia habet instar mali in summitate, vel quia quasi quibusdam malleolis ligneis cingitur, quorum volubilitate vela facilius eleuantur.

Modius est cui arbor insistit, ob similitudinē mensuralis vasis dictus.

Carchesia sunt in cacumine arboris.

Trocleæ, quasi F litera per quas funes trahuntur. Cinna

Lucida confulgent alti carchesia mali.

Trocleæ autem vocatæ, quòd rotulas habeant. τρόχος enim Græcè rota dicitur.

Parastatæ stipites sunt pares stantes, quibus arbor sustinetur. Cato,

*Malum * deligatum parastatæ iunctæ.* *al. distigati.*

Clauus est quo regitur gubernaculum. De quo Ennius.

Vt clauum rectum teneam nauimq; gubernem.

Porticulus malleus in manu portatus, quo modus signumq; datur remigantibus. De quo Plautus,

Ad loquendum atq; tacendum tute habes porticulū.

Tonsilla vncinus ferreus vel ligneus ad quē in litore defixum funes nauium illigantur. De quo Ennius,

Tonsillas rapiunt, configunt litus ad vncas.

Anchora dens ferreus ex Græca etymologia nomen ducit: quòd quasi hominis manus comprehendat vel scopulos vel arenas. Nam manus Græcē χεὶρ dicitur. Apud Græcos autem aspirationem non habet. Nam ἄγκυρα dicitur, vnde & apud maiores sine aspiratione proferebatur.

Puluini sunt machinē quibus naues deducuntur & subducuntur in portum.

Pons scala nauium.

De velis. CAP. III.

VEla Græci ἱστία dicunt, proinde quòd aere mouentur. Apud Latinos autem vela à volatu dicta. Vnde est illud,

Velorum pandimus alas.

Genera velorū ἀκάτιος, ἐπίδρομος, δόλων, ἀρτέμων, Siparum, mendicium. Ex quibus acatium velum maximum est, & in media naui constitutū.

Epidromos secūdē amplitudinis: sed ad puppim.

Dolon minimum velum, & ad proram defixum.

Arteno

© Biblioteca Nacional de España

Artemo dirigendæ potius nauis causa commendatum quàm celeritatis.

Siparum genus veli vnum pedē habens, quo iuuari nauigia solent in nauigatione quoties vis venti languescit. De quo Lucanus,

——Summaq; tendens
Sipara velorum perituras colligit auras, quòd ex separatione existimant nominatum. Pes extremus angulus veli in quę nautolocantur.

De funibus. CAP. III.

FVnes dicti, quòd antea in vsum luminis fuerunt circundati cera, vnde & funalia.

Restes, siue quòd rates continent: seu quòd in ijs retia tendantur.

Rudentes sunt funes nauium ex nimio stridore ita dicti.

Spiræ funes quibus in tempestatibus vtuntur, quas nautici suo more * curcubas vocant. Spiræ autem à sparto vocatæ.

Propes funes quo pes veli alligatur, quasi pepedes. De quo Turpilius. *Quasi cum ventus fert nauim in mare secundus siquis propedon misit si velis sinistrum.*

Tormentum funis in nauibus longus quo prora ad puppim extenditur, quo magis constringantur. Tormenta autem à tortu dicta: sunt restes funesq;.

Saphon funis in prora positus. De quo Cecilius, *Venerio cursu veni prolato pede vsque ad saphonem.*

Opifera funes, quę cornibus antemnæ dextra sinistraq; tenduntur retroueršo.

Prosnesium funis, quo nauis in litore religatur ad palum.

Mura funis, qua nauis media vincitur.

Anquina, qua ad malum antenna constringitur. De qua Cinna.

Atq; anquina regit stabilem fortissima cursum.

Remulcum funis, qua deligata nauis trahitur vice remi. De quo Valgius.

Hic mea me longo succedens prora remulco
Lætantem gratis sistit in hospitijs.

Struppi, vincula loro vel lino facta: quibus remi ad scalmos alligantur. De quibus Liuius,

Tunc; remos iussit religare struppis.

Cataporates * linea cum massa plumbea qua maris altitudo tentatur. Lucilius,

Hanc Cataporatem puer eodem defert vnctum plumbi pauxillum rudis lini; mataxam.

Annotat.

In V. C. ita est. Lucilius Hanc cataparatem puero ded. deforet vnctum Plumbi pancillam rudis liniq; mataxam.
In alio V. C. Hanc cataflo ratem puer eodem defore &c. eum plumbi paxillum r. l. m.
In alio exemp. Hanc cataporatem puer eodem defert: unctum plumbi paxillum, &c.

De retibus. CAP. V.

RETia vocata siue à retinendis piscibus, siue à restibus quibus tenduntur.

Minus autem rete implagium dicitur à plagis. Nam plagas propriè dicimus funes illos quibus retia tenduntur circa imam & summam partem.

Funda genus est piscatorij retis, dicta ab eo quòd in fundum mittatur. Eadem etiam à iactando iaculum dicitur. Plautus,

Probus quidem antea iaculator eras.

Tragū genus retis ab eo quòd trahatur nuncupatū, ipsum & Verriculum. Verrere enim trahere est.

Nassa ex viminibus tanquam rete contextū.

Cassis genus venatorij retis, quòd capiat. Hinc est quòd incassum dicimus, id est sine causa: quasi sine cassibus, sine quibus venatio inanis est.

Conopeum est rete in similitudinem tentorij contextum propter muscas & culices excludendos, quo magis Alexandrini vtuntur, quia ibi ex Nilo culices copiosè nascuntur. vnde & Conopea dicitur. Nam Conopea Aegyptus est.

De fabricis, siue fornacibus. CAP. VI.

FAber à faciendo ferrum impositum nomen habet. Hinc deriuatum est nomen ad alias artium materias: fabros vel fabricas dicere: sed cum adiectione, vt faber lignarius, & reliqua propter operis scilicet firmitatem.

In fabro. Im autem fornace gentiles Vulcanum auctorem dicunt: figuraliter per Vulcanū ignem significantes, sine quo nullum metalli genus fundi extendiq; potest. Nihil est enim penè quòd igne non efficiatur. Alibi enim vitrum, alibi argentum, alibi plumbum, alibi minium, alibi pigmenta, alibi medicamenta efficit. Igne lapides in æra soluuntur, igne ferrum gignitur ac domatur, igne aurum perficitur, igne cremato lapide cementa & parietes ligantur. Lapides nigros ignis coquendo candificat, ligna candida vrendo obfuscat, carbones ex pruna fulgida nigros facit. de lignis duris fragiles, de putribilibus imputribiles reddit, stricta soluit, soluta restringit, dura mollit, mollia dura reddit. Habet & medicamilnis vlum. Nam sæpę * vri prodest. Pestilentiæ quoq; quæ obscuratione solis contrahitur, auxiliari certum est. In opere quoque aliud gignit primis ignibus, aliud secundis, aliud tertijs.

Habet quoque & aliam in se diuersitatem ignis. Nam alius est ignis qui vsui humano. alius qui * iudicio paret diuino, siue qui de cœlo fulmen astringit: siue qui de terra per vertices montium eructat.

Ignis autem dictus, quòd nihil igni potest ex eo. Est enim inuiolabile elementū assumens cuncta quæ rapit.

Fabrica duabus rebus constat, ventis & flammis.

Flāma verò propriè fornacis est dicta, quòd flatu follium excitetur.

Fornax verò ab igne vocata: φῶς enim ignis est.

Caminus est fornax, & est Græcum nomē de-

riuatum, ἀπὸ τοῦ καύματος, id est, à calore.

Fauilla est deserta igne scintilla.

Pruna est quamdiu ardet: cum autem extincta fuerit, carbo nominatur. Pruna autē à perurendo dicta est: carbo verò quòd flamma caret. Qui dum interisse creditur, maioris fit virtutis. Nam iterum incensus fortiore luce calescit. Cuius tanta vis est & sine igne firmitas, vt nullo humore corrumpatur, nulla vetustate vincatur. Extinctus enim tantum incorruptibiliter durat, vt ij qui limites figunt, eos infossos terra substernant: & lapides desuper figant, ad conuincendum † litigatorem, vt fixum lapidem post quantalibet secula limitem esse cognoscant.

al. ad conuiit. post quātalibet secula vt fixum, &c.

De instrumentis fabrorum.
CAP. VII.

INcus est in quo ferrum tunditur à cędendo dictus, eo quòd illic aliquid cudamus: id est, feriendo producamus. Cudere enim cędere & ferire est. Veteres autem non incudem vocabant: sed intudem, eo quòd in ea metallum tundatur, id est, tendatur. vnde & tudis malleus, id est, à tundendo, id est, tendendo dictus.

Malleus vocatur, quia dum quid calet & molle est, cędit & producit.

Marcus malleus maior, & dictus marcus, quòd maior sit ad cędendum & fortior. Marcellus, mediocris. Marculus malleus pusillus. Lucilius.

Et velut in fabricam ferulens cum marculus ferrum,
Multorum magnis ictibus tundit.

Forcipes quasi ferricipes, eo quòd ferrum candens capiant, teneantque: siue quòd ab hijs aliquid forvum capimus & tenemus, quasi forucipes. Nam forvum est calidum, vnde & feruidum, vnde & formosos dicimus: quibus calor sanguinis ex rubore pulchritudinem creat.

Lima dicta, eo quòd lene faciat. Nam *limum* lene est.

Cilium est vnde operantur argentarij, à quo & cęlata vasa dicuntur.

De fabricis parietum.
CAP. VIII.

IN fabricis parietum atqi tectorum Græci inuentorem Dędalum asserunt. Istè enim primus didicisse fabricam à Minerua dicitur. Fabros autem siue artifices Græci τέκτονας vocant, id est, instructores. Architecti autem cementarij sunt qui disponunt in fundamentis. Vnde & Apostolus de semetipso, Vt *sapiens*, inquit, *architectus fundamentum posui.*

Machiones dicti à machinis in quibus insistunt propter altitudinem parietum.

De dispositione. *CAP. IX.*

A Edificiorum partes sunt tres dispositio, cōstructio, venustas.

Dispositio est areæ vel solij & fundamētorum descriptio.

De constructione. *CAP. X.*

CONstructio est laterum & altitudinis ædificatio. Constructio autem vel instructio vocata eo quòd instringat, & cohęrere faciat, vt lapides luto, & ligna & lapides inuicem sibi. Nam & intinctio ferri in aqua instructura est. Nisi enim candens tingatur, stringi & cohærere non potest ferrum. Item constructio à multitudine lapidum & lignorum dicta: vnde & strues. Aliud est enim ædificatio, aliud instauratio. Nam ędificatio noua constructio est. Instauratio verò quod reparatur ad instar prioris. Nam veteres instar, pro similitudine ponebant. Inde & instaurare dicebant.

Constructio autem constat fundamento, lapidibus, arena, calce & lignis.

Fundamentum dictum quòd fundus sit ædificij. Idem & mentum à cedendo dictum, quòd crasso lapide surgat.

Lapides in structuris apti, albus: Tiburtinus, columbinus, fluuialis, † sfungia, rubrus & reliqui. al. isfungia.

Albus lapis, alius durus, alius mollis. Mollis dentata serta secatur, tractabilis in opere est, ita vt in eo, quasi in tigno literæ scribantur.

Tiburtinus à loco Italiæ dictus, qui dum sit ad fabricam fortis, vapore tamen dissilit.

Tophus ædificij s inutilis est, fundamentis aptus † mortalitate & mollitia. Ex æstu enim & alitu maris fricatur & verberatur imbribus. al. mordacitate.

Arenatius lapis concretus maris arenis, hic & bibulus dicitur. Seruat enim humorem acceptum. Idem & in Betica.

Gaditanus ab insula oceani vbi plurimus exciditur.

Piperinus sub albidus eum punctis nigris, durus atque fortissimus.

† Concleatius cocleis lapillisque & arena concretus, asperrimus & interdum fistulosus. al. Cochleaticus.

Columbinus à colore auis nuncupatus, natura vicinus gipso & mollitie simillimus.

Molaris in parietibus vtilis: quia est quædam natura eius pinguior, duraque & aspera ex quo etiam & molę fiunt, vnde & nomen traxit. Huius quatuor genera, albus, niger, permixtus ac fistulosus † Sfungia lapis creatus ex aqua leuis ac fistulosus & cameris aptus. al. isfungia.

Silex durus lapis ex cuius genere nigri silices optimi quibusdam in locis & rubentes.

Alibi silices contra vetustatem incorrupti permanent. Ijdem & in monumentis sculpti, & incorrupti permanent: quibus nec ignis quidē nocet. Nam ex ijs etiam formæ fiunt, in quibus æra funduntur.

Viridis

© Biblioteca Nacional de España

Viridis silex vehementer & ipse igni resistēs: sed nusquā copiosius, & vbi inuenitur, lapis nō saxum est.

Pallidus in cemento raro vtilis.

Globus cōtra iniurias fortis, & in structuris infidus: nisi fuerit multa suffrenatione deuinctus.

Fluuiatilis silex semper veluti madens est. Hunc ętate exhiberi oportet, nec ante bienniū inseri in structuris domorum, fictilium operū, ad parietes & fundamenta: quæ coctis laterculis ad tecta imbriculis tegulisq; aptantur.

Tegulę vocatę quòd tegant ędes, & imbrices quòd accipiant imbres. Tegulæ autem primæ positionis nomē, cuius diminutiuum tigillum.

Laterculi verò vocati, quòd lati formētur circumactis vndiq; quatuor tabulis.

Lateres autem crudi sunt: qui & ipsi inde nominati, quòd lati ligneis formis efficiuntur.

Quorum crates dicuntur: in quibus lutum pro eisdem lateribus crudis portare solēt. Sunt enim connexiones cānarum, dicti ἀπὸ τοῦ κρατεῖν, id est quòd seinuicem teneant.

Lutum autem vocatum quidam per antifrasin putant: quòd non sit mundum. Nam omne lotum mundum est.

Ita V. CC. al. Calcis. * Calx viua dicta: quia dum sit tactu frigida, intus occultum continet ignem. vnde perfusa aqua statim latens ignis erumpit. Natura eius mirum aliquid facit. Post quàm enim arserit aquis incenditur, quibus solet ignis extingui, oleo extinguitur quo solet ignis accēdi, vsus eius in structuris fabricæ necessarius. Nam lapis lapidi non potest adhærere fortius, nisi calce coniunctus.

Gipsum cognatum calci est, & est Græcum nomen. Plura eius genera. Omnium autem optimum * lapis est specularis. Est enim in signis ędificiorum & coronis gratissimus. al. de lapide specularis.

Arena ab ariditate dicta: nō ab adhærendo in fabricis, vt quidam volunt. Huius probatio si manu impressa stridet, aut si in vestem candidā sparsa nihil sordis relinquat.

Columnæ pro lōgitudine & rotunditate vocatę: in quibus totius fabricæ pondus erigitur. Antiqua ratio erat columnarum altitudinis tertia pars latitudinum. Genera rotundarum quatuor. Doricę, Ionicę, Tuscanicę, Corinthię, mensura crassitudinis & altitudinis inter se distantes. Quintū genus est earum quæ vocantur Atticæ: quaternis angulis aut amplius, paribus laterum interuallis.

Bases fulturæ sunt columnarum, quę à fundamento consurgunt, & superpositę fabricæ sustinent pondus. Bases autem nomen petrę est fortissimę Syro sermone.

Capitella dicta quòd sint columnarum capita, quasi super collum caput.

Epistilia sunt, quæ super capitella columnarum ponuntur, & est Græcum.

Pauimenta originem operis à Græcis habēt. vocata autem pauimenta eo quòd pauiantur, id est cedantur. vnde & pauor: quia cedit cor.

Ostracus est pauimētum testaceum, eo quòd fractis testis calce admixto feriatur. Testam enim Græci ὄστρακα dicunt.

Rudos, artifices appellant lapides cōtusos & calce admixtos, quos in pauimētis faciendis superfundunt. vnde & rudera dicuntur.

Canalis ab eo quòd caua sit in modum cannę. Sanè canalem melius genere fœminino quā masculino proferimus.

Fistulæ aquarum sunt dictæ: quòd aquas fundant & mittant. Nam Græcè στέλλειν mittere est. Formæ earum pro magnitudine aquę & capacitate fiunt: per quas aquæ per modulos certos diuidūtur. Equibus est vncia & quinaria, digitus quadratus: digitus rotundus, & cæteri modi cuiq; causæ. Hucusq; partes constructionis.

De venustate. CAP. XI.

VEnustas est quicquid illud ornamenti & decoris causa ædificijs additur, vt tectorū causa auro distincta laquearia, & prętonsi marmoris crustæ & colorum * pictura. al. tinctura.

De laquearijs. CAP. XII.

LAquearia sunt quæ cameram subtegunt & ornant: quæ & lacunaria dicuntur: quòd lacus quosdam quadratos vel rotundos ligno vel gipso vel coloribus habeat pictos, cū signis intermicantibus. Principaliter autem lacus dicitur, vt Lucius.

Resultant ędes q̄ lacus q̄,

Cuius diminutio lacunar facit, vt Horatius.

Neq; aureum mea renidet in domo lacunar.

Inde fit alia diminutio lacunarium & per antisticon laquearium facit.

De crustis. CAP. XIII.

CRustę sunt tabulę marmoris. Vnde & marmorati parietes & crustati dicuntur. Qui autē marmora secandi in crustas rationē excogitauerunt nō constat. Fiunt autem arena & ferro serraq; in prętenui linea premente arenas, tractuq; ipso secāte: sed crassior arena plus erodet marmoris. Nam tenuis fabricis & polituris accommodata est.

De litostrotis. CAP. XIIII.

LItostrota sunt elaborata arte picturę paruulis crustis ac tessellis tinctis in varios colores. Tesselli autem à tesseris nominati, id est quadratis lapillis per diminutionem.

De plastis. CAP. XV.

PLastice est parietum ex gipso effigies signaq; exprimere pingereq; coloribus. Plastice autem dictum Græcè, quod Latinè est pingere terra vel gipso similitudines. Nam impressa argilla formam aliquam facere plastis

© Biblioteca Nacional de España

est. Vnde & protoplastus est dictus homo: qui ex limo primus est conditus.

De pictura. CAP. XVI.

Pictura autē est imago exprimens speciem cuius rei, quæ dum vita fuerit ad recordationē mentem reducit. Pictura autem dicta quasi fictura. Est enim imago ficta non veritas. Hinc & fucata, id est ficto quodam colore illita nihil fidei, & veritatis habētia. Vnde & sunt quædam picturæ quæ corpora veritatis studio coloris excedunt, & fidem dum augere contendunt ad mendacium prouehunt: sicut qui Chimeram tricapitem pingunt vel Scillam hominē sursum, caninis autē capitibus cinctā deorsum.

Picturam autem Aegyptij excogitauerūt primum vmbrā hominis lineis circumductam. Itaque initio talis, secunda singulis coloribus, postea diuersis: sicq; paulatim sese ars ipsa distinxit, & inuenit lumen atq; vmbras differentiasq; colorum. vnde & nunc pictores prius vmbras quasdam & lineas futuræ imaginis ducunt, deinde coloribus implent, tenentes ordinem inuentę artis.

De coloribus. CAP. XVII.

Colores autē dicti sunt, quòd calore ignis vel sole perficiuntur, siue quòd in initio colabantur, vt summę subtilitatis existerent.

Colores autem aut nascuntur aut fiunt. Nascuntur, vt sinopis, rubrica, parætonium, melinum,* fretia, auripigmentum. Ceteri finguntur aut arte, aut permixtione.

Ita omnes. Cod. Plinius. Ereiria.

Sinopis primum inuenta in Ponto est. Inde nomē à Synope vrbe accepit. Species eius tres, rubra & minus rubens, & inter has media.

Rubrica vocata quòd sit rubra & sanguineo proxima. Hæc plurimis locis gignitur: sed optima Ponto, vnde & Pontica dicitur.

Siricum rubri coloris pigmentum, ex quo & librorum capita scribuntur. Ipsum est & Phœnicæum appellatum, ita eò quòd in Syria colligatur in littoribus rubri maris vbi Phœnices inhabitant.

Aliud est sericum, aliud Syricum. Nam sericum lana est quā Seres mittunt, Syricū verò pigmentum quod Syri Phœnices in rubri maris litoribus colligunt. Est autem inter factitios. Nā sepę fit aut sinopide, aut sandice mixtus.

Minium primi Græci in Ephesiorum solo inuenisse traduntur. Cuius pigmenti Hispania cęteris regionibus plus abundat. vnde etiam nomen proprio flumini dedit. Huius distillatio argētum liquidum gignit. Minium autē hoc quidam dicunt esse cinnabarin.

Cinnabaris à dracone & barro id est elephanto cognominatum. Aiunt enim draconum esse sanguinem dum implicant elephantos. Ruunt enim beluę & dracones obruuntur, quorum fusus cruor terram inficit, fitq; pigmentum quicquid solo tinxerit. Est autem puluis coloris rubri.

Prasina idest creta viridis, etsi in aliquibus terris promiscue generetur, optima tamē in Lybia Cyrenensi.

Chrysocolla colore prasino est dicta, quòd vena eius habere aurum traditur. Hæc & in Armenia nascitur, sed ex Macedonia probabilis venit. Foditur enim ex metallis æris. cuius inuentio argentum atq; indicum prodit. Nam venæ eius cum ijs habent naturæ societatem.

Cypria ab insula Cypro, vbi plurima reperitur.

Sandaracha in insula rubri maris topazon nascitur colore cinnabari, odore sulphureo. Inuenitur autem in aureis & argentarijs metallis, melior quo magis rufa, quoq; magis virus redolet. quāquā & cerussa si torreatur in fornace sandaracū facit, vnde & color est flammeus. Quòd si torreatur æqua parte rubrica admixta, sandicem reddit.

Arsenicum quòd Latini ob colorem auri auripigmentum vocant, colligitur in Ponto ex auraria materia, vbi etiam Sandaracha. Optimum est quod in auri colorem transit purum & fissile, gracili venarū discursu. Quòd verò pallidius aut Sandarachæ simile est, deterius iudicatur. Est & tertium genus squamosum, quo miscetur aureus color. Vis earū vt Sādarachę, sed acrior.

Ocra & ipsa in insula maris rubri topazon gignitur: vbi & Sandaracha. Fit quoq; & ocra exusta rubrica in ollis nouis luto circūlitis: quę quāto magis in camino arserit, tanto melior fit.

Venetum ceruleum tēperare primū Alexandria reperit. In Italia ex arenæ puluere & nitri flore idē faciunt. Sed si Cipriū in fornace adustum huic permixtioni addes, vestoriani similitudo erit.

Purpurissum ex creta argentaria cum purpuris pariter tingitur, bibitq; eum colorē celerius lanis. Præcipuum est, tamen aliud quod adhuc vase rudibus medicamētis inebriatur. Proximū est egesto eo addita creta in * vas idem, & quoties id factū est, eleuatur bonitas. Preciosissimæ purpuræ causa est quòd * iscino maximè inficitur rubeaq;.

al. iste.

al. scino.

Indicum in Indicis inuenitur calamis, spuma adhærente limo. Est autem coloris cyanei, mixturam purpuræ ceruliq; mirabilem reddēs. Est alterū genus in purpuratijs officinis, spuma in æreis cortinis innatans: quam infectores detrahentes siccant.

Atramentum dictū, quòd sit atrum: cuius species & picturę & quotidiano vsui necessaria est, istud inter factitios est. Fit enim & fuligine plurimis modis super ardētes tedas resina adiecta, lacusculo ędificato, quòd fumū retineat. Huic pictores cum aqua miscent glutem, vt illustrius resplendeat. Ad festinationē autē operis etiam sarmentorū veterū carbones cū glutino triti inducendis parietibus atramenti speciem reddunt. Sunt & qui vini fecem siccatā excoquant.

affirmentq;

© Biblioteca Nacional de España

affirmentq; si ex bono vino fex fuerit Indici speciem id atramentum præbere. Sed & sarmentũ uvæ nigræ vino optimo tinctum posteaquam siccitate aruerit si exuras & cõteras, adiecto glutino, nitorem Indici reddet, vstaq; plurimum necessaria est, nullo negotio prouenit. Nam & si glebam silicis bene igne excoquas, & aceto acerrimo superfusam extinguas, madefacta *ffungia colorem purpureum reddit. Eam vbi contrieris vsta erit. Omne autem atramentum sole perficitur.

alis fungia.

Oẽs colores calcis admixtione corrũpuntur.

Melinum dictum, quòd eius metalli ferax sit vna ex Cycladibus insula Melos nomine. Est enim candidum, nec vtũtur eo pictores propter nimiam pinguedinem.

Anulare quòd vocant candidum est quo muliebres picturæ luminantur. Fit & ipsum ex creta admixtis vitreis gemmis.

Cerussa fit hoc modo: In vase enim aceto acerrimo impleto sarmenta aminia in eodem vasculo collocabis, ac super sarmenta tabulas plumbi tenuissimas pones; deinde vas diligentissimè claudes, illinisq; ne aliquid inde spiraminis exeat. Post dies autem xxx vas aperitur, & ex distillatione tabularum innata cerussa inuenitur. Quòd ablatum & arefactum teritur, atque iterum aceto admixtum in pastillis diuiditur & in sole siccatur. Hac obseruátia si laminas æreas sarmentis superponas, eruginem *creant Chalcantium.

Ann. In exc. quodam exempl. ita legitur creant. Chalcantum dictum, quòd calcis est thimum, id est flos. vnde et apud Latinos æris flos appellatur.

De instrumentis ædificiorum. CAP. XVIII.

INstructura autem parietum ad normam fieri, & ad perpẽdiculum respondere oportet.

Norma dicta Græco vocabulo extra quam nihil rectum fieri potest. Componitur autem ex tribus regulis; ita vt duæ sint binorum pedum, tertia habeat pedes duos vncias decem, quas æquali crassitudine politas extremis acuminibus sibi iungit, vt schema trigoni faciant. Id erit norma.

Regula dicta quòd sit recta: quasi rectula, & impedimentum non habeat.

Perpendiculũ est quod semper appenditur. deniq; in fabrica nisi omnia ad perpendiculum, & certam regulá fiant, necesse est vt cuncta mendosa instruantur, vt aliqua praua sint, aliqua cubantia, prona nonnulla, alia supina, & propter hoc vniuersa * sunt constructa.

ita habent omnia exempl. Ego vnũ, legendũ arbitror, non sunt.

Linea genere suo appellata, quia ex lino fit.

Trullæ nomen factum, eo quòd trudit & detrudit, id est, includit calce vel luto lapides.

Marcellus machina.

Scalæ à scandendo vocatæ. hærent enim parietibus. Scalæ autẽ dicuntur, quę aut vnę sunt, aut plures; quia numeri tantùm pluralis est nomen, vt literæ, quæ epistolam significat.

De lignarijs. CAP. XIX.

LIgnarius generaliter ligni opifex appellatur.

Carpentarius speciale nomen est. Carpentũ enim solũ facit: sicut nauicularius, quia tantùm nauium est fabricator & artifex.

Sarcitector dictus, quòd ex multis hinc inde coniunctis tabulis vnum tecti sarciat corpus. Idem & tignarius, quia tectoria lignis inducit.

Lignum vocatur Græca etymologia, quia incensum in lumen conuertitur & in flaminam. Vnde & licinium dicitur, quòd lumen det.

Materia indè dicitur omne lignum, quòd ex ea aliquid efficiatur: vel si ad ianuam referas, vel ad statuam, materia erit. Ad aliquid enim semper materia accipienda est, sicut elementa materiam rerum esse dicimus: quia inde ea quæ sunt facta videmus & materia quasi mater dicta.

Trabes vocatæ, quòd in transuerso positæ vtrosq; parietes contineant.

Aliud autem sunt tigna, aliud trabes. Tigna enim iuncta trabem faciunt. Trabes autem sunt cum sunt dolatæ.

Tolus propriè est veluti scutum breue quod in medio tecto est in quo trabes coeunt.

Cuplę vocatę, quòd copulent in se luctãtes.

Luctantes dicuntur, quòd erecti inuicem se teneant more luctantium.

Agrantes. *In V.C. deest.*

Asseres ab asse dicti, quia soli ponuntur neq; coniuncti.

Scindulę, eo quòd scindãtur, id est diuidãtur.

Epigri & claui sunt quibus lignum ligno adhæret.

Claui autem dicti quasi calybi, quia ex calybe fiunt, id est ferro. Calybs enim ferrum est.

Tabulæ à veteribus tagulæ vocabantur, à tegendo scilicet, vnde & tegulæ.

Commissura dicitur tabularum coniunctio.

Sectio autem dicta à sequendo ea quæ ceperit. Nam secare sectari & sequi est.

Serræ autem nomen de sono factũ est, id est à stridore.

Serræ circiniq; vsum Perdices quidã adolescens inuenit, quem puerũ Dędalus frater matris suę, studijs perdocendum acceperat. Cuius pueri tantùm ingenium fertur: vt dũ materiæ diuidendæ cõpendium quæreret, spinã piscis imitatus de ferro laminã exasperãs dẽtium mordacitate armauit: quã serrã artifices nũcupãt. Pro cuius artis inuentione Dedalus magister eius inuidiæ liuore permotus præcipitem puerum ex arce deiecit. dehinc exulatum Cretã abijt ibiq; aliquamdiu fuit, vt fabulę ferunt. Ex Creta pennis volauit & inde Ciliciam venit.

Circinus dictus, quòd vergẽdo efficiat circulum. Huius modus duplicata linea fit, quæ simplex per latitudinem extensa fuerat. Punctus autem in medio * circini centrum à Græcis dicitur: in cuius medium cuncta conuergunt.

forte circuli.

Securis vocatur, eo quòd ea arbores succidãtur: quasi succuris. Itẽ securis, quasi semicuris. Ex vna enim parte acuta est, ex altera fossoria. Hęc & apud veteres pẽna vocabatur, vtráq; aút habẽs aciẽ, bipẽnis. Nã bipẽnis dicitur: quòd ex

© Biblioteca Nacional de España

vtraque parte habeat acutam aciem: quasi duas pennas. Pennum autem antiqui acutũ dicebãt. Vnde & auium pennę, quia acutæ. Et ecce nomẽ quod reseruauit antiquitatem, quia veteres dicebant pennas non pinnas. Hæc & dolabra: quòd habeat duo labra. nam securis simplex est.

Dextralis dexterę habilis.

Ascia ab astulis dicta, quas à ligno eximit, cuius diminutiuum nomen est asciola. Est autem manubrio breui ex aduersa parte referens vel simplicem malleum, aut cauatum, vel bicorne rastrum.

al. Scalprum. * Scalprum dictum, quòd scalpturis & foraminibus sit aptum, quasi scalforus. Cuius diminutiuum scalpellus.

Terebra vocata à verme ligni, qui vocatur terebra: quem Græci τερεδόνα vocant. Hinc terebra dicta, quòd vt vermis terendo forat, quasi terefora, vel quasi transforans.

al. scofam. al. Galuia. Taratrum quasi teratrũ. Scofina dicta quòd herendo * scophen faciat. Canterium. Gallia * Guuia.

De inuentione lanificij. CAP. XX.

MIneruam quandam gentiles multis ingeniis prædicant. Hanc enim primam lanificij vsum monstrasse, hanc etiam telã ordisse & colorasse lanas perhibent. Oliuę quoq; hanc dicunt inuentricem & fabricæ, multarũq; artium repertricem. Ideoq; illi vulgo opifices supplicant. Sed & hoc poeticè fingitur. Non enim Minerua istarum artium princeps est: sed quia sapientia in capite esse dicitur hominis, & Minerua de capite Iouis nata fingitur, hoc est ingenium, ideoq; sensus sapientis qui inuenit omnia in capite est. Ideo & dea artium Minerua dicitur, quia nihil excellentius est ingenio quo reguntur vniuersa.

De veste sacerdotali in lege. CAP. XXI.

OCto sunt in lege genera sacerdotalium vestimentorum.

Poderis est tunica sacerdotalis linea, corpori astricta vsq; ad pedes descendens. vnde & nuncupatur, πόδας enim Græci pedes dicunt. Hæc vulgo camisia vocatur.

al. Abanæth. al. Aban est. * Abanem cingulum sacerdotale rotundum polimita arte ex cocco, purpura, hyacintoq; cõtextum, ita vt flores atq; gemmę in eo videantur esse distinctę.

Pilleum est ex bisso rotundũ quasi sphęra media, caput tegens sacerdotale, & in occipitio vitta constrictũ. Hoc Græci & nostri tiará vel * galeam vocant. al galeriam.

Machil quòd est tunica talaris tota thiciny na, habens ad pedes LXXII tintinnabula: toti demq; intermixta ac dependentia punica mala.

Ephod, quòd Latinè interpretatur superindumentum. Erat enim pallium superhumerale ex quatuor coloribus & auro contextum, habens in vtroq; humero lapides duos smaragdinos auro conclusos, in quibus sculpta erant nomina patriarcharum.

Logicon, quod Latinè dicitur rationale, pannus duplex, auro & quatuor textus coloribus, habens magnitudinem palmi per quadrum, cui intexti erant XII prætiosissimi lapides. Hic pannus super humerale contrã pectus pontificis annectebatur.

Petalum aurea lamina in frontè pontificis, quæ nomen Dei tetragrammaton Hebraicis literis habebat scriptum.

Batin, siue fœminalia, id est bracæ lineæ vsq; ad genua pertingẽtes, quibus verecunda sacerdotis velabantur.

De nominibus vestium cæterarum. CAP. XXII.

DIuersitas vestimentorum, tegmen, tegumen, indumentũ, vestimentũ, & reliqua.

Tegmen dictum eo quòd tegat membra: sicut tegumenta, tecta quę tegunt corpora.

Indumẽtum quòd intus ad corpus induitur: quasi intumentum.

Vestimentum verò est quod vsq; ad vestigiũ prætenditur, quasi vestimentum, vt est tunica talaris. Sed & hæc consuetudo sermones auctorum confundit.

Discernitur autem vestitus à cultu: quoniam lautius intelligitur cultus. Item cultus ab habitu. Nam habitus ad naturam pertinet, cultus ad homines.

Plærę q̃que autem vestium aut à tempore quo maximè in vsu sunt appellantur, aut à locis vbi vel primum vel maximè vendicantur, aut à genere coloris: aut à nomine repertorum.

Vestis antiquissima hominum fuit perizomatum, id est succinctorium: quo tantùm genitalia conteguntur. Hoc primum primi mortales è folijs arborum sibi fecerunt, quando post præuaricationem erubescentes pudenda velabant. Cuius vsum quædã barbaræ gẽtes dũ sint nudę vsq; hodie tenent. Hęc & campestria nuncupantur, pro eo quòd eisdem iuuenes qui nudi exercentur in campo, pudenda operiunt.

Tunica vestis antiquissima appellata, quia in motu incedentis sonum facit. Tonus enim sonus est. Primum autem fuere pelliceæ tunicæ quibus post offensam & eiectionem de paradiso Adam & Eua induti sunt.

Talaris tunica dicta, eo quòd ad talos vsq; descẽdat, & ad pedes defluat, sicut pectoralis, quia apud antiquos breuis erat: vt tãtùm pectus operiret, licet nunc profusior sit.

Manicleata tunica, id est manicata eo quòd habeat manicas, quam χειροδύτην Græci vocant.

Dalmatica vestis primùm in Dalmatia prouincia Græciæ texta est, tunica sacerdotalis candida cum clauis ex purpura.

Russata quam Græci phœniceam vocant, nos coccineam, reperta est à Lacedęmonijs ad celandũ coloris similitudine sanguinẽ, quotiens quis in acie vulneraretur, cõtemplãti aduersario animus augesceret. Hac sub cõsulibus Romani vsi sunt milites, vnde etiam russati vocabantur.

Sole-

© Biblioteca Nacional de España

Solebat enim pridie, quàm dimicandum esset ante principia poni, quasi admonitio & inditium futuræ pugnæ.

Lacunata * Laculata est, quæ lacus quadratos quosdam cum pictura habet intextos aut additos acu.

Iacinthina vestis est aerio colore resplendens.

Molocina quæ maluarũ stamine conficitur, quam alij melocinam, * alij malvellam vocant. *Maloellam*

Bombicina est à bombice vermiculo, qui longissima ex se fila generat, quorum textura bombicinum dicitur, conficiturque in insula Choo.

Apocalama.

Serica à serico dicta, vel quòd etiam Seres primi miserunt.

Holoserica tota serica: ὅλος enim totum.

Tramoserica stamine lineo: trama ex serico.

Holoporphyra tota ex purpura.

Bysina candida confecta ex quodam genere lini grossioris. Sunt & qui genus quoddam lini byssum esse existiment.

Fibrina, tramam de fibri lana habens caprina.

mela, quod Masticina & * mena. *color nigro. Græci enim μελαν nigrum vocant.*

Linea, quæ ex solo lino fit.

Linostema vestis est ex lana linoque contexta. Et dicta linostema, quia in stamine linũ, in trama lanam habet.

Recta dicitur vestis, quam sursum versum stantesque texunt.

Segmenta zonis quibusdam, & quasi precisamentis ornata. Nam & particulas cuiusq; materiæ abscisæ præsegminas vocant.

Levidensis, quòd raro filo sit, leviterq; densata.

Pavitensis contraria Levidensi dicta, quòd graviter pressa atque calcata sit.

Citrosa, quasi concrispa ad similitudinem citri. Nevius:

— *Pulchram ex auro vestemq; citrosam.*

Velenensis tunica est, quæ affertur ex insulis.

Exotica vestis est peregrina deforis veniens, ut in Hispania à Græcis.

Polimita multicoloris. Polimitus enim textus multorum colorum est.

Acupicta vestis acu textilis aut acu ornatu. Eadẽ & Phrigia. Huius enim artis periti Phrigij omnes dicuntur: sive quia in Phrigia inventa est. Vnde & artifices qui id faciunt, Phrigiones dicuntur. Virgilius:

— *Phrigiam chlamidem.*

Trilicis à tribus licijs, quia est simplex & * biplex. *bilex*

Ralla, quæ vulgò rasilis dicitur.

al. interpola * Intripola vestis illa vocatur, quæ dum sit vetus ad novam speciem recurratur.

Pannutia nuncupata, quòd sit diversis pannis obsita.

Colobium dictum, quia longum est, & sine manicis. Antiqui enim magis hoc vtebantur.

* Libitonarium est colobium sine manicis, quali monachi Ægyptij vtuntur. *al. Levitonarium*

Lumbare vocatur, quòd lumbis religetur, vel quòd lumbis hæreat. Hoc in Ægypto & in Syria non tantùm fœminæ, sed & viri utuntur. Vnde & Hieremias, Trans Euphratẽ tulit lumbare suum, ibique illud in foramine petræ abscondit, & postea scissum reperit. Hoc à quibusdam & renale dicitur, quia renibus alligatur.

Limus est vestis, quæ ab umbilico usque ad pedes producitur. Hæc autem vestis habet in extremo sui purpuram limam, id est, * fluxuosam, inde & nomen accepit. Nam limum obliquum dicimus. *al. fluxuosam*

Licinium vocatum, quòd textura eius ligata sit in totum, quasi diceret liginum, c pro g litera commutata.

Armelausa vulgò vocata, quòd antè & retrò divisa atque aperta est: in armos tantùm clausa, quasi armiclausa: c litera ablata.

Camisias vocamus, quòd in his dormimus in camis, id est, in stratis nostris.

Fœmoralia appellata, eò quòd fœmora tegant. Ipsa & bracæ, quòd sint breves & verecunda corporis ijs velentur.

Tubrucos vocatos dicunt, quòd tibias brachasque tegant.

Tubraci, quòd à bracis ad tibias vsque perveniant.

De vestibus quarundam gentium. CAP. XXIII.

QVibusdam autem nationibus sua cuiq; propria vestis est: vt Parthis * sarabra. Gallis linnæ. Germanis renones. Hispanis striges. Sardis * manstrugæ. *al. Sarrabara* *al. mastruca*

Sarabara sunt fluxa ac sinuosa vestimenta: de quibus legitur in Daniele, *Et sarabara eorum non sunt immutata.* Et Publius: *Vt quid ergò in ventre tuo Parthi sarabara suspenderunt?* Apud quosdam autem sarabaræ quædam capitum tegmina nuncupantur, qualia videmus in capite Magorum picta.

Linnæ saga quadra & mollia sunt. De quibus Plautus:

**Linnæ cooperta est textrino Gallia.* *al. Linnæ cooperta est textrina Gallus.*

Renones sunt velamina humerorum & pectoris vsque ad umbilicum, atque intortis villis adeò hispida, vt imbres respuant, quos vulgò reptos vocant, eò quòd lõgitudo villorum, quasi reptat: de quibus Salustius, *Germani intectum renonibus corpus tegunt.* Dicti autem renones à Rheno Germaniẽ flumine, vbi ijs frequenter utuntur.

Mastruga vestis Germanica ex pelliculis ferarum, de qua Cicero pro Scauro: *Quem purpura regalis non commovit, eum Sardorum mastruga mutavit.* Mastruga autem dicta, quasi monstruosa, eò quòd qui ea induuntur, quasi in ferarum habitum transformentur.

Dinoscuntur & gentes ita habitu, sicut &

© Biblioteca Nacional de España

lingua discordes. Persæ brachia & crura liniamentis, caput tiara tegunt. Eminent apicibus fastigiatis Alani: horrent & * malè tecti cum * latratoribus linguis Scotti: sacrati vel sagati Alemanni. * Linteati Indi: gemmati Persæ: sericati Seres: pharetrati Armenij.

* malis al. latrantib. al. latratricibus.

Annot. al. Lineati, quod probo. Non Indi ita faciem lineamentis pingunt.

Nonnullę etiam gentes non solùm in vestibus, sed & in corpore aliqua sibi propria; quasi insignia vindicant, vt videmus cirros Germanorum: granos & cinnabar Gothorum: * stigmata Britonum. Circumcidunt quoque Iudæi præputia: pertundunt Arabes aures: flavent capitibus intextis Getæ, nitent Albani albentibus crinibus. Mauros habet tetra nox corporum: Gallos candida cutis: sine equis inertes extant Alani: nec abest * gens Pictorum nomen à corpore, quod minutis opifex acus punctis & expressos nativi graminis succos includit, vt has ad sui * specimen cicatrices ferat, pictis artubus maculosa nobilitas.

al. stemata

al. genti

al. speciem

Habet & sexus institutam speciem habitus, ut in viris tonsi capilli: in mulieribus redundantia crinium, quod maximè virginibus insigne est: quarum & ornatus ipse propriè sic est, ut concumulatus in verticem ipsam capitis sui arcem * ambitu crinium contegat.

al. ambitus

De pallijs virorum. CAP. XXIIII.

P*Allium est quo administrantium scapulæ conteguntur, vt dum ministrant expeditius discurrant. Plautus: *Si quid facturus es, appende in humeris pallium, & pergat quantum valet tuorum pedum pernicitas.* Dictum autem * pallium à pellibus, quia prius super indumenta pellicia veteres induebantur, quasi pellea, sive à palla per derivationem.

al. palleus

al. palleum

Chlamis est quæ ex vna parte induitur neq; consuitur, sed fibula infrenatur. Hinc & Græcè nomen accepit.

Toga dicta, quòd velamento sui corpus tegat atque operiat. Est autem * pallium purum forma rotunda & fusiore, & quasi inundante sinu & sub dextro veniens, super humerum sinistrum ponitur: cuius similitudinem in operimentis simulachrorum vel picturarum aspicimus, easq; statuas togatas vocamus.

al. palleum

Toga autem Romani in pace utebantur: belli autem tempore paludamentis. Mensura togę iustæ, si sex ulnas habeat.

Toga autem palmata dicebatur, quam merebantur ij, qui reportabant de hostibus palmas. Ipsa vocabatur & toga picta, eò quòd victorias cum palmis intextas haberet.

Toga candida eademque cretata, in qua canditati, id est magistratum petentes ambiebant, addita creta quo candidior insigniorque esset. Cicero oratione quam habuit cōtra competitores, in toga candida scripsit.

Cinctus Gabinus est, cùm ita imponitur toga, ut togæ lacinia, quæ post secus reijcitur, attrahitur ad pectus, ita ut ex utroque latere ex humeris picturę pendeant, ut sacerdotes gentilium faciebant, aut cingebantur prætores.

Trabea erat togæ species ex purpura & cocco, qua operti Romanorum reges initiò procedebant. Hanc primùm Romulus adinvenisse perhibetur, ad discretionem regij habitus. Trabea autem dicta, quòd in maiori gloria hominem * transbearet, hoc est, ultra & impostérum ampliori dignitate honoris beatum faceret.

al. transferet.

Paludamentum erat insigne * pallium Imperatorum cocco purpuraque & auro distinctum. De quo Salustius: *Togā, inquit, paludamento mutavit.* Erat enim pallium bellicum, dictum, ut quibusdam videtur, quòd eo indutus palam faceret Imperator bellum futurum.

al. palleum

Circumtextum est, quod Græcè περίκλαιον dicitur. de quo Virgilius:

Ex circumtextum croceo velamen acantho.

Circumtextum autem dictum, quia est rotundum pallium.

Diplois Græcum nomen, ab eo quòd sit duplex amictus. Horatius:

Contra quem duplici panno patientia velat.

Est autem vestis militaris, cuius usus Gallicis primùm expeditionibus cœpit è præda hostili. De qua est vox illa senatui, *Togis depositis Quirites ad saga conversi fuerant.*

Sagum autem Gallicum nomen est: dictum autem sagum quadrum, eò quòd apud eos primùm quadratus vel quadruplex esset.

Penula est pallium cum fimbrijs longis.

Lacerna pallium fimbriatum, quo olim soli milites utebantur. Vnde & in distinguenda castrensi urbanaque turba hos togatos, illos lacernatos vocabant. Inde autem lacernæ quasi amputatis capitibus fimbriarum, neq; ita laxis ut sunt penularum.

Mantum Hispani vocant, quòd manus tegat tantùm. Est enim breve amictum.

Prætexta puerile pallium est, quo usq; ad xvj annos pueri nobiles sub disciplinæ cultu utebantur. Vnde & prętextati pueri appellati sunt. Dicta autem prætexta, quia pertexebatur ei latior purpura.

Casula est vestis cucullata, dicta per diminutionem à casa, quod totum hominē tegat, quasi minor casa. Vnde & cuculla, quasi minor cella. sic & * Græci Planetas dictos volunt, quia horis errantibus evagantur. Vnde & stellæ planetæ, id est, vagæ suo errore motuque discurrunt.

al. Græci

Birrus à Græco vocabulum trahit: illi enim birrum bibrum dicunt.

Melotes, quæ etiam pera vocatur, pellis est caprina à collo pendens præcincta usque ad lumbos. Est enim habitus propriè necessarius ad operis exercitium. Fiebat autem prius, ut quidam æstimant de pelliculis melonum. Vnde & melotes vocatæ sunt.

Fimbriæ vocatę ora vestimentorum, hoc est, fines ex Græco vocabulum trahentes. Græci enim terminum ὅρον vocant.

De

© Biblioteca Nacional de España

De pallijs fœminarum. CAP. XXV.

REgillum est prælatum reginarum amiculum, unde & appellatum. Peplum matronale pallium ex purpura signatum: cuius fimbriæ aureis staminis summitate resplendẽt.

Palla est quadrum pallium muliebris vestis deductum usque ad vestigia, affixis in ordinem gemmis. Et palla dicta, ἀπὸ τοῦ πάλλειν, id est, à*nobilitate, quæ est circa finem huiusmodi indumenti: sive quòd rugis vibrantibus sinuata crispetur.

* legendum censeo, mobilitate

Stola matronale operimentum, quod cooperto capite & scapula à dextro latere in levum humerum mittitur. Stola autem Græcè vocatur, quòd superemittatur.

Eadem & ricinium Latino nomine appellatum, eò quòd dimidia eius pars retrò eijcitur, quod vulgò mavortẽ dicunt. Vocatã autem dicunt Mavortem, quasi Martem. Signum enim maritalis dignitatis & potestatis in eo est. Caput enim mulieris vir est: inde & super caput mulieris est.

Amiculum est meretricum pallium lineum. Hoc apud veteres matronę in adulterio deprehensæ induebantur, ut in tali amiculo potius quàm in stola polluerent pudicitiam. Erat enim hoc apud veteres signum meretriciæ vestis: nunc in Hispania honestatis.

Theristrũ pallium muliebre dictũ, quòd ὑπὸ θέρους, id est, in æstu & caumate corpora mulierum protegat, quo usq; hodie Arabiæ & Mesopotamiæ mulieres velantur, quibus in æstu tutissimo tegũtur vmbraculo. De quo in Isaia legitur.

Anaboladium amictorium lineum fœminarum quo humeri operiuntur, quod Græci & Latini sindonem vocant.

De stratu & reliquis quæ in usu habentur. CAP. XXVI.

STragulum vestis est discolor, quòd manu artificis diversa varietate distinguitur. Dictum autem, quòd in stratu & in amictu aptum sit. De quo Salomon: *Stragulatam vestem fecit sibi.*

Ludices à ludis, id est theatris vocatas quidam existimant. Cùm enim egrediebantur de ludi prostibulo iuvenes horum velamento tegebant caput & faciem, quia solebant erubescere, qui lupanar introissent.

Galnapes.

Fulcra sunt ornamẽta lectorum, dicta quòd in ijs fulcimuur, id est, sustinemur, vel quòd toros fulciant, sive caput quæ reclinatoria vulgus appellat.

Cervicalia autem eò quòd ponãtur sub cervice vel cubito.

Pulvillus dictus à pulvinari, qui est divitum lectus.

Culcitrę vocatę, quòd calcentur, id est farciantur pluma sive tomento, quo molliores calidioresque sint.

Tapeta dicta, quòd pedibus primùm sternerentur, quasi tapedia.

Sipla tapeta ex una parte villosa quasi simpla.

Amphitaba ex utraq; parte villosa tapeta. Lucilius: *Siple atq; amphitaba villis ingentibus molles.*

* Mantelia nunc pro operiendis mensis sunt, quæ ut nomen ipsum indicat, olim tergendis manibus præbebantur: sive mandelia à mandendo. * Mantilia

Mappæ convivij & epularũm appositarum sunt, quasi manupę, atque ob id nominatæ: cuius diminutivum mappella est.

Toralia longæ perpetuæque mappæ, à toro dictę.

Sabanum Græcum nomen est.

Facitergium & manutergium à tergendo faciem vel manus vocatur.

Vela dicta, quòd obiectu suo interiora domorum velent.

Aulea vela picta & grandia, quæ ideo aulea dicta sunt, quòd primũ in aula Attili regis Asiæ, cui successit populus Romanus, inventa sunt.

Cortinæ sunt aulea, id est, vela de pellibus, qualia in Exodo leguntur, à quibus tabernaculum extrinsecùs tegebatur. Dictæ autem cortinæ à corijs, eò quòd prius ex pellibus fuissent factæ. Vnde & in eodem tabernaculo legis iubetur, cortinas fieri ex pellibus arietum rubris & ex pellibus hyacinthinis.

Cilicia Arabes nuncupant velamenta pilis caprarũ contexta, ex quibus sibi tentoria faciũt.

De lanis. CAP. XXVII.

LAna à laniendo, id est vellendo dicta. Hinc & vellus dictũ, quòd prius lanæ vellerentur, non tonderentur.

Linum ex terra oritur, deflexumq; nomen eius ex Græco. Nam linum Græci λίνον dicunt: sive quòd sit molle & leve.

Stuppa verò cannabi est sive lini. Hæc secundum antiquam orthographiam stuppa dicitur, quòd ex ea rimæ navium stipentur. Vnde & stipatores dicuntur, qui in vallibus eam componunt.

Tomentum appellatum, quòd aut in filo aut in tela tumeat, nec subtilitatem habeat.

Canabum à similitudine cannæ vocatum: sive à Græca etymologia. Nam illi canabum κάνναβιν vocant.

Byssum genus est quoddã lini minimum candidi & mollissimi, quod Græci papatem vocant.

Fibrinum lana est animalium, quæ fibros vocant: ipsos & castores existimant: quos dum venatores sequuntur: ipsi sibi testiculos adimunt.

Aranea vocata, eò quòd aeris infusione in frondibus nutriatur.

Sericum dictum, quia id Seres primi miserunt. Vermiculi enim ibi nasci perhibentur, à quibus hæc circum arbores fila ducuntur. Vermes autem ipsi Græcè βόμβυκες nominantur.

Placium est stuppa & quasi * crassedo serici, & est Græcum nomen. * crassitudo

© Biblioteca Nacional de España

De coloribus vestium. CAP. XXVIII.

TInctura vocata, quia tingitur, & in aliam fucatam speciem nitoris gratia coloratur. κόκκον Græci, nos rubrum seu vermiculum dicimus. Est enim vermiculus ex sylvestribus frondibus.

Conchilium dictum, eò quòd ex conchulis marinis color eius colligitur. Idem & ostrum vocatur.

Ostrum, quòd pro colore purpuræ temperatur: plurimis quidem in locis, sed optimum in insula Cypro gignitur: sive in ijs quos* propior Solis cursus illuminat.

*al. propius

Conchilia autem sunt maris, quæ circumcisa ferro lachrymas purpurei immittunt coloris. His collectis color purpureus temperatur. Et ostrum exinde appellatum dicunt, quòd ex teste humore elicitur.

Purpura apud Latinos à puritate lucis vocatur: apud Græcos autem πόρφυρα dicitur cum aspiratione: apud nos purpura sine aspiratione.

Ferrugo est color purpuræ subnigræ, quæ fit in Hispania, vt:

— Ferrugine clarus Ibera.

Dicta autem ferrugo, quòd omnis purpura prima tinctura huiusmodi caloris existat.

Glaucus color est ferrugineus subniger.

Elbidum ab elbo colore vocatum. Elbum enim est medius color inter album & nigrum: & elbum ab albo derivatum.

Luteus color rubicundus, quòd est croceus. Nam crocus lutei coloris est, ut:

— Croceo mutataq; vellera luto.

Menum, quòd sit colore nigro. Græci enim μέλαν nigrum dicunt.

Masticinum, quòd colorem masticis habeat.

Blatteum, blavum.

Mesticium, osticium, quia ex usto est. Fit enim ex dependenti fuligine tectorum egesta assiduis ignibus. Vnde & color eiusdem tincturæ flammeus est.

De instrumentis vestium. CAP. XXIX.

TEla pro longitudine staminum dicta, cuius derivatum est telaria.

Insubuli, quia infrà & suprà sunt: vel quia insubulantur.

Radij dicti, quia radendo fiunt.

Pectines, quia pexa fila reddant & imprimant.

Colum, quòd sit in longitudine & rotunditate, quasi columna.

Fusus, quòd per ipsum fundatur quod netum est.

Alibrum, quòd in eo librantur fila, id est, solvuntur.

Calatum leve gestamen ex ligno vel canna, aut ex iunco factum, in qua vel pensa ponuntur, vel leguntur flores. κάλαμος enim Græcè lignũ est, à quo derivatum est calatum. Nam Latinè quasillum dicitur. Cicero in Philippicis, *Aut verò inter quasilla pendatur aurum.*

Pensum mulierum à pendendo dictum. Vnde pensa & impensa netum.

Fila dicta, vel quia ex pilis animalium sunt, vel quia lanificium filis tenuibus cõstat in modum pilorum, id est, quasi filorum.

Mataxa à circuitu scilicet filorum. Nam meta circuitus dicitur, vel quòd transferatur.

Gubellum corruptè à globo dictum per diminutionem, quasi globellum.

Panuliæ vel panuclæ, quòd ex eis panni texantur. Ipsæ enim discurrunt per telam.

Stamen dictum, quia rectum stat.

Trama, quòd via recta transmittatur per telam. Est enim filum inter stamen currens.

Licia sunt quibus stamina ligantur, quasi ligia.

Ordire est texere.

De ornamentis. CAP. XXX.

HActenus de veste: dehinc ad cæterum cultum veniamus.

Ornamenta dicta, quòd eorum cultu ora vultusque decorentur. Primum ornamentum corona insigne victoriæ, sive regij honoris signum. quæ ideo in capite regum ponitur, ad significandum circumfusos in orbe populos, quibus accinctus, quasi caput suũ coronatur. Hæc à Lucilio corolla, ab Homero στεφάνη dicta est. Huius principium à Libero quodam gentiles existimant, quòd is in potando mota vino capita vincire fasciolis instituerit: idcirco olim linei & lanei generis corona fuit: sicut erat in sacerdotibus gentilium.

Nomen coronę hac ex causa vocatum, quòd initiò circum aras curreretur, atque ad imaginem circuitus vel chori est formata & nominata corona.

Imperatores Romani & reges quidam gentium aureis coronis utuntur. Persæ tiaras gerunt: sed reges rectas, satrapæ incurvas. Reperta autem tiara à Semiramide Assyriorum regina. Quod genus ornamenti exinde usque hodie gens ipsa retinet. Athenienses enim cyclades aureas gerebant partim in vertice, nonnulli in fronte. Non enim eadem sunt insignia omnium regnorum. Gentilium vates infula, apice, pilleo sive galerio utebantur.

Infula est fasciola sacerdotalis capitis alba in modum diadematis, à qua vittæ ab utraq; parte dependent, quæ infulam vinciunt. Vnde & vittæ dictæ sunt, quòd vinciant. Infula autem plerumque lata erat, plerunque tortilis de albo & cocco.

Apex est pileum sutile, quo sacerdotes gentiles utebantur: appellatus ab apiendo, id est, à ligando. Nam virgula quæ in pileo erat, contexebatur filo, quod fiebat ex lana hostiæ. Galerium pileum, ex pelle cesæ hostiæ factum. Pilleum autem dictũ à pelle hostię unde fiebãt.

Ciba-

© Biblioteca Nacional de España

al. insigne Cidaris * & ipsum sacerdotum erat, quod à plerisque mitra vocatur.

De ornamentis capitis fœminarum.
CAP. XXXI.

ORnamenta capitis fœminarum: Diadema, nimbus, capitulum & mitra.

Diadema est ornamẽtum capitis matronarum ex auro & gemmis contextum, quod in se circumactis extremitatibus retrò astringitur, & exinde dictum Græcè quòd præligetur.

Nimbus est fasciola transversa ex auro assuta in linteo, quod est in fronte fœminarum: Plautus:

Quò magis eam aspicio, tantò magis nimbata est:

Nam & lumen quod circa angulorum capita pingitur, nimbus vocatur: licet & nimbus sit densitas nubis.

Capitulum est quod vulgò capitulare dicũt. Idem & cappa, vel quòd duos apices ut cappa litera habeat: vel quia capitis ornamentũ est.

Mitra est pileum Phrygium caput protegẽs, quale est ornamentum capitis devotarum. Sed pileum virorum est: mitræ autem fœminarum.

Redimicula autem sunt, quibus mitra alligatur. Pileum autem, ut prædiximus, à pelle erat. Nam mitra ex lana est.

* Rigula est mitra virginalis capitis:

*Ricula Vittæ sunt quæ crinibus innectuntur, quibus fluentes religantur capilli: & vittæ dictæ, quòd vinciunt.

Tenia autem est vittarum extremitas dependens diversorum colorum.

Item vitta est qua corona vincitur: tenia verò extrema pars vittæ, quæ dependet coronæ.

Reticulum est, quod colligit comas, dictum ab eo quòd retinet crines ne effundantur.

Discriminalia capitis mulierum sunt vocata, ex eo quòd caput auro discernãt. Nam discriminare dividere dicitur.

Anciæ sunt cincinni dependentes prope auriculas, Græco vocabulo ab auribus dictæ.

Acus sunt quibus in fœminis ornandorum criniũ compago retinetur, ne laxius fluant & sparsos dissipent capillos.

Inaures ab aurium foraminibus nuncupatæ, quibus pręciosa genera lapidũm dependuntur. Harum usus in Græcia: puellæ utraq; aurè, pueri tantùm dextra gerebant.

Torques sunt circuli aurei à collo ad pectus usque dependentes. Torques autem & bullæ à viris geruntur: à fœminis verò monilia & catella. Dictæ autem torques, quòd sint tortæ: & bullæ, quòd sint similes rotunditate bullis, quæ in aqua vento inflantur.

Monile ornamentũ ex gemmis est, quod solet ex fœminarum pendere collo, dictum à munere. Hoc etiam & serpentum dicitur, quia constat ex amphorolis quibusdam aureis, gemmisque varijs in modum facturæ serpentis. Nonnulli hoc & segmenta & longos * habitus: licet & segmentatas vestes dicamus: *ut ipsa:

al. ambitus dicunt.

al. ut ipse: Et

Et segmentatis dormisset parvula cunis.

Plerunque autem & per monile omnia ornamenta matronarum significantur quicquid illis munere datur.

Murena vulgò vocatur, quòd scil. auri metallo in virgulis lentescente quædã ordinis flexuosi catena contexitur: in similitudinem murenæ serpentis, quę ad collum ornandum aptatur. Hæc interdum auri atque argenti texitur virgulis. Vnde & dicitur in Canticis canticorum: *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.*

Catellæ sunt catenulæ colli invicem se comprehendentes in modum catenæ, unde & appellatæ.

Dextras communes esse virorum ac fœminarum: quia utriusq; sexus dextræ sunt, * ampla & ante manicam portantur: & possunt ibi iungi clavo vno.

*In Vet. Cod. desunt.

Armillæ autem propriè virorum sunt collatæ victoriæ causa militibus ob armorum virtutem. Vnde & quondam vulgò viriliæ dicebantur. Ab intellectu autem circuli armilla non discrepat: quia ipsa quoq; hoc ubi ponitur ambigendo cõstringit, sed quando armilla latius extenditur, circulus rotundus fit.

Fibulæ sunt quibus pectus fœminarum ornatur, vel pallium tenetur: viris in humeris, seu cingulum in lumbis.

Lunulę sunt ornamenta mulierum in similitudine lunæ bullulæ aureæ dependentes.

Specula dicuntur, in quibus fœminæ vultus suos intuentur. Dictum autem speculum, vel quòd ex splendore reddatur, vel quòd ibi fœminæ intuentes considerent speciem sui vultus: & quicquid ornamenti deesse viderint, adijciant.

Periscelides sunt ornamenta crurum mulierum, sive armillæ pedum à quibus gressus earum ornantur.

Olfactoriola vascula sunt muliebria, in quibus odoramenta gestantur.

De anulis. CAP. XXXII.

PRimus Prometheus fertur circulum ferreum incluso lapide digito circumdedisse. Qua consuetudine homines usi, anulos habere ceperunt. Anuli autem per diminutionem dicti à circulis & anis, qui sunt circa brachia & circum crura. Vnde & signa eorum per diminutionem sigilla. Nam signa maiora sunt: sigilla verò quasi minora signa.

Anulos primùm homines gestare ceperunt quarto à pollice digito, quòd eo vena quædam usq; ad cor pertingat, quam notandam ornanandamq; aliquo insigni veteres putaverunt.

Apud Romanos anuli de publico dabãtur, & non sine discrimine. Nam dignitate præcipuis viris gemmati dabãtur, cæteris solidi. Anulum aureum neq; servus neque libertinus gestabat, aut in publico: sed anulo aureo liberi utebãtur: libertini argenteo: servi ferreo vtebantur.

© Biblioteca Nacional de España

Apud veteres ultra unum anulum uti infame habitum vito. Gracchus in Mevium. *Considerate Quirites sinistram eius, en cuius auctoritatem sequimini, qui propter mulierũ cupiditatem ut mulier est ornatus.* Crassus qui apud Parthos periit, in senectute duos habuit anulos, causam præferens quòd pecunia ei immensa crevisset. Multi etiam Romanorũ pro gravitate anulum gestare in digito abstinuerunt. Fœminæ nõ usæ sunt anulis, nisi quos virgini sponsus miserat: neque amplius quàm binos anulos aureos in digitis habere solebant. At nunc præ auro nullum fœminis leve est atq; immune membrum.

Inter genera anulorum sunt ungulus, samothracius, tinius.

Vngulus est gemmatus vocatusque hoc nomine, quia sicut ungula carni: ita gemma anuli auro accingitur.

Samothracius aureus est quidem, sed capitulo ferreo, à loco ita vocatus.

Tinius purus est, primùm in Bithinia fabricatus: quam olim tinam vocabant. Flaccus: *Lugente mea vita, nec smaragdos, berillos, mi Flacce, nec nitentes per candida margaritas quæro, nec* * *cortinalis me perpolibit anulus, nec laspius capillus.*

* quæ Tinicalima.

De cingulis. CAP. XXXIII.

Cinctus est lata zona, & minus lata semicinctium, & vtrisq; minima cingulum. Nam à cincto per diminutionem cingulum nominatur. Cincto autem iuvenes in exercitatione campestri verecunda velabant, unde & campestris dicebatur.

Baltheus cingulum militare est dictus, propter quod ex eo signa dependent, ad demõstrandam legionis militaris summam, id est, sex milium sexcentorum, ex quo numero & ipsi consistunt. Vnde & baltheus dicitur non tantùm quo cingitur, sed etiam à quo arma dependent.

Zona Græcum est, quam illi ζωνάριον, nos cingulum nuncupamus.

Strophium est cingulum aureum cum gemmis, de quo ait Cinna:

Strophio lactantes cincta papillas.

Et Prudentius:

Nomen hoc gemmæ strophio illigatæ.

Lunus est cinctus, quem publicè habent servi. Et dictus lunus, quia transversas habet purpuras, id est lunas.

Calculum cinguli genus à coacto loro dictũ.

Fibula Græcum est, quam illi φιβλὰ dicunt, quod ligat.

Subfibulum, subligaculum.

Redimiculum est quod succinctorium, sive bracile nuncupamus, quod dividens per cervicem & à lateribus colli divisum, utrarumq; alarum sinum ambit atque hinc inde succingit, ut constringens latitudinem vestiat corpus, atque coniungendo componat. Hoc vulgò bracile, quasi brachiale vocant, quamvis nunc non brachiorum, sed renũ sit cingulum. Succinctorium autem vocatum, quod, ut dictum est, sub brachijs ductum alarum sinum ambit atque hinc inde succingit.

Fascia est qua tegitur pectus, & papillæ comprimuntur, atque crispante cingulo angustius pectus arctatur. Et dicta fascia, quòd in modum fasciculi corpus alligat. Hinc & fasciolæ quibus vulnera colligantur.

10 Vitta dicta, quòd ea pectus vincitur instar vitis ligantis.

Limbus est quem nos ornaturam dicimus.

Fasciola est quæ ambit extremitates vestium: aut ex filis aut ex auro contexta assutaque extrinsecus in extrema parte vestimenti vel chlamidis. De qua Virgilius:

Sidoniam picto chlamidem circumdata limbo.

De calciamentis. CAP. XXXIIII.

20 Svtores nuncupati sunt, quòd insertis filo porcorum setis suant, id est, consuant, quasi setores.

Caligarius verò non à callo pedum, sed à calo, id est, ligno vocatus: sine quo consui calciamenta non possunt, quod Græci καλοποιὸν dicũt. Fiebant autem prius ex salice tantùm, hinc & calciamenta dicta, quòd in calo, id est, in ligno fiant, vel quòd calcentur.

Crepidas Græci ante repertas usi sunt. Est 30 autem genus singulari forma, & idem utrique aptum pedi vel dextro vel sinistro. Crepidæ autem dictæ, quòd cum sono stringantur: sive à pedum crepitu in ambulando.

Calceis reges utebantur, & Cæsares forma eorum.

Patricios calceos Romulus reperit iiij corrigiarum, assutaque luna. Ijs soli patricij utebantur. Luna autem in eis non sideris formam, sed notam centenarij numeri significabat, quòd i- 40 nitiò patricij senatores centum fuerint.

Ocreæ tibialia calciamenta sunt, dicta quòd crura tegant.

Coturni sunt, quibus calciabantur tragœdi, qui in theatro dicturi erant, & alta intonantiq; voce carmina cantaturi. Est enim calciamentum in modum crepidarum quo heroes utebantur, sed tale est ut in dextro & levo conveniat pede.

*Braxea calciamentum comœdorum erat, si- 50 cut tragœdorum coturni. Quos quidam etiam calones appellant, eò quòd ex salice fierẽt. Nam Græci, ut diximus, lignum κάλον vocabant. al. Baxea

Talares calcei socci sunt, qui inde nominati videntur, quòd ea figurâ sint ut contingant talum: sicut subtalares, quòd sub talo sunt, quasi subtalares.

Obstrigilli sunt, qui per plantas cõsuti sunt, & ex superiore parte corrigia trahitur, ut constringantur: unde & nominantur.

* Ossas puto ab * Oso primũ factas, & quanvis nunc ex alio genere, tamen nomen pristinum retinent. 60 * Osea * osse

Mullei

© Biblioteca Nacional de España

Mullei similes sunt coturnorum solo alto: superiore autem parte cum osseis vel æreis malleolis ad quos lora deligabantur. Dicti autem sunt à colore rubro, qualis est mulli piscis.

Soleæ sunt quibus tantùm pedũ plantæ teguntur, dictæ à solo pedum. Item soleæ materiales ex materia corio intexta.

Socci cuius diminutivum socelli, appellati inde quòd * soccum habeant in quo pars plantæ inijcitur.

al. saccum

Caliculæ caligæ vel à callo pedum dictæ, vel quia ligantur. Nam socci non ligantur, sed tantùm intromittuntur.

Cernui socci sunt sine solo.

Lingulati, quos nos foliatos vocamus.

Clavati, quasi calviati, eò quòd minutis clavis, id est acutis soleæ caligis vinciantur.

Perones & culponiæ rustica calciamenta sunt.

* Braxeæ calciamenta mulierum sunt.

al. Baxeæ.

Corrigiæ à corijs vocantur, vel à colligatione, quasi colligiæ.

ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI ORIGINVM SIVE ETYMOLOGIARVM LIBER XX.

CAPITA LIBRI VIGESIMI.

1 *De mensis.*
2 *De escis.*
3 *De potu.*
4 *De vasis escarijs.*
5 *De vasis potatorijs.*
6 *De vasis vinarijs & aquarijs.*
7 *De vasis olearijs.*
8 *De vasis coquinarijs & pistorijs.*
9 *De vasis repositorijs.*
10 *De vasis luminarijs.*
11 *De lecticis & sellis.*
12 *De vehiculis.*
13 *De reliquis quæ in usu habentur.*
14 *De instrumentis rusticis.*
15 *De instrumentis hortorum.*
16 *De instrumentis equorum.*

De mensis. CAP. I.

Primus Dædalus mensam & sellam fecit. Coquinę apparatum Apicius quidam primus composuit, qui in eo absumptis bonis morte voluntaria perijt, & meritò: quia is qui gulæ atq; edacitati seruit & animam & corpus interficit. Ab esu & comesu mensę factum dicitur vocabulum. Nullum enim alium habet usum.

Torus dicitur à tortis herbis, quæ accumbentium humeris supponuntur.

* Stefadium à stipitibus dictum, quasi stipadium: sic enim prius ceptum est. Accubitum à cibo vocatum, quasi ad cubitum epularum.

al. Stiphadiũ

Convivium apud Græcos à compotatione Συμπόσιον. Apud nos verò à convictu rectius appellatur: vel quia vitæ collocutionem habet. Item convivium dicitur à multitudine convescentium: * nam privata mensa victus est. Convivij triplex est modus discumbendi, edendi & bibendi. Discumbendi, ut:

al. Nam privatæ mensæ victus cõvivium nõ est. Alia verò exempl. Nam privata mensa, victus est: convivium non est.

—Toris iussi discumbere pictis.

Edendi & bibendi, ut:

Postquam prima quies epulis mensæq; remotæ,
Crateras magnos statuunt & vina coronant.

De escis. CAP. II.

Cibus dictus, quia capitur ore: sicuti esca, quia eam os capit.

Victus propriè vocatur, quia vitam retinet: unde & ad cibum vocare, invitare dicitur.

Alimonia dicitur, eò quòd eius sumptu corpus alatur. Hanc iuvenes accipiunt ad incrementum, senes ad perseverantiam. Neque enim subsistere poterit caro nisi alimentis. Alimentum enim est quo alimur: alimonium alendi cura.

Affluentia nuncupata, quasi rei nimium exuberantis effusio ultra quàm satis est, modusque non est.

Opulẽtia ab ope dicta est, quam si discutias, invenies eam tenere modum. Nam quomodo opitulatur quod nimiũ est, cùm incommodius sit sæpe quàm * parvum?

al. parum.

Epulæ ab opulentia rerum dictæ. Epulæ autem simplices in duo necessaria dividuntur, panem & vinum: & in duo superflua, quæ terra & mari vescendi causa exquiruntur.

Dapes autem regum sunt, epulæ privatorũ.

Deliciæ nuncupatæ, quòd ijs delectentur homines, easque suaviter appetant.

Pulmentum vocatur à pulte, sive enim sola pultis, sive quid aliud eius permixtione sumatur, pulmentum propriè dicitur.

Satietas autẽ & saturitas sibi differunt. Nã satietas ex uno cibo dici potest pro eo quòd satis sit: saturitas autẽ à saturo nomen accepit, quod est vario alimentorum apparatu compositum.

Crapula est immoderata voracitas, quasi cru

© Biblioteca Nacional de España

da epula: cuius cruditate gravatur cor, & stomachus indigestus * efficitur. Immoderata enim voracitas vitium est, sed tantùm id salutis est, quantum sustentationi naturęq; sufficiat.

* afficitur

Iantaculum est primus cibus quo ieiunium solvitur, unde & nuncupatum. Nigidius: *Nosipsi ieiunia iantaculis levibus polluimus.*

Prandium ab apparatu edendi dictum: propriè autem ueteres prandium vocabant omnium militum cibum ante pugnam: unde est illud Ducis alloquium, *Prandeamus tanquam ad inferos cœnaturi.*

Merenda est cibus qui declinante die sumitur, quasi post meridiem edēda & proxima cœnæ. Vnde & * antecœnia à quibūsdam * vocabantur. Item merendare, quasi meridie edere.

al. antecœna
* vocabatur

Annona tractum est à tempore, quo Romani veteres ad cibos advocabantur, sicut Martialis: *Imperat excelsos frangere nona toros.* quod adusque hodie Persæ faciunt.

Cœna vocatur à communione vescentium. κοινὸν quippe Græci commune dicunt. Vnde & communicantes, quòd communiter, id est, pariter conveniant. Apud veteres enim solitum erat in propatulo vesci, & communiter epulari, ne singularitas luxuriam gigneret. Est autem cœna vespertinus cibus, quam vespertinam antiqui dicebant. In usu enim non erant prandia.

Panis dictus, quòd cum omni cibo apponatur: vel quòd omne animal eum appetat. πᾶν enim Græcè, omne dicitur. Cibarius est, qui ad cibum servis datur nec delicatus. Fermentarius fermentis confectus. Azymus non fermentatus. Nam ἄζυμος est sine fermento, sincerus. Acrizymus leviter fermentatus, quasi acroazymus. Siligeneus panis à frumenti genere nuncupatur. Siligo enim genus est tritici. Rubidus, recoctus & rubefactus. Subcinericius, cinere coctus & reversatus. Ipse est & focatius. Clibanitius in testa coctus.

* Sfungia panis aqua * diutissimè laxatus, similam modicam accipit, & fermentum modicum, & habet humectationis plusquam omnis panis. Vnde & spongiæ nomen accepit.

al. spongia
al. diutius malaxatus.

Placentæ sunt quæ fiunt ex farre, quas alij libà dicunt, eò quòd libeant & placeant.

* Laganum est latus & tenuis panis qui primùm in aqua, postea in oleo frigitur.

al. Lagenū. In manuscr. codice deest hoc genus panis.

Dulcia sunt genera pistorij operis, à sapore dicta. Melle enim * asperso sumuntur.

al. asperſa.

* Crustula diminutivum est à crusta: panis oleo conspersus, in medio concavus & tortus. Hæc & torta panis.

* Hoc etiam in Vet. cod. deest.

Crusta est superficies panis. Ipsa & fragmenta, quia * dividitur ut fracta.

* dividūtur

Simila subtilissima est farina.

Amolum flos farinæ tenuissimū prę levitate de mola eiectū: unde & appellatū, quasi amola.

Farina & furfures à farre dictæ, cuius sunt purgamenta.

Polles genus est farinæ candidissimæ.

Fermentum à fervore nuncupatum, quòd plus prima hora non potest contineri. Crescendo enim excedit.

Carnes dictæ, quia caræ sunt, sive à creando: unde & à Græcis κρέας vocatur.

Crudum, quòd sit cruentum: * est enim cum sanguine coctum.

* *Vetus codex ita habet: Est enim cum sanguine.*

Coctum, quasi coactū dicitur, id est ab igne & aqua violento modo actuq;, comestioni aptū. Sed & multi temporis aliquid coctum vocatur.

Assum, quòd ardeat, quasi arsum.

Elixū, eò quòd in aqua sola decoquitur. Lixa enim aqua dicitur, ab eo quòd sit soluta: unde & solutio libidinis luxus, & membra loco mota luxa dicuntur.

Frixum à sono dictum, quādo in oleo ardet.

Salsum, quasi sale aspersum, demptis è medio syllabis tribus.

Rancidum ex vitio nuncupatum, quòd raucos efficiat.

Succidia, carnes in usum repositæ, à succidendo dictæ.

Lardū dicitur, eò quòd in domo repositum cōservatur. Nam antiqui domos lares dicebāt.

Taxea lardū est Gallicè dictū. Vnde dicit * Afranius: *In rosa gallū saginatum pingui pastum taxea.*

* Afranius in prosa, Gallum

Axungia ab unctione vocata.

Sebum à sue dictū, quasi suebum, quòd plus pinguedinis hoc animal habeat.

Offa est propriè frustum dentium, cuius diminutivum offellam facit. Vnde & offarij coci, quia particulatim, id est offatim excoquunt. Nunc offa est latrantium, quia si in os canis iacitur, saciatus ilicò compescitur & silescit.

Frustum vocatum, quòd capiatur à frumine. Est enim frumen summa pars gulæ.

Pulpa dicta, quia cum pulte olim commixta vescebatur. Vnde & pulmentum & pulmentarium dicitur. * Pulpa autem est caro sine pinguedine: dicta, quia palpitet: resilit enim sæpe. Hanc plerique viscum vocant, eò quòd glutinosa sit.

* Hæc desunt in Vet. usq; glutinosa sit.

Lucaniæ dictæ, quòd prius in Lucania factæ sunt.

Farcimen caro concisa & minuta, dictū quòd eo intestinum farciatur, hoc est, impleatur, cum aliarum rerum commixtione.

Minutal vocatum, quòd fiat de piscibus & isicijs oleribusque minutatim concisis.

* Afratum quòd Latinè spumeum vocatur. ἀφρὸς enim Græcè spuma dicitur.

al. Afrotum

Martisia in mortario ex pisce fiunt, unde & nominata.

Isocen piscem quendam vocant, ex quo primùm isicia facta sunt, & quanvis ex alio genere piscium fiant: initium tamen piscis vocabulum dedit.

Galaticæ à colore lacteo nominatæ. Græci enim γάλα lac dicunt.

Sphęra à rotunditate Græco vocabulo appellatur. Quicquid enim in rotundum formatur, σφαῖρα à Græcis dicitur.

Ius

© Biblioteca Nacional de España

Ius coquinę magistri à iure nuncupauerunt, quia ea lex condimenti eius. Hanc Græci* zemam vocant.

* Ita exemp. V. Sed nō dubito quin legendum sit ζωμὸν

Caseus vocatur, quòd careat sero, quasi careum. Nam serum ei omne deducitur, vt ponderibus arguatur.

Colustrum lac novum, quod neutri generis est.

Lac à Græco sermone derivatum est pro candore. Græci enim album λευκὸν dicunt: lac verò & sanguis quod nutrit & quod nutritur. Nam lacte nutrimur: vivimus sanguine.

Quactum, quasi coactum & quasi coagulatum.* Accepta enim secum alia specie coagulat.

al. à ceptas enim sicum alias species

Mel Græcę appellationis est, quod ab apibus nomen habere probatur. Nam apis Græcè μέλισσα dicitur. Anteà autem mella de rore erāt, inveniebanturque in arundinum folijs: unde Virgilius:

Hactenus aerij mellis cœlestia dona.

al. collectum

Siquidem hucusq; in India & Arabia* colligatum reperitur: ramis inhærens in similitudinem salis. Omne autem mel dulce dicitur. Sardum amarum est absinthij causa: cuius copia, eius regionis apes nutriuntur.

Favus vocatur, quia comeditur magis quàm bibitur: φάγειν enim Græci comedere appellāt. Aiunt enim medici, & qui de humanorum corporum scripsere naturis, præcipueq; Galenus puerorum & iuvenum ac perfectæ ætatis virorum mulierumq; corpora insito calore fervere, & noxios esse ijs ætatibus cibos qui calorē augeant, sanitatiq; conducere frigida quæque in esum sumere: sicut contrario senibus qui pituita laborant & frigore, calidos cibos & vina vetera prodesse.

De potu. CAP. III.

Potio à Græca derivatione vocatur. Hanc enim illi πόσιν dicunt.

Aqua generaliter vocata, quòd superficies eius æqualis sit: hinc & æquora. Hanc quidam recentē vocant, quia reijcitur nova à fonte vel à flumine. Nam vetus putrescit, quia non est utilis vetusta, ut vinum, sed statim sublata de flumine, fonte, vel puteo: fœtescit enim vetusta.

Vinum inde dictum, quòd eius potus sanguine venas citò repleat. Hoc alij quòd nos cura solvat, Lyæum appellant. Veteres vinum venenum vocabant. Sed postquam inventum est virus lętiferi succi: hoc vinum vocatum est, illud venenū. Vnde & Hieronymus in lib. quem de Virginitate cōservanda scripsit: *Adolescentulas*, dixit, *ita vinum debere fugere ut venenum, ne pro ætatis calore fervēti bibant & pereant.* Inde est quòd apud veteres Romanos fœminæ non utebantur vino, nisi sacrorum causa: certis diebus.

Merum dicimus cùm vinum purum significamus. Nam merum dicimus quicquid purum atque sincerum est: sicut & aquam meram, nulli utiq; rei mixtam. Hinc & merenda, quòd antiquitus id temporis* pueris operarijs, quibus panis merus dabatur, aut quòd meridient eodem tempore, id est soli ac separatim non utiq; in prandio aut in cœna ad unam mensam. Inde credimus etiam illud tempus quod post medium diem est, meridiem appellari, quòd purum sit.

al. pueris & operarijs

Mustum est vinum è lacu statim sublatum. Dictum autem creditur mustum, quòd in se limum & terram habeat mixtam. Nam mus terra est, unde & humus. Cuius tanta vis fervoris est ut vasa quanvis grandia ex eo plena absque spiraminę* relicta ilicò disrumpat.

al. repleta

Roseum vinum, id est cum rubore. Rosa enim rubet.

Amineum verò, quasi sine minio, id est sine rubore: nam album est.

Sucinatium succinę gemmæ mile est, id est ful i coloris.

Limpidum vinum, id est perspicuum ab aquę specie dictum, quasi limphidum. Limpha enim aqua est.

Turbidum, quasi terbidum, id est terra commixtum, quod est fece.

Falernū vinum vocatum à Falerna regione Campaniæ, ubi optima vina nascuntur.

Colatum vas proprium nuncupavit in quo deportatur.

Gazetum verò à regione unde defertur. Gaza enim oppidum est Palęstinæ.

Infertum vinum dicitur, quòd altario libatur atque offertur.

Spurcū quod offerri non licet, aut cui aqua admixta est, quasi spurium, hoc est, immundū.

Honorarium vinū, quòd regibus & potentibus honoris gratia offertur. Cato de innocentia sua: *Cùm essem in provincia legatus, quamplures ad prætores & consules vinum honorarium dabant: nunquam accepi, nec privatus quidem.*

Crudum vinū est insuave, quod servi potāt.

Acetum, vel quia acutum, vel quia aqua mixtum. Vinum enim aqua mixtum citò in hunc saporem redigitur. Vnde & acidum quasi aquidum, quia aqua lavantur uvę in torculari post expressum vinum. Est vilis potus servis aptus.

Conditum vocatum, quòd non sit simplex, sed commixtione pigmentorum compositum.

Lactatum est potio è lacte.

Mulsum ex melle mixtum. Est enim potio ex aqua & melle, quod Græci μελικρατον vocant.

Oenomelum mustū melle admixtum vehementer agitatum atque commotum.

Hydromelum, quòd fiat ex aqua & malis matianis.

Saccatum liquor est aquæ feci vini admixtus, sacco expressus.

Luria oximelum appellatum, quòd aceti & mellis permixta conficitur materia: vnde & dulcedinem retinet & acorem.

Rodomelum dicitur, eò quòd in succo rosæ mel admisceatur.

Melicratum vinum melle mixtum.

© Biblioteca Nacional de España

Medus, quasi melus, quia ex melle fit: sicut calamitas pro cadamitas.

Fecula uva pinguis, decocta usque ad crassitudinem mellis, ac refrigerata utilis stomacho.

Passum quicquid ex uva passa compressum effluxerit. Dicitur autem passum à patiendo. Nam percutitur uva siccior, & decoquitur, & inde fit passum.

* defraudet Defrutum dictum est, quòd *defrudetur, & quasi fraudem patiatur.

Carenum, eò quòd fervendo parte careat. Tertia enim parte musti amissa, quòd remanserit carenum est. Cui contraria

Sapa est, quę fervendo ad tertiam redacta descendit.

Sicera est omnis potio, quæ extra vinum inebriare potest. Cuius licet nomen Hebræum sit: tamen Latinum sonat pro eo quòd ex succo frumenti vel pomorum conficiatur, aut palmarum fructus in liquorem exprimantur, coctisq; frugibus aqua pinguior, quasi succus colatur: & ipsa potio sicera nuncupatur.

Cervisia à Cerere, id est fruge vocata. Est enim potio ex seminibus frumenti vario modo confecta.

Celia à calefaciendo appellata. Est enim potio ex succo tritici per artem confecta. Suscitatur enim igne illa vis germinis madefactę frugis: ac deinde siccatur, & post in farinam redacta molli succo admiscetur, quo fermentato sapor austeritatis & calor ebrietatis adijcitur, quæ fit in ijs partibus Hispaniæ, cuius ferax vini locus non est.

Fex dicta, quòd sese vasis emergendo afficiat.

Garum est liquor piscium salsus, qui olim conficiebatur ex pisce, quem Græci γάρον vocabant: & quamvis nunc ex infinito genere piscium fiat, nomen tamen pristinum retinet, à quo initium sumpsit.

Liquamen dictum, eò quòd soluti in salsamento pisciculi eundem humorem *liquant. al. linquant Cuius liquor appellatur salsugo vel muria.

Propriè autem muria dicitur aqua sale commixta, effectaque gustu in modum maris.

Succi dicti, quòd sacco exprimuntur, ut tissanæ.

Tissanæ, zema, apozema Græca vocabula sunt.

De vasis escarum. CAP. IIII.

VAs dictum à vescendo, quòd in eo escę ponantur. Cuius diminutivum vasculum, quasi vesculum.

Fictilia dicta, quòd fiant & fingantur ex terra. Fingere enim est facere & formare & plasmare: unde & figuli dicuntur. Et vas fictile dicitur, non fictũ in illud quod mendacium est, sed quod formatur ut sit, & habeat aliquam formã: unde & Apostolus ait: *Nunqiud dicit figmentum ei qui se finxit, quare me sic fecisti?*

Fictilia vasa in Samo insula prius inventa traduntur, facta ex creta & indurata igne, unde & Samia vasa. Postea inventum est rubricam addere, & ex rubra creta fingere. Antiquiorẽ autem fuisse dicũt usum fictilium vasorum, quàm fundendi æris aut argenti. Apud veteres enim nec aurea nec argentea, sed fictilia vasa habebantur: sicut ad vina dolijs excogitatis: ad aquas amphoris, hydrijs ad balnea: ac reliquis quæ in usibus hominũ, aut rota fiunt, à manu aptãtur.

Argilla autem ex terra excocta testæ vocabulum suscepit, quia dum mollis esset, efficitur testa, nec cõmunicat cum vocabulo pristini generis, quia quod fuit non est.

Aretina vasa ex Aretio municipio Italiæ dicũtur, ubi fiunt: sunt enim rubra. De quibus Sedulius: *Rubra quod appositum testa ministrat olus.*

Samia vasa quidam putant ab oppido Samo Græciæ habere nomen. Alij dicunt cretam esse Italiæ, quæ non longè à Roma nascitur, quę Samia appellatur.

Cęlata vasa argentea vel aurea sunt, quæ signis eminentioribus intus extráve expressa: à cęlo vocata, quod est genus ferramenti, quod vulgò *cilionem vocant. ac. celionem

Crisendita vasa deaurata, Græcum est.

Anaglifa, quòd superius sint sculpta. Græci enim ἄνω sursum, γλυφὴν sculpturam dicunt, id est sursum sculpta.

Discus anteà iscus vocabatur à specie scutij: unde & scutella per diminutionem. Est enim eiusdẽ similis. Postea discus vocatus est, quòd det escas, id est apponat. A quo & discumbentes dicti: sive *ἀπὸ τοῦ κᾶθθαι, id est quòd iaceant. * Græca legi nõ possunt in manuscripto. Conycio legendũ esse ἀπὸ τοῦ κᾶθθαι.

*Messorium vocatum à mensa per derivationem, quasi mensorium. al. Missoriũ

Parapsis quadrangulum & quadrilaterum vas, id est paribus absidis.

Patina, quòd dispansis patentibusq; oris sit.

Lancis gravata, quasi cavata, g pro c litera posita. Hinc & concha, sed illa cavata, ista concava: sic & Græci hæc nuncupant.

Apophereta à Græcis à ferendo poma vel aliquid nominata: est enim plana.

Salinum vas aptum salibus. Idem & sulzica, quasi salzica.

Acetabulum, quasi acetaferum, quòd acetum ferat.

Coclear ab usu prius dictum. Hinc est illud veterum distichon:

Sum cocleis habilis & nec minus utilis ovis
**Nunquid scis potius cur cocleare vocor?* al. Nunc discis.

*Trisiles Græcè, Latinè tripedes. Qui autẽ quatuor pedibus insistunt, abusivè dicuntur. * Ego legi τρίχελοι.

In vasculis autẽ tria quęruntur quę placeant, manus artificis, pondus argenti, splendor metalli.

De vasis potatorijs. CAP. V.

POculum à potando nominatum. Est enim omne vas in quo bibendi est consuetudo.

Phyalæ dictæ, quòd ex vitro fiant. Vitrum enim Græcè ὕαλος dicitur.

Pa-

© Biblioteca Nacional de España

Pateræ phialæ sunt dictæ, vel quòd in ipsis potare solemus, vel quòd patentes sunt dispansisque labris.

Cratera calix est duas habens ansas, & est nomen Græcum: declinatur autem apud eos, hic crater. Nam Latinè hæc cratera dicitur. Vnde Persius: *Si tibi crateras argenti* —. Virgilius: *Crateras magnos statuunt & vina coronant.*

al. virgultorum Fiebant autem primùm à connexionibus * virgularum: unde & dictæ crateræ ἀπὸ τοῦ κεραλεῖν, id est quòd invicem se teneant.

Cyathi quoque & scyphi, cymbia, & ipsa poculorum sunt genera. Ex quibus cymbia sunt pocula ex similitudine cymbæ navis.

Emistis species poculi, qua ductim, id est uno spiritu bibitur.

*Bachia primùm à Baccho, quod est vinum nominata: postea in usus aquarum transijt.

*Bacinà. al. Baccea al. ficale

Calices & calathi & * scalę poculorum genera, anteà ex ligno facta, inde & vocata. Græci enim omne lignum κάλον dicebant.

Ampulla, quasi ampla bulla: similis est enim rotunditate bullis quæ ex spumis aquarum fiunt, atque ita inflantur vento.

De vasis vinarijs & aquarijs. CAP. VI.

OEnoforum vas ferens vinum: οἶνος enim vinum est, de quo illud est:

Vertitur œnofori fundus sententia nobis.

Flascæ à Græco vocabulo dictæ. Hæ pro vehendis ac recondēdis phialis primũ factæ sunt: inde & nuncupatæ sunt. Postea in usum vini transierunt manente Græco vocabulo, unde & sumpserunt initium.

al. ficula. Lagena & * situla Græca nomina sunt: inflexa ex parte ut fierent Latina. Illi enim λάγυνος: nos lagenam: illi * sicilę, nos situlam dicimus.

*forsè Cittuβον.

Cantarus.

Hydria vasis genus aquatilis per derivationem vocata: ὕδωρ enim Græci aquam dicunt.

Situla quòd sitientibus apta sit ad bibēdum, quod vas Græci κάδδον vocant.

Catinum vas fictile, quod melius neutro genere dicitur quàm masculino, sicut & salinum dicitur vas aptum salibus.

Orca est amphoræ species, cuius minore vocabulo urceus diminutivo urceolus est.

Sciphus in quo manus lavamus.

Seriola est orcarum ordo directus vel vas fictile vini: apud Syriam primùm excogitatum: sicut * Cilicienses à Cilicia nuncupatę, unde primùm advectæ sunt.

al. Cili.es

Dolium cupos & cupas, à capiendo, id est, accipiendo aquas vel vinum vocatas volunt: unde & caupones.

Vtres ab utero.

Mulgarium vas, in quod mulgentur pecora. Idem & mulctrum, quòd in eo mulgeatur lac.

Labrum vocatum, eò quòd in eo lavationem solitum est fieri infantum, cuius diminutum labellum. Idem & alveum, quòd in eo ablutionem fieri solitum sit.

Pelues vocatæ, quòd pedes ibi laventur.

Siphon vas appellatũ, quòd aquis sufflando fundat: utuntur enim hoc orientales. Nam ubi senserint domum ardere, currunt cum siphonis plenis aquis, & extinguunt incēdia: sed & cùm aras expressis ad superiora aquas emundant.

De vasis olearijs. CAP. VII.

EMicadium vas olearium.

Scortia vas olearium, eò quòd sit ex corio dictum.

Alabastrum vas unguentarium à lapide sui generis cognominatum, quem alabastriten vocant, qui incorrupta unguenta conservat.

Pyxides vascula unguentaria ex buxo facta. Nam quod nos buxum, Græci πύξον vocant.

* Lenticula modicum vas æneum vel argenteum quadrangulũ in latere apertum, quod & lichitum. Est enim vas olei, quo reges & sacerdotes ungebantur, à liniendo dictum.

Annotat.

* *V.C. ita habent: Lenticulum vasculum olearium, ex ære aut argento factum, à liniendo dictum. His enim reges & sacerdotes liniebantur.*

De vasis coquinarijs. CAP. VIII.

OMnia vasa coquendi causa parata coculd cuntur. Plautus: *Ex æneis coculis mi i excocta est omnis misericordia.*

Olla dicta, pro eo quòd ebulliat in ea aqua igni subiecto, ut altius * vapor emittatur. Vnde & bulla dicitur quæ in aqua venti intus spiritu sustentatur.

al. vaporem emittat

Patella quasi patula. Est enim olla oris patentioribus.

Cacabus & cucuma à sono fervoris cognominantur. Hæc in Græcis & Latinis cōmunia nomina habent: sed utrum Latini à Græcis, an Græci à Latinis hæc vocabula sumpserint, incertum est.

Lebetes æneæ sunt Græco vocabulo vocatæ: sunt enim ollæ minores in vsum coquendi paratæ.

Sartago à strepitu soni vocata, quando in ea ardet oleum.

Tripedes appellatæ, quòd tribus pedibus constent: has Græci tripodas vocant.

Mola à rotunditate sui vocata, ut mala pomorum: sic & Græci.

Cribrum, quòd ibi currat frumentum, quasi * currifrum.

al. currifrugum

Rotabulum dictum à proruendo stercora: sive ignem panis coquendi gratia.

De vasis repositorijs. CAP. IX.

GAzophylacium arca est ubi colliguntur in templo ea, quæ ad indigentiam pauperum mittuntur. Compositum est autem nomen ex lingua Persica & Græca. Gaza enim lingua Persarum thesaurus, φυλακὴ Græcè custodia interpretatur.

Arca dicta, quòd arceat visum atq; prohibeat.

© Biblioteca Nacional de España

Hinc & archivum: hinc & arcanum, id est, secretum, unde cæteri arcentur.

al. κιβωτὸς * Cibutum Græcum nomen est, quod nos arcam dicimus.

Loculus ad aliquid ponendum in terra factus locus, seu ad vestes vel pecuniam custodiendam, unde & per diminutionem dicitur.

* Mozicta quasi Modicia Mozica, quasi modica: unde & modicum z pro d, sicut solent Itali dicere ozie pro hodie.

Scrinia sunt vasa, in quibus servabantur libri vel thesauri. Unde apud Romanos illi qui libros sacros servant, scriniarij nuncupantur.

Saccus à sago dictus, quòd eo consuto efficiatur quasi sagus.

Marsupium sacculus nummorum, quē Græci μάρσυπον appellant. Quædam enim Græca nomina in Latinum paulò inflectuntur propter Romanum eloquium.

* Sitharthię. al. Sistarchię * Sitarcię nautarū sunt, ab eo quòd sutę sunt.

Involucrum dictum, quòd aliquid in se teneat involutum.

Fiscus saccus est publicus, unde & fiscellæ & fiscinæ dicuntur: hunc habent exactores, & in eo mittunt debitum publicum quod redditur regibus. Fiscus autē primæ positionis est: derivativum fiscina est: diminutivum fiscella.

Canistrum fissis cannis contexitur, unde & nuncupatur: alij Græcum asserunt.

Cistella à costis ex canna vel ligno quibus contexitur nominata.

Cophinus est vas ex virgultis aptum mundare stercora & terram portare. De quo dicit Psalmista pro Israel: *Manus eius in cophino servierunt*. Dictus autem cophinus quasi covus, quasi cavus.

Corbes dicti, quia curvatis virgis cōtexuntur.

* Hæc in V. C. non sunt, bona alioquin. * Sportula diminutivum à sporta: sporta autē dicta, quia exportet aliquid, vel quia ex spartho fit. Spartus verò est frutex virgosus sine folijs: ab asperitate vocatus, similis carici herbæ, & funes de eo conficiuntur.

De vasis luminariorum. CAP. X.

A Colendo ignem & ligna, antiqui appellaverunt focum: φῶς enim Græcè, Latinè ignis est, unde iuxta philosophos quosdā cuncta procreantur. Et revera sine calore nihil nascitur, adeò ut de septentrione dicatur,

— Sterili non quicquam frigore gigni.

Varro autem focos ait dictos, quòd foveant ignes: nam ignis ipsa flamma est. quicquid autē ignem fovet focus vocatur: seu ara sit: sive quid aliud in quo ignis fovetur.

Lucerna à licinio dicta est, unde & brevis est lux, ut Persius:

Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Si enim à luce diceretur: non staret versus. Licinius autem quasi lucinius. Est enim * candela lucernæ. * cicendela

Candelabrum à candelis dictum, quasi candelaferum, quòd candelam ferat.

Cereus per derivationē nomen à cera habet ex qua formatur: de quo quidam,

Hic tibi nocturnos præstabo cereus ignes.
Subducta luce altera lux tibi sum.

Candela à candendo dicitur, eò quòd candendo deleatur.

Lacuniaria pendentia sunt lumina, quasi lucanaria, id est in aere lucentia.

Funalia sunt quę intra ceram sunt: dicta à funibus, quos ante usum papiri cera circundatos habuêre malores, unde & funera dicuntur. Funalia autem Græci * scolaces dicunt, quòd sint * scolicię, hoc est mortis. Hos Romani funes & funalia nominabant. Funalia candelabra apud veteres extantes stimulos habuerunt aduncos, quibus funiculi cera vel huiusmodi alimento luminis obliti figebantur. Idem itaq; & stimuli præacuti funalia dicebantur. * forte Σκόλωκες. * Ego lego Σκολιός, hoc est intortus, ita metsi hæc etymologia nō bene respondeat voci Σκόλωκες. al. lambētie

Lampas flamma est in vertice lucens, dicta quòd * labentis motum ostendere videatur.

Fax dicta, quòd focos faciat, cuius diminutivum facula.

Laterna dicta, quòd lucem interius habeat clausam. Fit enim ex vitro, intus recluso lumine ut venti flatus adire non possit, & ad præbendum lumen facilè ubique circumferatur.

Lucubrum vocatum, quòd luceat in umbra. Est enim modicus ignis qui solet ex tenui stuppa ceraque formari.

Pira est quę in modū aræ ex lignis cōstrui solet ut ardeat. πῦρ enim ignis est, sed pira est ipsa lignorū congeries, cùm nondū ardet: rogus est cū ardere cœpit: bustū verò iam exustū vocant.

* Farus est turris maxima, quam Græci & Latini in commune ex ipsius rei usu pharū appellaverūt, eò quòd flammarum indicio longè videatur à navigātibus, sicut supradiximus: qualem Ptolemęus iuxta Alexandriā construxisse octingentis talentis traditur. Vsus eius est nocturno navium cursui ignes ostendere ad pronuncianda vada, portusq; introitus, ne decepti tenebris navigantes in scopulos incidant: nam Alexandria fallacibus vadis insidiosos accessus habet. Hinc igitur in portub. machinas ad prę-lucendi ministerium fabricatas pharos dictas. Nam φῶς lux est: unde & lucifer Græcè φωσφόρος appellatur. al. Pharus

De lecticis & stelis. CAP. XI.

LEcticæ à lectis herbis vocatæ.

Stratus à sternendo dictus, quasi storiatus. In ijs solis antiqui ad dormiendum accubabant: nondū laneis stramentis repertis.

Storia, quòd sit terra strata.

Cama est brevis & circa terram. Græci enim * cami breve dicunt. * legendum χαμαὶ humi dicunt

Cubile est cubandi locus.

Grabatum Græcum est.

*Baionula est lectus qui in itinere baiulatur, à baiulando, id est, deportando. *Batanula

Pulvinar lectus divitū est, inde & pulvillus.

Spingę sunt in quibus sunt spingatę effigies, quos nos griphos dicimus.

Puni-

© Biblioteca Nacional de España

Punicani lecti parui & humiles primũ à Cartagine aduecti, & inde nominati.

al. Satirius. Lecticę siue plutei lecti, de quibus * Satilius Rufus de vita sua, *Primum* inquit *consuetudinem imperatorum ipse pro lectis lecticis vtebatur.*

Sponda autem exterior pars lecti, pluteus interior.

Geniales lecti propriè sunt qui sternuntur puellis nubentibus, dicti à generandis liberis.

Cunabula sunt lectuli in quibus infantes iacere solebant, dicta quòd partui adhibeantur quasi cynabula. nam κύειν est Græcè eniti.

Feretrum dicitur quòd in eo mortui deferantur & est Græcum nomen. Nam φέρετρον dicitur ἀπὸ τοῦ φέρειν, id est à ferēdo. nam Latinè capulus dicitur quòd super capita hominum feratur, sic plautus. Capularis senex, id est vicinus capulo.

Scanna sunt quę altioribus lectis apponũtur dicta à scandendo. Hinc & scabelli qui lectis paruis vel sellis ad ascensum apponuntur. Scabellũ autē & suppedaneum dicitur. Nam quòd Gręci dicunt ὑποπόδιον: dixerunt Latini scabellum, & alij dixerũt suppedaneum. quòd sub pedibus sit.

Scāsilia gradus sunt: vbi honorati in sedibus hærent.

Sedes dictę quòd apud veteres Romanos nõ erat vsus accumbendi. vnde & consedere dicebantur. Postea vt Varro ait de vita populi Romani, Viri discũbere cęperunt, mulieres sedere, quia turpis visus est in muliere accubitus. Sedes singulari numero propriè regni est, quòd Gręcè θρόνος dicitur. Itē thronũ Gręci dicũt, nos solium.

Subsellia verò cæterorũ: cathedræ doctorũ.

Solium in quo rex sedet propter tutelam corporis sui, secundum quosdā à soliditate dictum, quasi solidũ: secundũ alios per antisticon, quasi sodiũ, à sedendo. Vnde & sella quasi sedda dicta est, & subsellia quasi subseddia.

Sellę curules erant in quibus magistratus sedentes iura reddebāt. Dictæ autē curules quia apud veteres prętores & cõsules ꝓpter itineris longinquitatē curru forũ prouehebātur. sellę aūt quę post eos vehebātur, quib⁹ sedētes dicere iura solebāt, à curru curules sellę sunt nominatę.

Tripodes scabelli sunt habentes tres pedes, sed & candelabra tripoda sunt, quia similiter habent tres pedes.

De vehiculis. CAP. XII.

CArrũ à cardine rotarũ dictũ. vnde & curr⁹ dicti quòd rotas habere videntur.

Rota autē dicta quòd ruat, & rotundũ à rota vocatum.

Reda genus vehiculi quatuor rotarũ. Has antiqui retas dicebāt propter quòd haberēt rotas.

Carpentum pompaticum vehiculi genus est quasi carrum pompaticum.

Plaustrum vehiculum duarum rotarum, quibus onera deferuntur. Et dictum plaustrũ quia voluitur quasi dicat * pilaustrum.

al. pilastrũ. Carracutium vehiculum altissimarum rotarum, quasi carrum acutum.

al. contecta. Capsus carruca vndiq; * cõtexta, quasi capsa.

Pilentũ vel petoritũ contextũ iiij rotarũ vehiculũ, quib⁹ marronę olim vtebātur Virgilius,

Pilentis matres mollibus. Horatius,

Plures calones atq; caballi Pascēdi, ducenda petorita.

Erant enim antē a pilēta veneti coloris, non vt nunc sunt * russati, quibus nisi castæ matronæ vti non poterant: sicut nec vittis. al. rosati.

Basterna vehiculum itineris, quasi vię sterna, mollibus stramentis est posita, à duobus animalibus deportatur.

De reliquis quæ in vsu habentur. CAP. XIII.

BAculus à Baccho repertore vitis fertur inuentus quo homines moti vino inniterentur. Sicut autem à Baccho baculus. ita à baculo bacillus per diminutionem.

Fustes dicti quòd præfixi in terram stēt, quos rustici palos vocant, quibus iuuenes pro criminibus feriuntur.

Vectes dicti quòd manibus vectentur. vnde hostia saxaq; * euelluntur. al. euoluuntur.

Forfices secundũ etymologiā si à filo dicuntur f ponitur vt forfices quæ sunt sartorum: si à pilo per p vt forpiceps, quæ sunt tonsorum: si ab accipiendo per c, vt forpcipes, eo quòd formum capiant, quæ sunt fabrorum. Formũ enim dixerunt antiqui calidum. vnde & formosus.

Nouacula ferrum subtile: satisq; acutum. Dicta autē nouacula eo quòd innouat faciem.

In quodam. vet. cod. ita legitur.

Nouacula est in quadā subtilitate tensum latius ferrum, radendis pilis acutissimũ præparatum, quod licet barbæ segetē metat impressum corpori, tamē substantiam relinquit illæsam.

Pecten dictus eo quòd pexos capillos faciat atq; compositos.

Calamistrũ est acus quæ calefacta & adhibita calefacit & intorquet capillos. Vnde & calamistrati appellantur qui comam torquent.

Clauis dicta quòd claudat & aperiat. Catena quòd capiendo teneat.

Horologium quòd ibi horas legamus, id est colligamus. Est enim in solarijs positũ vbi à cauo per lineam currit vmbra, vt quancunq; diei horam ostendat.

De instrumentis rusticis. CAP. XIIII.

VOmer est dictus quòd vi humum eruat, seu ab euomēdo terrā. De quo Lucretius.

Vncus aratri Ferreus, occulto decrescit vomer in aruis. Sumitq; per detrimenta nitorem.

Aratrum ab arando terrā vocatum dicimus quasi araterrium.

Buris est curuamentũ aratri, dictũ quasi * bosoira, quòd fit in similitudine caudæ bouis. Lego βοὸς οὐρά.

Dentale est aratri pars prima in qua vomer inducitur quasi dens.

Cultelli à cultura dicti, eo quòd ex ipsis putatione veteres in arbore vtebantur & vite, priusquam falces essent repertæ.

* Falx est qua arbores putātur & vites. Dictæ autē sunt falces, quòd his primum milites herbā filicen solebant abscindere. vnde est illud. al. Falcis.

Pax me certa ducis placidos curuauit in vsus.

© Biblioteca Nacional de España

Agricolæ nunc sum, militis ante fui.

Falcastrum à similitudine falcis vocatũ. Est autem ferramentum curuum cũ manubrio longo, ad densitatem veprium succidendam. Hi & runcones dicti quibus vepres secantur, à runcando dicti.

Serrula est prætenuis lamina ferri, dentium mordacitate resecans arbores seu ramos.

Rastra quoq; aut à radendo terram aut à raritate dentium dicta.

Ligones quòd terram leuent quasi leuones.

al. codicem. Scudicia dicta eo quòd circa caudicem terrã aperiat, & quamuis eius vsus in reliquis operiatur: nomen tamen ex* caudice retinet. Hãc alij generaliter fossorium vocant, quòd foueam faciat quasi fouessoriam.

al. codice.

Sarculum ferrum fossorium est habens duos dentes à sarriendo, id est fodiendo dictum.

Pastinatum vocant agricolæ ferramentum bifurcum quo semina * purgantur. Vnde etiam repastinari dictę sunt vineæ veteres, quæ refodiuntur.

al. pungunur, alij & rectius spargunur.

Cilindrus lapis est teres in modum columnę, qui à volubilitate nomẽ accepit. de quo Virgilius,

Area cumprimis ingenti æquanda cilindro,
Et vertenda manu.

Tribula genus vehiculi vnde teruntur frumenta, & ob hoc ita vocatur.

Pala quæ ventilabrum vulgo dicitur à ventilandis paleis nominata.

Furcillę dictę, eo quòd ijs frumenta* cillẽtur, id est mouẽtur. Vnde & oscilla dicta ab eo quòd cilleantur, hoc est moueantur ora. Nam cillere est mouere.

al. cilluntur.

Tesseræ sunt, quibus frumẽtorum numerus designatur.

Trapedum mola oliuaria.

Prælum trabes quo vua calcata premitur, à premendo vocatum quasi pressorium.

Lacus prelum quo premitur oleum qua liquatus profluat, & quo ab vuis vel oliuis torquendo oleum vinumq; exigitur.

Verennes à vehere, id est exportare nominatę.

Qualus corbes colaq; prælorũ per quæ mustum fluit, à colando dictus.

Fiscum quasi fiscum, à colando oleum dictum, vel quasi fiscella olei.

De instrumentis hortorum. CAP. XV.

ROta dicta quòd quasi ruat. Est enim machina, de qua à flumine aqua extrahitur. Lucretius.

In fluuio versare rotas atq; austra videmus.

Austra autem, id est rota, ab hauriendo aquas dicta.

Girgillus quòd in girum vertatur. Est enim lignum in transuersa pertica mobile, ex quo funis cũ situla vel vtre in puteum dimittitur hauriendę aquę causa.

* Telonẽ hortulani vocant lignũ longũ quo hauriunt aquas. Et dictus telon à longitudine. τηλὸ enim Græcè dicitur quicquid longum est. Vnde & mustela vocata, quasi mus longus. Hoc instrumentum Hispani ciconiam vocant, quòd imitetur eiusdem nominis auem, leuantẽ ac deponentem rostrum dum clangit. al. Tolone.

Amalup⁹ qui & canicula, ferreus harpax, quia si quid in puteum decidit rapit & extrahit. vnde & nomẽ accepit. Harpax enim dictus quia arripit. ἁρπάζειν enim Græcè rapere est.

De instrumentis equorum. CAP. XVI.

PHaleræ ornamenta equorũ sunt, & est sermo Græcus.

Frena dicta quòd equos fremere cogãt, vel hoc equi frendant, id est imprimant dentibus & obmordeant. Vnde & nefrẽdes dicti, adhuc lactantes porculi, quòd nondũ aliquid frendant, id est comminuant dentibus. Hinc & faba fresa quæ molita est.

Lupati sunt freni asperrimi. Dicti aut lupati à lupinis dentibus: qui inęquales sunt. vnde etiã eorum morsus vehementer obest.

Camus genus asperi freni est, quo caballi superbi coerceri solent, dictus à curuitate. χαμὸν enim Græci curuum dicunt.

Habenę ab habendo dictę quòd ijs equos habeamus, hoc est teneamus. vnde & equi habiles dicti. Hæc & retinacula à retinendo ora.

Capistrum à capite iumentorum dictum.

Sella à sedendo, quasi sedda.

Antella quasi ante sella, sicut & postellam quasi post sellam.

Cingula hominum, generis neutri est. nam animalium genere fœminino dicimus, has cingulas.

Sagma quæ corruptè vulgo dicitur salma, à stratu sagorũ vocatur. Vnde & caballus sagmarius, mula sagmaria.

Capulum funis à capiendo quòd eo indomita iumenta comprehendantur.

Calcaria dicta, quia in calce hominis ligãtur, id est in pedis posteriore parte, ad stimulandos equos quibus aut pugnãdum est aut currendũ, propter pigritiam animalium aut timorem Nã ex timore stimuli nuncupati, licet sint & libidinis stimuli.

Strigiles nuncupati à tergendo, quòd ijs equi tergantur.

Character est ferrũ coloratum, quo notę pecudibus inuruntur. χαράκτης autem Græcè Latinè forma dicitur.

Cauterium dictum quasi cauturium, quòd vrat & prouida sit in eũ seueraq; cautio, vt dum videtur cuius sit auaritia refrenetur. Quòd interdum pro signo, interdum pro cura adhibetur, vt vis morbi ignis ardore siccetur.

FINIS.

© Biblioteca Nacional de España

B. VVLCANIVS LECTORI.

QVum ad Isidori cuiusdam manuscripti calcem annexus esset Libellus Fulgentij DE PRISCO SERMONE, non abs re me facturum putaui si eum, alios q̃ nonnullos veteres Grammaticos, qui de proprietate sermonis Latini agunt adiungerem. Ac Fulgentius quidem quum antea ab Hadriano Iunio cum Nonio Marcello editus sit, eum ita adieci: subiectis varijs lectionibus, ope vetustissimi exemplaris quo vsus sum, è quibus multa lectu digna eruta fuisse facile iudicabis. Titulus libelli in Vet. Cod. erat huiusmodi.

FABII PLANTIADIS FVLGENTII VIRGILII

EXPOSITIO SERMONVM ANTIQVORVM, CVM TESTIMONIIS.

NE de tuorum præceptorum, domine, serie quicquam curtasse inobedientia putaretur: libellum etiam De abstrusis sermonibus parari iussisti, in quantum memoriæ entheca subrogare potuit, absolutum tribui, non tam phaleratis sermonum studentes spumis, quàm rerum manifestationibus dantes operam dilucidandis.

1. SAndapilam antiqui dicivoluerunt feretrum mortuorum, id est, loculum, non in quo nobilium corpora, sed in quo plebeiorum atque damnatorũ cadauera portabantur, sicut Stesimbrotus Thasius de morte Polycratis Samiorum regis scripsit, dicens, *Posteaquã de cruce depositus, sandapila etiam deportatus est.*

2. Vespillones dicti sunt baiuli, quamuis Antidamus Heracleopolites vespillones dixerit cadauerum nudatores: sicut in historia Alexandri Macedonis scripsit: *Plusquàm trecentos cadauerum vespillones* * *reperiens crucibus affixit.* Mnascas tamen in Cecrope scripsit, Apollinem postquàm ab Ioue victus atq; interfectus est, à vispillonibus ad sepulturam elatum esse.

al. rex Perses.

3. Pollinctores, qui funera morientium accurant dicti sunt. Plautus in Pœnulo. *Sicut pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.* Dicti autem pollinctores, quasi pollutorum vnctores, id est, cadauerum curatores: vnde Apuleius in Hermagora ait. * *Pollinctor eius funeri dum vnctionem parat.*

In alijs legitur, pollinctio eius funere domui tionem paramus in alijs.

4. Manales. Labeo qui disciplinas Hetruscas Tagetis & Bacchetidis (*lego Bacidis, qui fatidicus oracula & lustralium libros conscripsit, quos legisse se testatur Pausanias.*) quindecim voluminibus explanauit, ita scribit. *Fibræ iocinoris sandaracei coloris dum fuant, manales tunc vertere opus est petras,* hoc est, quas antiqui solebant in modum cylindrorum per limites trahere pro pluuiæ immutanda inopia.

5. Nefrendes. Diophantus Lacædemonius, qui de sacris Deorum scripsit, ait apud Messenios * Ioui solere sacrificari sacrum, quod ἑκατὸν φόνια appellatur: (*locum hunc à sciolo quopiam, qui Marti potius quàm Ioui humanam victimam inferias mitti putauit, corruptum, restituo ita ex Pausania in Messenicis, qui historiam ibi omnem pertexuit, & sacrificium illud* ἑκατὸν φόνια *diuisim, vt & Polyænus, nominat. nam* ἑκατομφόνια *vnita voce legas apud Plutarch. in septem sapientum conuiuio. Antigrapha quædam habebant,* ἑκατὸν πεφόνευμα, *alia,* ἑκατόμβη φόνευμα: *vtrunq; vitiosè.*) Si quis enim centum hostes interfecisset, Ioui hominẽ sacrificabat apud Ithomen: quod sacrificatũ est à duobus, Aristomene Gortynẽsi, & Theoclo Eleo, sicut Sosicrates scribit. *Rem omnẽ clarè aperit Pausanias loco nominato. Erat autem Theoclus ille ex Elide origine ducta, Messeniorum vates, Aristomenis in rebus aggrediundis cernendisq; auxiliaris.*) Sed postquam hoc Athenienſibus displicuit, cœperunt efferre porcum castratum, quem nefrendem vocabant, quasi sine νέφροις, id est, renibus. At apud Romanos Varro scribit * Sicinium Dentatum centies & vicies pugnasse singulari certamine, cicatrices habuisse aduersas quadraginta quinq;, post tergũ nullam: coronas accepisse xxvj. armillas CXL. & istum primum sacrum fecisse Marti.

Ascenas.

Siccii Plin.

6. Ambegnę oues. Bęb. Macer, qui fastos dies scripsit, ait Iunoni eas, quæ geminas parerent oues, sacrificare cum duobus agnis altrinsecus alligatis, quas oues * ambegnas vocari, quasi ex vtraq; parte agnos habentes.

al. Ambiguas.

7. Suggrundaria antiqui dicebant sepulcra infantium, qui necdum xl. dies implessent, quæ nec iam busta dici poterant: quia ossa quæ comburerentur non erant, nec tanta cadaueris immanitas, qua locus tumescereret. Vnde Rutil. Geminus Astyan. ait: *Meliùs suggrundarium quæreres, quàm sepulcrum.*

8. Silicernios dici voluerunt senes incuruos,

© Biblioteca Nacional de España

quasi iam sepulchrorum suorum silices adspicientes. Vnde Cincius Alimetus. hist. de Gorgia Leont. scribit dicens: *Qui dum iam silicernius sui finem temporis expectaret, etsi morti non potuit, tamen infirmitatibus insultauit.*

9. Aruales fratres. Acca Larentia Romuli nutrix consueuerat pro agris semel in anno sacrificare, xij. filijs suis sacrificium præcedentibus: vnde cũm ex ijs vnus esset mortuus, propter nutricis gratiam Romulus in vicem defuncti se succedere pollicetur: vnde & ritus processit, cũ xij. iam deinceps sacrificare, eosq; Aruales dici fratres, sicut Rutil. Gemin. in libris Pontificalibus memorat.

10. Iniuges boues. Manil. Chrestus lib. quem de deorũ hymnis scripsit, ait: Mineruæ iniuges boues sacrificari, id est, iugum nunquam ferentes, illa videlicet de caussa, quòd & virginitas iugum nesciat maritale, & virtus nunquam sit iugo prementi subiecta.

11. Semones dici voluerunt deos, quos nec cęlo dignos adscriberent ob meriti paupertatem, sicut sunt Priapus, Hippona, Vertumnus: nec terrenos eos deputare vellent, pro gratiæ * veneratione, sicut Var. in Mystagog. ait: *Semoneq; inferius derelicto, Deum * depinnato attollam orationis eloquio.*

for. remuneratione.
for pennato.

12. Blaterare quasi verba trepidatia metu balbutire dixerunt. Pacuu. Pseudone comœdia inducit * Sceparnionem seruum ancillæ dicentẽ: *Ni ego te blaterantem adspicerem, his nuncium indicassem.*

al. Sceparnum.

13. Lucitiosos dici voluerunt * interdiu parũ videntes, quos Græci μύωπας vocant. Plaut. *Milit. Mirum est iolio victitare te tam vili tritico, Quid iam? quia luscitiosus.* Dicũt enim, quòd lolium comedentibus, oculi obscurentur.

al. in die.

14. Tutuli. Varro in Pontificalibus ait Tutulos sacerdotes dici breuium deorum (*breues deos fortasse nominat, quos alij minores, & minorum gentium*) Numa verò Pompilius & ipse de Pontificialibus scribẽs, Tutulum dici ait pallium, quo sacerdotes caput tectabant, cũm ad sacrificium accessissent, sicut & Virgilius ait:
Et capita ante aras Phrygio velamur amictu.

15 Oriam dicunt nauiculam modicam piscatoriam. Plaut. Cacisto: *Malo hunc alligari ad oriam, vt semper piscetur, etsi sit tempestas maxima.*

16. Problema est propositio in capite libri quæstionaliter posita. Demosthenes ad Philippum, (Sed ne quid Græcum te turbet exemplum, ego pro eo Latinum tibi faciã, ait enim) *Problematis * autem gradum tradamus adstanti, cui nostra subsequens occurset oratio.* Nam & Tertullianus libro quẽ de Fato scripsit ita ait: *Redde huic fati primum problematis mancipatum.*

al. autenticum.

17. Pumilus Apul. Asino aureo introducit sorores Psyches marito detrahentis, dicitq;: *Patre meo seniorem maritum sortita sum, dein quouis puero pumiliorem, & cucurbita glabriorem.* Pumulos dicunt molles atq; enerues: glabrum verò leuem & imberbem.

18. Sutela: Sutelam dici voluerunt astutiam, quasi subtilem telam. Vnde & Plaut. Casina:
Possis ne, nec ne, clam me sutelis tuis
Præripere Casinam vxorem, proinde vt postulas.

19. Friguttire dicitur subtiliter adgarrire. Plau. Casina: * *Quid nam friguttis?* Enn. Alcestide: *Hæclanus admodum friguttit, nimirum se sauciauit flore Liberi.*

al. Nã quid.

20. Titiuillitium dici voluerunt fila putrida, quæ de telis cadunt. Plaut. Casina: *Non ego istud verbum * empsitem titiuillitio.* id est, re admodum vili. Nam & M. Cornutus in Satyra ait: *Titiuillitij * sat cedo tibi.*

al. emisim.
al. sal.

21. Sculponeas dici volunt cestus plumbo ligatos. Vnde Nęuius Philemporo comœdia ait:
Sculponeis batuenda sunt huic latera probè.
Et Plaut. Casina: simili modo:
Qui quæso potiùs quàm sculponeas,
Quibus batuatur tibi os, senex nequissime.

22. Catillare est per alienas domos * gyrare: tractum à catulis, quòd per omnes domos circumeant. Vnde Propertius:
Catillata geris vadimonia publicum prostibulum.
Et Plautus similiter Casina:
Operam vxoris polliceor foras
Quasi catillatum.

al. instanter gyrare: malim ego, ligurrire: qui sinceram & germanã lectionem autumo.

23. Capularẽ nominari voluntsenẽ iã morti contiguum, quin & reos capulares dicebant, qui capulo digni fuerunt, vnde & Lucillius ait:
Pergit capulare cadauer.
Statius Cæcilius * Melæne comœdia.
Tũne amare audes edentule & capularis senex?
Edentulũ autẽ quasi sine dentibus dici placuit.

Molitrice.

24. Promos & Condos appellari voluerunt cellarios, eò quòd inde promant, & eò rursus condant. Plautus Pseudolo:
Ego sum promus, condus, procurator peni.
Penum autem cellariam dicimus.

25. Suppetias dicimus auxilium. Memor in Tragœdia Herculis. *Ferte suppetias optimi comites.*

26. Auctio dicitur venditio, quasi quod & ementem augeat & vendentem: Plautus Curculione:
Auctionem facio parasiticam.

27. Nasiterna est aquæ vrna, id est, vrceus. vnde Calpurnius Phronesi fabula:
Vbi tu nasiternatus aquam petas. Plaut. Bacchid.
Effer nasiternam cum aqua foras.

28. Antistare dicimus præcellere. Crispinus Heraclea. *Diuinis virtutibus antistas Alcides.*

29. Stega est nauis proscenium, siue tabulatũ, super quod nautę ambulãt. Plautus * Chrysalo: *Fortè vt assedi in stega.*

leg. Bacchid.

30. Lembus genus nauiculæ velocissimæ, quod & * dromonis nomine appellamus. Virgil. Georg.
Non aliter quàm qui aduerso vix flumine lembum
Remigijs subigit.—

al. dromadis.

Limbus verò est ora vestimenti cuiusq;.

31. Ramentum dici voluere quasi proiectitiũ quoddam purgamentum. Quintus Fabius Lucullus Epico carm.

Vilissimum

© Biblioteca Nacional de España

Vilissimum ramentum, proluuiosa pestis.

31. Diobolares dicũtur vilissimæ meretrices, quæ paruo stipendio prostant. Pammachius: *Diobolare prostibulum, quam ego actutum vt Dircen partitam reddam.* Pacuu. *Non ego sic fui, vt nunc sunt meretrices diobolæ, Quæ suam nummi caussa paruipendunt gratiam.*

33. Veruina iaculi genus longum, quod aliqui verutum nominant.* Galbius Bassus Satyra. *Veruina confodiende non te nauci facio.* Nauci enim ,p nihilo posuerunt. Plaut. Bacchid. *Si tibi machæra est, & nobis veruina est domi, Qua quidem te faciam, si me irritaueris, Confossiorem Soricina nænia.*

al. Caius.

34. Diuidias dixerunt tristitiam. Propert. *Diuidias mentis conficit omnis amor.*

35. Iustitium dicitur luctus publicus. Vnde * Fonteius Orat. pro Nucerinis ait: *Deniq; iustitium plebi indicitur.*

al. Fronto.

36. Choragium virginale funus vocatur. Apuleius Metamor. *Choragio itaq; perfecto domuitionem parant.*

37. Desiduo pro diuturnè. Varr. Corollario: *Diuidiæ mihi fuerunt, tam desiduò abfuisse te.*

38. Flocci quasi nihili. Plautus: *Flocci * est, quid rerum geras.*

al. pendo.

39. Ientaculum cibi degustatio. Callimach. ἀριστοῖς: *Ientaculum proferto Ioui.*

40. Edulium ab edendo, dicitur prægustatiua comestio. Apuleius Asino aureo: *Edulijs opipa rè excepta. opiparè*, id est, lucidè & delitiosè.

41. Tuceta dicũtur escæ regiæ.* Callim. Piseis: *Ambrosio redolent tuceta sapore.*

al. Callimorphus.

42. Ferculum missus carniũ. Petron. Arbiter: *Postquam ferculum allatum.*

43. Myropolæ sunt qui vnguenta vendunt, & sunt pigmentarij. Vnde Næuius Diobolaria. *Myropola affatim mihi vnguẽtum largitus est, quo me venustarem.*

Celocem dicunt genus nauiculæ modicum quod * bamplum dicimus. Apul. lib. de repu. *Qui celocem regere nequit, onerariam petit.*

al. blannam.

45. Cœlibatum dici voluerũt virginitatis abstinentiam. Vnde Felix Capella lib. de nuptijs Mercurij & Philologiæ: *Placuit Mineruæ * petere cœlibatum.*

al. pellere.

46. Exercitus pro cõtempto. Plau. Milit. glor. *Itaq; nos nostramq; familiam habes exercitam.*

47. Valgia sunt labellorum obtortiones in supinatione, vel subatione peractæ. Plau. Mil. glo. *Maiorem partem videas valgis suauijs.* Sic Petron. Arbiter: *Abroso valgiter labello.*

48. Summates dicuntur viri potentes.

49. Simplones (*fortè à Simpulo Simpulones rectius.*) dicuntur conuiuæ: nam & amicus sponsi, qui cum eo per conuiuia ambulat, Simplator dicitur. * Sutrius Piscatoria: *Summates viri symplones facti sunt ganei.* est autẽ ganeum taberna.

al. Succius, qui malè Sucuius apud Macrobium nominatur.

50. Præsegmina sunt partes corporis incisæ, vt Tages in Haruspicina ait: *Præsegminibus amputatis.*

51. Congerrones qui aliena ad se congregant. Vnde apud Romanos Gerones Brutiani dicti sunt.

52. Cistella dicitur capsella. Plautus: *Cistellam effer cum crepundijs.* id est, cum puerilibus ornamentis.

53. Fabrè perfectè dicitur. Antidamus in Moralibus: *Fabrè compactum animal hominem quis ferat, sic ex re pecuatum? quis auerruncaßit tam aretinas hominum mentes?* Porrò auerruncare dixit pro eradicare, Aretinas verò testeas, vel argillaceas: & Pecuatum, stultum.

54. Hallucinari dicitur vana somniare. tractũ ab allucitis, quos nos κάνωπας dicimus, sicut Petronius Arbiter asserit: *Nam cẽtum vernales me allucitæ molestabant.*

55. Culleus dicitur saccus in quo rei conclusi in mare mittuntur. Plaut. Vidularia: *Iube hunc insui Culleo, atq; in altum deportari, si vis annonam bonam.*

56. Elogium est hæreditas in malo. Cornelius Tacitus libro facetiarum: *Cæsi itaq; morum elogio in filijs relicto.*

57. Lixa mercenarius. Lucanus: *Stat, dum lixa bibat.*

58. Sudum dicitur serenum. Tiberianus: *Aureos subducit ignes, * sudus ora lucifer.*

oritur.

59. Luteum dicitur splẽdidũ. Pacu. Thyeste: *Non illic luteis aurora bigis.*

60. Abstemius obseruãs.* Rubrius in Satyra: *Abstemium merulenta fugit Metenia nomen.*

for. Rutilius

61. Vadatus obstrictus, vel sub fide, aut fideiussione * ambulans, sicut Fenestella ait: *Apud quem vadatus amicitiæ nodulo tenebatur.*

al. existens.

62. Manubiæ sunt ornamenta regum. Petronius Arbiter. *Tot regum manubiæ penes fugitiuum * repertæ.*

al. refliterãt

63. * Aumarium dicitur locus secretus publicus, sicut in theatris, aut circo. Petronius Arbiter. *In aumarium memetipsum conieci.*

al. aumatiũ, nisi sit automatium, aut armarium, quod malim

64. Delenificus blandiloquus. Lucillius Comicus Nummularia: *Nescio quorsum mihi euenint tua verba tam delenifica.*

© Biblioteca Nacional de España

2. MNascas.V.C.Mnaseas.
In Cecrope.V.C.In Europæ libro.
Vinctus.V.C.Victus.& pro Vespillonibus.Vispillonibus.
3. Quia mihi,&c.V.C.sicut pollinctor dixit,&c. Tagetis.V.C.Stagetis.
Bacchetidis.V.C.Bacittidis.
Pollinctor eius,&c.V.C.Pollinctores funere domuitionem paramus.
Commutanda.V.C.immutanda.
5 Ioui.V.C.Marti.
ἑκατὸν πεφόμενα.V.C.ἑκατὸν πεφορευμένα.
Ioui homine.) V.C.Marti de homine apud insulã Blemnõ.quod sacrificatũ est à duobus Cretensibus & vno Locro.id est,Timne Cortiniensi,Proculo Locro,&c.
efferre.) V.C.offerre.
nefrẽdem.) V.C.neferendũ vocabãt, quasi sine renibus.
Sicinium.) V.C.Sitium.
aduersas.) V.C.è contra.
6. Bæb.V.C. Bebius.
fastos dies.) V.C.festalia sacrorum.
Iunoni eas, quæ &c. Locus hic inepta interstinctione punctorũ totus deprauatus est, & sciolus quidã cum distinctionẽ post vocẽ Oues ponẽdã putaret, ex Geminos,fecit geminas.Ita ergo corrigẽdus est locus, ait Iunoni eas quæ geminos parerent, oues sacrificare,cum d.ag.altr.all.
7. Quæ nec iam.) V.C.quia nec busta
Melius.) V.C. Melius suggrũdiariũ miser quereris,etc.
8. Senes incuruos.V.C.senes iam incuruos.
morti.) V.C.mori.
9. Larentia.) V.C.Laurentina.
pro agris.)V.C.per agros.
eosq.) V.C.&
11. dignos.) In V.C.non habetur.
depinnato.) V.C.de pennato.
12 Sceparnionem.)V.C. Separnum.
His nuncium indicassem.) V.C.Hismuntiũ iudicassem.
13. Milit.)V.C.in Mercatoris Comœdia.
quid iam?) In V.C.non habetur.
14. Tutuli.)V.C.Tituli.& Tutulum V.C.titulum.
caput testabant.) V.C.tutabant.
15. nauiculam.) V.C.nauicellam.
16. ad Philippum.) V.C.pro Philippo.
faciam.) V.C.feram.
autem.) V.C.autentium.
fati.) V.C.fratri.
17. marito detrahentis,dicitq.V.C.maritis detrahentes dicere.
Pumilus.) V.C.Pumilio.
Pumilos.) V.C.Pumilios enim.
Leuem.) V.C.lenem.fortè,læuem.
18. subtilem telam.) V.C.subtilia tela.
Possis ne,nec ne clam.) V.C.Possis clam.
proinde.) V.C.perinde.
20. Titiuillitij sat cedo tibi.)V.C.Titiuiles Flacce dobi
21. Sculponeas.) V.C.Isculponeas.
& sculponeis.) V.C.Isculponeis.
Qui quæso.) V.C.Melius isculponeas quibus,&c.
22. per alienas domos girare) V.C. per al.d. infrontatè girare.
Operam vxoris polliceor foras, quasi catillatum.) V.C.Quin meam vxorem mittam catillatum.
23. nominari.) V.C.dici.
digni fuerunt.) V.C.forent.
Statius Cecilius.) V.C.Flaccus Tibullus.
24. appellari.) V.C.dici.
cellarios.) V.C.cellaritas.
inde promant.)V.C.de intus promãt, & intus condãt.
autem.) V.C.enim.
25. Memor.) V.C.Memos.
26. Auctio dicitur venditio.) V.C.Auctionem dici voluerunt venditionem.
27. Nasiterna.) V.C.Mnasiterna
fabula.) V.C.comœdia.
nasiternatus.) V.C.mnasiternatus.
nasiternam.) V.C.mnasiternam.
28. antistas.) V.C.antistans.
29. Fortè vt assedi,&c.V.C. Fortè ego vt in stega consederam.
30. nauiculæ.) V.C.nauicellæ.
Limbus verò,&c. Hæc non sunt in V.C.
32. Quæ paruo stipendio prostant V.C. quæ se paruo stip.prostrant.
Non ego,&c.) non est in V.C.
33. confodiende.) V.C.confodiente.
Si tibi machæra.) &c.V.C.si tibi machæra est foris: at mihi veruina est domi,Qua te ego & illos conficiam Soricina nenia.
36. domuitionem.) V.C.omnes dom.&c.
39. αἰτίοις.) V.C.In zesia.
proferto.V.C.proferre.
opiparè,&c.deest in V.C.
41. Ambrosio.) V.C.Ambrosiæ red.tuc.fauore.
43. & sunt.) V.C.vt sunt.
abundãter.) adijcit V.C.Venustare verò exclarare est.
44. nauiculæ.) V.C.nauicellæ modicissimum.
bamplum,) V.C.lembum.
46. Itaq.) V.C.Itáne.— habes.) V.C.ab eis.
Valgia:In V.C.post vocem Exercitã cõtinuè legitur,ita: Et vbi supra ait: Plus videas valgijs quàm fabijs.Denique omnes instãt eum. Nictare enim dicimus cimũ facere. Valgia verò sunt bellatorum obtortiones in supinatione facti. Vnde & Petronius ait, Obtorto Valgitur Labello. tametsi corruptè in V.C.legitur Bellatorum.
49. Simplones,) V.C.Simpolones.
Simplator.) V.C.Simpolator dicitur. Ganeum vero taberna est.Vnde & Satrius in comœdia Piscatoria ait, Summates viri,simpolones facti sunt ganei.
51. Gerones.) V.C.gerrones.
Cistillam effer.) V.C.Cistellam mihi offers.
53. sic ex re,) V.C.sic ire.
Aretinas.) V.C.aricinas.
Hallucinari.) V.C.Alucinare.
54. Nam centum,&c.) V.C. Nam contemptum me vernali aluna molestabant.
56. Cæsi itaq.) V.C.Cessi itaq morum elogio,in filijs derelicto.
57. Stat dum lixa bibat.)V.C.iuuat.
60. Rubrius.) V.C.Rabirius.
62.Manubiæ.) V.C.Manubies.

VETERVM

© Biblioteca Nacional de España

VETERVM GRAMMATICORVM DE PROPRIETATE ET DIFFERENTIIS LATINI SERMONIS LIBELLI.

Authorum hæc sunt nomina.

1 CORNELII FONTONIS.
2 NONII MARCELLI.
3 AGRAETII.
4 ÆLII DONATI.
5 ARRVNTII CELSI.
6 FL. SOPITARII CHARISII.
7 Q. ASCONII POEDIANI.
8 MARII SERVII HONORATI.
9 SEX. POMPEII FESTI.
10 M. TERENTII VARRONIS.
11. Q. TERENTII SCAVRI.
12 AGELLII.

ISIDORI hac ipsa de re libellum, qui apud F. Pithæum V. C. exstat, nunc temporis adijcere non licuit.

Notæ quibus significatur.

† Deesse aliquid aut corruptum esse.
* Bis dictum, vel esse authoris alterius.
[] Glossæ.

Cornelij Frontonis.

VLtio *vindicat factum:* Vindicta vel vindicatio *futura prohibet. Ideo Mars vltor, non vindex dicitur.*

Præda *victos spoliat:* Rapina *subitò venit. Itaq; illa victoria gaudet, hæc petulantia.*

Cur, *simpliciter percontatur:* Quare, *causam rationemq; desiderat.*

Qui deliquit, *nõ fecit, quod facere debuit:* Qui peccauit, *hoc fecit, sed parum rectè.*

Remedium, *ne periclitemur, datur:* Medicamentum *ad subita pericula aptatur. Atq; ita* remediũ *submouet imminentia,* medicamentum *sanat non sana.*

Flumen *idem fluit & manet:* Fluuius *temporibus siccatur.*

Corinthium *ciuẽ dicimus*, Corinthiacum *vas,* Corinthiensem *fontem.*

Picenum *vas dicimus:* Picentem *verò hominem. Hilenius.*]

Roseum *per se:* Rosaceum *mixtum.*

Fusco *album opponitur:* Nigro *candidum.*

Qui pugnat, *resistit: qui* oppugnat, *obsessor est: qui* impugnat, *per omnia inimicus est. Itaq;* pugnat *exercitus:* oppugnantur *vel castra vel vrbes:* impugnantur *inimici.*

Album *natura:* Candidum *cura fit.*

Decus *honoris:* Decor *formæ:* Decorũ *actionis.*

Pompeij *porticus, si possidet:* Pompeia, *si publicauit:* Pompeiana *si in alterius dominationem venit.*

Satiatus *ventris:* Saturatus *animi.*

Obiurgat *eum, cuius habet potestatem:* Monet *propter beneuolentiam:* Admonet, *vt confirmet memoriam:* Submonet, *vt possit ordinatè pronunciare. Igitur in* obiurgante *potestas; in* monente *beneuolentia, in* admonente *memoria, in* submonente *officium.*

Antiquum *est, quod excessit patrum memoriam:* Vetus *annorum multorum sentit vtilitatem. Vinum hôc melius est, quô fit vetustius.*

Sartrix, *quæ sarcit:* Sarcinatrix, *quæ sarcinas seruat.*

Videmus *natura,* Spectamus *voluntate,* Intuemur *cura,* Aspicimus *ex improuiso,* Animaduertimus *animo,* Cernimus *oculis.*

Ostentum, *quod præter consuetudinem offertur, vt puta si videatur terra ardere, vel cœlũ, vel mare:* Portentum, *quod porrò & diutius manet, futurumq; postmodum aliquid significat:* Monstrum *est contra naturam, vt est Minotaurus:* Prodigium, *quod mores faciunt, per quod detrimẽtum expectatur. Itaq; qui* prodigia *faciunt,* prodigi *vocantur. In* ostento *raritas administrationem facit. In* monstro *rectus ordo naturæ vertitur. In* portento *differtur euentus. In* prodigio *detrimentum significatur.*

Turbam *angustus locus facit:* Frequentiam *multitudo.*

Qui putant, *omni genere errant: qui* suspicantur, *aliquo modo præuident.*

Frater *aut ex alia matre, aut ex alio patre potest esse.*

Germanus *ex ijsdem parentibus sit necesse est.*

Sermo *omnium gentium est:* Loquela *cuiusq; gentis dialectus propria.*

Comes *iter facit:* Assecla *sequitur potentiorem:* Sodalis *adolescentiæ nomen est:* Cliens *implorat opẽ & fidem. Ita* comes *tutus,* assecla *officiosus,* sodalis *amicus,* cliens *submissus.*

Causa *docet factum:* Ratio *soluit obscura.*

Nomen *proprium indicat:* Vocabulum *diffundit significationem.*

Horret *corpus:* Trepidat *motus animi.*

Quærimus *disciplinam:* Inquirimus, *de quo dubitamus.* Desideramus, *vel, quod diligimus, vel, quod amisimus.*

© Biblioteca Nacional de España

Temerarius, *qui sine respectu salutis obijcit se periculis:* Audax *sine ratione impetum facit. Ergo* audax *non prouidet,* temerarius *non timet.*

Longum *prouerbiũ est, itaq; verbũ illi opponitur:* Longinquum *itineris est.*

Felix *ita natus est:* Fortunatus *cum opibus nomẽ accipit. Ita* felix *naturæ bono fruitur:* Fortunatus *cõmodo temporis.*

Aestas *est pars anni* Aestus *calor tẽporis.* Aestus *à nimio calore nomen accipit:* Aestas *nomen non amittit, etiamsi temperata est.*

Citius *præuerbiũ qualitatis prælatiuæ, simile cognomini.* † *Pro maturius est etiam significantiã habens. Vt, Iam fessi ante tempus citius, vt loquantur: nõ ostensio qualitatis nec certi temporis: At* celeritas *sui temporis est perfecta.*

Simul *locum demonstrat:* Vnà *congregationem.*

Cominus & Eminus *de iaculis, quòd illud à manibus non recedit, hoc è manibus emittitur.*

Parsi *semel:* Peperci *sæpius.*

Dicimus, *quod volumus:* Loquimur *inuicem:* Narramus, *quod ignoratur.*

Vultus *propriè hominis:* Os *omniũ:* Facies *pluriũ.*

Memoriosus *habet ad dicta factaq; referenda memoriam:* Memor, *beneficij memoriam vel iniuriæ refert. Ita* memoriosè *qui facit, ostendit in omni re naturæ bonum:* Memoriter *gratum vel fortẽ ex eo ostendit, quòd vel retribuit beneficiũ gratè, aut iniuriam vindicat fortiter.*

Ordinatio *simplex est:* Dispositio *vaga.*

Consideratius *prouerbium ex cognomine:*

Considerantius *ex participio.*

Dedicatur *deo:* Consecratur, *quasi sanctum constituitur. hoc est,* Dedicatur *deo, quod illi debetur:* Consecratur, *quod prophanum sit.*

Quatenus, *qua fine:* Quatinus, *quoniam.*

Voluntas *facto gaudet:* Voluptas *fieri cupit:*

Nouissimum *erdinis:* Vltimum *orbis.*

Furtim *cùm incipit:* Furaciter *quasi artificiosè, à consuetudine inuolandi:* Furtiuè *quod iam ablatum. Ergo* Furtim & furaciter *furax,* furtiuè *locus facit.*

Imum *summo respõdet:* Infimum, *vt infra humũ.*

Cõmodat *mutuã pecuniam:* Accõmodat, *aptat.*

Fulget *natura, vt ignis, sol:* Splendet *artificio, vt aurum, argentum.*

Meret *precium:* Meretur *graciam. Itaq; illud vectigale, hoc honorarium est.*

Pedale *mensura est pedis:* Pedule *verò sub pedibus præstat vtilitatem.*

Araneum, *quod textum est:* Aranea, *quæ texit.*

Opinio *hominem suspectum facit:* Fama *vel commendat, vel destruit:* † Opinio *ostendit:* Fama *indicat:* Rumor *tumultuatur.*

Querimonia *certæ rei est:* Querela *superuacua est. Itaq; prior grauitatis est, posterior leuitatis.*

Trãsfuga *suos relinquit, et ad alios venit:* Perfuga *supplex est. Ergo* trãsfuga *vt adiuuetur, fit* perfuga.

Hunc & Istum *in proximo notant:* Illum, *ostendit quidem longè stantẽ, sed in cõspectu:* Eũ, *absentẽ refert.*

Glorius, *vnius est gloriæ:* Gloriator, *nõ habet causam gloriandi, sed tamen gloriatur,* Gloriosus *pluribus de causis cogitur.*

Adrogat *aliquid sibi, etiamsi non meruit:* Abrogat, *qui alij aufert, vel qui legem tollit.*

Cõtinuè, *assiduè:* Cõtinuatè, *sine intermissione.*

Externus *est exteræ gentis:* Alienus, *non loco, sed re differt:* Extraneus; *qui extra eandem ianuam est:* Extrarius, *qui extra eandem aream.*

Lucidum *est, quod aperto cœlo lumen accipit:* Luminosum, *quod multis foraminibus illuminatur.*

Expertus *est aliquid, aut in bona parte, aut in mala:* Experrectus *de somno.*

Delubrum, *in quo homines pericula sua diluunt: ponunt enim vel pileum, vel scutũ, vel alia suscepta votis:* Sacellum, *paruulum ædificium dijs consecratũ:* Templum, *in loco augurato:* Lucus, *locus fulmine ictus, & arborum spissitate tectus:* Fanum, *Fauno consecratum: vnde* Fauni *appellabantur prius, & illi, qui vagabãtur* Fanatici. Bidental, *locus fulmine tactus, & expiatus oue:* bidentes *enim oues appellantur.*

Interficere & perimere *prisca sunt:* Occidere, *ob cædem dictum est:* Iugulare, *ob iugulum:* Necare, *à nece:* Interficere, *à facto.* Perimere *ab emtione, quasi iure tollere.*

Virtus *hominis summum bonum est, quæ & in oratione & in cursu potest videri:* Fortitudo *vis corporis, ad sustinendos labores:* Vigor, *animi habet elationem:* Velocitas, *corporalis celeritas, quasi velox & cita:* Vehementia *à vi, id est, impetu mentis.*

Facultas *locupletis:* Facilitas *artificis est. Itaq; diues* facultatem *habet multã vel emendi, vel redimendi: Artifex opera perficiendi* facilitatem.

Silet, *cuius loquentis sermo cõprimitur, ab ipsa significatione literæ S:* Tacet, *qui ne loqui quidem cœpit.*

Ignoscit, *qui dissimulat se nosse, quod comperit, & ita silentio peccata impunita dimittit:* Concedit, *qui omnia peccata condonat.*

Habere *potest etiã fur & nequam:* Possidet *nemo, nisi qui rei aut relictæ, aut donatæ, aut emtæ dominus est. Ita in* habente *onus, in* possidente *ius est.*

Munus, *quod amicus, vel cliens, vel libertus officij causa mittunt, vel munus gladiatorium:* Donũ, *quod dijs datur: Inde, vbi* dona *ponuntur,* donariũ *appellatur. Possunt & illa nihilominus* dona *dici, quæ donant pauperibus diuites vel potẽtes: illud quoq; donũ putandũ est, quod militib. donatur in castris, vt corona vallaris.*

Noxa *pœna est:* Noxia *culpa.*

Sciens, *qui scit:* Scitus, *qui scitur, vel festiuus.*

Animantia *animus facit:* Animalia *animã habẽt.*

Visum *semel:* Visitatum *sæpius esse scito.*

Abspulsus *est ab aliquo pulsus:* Repulsus, *retrò pulsus.*

Metus, *motus est animi:* Timor, *quasi tumor:* Formido *fert interdum rationem:* Pauor *puerilis est.*

Reperimus *nostra,* Inuenimus *aliena,*

Videte *imperatiuum:* Videtote, *mandatiuum.*

Proprium, *cuiusq; suum:* Priuatũ, *non publicum.*

Onus *vehiculorum et maius est:* Sarcina *hominũ.*

Sumimus, *quæ posita sunt:* Accipimus, *quæ porriguntur.*

Locuples *à copia locorum:* Diues, *quia diuidendi facultatem habet:* Opulentus *ab opibus:* Potens, *qui, quod vult, potest:* Fortunatus, *cui fortè aliquid contingit:* Beatus, *qui apud Græcos* μακάριος *est:* Pecuniosus,

© Biblioteca Nacional de España

ſus, *qui habet pecuniam vel pecora.*

Grande *incremento* : Magnum *amplitudine*: Immane, *præcipuæ amplitudinis.*

Poeticè *eſt rei, vt hiſtoricè* : Poeſis, *operum contextus:* Poema, *certis pedibus & legitimis numeris inclusa materia:* Poeticum *in poeta vtile eſt.*

Homonymia, *vna voce multa ſignificat:* Synonymia *multis vocibus idem teſtatur.*

Clupeum *armorum:* Clypeum *imaginis.*

Paruum *in tempore:* Breue *in ſpacio:* Exiguum *in corpore infantis:* Puſillum *in corpore pumilionis.*

Inuolat, *qui in die venit:* Surripit *clàm, id eſt, furtiuè.*

Species *diuiſio eſt generis:* Specialitas *ficta eſt ab Antonio* [*Guiphone*] *Grammatico*: Specietas *qualitatis.*

Prouerbium *eſt euphonon:* Aduerbium *vicioſum & fictum, tamen in vſum nunc eſt receptum.*

Compendium *vtiq; ad pondus pertinet:* Diſpendium *detexitur in ponderibus:* Damnum *dat omnibus:* Detrimentum, *vſu tritum:* Iactura, *quod iacitur ex onere nauis.*

Aeger *animo:* Aegrotus *corpore.*

Altitudo *incrementum eſt corporis:* Alimentum *incrementum infantis:* Alimonia *deriuatiuum ab alendo, quaſi particula animi.*

Aequalis *alterius ſtaturæ par:* Aequabile, *quod æquari poteſt.*

Inſcius *aliquid neſcit:* Neſcius *nil nouit: alter in parte errat, alter in toto.*

Glacies *eſt, quæ ex coitu aquæ cõſtagnat:* Nix *ventorum ritu cadit.*

Contrarium *negotium:* Aduerſarius *homo.*

Gallus *natione:* Gallicus *ex Gallia.*

Acuere & Exacuere, *præpoſitione diſtinguuntur.*

Incertum, *nec tempus, nec numerum recipit:* Dubium *à duobus incipit.*

Ambulare *incipiunt infantes:* Inambulant *homines.*

Modulari *eſt, carminis modos facere:* Moderari *eſt, modum imponere.*

Barbara locutio *propriè peregrina eſt:* Barbariſmus *fit etiam in ſermonis Latini locutione.*

Cadit *etiam in plano:* Decidit *ex alto.*

Subſidium, *quod ſubeſt deficientibus:* Præſidium *imponitur:* Auxilium *repentinum eſt. Ita* Subſidium *ad ſecundos caſus præparatur:* Præſidium *ad cuſtodiam collocatur:* Auxilium, *vt proſit, ex inſperato venit.*

Diſtrahere *à trahendo:* Deducere *à ducendo:* Diuellere *à vellendo.*

Corruptela *ipſa res eſt:* Corruptio, *corrumpentis adminiſtratio.*

Cœrulus *naturæ color eſt:* Cœruleus *naturã fingit. Ita alterum eſt, alterum fit.*

Qui properat, *appãret non eſſe feſſus: Qui* feſtinat, *videtur eſſe defatigatus.*

Polimus *rudia:* Nouamus *vetera.*

Nobilẽ *nobilitate rerũ:* Generoſus, *qui Græcè* γενναῖος *appellatur. Ita alter ex re, alter ex generatione eſt.*

Natio *ſolum patrium quærit:* Gens *ſeriem maiorũ.*

Præparare *prius:* Comparare, *vndiq; parare.*

Gutta *manat:* Stilla *cadit.*

Conuenit *in vnum:* Coit *in multos.*

Cauſa *eſt, de qua agitur:* Patrocinium, *quod accommodatur:* Oratio, *quæ loquitur.*

Superbia *eſt, à ſuperhabendo:* Arrogantia *etiam in pauperem cadit.*

Scrutatur *in te ille, qui intercipit aliqua ſecreta:* Quærere *duo ſignificat, vel quod abeſt, vel quod ad patrimonium pertinet.*

Innuit *vel capite, vel ſupercilio:* Annuit *ad id, quod dictum vel factum eſt.*

Gnatus *filius:* Natus *pullus.*

Qui inſimulat, *vel arguit, vel fingit: Qui* ſimulat, *probare vult, quod non eſt.*

Bellum *etiam ſine prælio eſt, cùm indicitur:* Prælium *ipſa pugna.*

Diligentia *à deligendo ſingula, huic negligentia opponitur, nec recipit errorem:* Cura *animi eſt, quæ anxium facit hominem, & tàm honeſtæ quàm inhoneſtæ rei eſt.*

Regium, *quod regis:* Regale, *quod rege dignum eſt.*

Erraticus *& poteſt errare, & ſolet:* Erratitius *animus eſt, qui ſolet errare, & deſinit:* Erratio *enim animi eſt repentina commotio.*

Error *eſt rei vicium, vt amor, dolor:* Erratio *incertæ viæ.*

Erratrix, *per ſe rapta eſt, vt venatrix:* Erratica, *vt hedera, vitis.*

Notat *vel locum quis, vel perſonam, vel noxiam:* Annotat, *qui notæ quid adijcit.*

Salubre *ad locum refertur, & ad cibum:* Salutare *conſilium eſt. Ita* Salubre *non nocet:* Salutare *prodeſt conſilio.*

Committimus *conſilia:* Credimus *pecuniam.*

Sub, *nonnunquam pro clàm ponitur. Vt, Subripuit, clàm rapuit: aut ferè notat aliquid ſubditum:* In, *aut intus ſignificat, aut minus, aut valde, & in compoſitione pro non ponitur, vt, indoctus.*

Claritas *tã luminis, quàm perſpicuitatis:* Claritudo *generis. Prior itaq; ſplẽdoris, poſterior nobilitatis eſt.*

Vicinia *vicorum coniunctio:* Vicinitas *hominum conuerſatio eſt.*

Communitas *eſt communicandi voluntas:* Communio, *vndiq; munitio.*

Fultio, *dum fit:* Fultura, *cùm facta eſt.*

Ieiunium, *dies eſt:* Ieiunitas, *cibi abſtinentia.*

Elinguis, *habet linguam, ſed vſu eius caret:* Elinguatus *amiſit.*

Suſpicax *arguit:* Suſpicioſus *recipit.*

Reſtiarius, *qui facit:* Reſtio, *qui vendit.*

Auſterus *Græca conſuetudine:* Seuerus, *à Sæuo.*

Eloquentia *perfecta vis orationis:* Eloquium, *pars ſuppoſita commodè eloquendi.*

Seruitus *eſt ſub domino: Serui patientia* Seruitium *facit.*

Vituperatio *vicii parit:* Culpatio *à culpa incipit.*

Nominatio *nominat, quem appellat:* Appellatio *appellantis vox eſt, in miniſterio, & Appellat ad potentiorem propter iniuriam, vt cùm inuocat auxilium magiſtratus, vel cum pecuniam repoſcit.*

Treis *in accuſatiuo caſu:* Tres *in nominatiuo & vocatiuo.*

© Biblioteca Nacional de España

Necessitudo *vel sanguinis, vel meritorum, cũ præceptoribus, cũ amicis*. Necessitas *immutabilis res est, vt mori necessitatis est.*

Serum *ad negotium pertinet:* Serò *ad tempus.*

Decus *est instrumentum cuiusq;* : Gloria, *quasi honoris merces.*

Honor *dignitatis consummatio, vel priuatim, vel publicè:* Laus *secunda existimatio rectè factorum.*

Familiare *ad dominum non refertur, cùm amici familiares sint:* Familiarium, *quod seruo competit, vt sagum, gladius.*

Infector *colorem mutat:* Offector *officio obest.*

Certum *recipit præpositionem, & fit incertum, certumq; vel pondus vel rei precium :* Verum *opponitur falso.*

Figura *artis est opus:* Forma *naturæ bonum, vndè etiam* formosus *dicitur.*

Ignominia *imponitur ab eo, qui potest animaduersione notare :* Infamia *ex multorum sermone nascitur.*

Nullus *est tam in re, quàm in persona:* Nemo *in persona dicitur, vt, nemo homo.*

Iratus *ex offensa est:* Iracundus *natura.*

Periculum *contra quamuis rem timetur :* Pernicies, *contra necem.*

Omnes *nullum excipit, vt omnes homines ; ita & res:* Cuncti *in personarum numero nominantur, prisco dicti verbo:* Vniuersi, *in vnam sententiam conuersi, dicendi quid, siue faciendi.*

Feroces *animo:* Feri *leones cæteriq; similes.*

Aufert, *qui dedit:* Adimit *imperio coactus:* Eripit, *qui plus valet. Itaq;* auferre *possumus,* adimere *iubemur,* eripere *valemus.*

Studium *animi est:* Disciplina *artis.*

Inchoat, *qui incertum facit:* Incipit, *cuius exitum sperat,*

Bonus *opponitur malo, qui alij vsu :* Commodus *alijs necessario vtiq; prodest.*

Decens *in gestu est, & motu corporis :* Formosus *ab excellenti specie dicitur.*

Decor *communis est omnium, & is facit decẽtiam speciei:* Species *propria est cuiusq;. Itaq;* Decor *in habitu est.* Species *in membris.*

Lis *nascitur: Pertinacia efficit* controuersiam. *Et* litigant *homines : res in* controuersiam *deducitur. Ita* controuersia *partis est,* Lis summæ.

Rixa *sine armis est, & habet defensionem:* Pugna *legem habet vel naturalem, vel moralem : Palæstrans enim vel exhibet virtutem, vel armis per summa vitæ pericula dimicat.*

Occultè *latent:* Clàm *cælant. Alteri non prodere, alteri cælare habitui naturali inest.*

Nauus *à præcipuo nauis cursu dicitur ; vel alterius causa natus, qui studet per officium suum, et recipit comparationem superlationemq;, quia cognomen est. Ita* nauus *operam nauat alteri:* Celer, *vt suam rem, ita alterius quoq; celeriter perficit.*

Agilem *actio facit:* Strenuum *motus:* Fortem *animus:* Robustum *corpus.*

Contumeliam *inferunt:* Iniuriam *patiuntur homines.*

Spectacula *loca sunt, vnde spectamus :* Spectamenta, *quæ spectantur.*

Pascentia *sunt, quæ ex se pascuntur, vt prata, & pascentia mancipia, quia pascuntur, ideo etiam pastores vocantur:* Pabulantia *verò, quæ ijs vtũtur, vt iumẽta.*

Volventia, *quæ volvunt :* Volubilia, *quæ volvuntur.*

Animus *qualitas viventis:* Anima, *causa vitæ.*

Materies *animi est:* Materia *arboris. Et* materies *qualitas ingenij,* Materia *fabris apta.*

Hebescit, *quod natura obstupescit :* Hebetescit, *quod amittit aciem.*

Cedò *sibi poscit, & est immobile :* Dat, *qui non finire facit datum.*

Fidelis *fit:* Fidus *nascitur.*

Laus *facti instrumentum est :* Laudatio *verò est rerum gestarum relatio.*

Ferè *futurum significat:* Aliquando *et* Nonnunquam *quod intermittere non patitur.*

Aptum *loco venit & tempore, quod habet suam materiam:* Vtile *vsus fecit, vt prudẽtis literæ:* Idoneum, *vt amicum per consilia dicimus, & vt seruum in vsu hominis.*

Saxum *naturale:* Lapis, *qui è saxo cæsus est.*

Certatio *est administrantium:* Certamen *operis.*

Victima *maior est:* Hostia *minor.*

Nonij Marcelli.

CVpido & Amor *idem significare videntur, sed est diuersitas.* Cupido *enim incõsideratæ est necessitatis:* Amor *iudicij. Plaut. Curculione discreuit, & vim eiusdem diuersitatis expressit, dicens,*

Quod Venus Cupidoq; imperat, suadeq; amor.

Cupidinem *cùm genere fœmineo dicimus, cupiditatem significamus. Virg. lib. 6.*

Quæ lucis miseris tam dira cupido?

Cùm masculino, deum ipsum. Plaut. Mercat.

Cupido quantus es?

Amare *vim habet maiorem:* diligere *autem est leuius amare. Cic. ad Brutum:* Sic igitur facies, & me aut amabis, aut, quo contentus sum, diliges.

Perire *leuior res est, & habet inuentionis spem, & non omnium rerum finem. Plaut. Capt.*

Qui per virtutem peritat, non pol interit.

Alere *est victu temporali vitam sustentare :* Educare *autem ad satietatem perpetuam educere . Accius Andromeda,*

Alui, educaui, id facite gratum vt sit seni.

Tollere *est leuare & erigere :* Auferre, *legatum transferre, Virg. lib. 8.*

Tollite cuncta, inquit, cæptosq; auferte labores.

Horrendum *est tetrum & euitabile: Virg. lib. 3. Aeneid.*

Concilium horrendum.

horridum *plerunq; extans, & prominens. Virg. lib. 4. Aeneid.*

Et glacie riget horrida barba.

Meretrix *honestioris loci est, & quæstus. Nã* meretrices *à merendo dictæ sunt, quòd copiam sui tãtumodo noctu facerent:* Prostibula, *quòd ante stabulum stet, quæstus diurni & nocturni causa. Plaut. in Cistel. manifestissimè discreuit.*

Intro ad bonam meretricem, astat ea in via sola,
Prostibula sanè est.

Genitrix *semper, quæ genuerit, nuncupatur :* Mater *verò aliquando pro nutrice ponitur. Virg. lib. 8.*

© Biblioteca Nacional de España

Geminos huic vbera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem.
Plaut. in Menæch.
Ita forma similes pueri, vt mater sua
Non internosse posset, quæ mammam dabat,
Neque adeò mater ipsa, quæ illos pepererat.

Pudet *verecundiæ est:* Piget *pœnitentiæ. Plaut in. Pseud.*
Nimirum id quod pudet,
Facilius fertur, quàm illud quod piget.

Osculum *ab ore:* Suauium *à suauitate dicitur. Varro de vita pop. Romani:* Ideoque hoc ab ore dicitur osculum, nō à suauitate, vnde & suauium, quod simile sit suauitati.

Sacrificare *est, veniam petere:* Litare *est propitiare, & votum impetrare. Virg. lib. 4. Aen.*
Tu modò posce deos veniam, sacrisq; litatis,
id est, impetratis.

Expleri *est tantummodo plenum esse:* Satiari *suprà modum, & abundantiam. M. Tull. de repub. lib. 6.* Graues enim dominæ cogitationum libidines, infinita quædam cogunt atque imperant: quæ, quia expleri nec satiari vllo modo possunt, ad omne facinus impellunt eos qui illecebris suis inceduntur.

Arcus *omnis suspensus fornix appellatur:* Arquus *non nisi qui in cœlo apparet, quem Irin poetæ dixerunt. Vnde &* Arquati *dicuntur, quibus color & oculi virent, quasi in arqui similitudinem. Lucret. lib. 6.*
Tum color in nigris extabat nubibus arqui.

Fors *est casus temporalis:* Fortuna *dea. Terent. in Phor.*
O fortuna, ò fors fortuna: quantis commoditatibus,
Quàm subitò hero meo Antiphoni ope vestra oneraßis hunc diem?

Ferus *est sæuus:* Ferox *est fortis. Virg. 2. Aen.*
Ferus omnia Iuppiter Argos
Transtulit. *Idem lib. 4.*
Et frena ferox spumantia mandit.

Antiquum *significat vetus. Virg. liq. 2. Georg.*
Antiquasq; domos auium.

Antiquior, *melior. M. Tull. de repub. lib. 1.* Sed quoniam plurima beneficia continet patria, & est antiquior parens, quàm si quis (vt aiunt) curauerit, maior ei profectò, quàm parenti debetur gratia.

Faustum *quasi à fauendo dictum, ac per hoc prosperum & propitium. Vndè contrà* Infaustum, *minax & inprosperum, Terent.*
O faustum & felicem hunc diem.

Cuius *ad personam refertur hominis:* Cuiatis. *vndè significat. Accius Telepho,*
Qui neque cuiatis esset unquam potuimus
Multa rogitantes scire.

Animus *est, quo sapimus:* Anima, *qua viuimus. Accius Epigono.*
Sapimus animo, fruimur anima: sine animo
anima est debilis.

Vultus *est voluntas, quæ pro motu animi in facie ostenditur:* Facies, *ipsa oris species. Sall. in Catil.* Prorsus in facie vultuq; verecundia inerat.

Sebum *fit ex adipe ruminantium.* †

Mussare *hominum sit occultè et pressa voce loquentium, quod celatum velint. Virg. lib. 10.*
Se scire fatentur
Quid fortuna ferat populi, sed dicere mussant.

Murmurare *maioris soni est, proximi ad tumultum. Verg. Georg. lib. 1.*
Et resonantis longè
Littora misceri, & nemorum increbrescere murmur.

Priores *comparatiui sunt gradus:* Primores *summæ quæque res. Cicero Orat.* Quæ isti rhetores ne primoribus quidem labris attigissent.

Poesis *est textus scriptorum:* Poema *inuentio parua, quæ paucis verbis expeditur.* Poesis *opus totum, totaq; illa summa est vna θέσις, vt Annales Ennij.* Poema *est λέξις ἐνηρθμος, id est, verba plura modicè in quandam coniecta formam: Itaque etiam distichon epigrammation vocant poema:*
* Poesis *est perpetuum argumentum ἐνηρθμον, vt Ilias Homeri, & Annales Ennij.* Poetice *est ars earum rerum.*

Doctum & Peritum *cùm simile videatur, à M. Tull. discretum est, vt sit* Peritum *plus, quàm quod* Doctum, *de Off. lib. 3.* Itaque cùm sint docti, à peritis desistunt facilè sententiâ.

Vrbs *est ædificia:* Ciuitas *incolæ.*

Cogitare *est dubitare:* Deliberare, *confirmare. Turpilius Philopatro,*
Certum ac deliberatum est, me illis obsequi.

Scius *secum,* Conscius *cum alio scius est: licet conscium indifferentur legerimus.*

Auspicium, *auium inspectio, & quæ ex volatu earum significetur & vocibus:* Augurium *autem rerum omnium coniecturas prudenter et diligenter amplectitur.*

Monstra & Ostenta *similiter intelliguntur, quòd imminentia monstrent & ostendant:* Omen *verò votum est mentis & vocis: Vndè sacrificantibus dicitur,* bona omina habere, *id est, vt circumstantes et mente recta velint, & bona oribus proferant:* Portentum *non solùm quòd portendat, sed etiam quòd iam apportet, & faciat ex his significationibus, quæ in auspicijs & augurijs, & extispitijs ostenduntur:* Prodigium *autem semper peßimum est, dictum quasi porrò adigendum. Virg. Aen. lib. 3.*
Sola nouum, dictuq; nefas Harpyia Celæno
Prodigium canit, & tristes denunciat iras.

Iniuria à Contumelia *hoc distat:* Iniuria *enim leuior res est. Pacuuius Peribœa,*
Tatior facilè iniuriam, si est nacua à contumelia.

Fulmen *telum ipsum, quod iacitur. Vt Virg. Georg. lib. 1.*
Ipse pater medio nimborum, in nocte corusca,
Fulmina molitur dextra.

Fulgur, *ignis, qui choruscat: Vndè &* fulgetræ *dicuntur, &* Fulgor. Fulguritum *dicitur fulgure tactum, vel exustum.*

Iurgium *leuior res est: siquidem inter beneuolos, aut propinquos dissensio vel concertatio* iurgium *dicitur: Inter inimicos dissensio,* Lis *appellatur. M. Tull. de repub. lib. 4.* Admiror nec rerum solùm, sed verborum etiam elegantiam. Si iurgant, inquit, beneuolorum concertatio non lis, inimicorum iurgium dicitur.

Merx *est species ipsa:* Mercatura *actus ipse, vel lucrum de merce:* Mercatus *autem locus, in quo agitur mercatura.*

Superstitionis & Religionis *distantiam manifestissimè discernit M. Tul. de natura deorum lib. 2.*

© Biblioteca Nacional de España

Non enim philosophi solùm, verùmetiam maiores nostri superstitionem à religione separarũt. Nam qui tota die precabantur & immolabant, vt sibi sui liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati, quod nomen patuit postea latius. Qui autem omnia, quæ ad cultum deorum pertinerent diligenter retractarent, & tãquam relegerent, dicti sunt religiosi, à religendo. *Sed verè superstitiosi proprietatem ex hoc habẽt, quòd præ cultura deorum supersedeant cætera, id est, negligant. Itidem & religiosi, quasi religosi, omnium cæterorum sacrificijs seruiant.*

Peius *à malo, quod in vsu est, & creberrimè frequentatur*: Deterius *verò à bono, vt minoris sit meriti, quàm id quod placet. Virg. Georg. lib. 4.*

Deterior qui visus eum ne prodigus obsit
Dede neci. *Idem lib. 8. Acn.*
Deterior donec paulatim ac decolor ætas.

Hæc enim melioribus comparata sunt.

Circus *est planicies rotunda, vt circuitus*: Globus *soliditas vndiq; versum rotunda, vt est sphæra, & stamium glomer. M. Tul. de Natura deorum lib. 2.* Cumq; duæ formæ præstantissimæ sint: ex solidis, globus (sic enim sphærã interpretari placet) ex planis autem, aut est circus, aut orbis.

Manubias à Præda *hoc distare veteres existimarunt, vt sit* Præda, *corpora ipsarum rerum, quæ capiuntur*; Manubiæ *verò pecuniæ ex præda vẽdita redactæ, & sic apud plurimos.*

Peruicacia *est interdum bonarum rerum perseuerantia*: Pertinacia *semper malarum. Acc. Myrmidonibus.*

Tu pertinaciam esse Archiloche hanc prædicas,
Ego peruicaciam aio, & me vti volo.
Nam peruicacem dicis me esse, & vincere.
Perfacile patior, pertinacem nil moror,
Hæc fortes sequitur. illam indocti possident.
Tu addis quod vicio est, demis, quod laudi datur.

Sensus *sunt, qui sentiunt*: Sensa, *quæ sentiuntur. Cic. de Orat.* Et quod exprimere dicendo sensa possumus, nam primùm manifestum est, & sapere nos cùm incitatio sit vel sensus.

Iuuentus, *iuuenes*: Iuuenta, *ætas ipsa*: Iuuenilitas, *quod ἡρῶας vel ἥβας vocant Græci.* [Iuuentas *dea, ἥβη. Cic. in Bruto.* Ludis Iuuentas. *Et Liuius lib. 5.* Iuuentas Terminusq; maximo gaudio patrũ nostrorum moueri se non sunt passi.]

Morosa *est contrarijs peruersisq; moribus. Afranius Vopisco,*

Dum morigeram me, dum morosam præbeo.

Vegetum *est incolume*: Vigens, *forte. Nam* Vegetum *corporis*: Vigens *etiam animi possumus dicere.*

Professti *dies sunt, à festiuitate vacui. Afran. Priuigno,*

Quæ festiuo nos facere solemnis die,
Quotidiano opere promisi es omnia,
Et quæ professto concelebras die focum.

Quærere & requirere *hoc differunt, quoniã* Requirere *est diu quærere. Afra Fratrijs.*

Proin tu, dum quæram, ne requiram te vide.

Specula *despicientiam significat. Virg. lib. 10.*

Leo, specula cùm vidit ab alta
Stare procul campis meditantem prælia taurum.

Speculum, *quo imago redditur. M. Tull. in Clodiã & Curionem.* Sed credo postquàm tibi speculum allatum est, longè te à pulchris abesse sensisti.

Profiteri *voluntatis est*: Confiteri *necessitatis & coactus, quod ita positum sæpius legimus. Cic. pro Manilio*, Hic ego non solùm confiteor, verùmetiam profiteor. *Honestius profiteri, quàm confiteri.*

Vlcus *tecta & clausa est malignitas. Virg. Georg. lib. 3.*

Quàm si quis ferro potuit rescindere summum
Viceris ora alitur vicium, vitiisq; tegendo.

Vulnus *hians & patens. Idem lib. 9.*

Produxi, pressiue oculos, aut vulnera lani
Veste tegens.

Quartùm & Quartò *prudentes differre dixerũt. Varro* Disciplinarum 5. Aliud est quartò prætorem fieri, aliud quartùm. *Et* Quartùm *locum significat, & tres antè factos*: Quartò *tempus signat, & ter antè factum.*

Turpe & Fœdum *quam habeant distantiam, manifestum est, nam* Turpe *leuior res est. M. Tul. de Offic.* Luxuria verò cùm omni ætati turpis, tum senectuti fœdissima est,

Formæ & Figuræ *quæ sit differentia, M. Tullius manifestator est. Nã* formã *integritatẽ speciei esse voluit*: Figuram, *formã nostram. M. Tul. de offic. lib. 1.* Principiò corporis nostri magnã natura ipsa videtur habuisse rationem, quę formam nostram reliquamq; figuram, in quã esset species honesta, eam posuit in promptu.

Dignitatem & Venustatem *discernere voluit M. Tul. vt* Dignitas *viris*: Venustas *fœminis sit attribuenda, de Offic. lib. 1.* Venustatem muliebrem dicere debemus, dignitatem virilem.

Monstra & Ostenta *sunt monita deorum. Virg. lib. 3.*

primumq; parenti
Monstra deũm refero.

Prodigia, *deorum minæ vel iræ.*

Idem lib. 3.

Sola hominum, dictuq; nefas Harpyia Celæno
Prodigium canit.

Portenta, Ostenta, *quæ aliquid imminere significant. Lucil. lib. 25.* Nisi portenta angues q; volucres ac pinnatos, scribitis.

Celare *est tegere & abscondere. Terent. in And.*

Bene dissimulatum amorem & celatum indicans.

Cælare, *insculpere. Virg. Aeneid. lib. 1.*

cælataq; in auro.
Fortia facta patrum.

Ignoscere & Concedere *quemadmodum inter se distent, aperit M. Tul. ad Cæsarem Iuniorem lib. 1.* Quòd mihi & Philippo vacationẽ das, bis gaudeo: nam & præteritis ignoscis, & concedis futura.

Contemnere & Despicere *eo distant, quòd Despicere grauius, quàm Contemnere. M. Tul. de Senectute*, Contemni se putant, despici, illudi.

Cupiditas & Cupido *diuersa sunt: nam Cupiditas leuior est. Lucil. lib. 23.* Cupiditas ex homine, Cupido ex stulto nunquam tollitur: quòd cupiditas pars quædam sit temperatior, defluens ex cupidine.

Imitatio *simplex est, & liuorem atque inuidiam nõ admittit.*

© Biblioteca Nacional de España

admittit. Aemulatio *autem habet quidem imitandi studium, sed cum malitiæ operatione. M. Tul. in Cæsarianis.* Quasi quodam ęmulo atque imitatore studiorum & laborum meorum & comite abstracto.

Probatum & Spectatum, *hoc vis maioris est. Lucil. lib. 26.* Tuam probatam mihi, & spectatam maximè adolescentiam.

Bellum & Prælium *hoc differunt, quòd* prælia *partes sunt belli, hoc est, in bello congressiones. Lucil. lib. 26.* Vt populus Rom. victus vi, & superatus prælijs sæpe est multis, bello verò nunquam, in quo sunt omnia.

Inter Cauere & Vitare, *Lucilius esse distantiam voluit lib. 26. & esse plus* Vitare. Quid tibi caueendum censes, quid vitandum maximè?

Vetustiscere & Veterascere *quid interfit, Nigidius (Figulus) commentator Grammaticus lib. 10. deplanauit,* Dicemus quæ vetustate deteriora fiunt vetustiscere: inueterascere, quæ meliora.

Nocens à Nefario, & Impio *distare vti* Nocens *leuius vitari possit. M. Tul. de Offic. lib. 2. voluit,* Nec tamen vt hoc fugiendum est, ita habendum est religioni contrarium, nocentē aliquāndo & nefarium impiumque defendere.

Innuere *est facie significare. Ter. in Adelph.*

Non innueram, verùm in istam partem potius peccaro tamen.

Annuere, *concedere. Virg. lib. 10.*

Annuit his Iuno.

Flagrare *est incēdi & ardere,* Fragrare *verò olere, & in plurimis inuenitur ista discretio.*

Noxa *est peccatum leue. Virgil. Aen. lib. 1.*

Vnius ob noxam & furias.

Noxia, *nocentia. Idem lib. 8.*

iræq; & crimina noxia cordi.

Plus à Multo *vetustas voluit discrepare, & potest videri hanc habere posse distantiam, vt sit* Multum *à plurimo minus, ac non supra modum.* Plus, *sicut in plaerisq;, quod maioris modi est quàm necessarium est, atq; ideo M. Tul. discreuit Epist. ad Catonem,* Nec iccirco mihi desiderandam esse dignitatē meam; quòd eam multi impugnarint, sed eò magis recolendam, quòd plures desiderarint.

Inter Speratam, & Dictam, & Pactā, & Sponsam *hoc interest, quòd virgo priusquàm petatur,* Sperata *dicitur. Plaut. in Amph.*

Amphitruo vxorem salutat lætus, speratam suam.

Dehinc Promissa, *vel* Pacta, *vel* Sponsa *dici potest. Virgil. Aeneid. lib. 2.*

cui paruus Iulus.
Cui pater, & coniunx, quondam tua dicta relinquor?

Et idem in alio loco.

Et gremijs abducere pactas.

Mutuum *sine vsuris:* Fœnus *cum vsuris sumitur, & est accepti fætus. Vnde &* Fœnus *dictum est, vt Græcè τόκος, quasi partus mutui sumpti. Plaut. in Asin.*

Si mutuò non potero, certum est sumam fœnore.

Vndè honestius mutuum *est, quod sub amico affectu fiat meum tuum, vsu temporis necessarij.*

Nutare *capitis,* Annuere *vel* Innuere *narium vel labiorum:* Nictare *oculorum significantiam esse decreuerunt veteres, Plaut. in Asin.*

Nec vlla vlli homini nutet, nictet, annuat.

Simulare *est fingere scire, quæ nescias:* Dissimulare, *fingere nescire, quæ scias.*

Castitas & Pudicitia *paria deputantur, cùm sit* Pudicitia *ab iniuria turpium libidinum libera:* Castitas *& ab his continens, & remota: præterea & religiosa mundicia & puritas. Virg. lib. 7.*

Præterea castis adolet dum altaria tedis.

Atq; ideo plus est Castitas à Pudicitia, *quòd par sit cum alijs cæteris* castitas.

Alere & Pascere *hac distant auctoritate: vt sit* Alere *sufficiendi generis curam habere,* Pascere, *natos cibo saginare. Varro γεωργοῖς διδασκάλῳ,* Vbi prægraues pascuntur pauonum greges.

Ora & Oræ *licet paria esse videantur, tamen, vt genere, ita intellectu distant. Nam quoties in his neutrū genus tangitur, vultus vel facies nostra significatur. Virg. lib. 12.*

Ora citatorum dextra detorsit equorum.

Quoties fœmininum, cuiuslibet rei fines. Virg. Aen. lib. 1.

Exire, locosq;
Explorare nouos, quas vento accesserit oras.

Inter Extinguere & Opprimere *interesse Cicero voluit de Amicitia, vt sit maius* Opprimere, *quàm* Extinguere. Quamobrem *inquit,* primùm danda opera est, ne qua amicorum dissidia fiant: sin tale quid euenerit, vt extinctæ potius amicitiæ, quàm oppressæ videantur. *Quasi quod* Extinguitur, *possit renouari: quod* opprimitur, *non queat.*

Morbum à Vicio *prudentia veterum sic voluit separari, vt sit* Morbus *cum accessu vtiq; aut temporis, aut contagij:* Vicium *perpetua & insanabilis atque irreuocabilis causa.*

Meminisse, & In memoriam redigere *hoc differre Aristoteles putat, quòd διαφέρει μνημονεύειν τῷ μεμνῆσθαι, & vult* Meminisse *omnium esse animantiū, vt cibi, potionis, somni, voluptatis:* In memoriam reuocare *quod exciderit, non nisi homines posse.*

Die quarta, & Die quarto *hoc differre prudentes volunt; (quorum tamen auctoritas in obscuro est) vt sit* Die quarto *temporis præteriti:* Die quarta, *futuri.*

Mentiri & Mendacium dicere, *quemadmodum distent, P. Nigidius studijs bonarum artium præclarissimus, manifestissimè separauit. Qui* mentitur, *ipse nō fallitur, sed alterum fallere conatur. Qui* mendacium dicit, *ipse fallitur. Qui mentitur, fallit, quantum in se est. Vir bonus præstare debet, vt non* mentiatur, *prudens, ne* mendacium dicat: *alterum iudicat in homine, alterum non.*

Festinare & properare *veteres voluerunt habere distantiam. Cato oratione quam de suis virtutibus scripsit,* Aliud est properare, aliud festinare. *Qui unū quid maturè trāsigit, is* pperat: *qui multa incipit, neq;*

© Biblioteca Nacional de España

perficit, is festinat. Verùm vtrorumque verborum ratio sub hac significantia proxima est veritati, vt sit sæpè animi properare, studiosè ad res aliquas contendentis festinare corporis, necessitatibus obsequendi.

Matronæ & Matrisfamiliâs dissimilitudinem, hoc modo veteres quidam docti separant, vt sit Matrona, quæ peperit semel: Materfamiliâs, quæ sæpius: sed hæc definitio videtur absurda. Ad hæc fidelius locupletiores, Matronam, quæ in matrimonio sit mariti, etiam ante susceptos liberos dictam, meliore tamen matris futuræ spe, M. Tullius nomine nuncupatam: Matrem verò familiâs, quæ in familia mancipioq; sit patrisfamiliæ, etsi in mariti matrimonio esset.

Auarum semper in reprehensione est: Auidum autem ab auendo, quod est etiam honestè cupiendo, & ab electione intelligi potest, ac per hoc aliquando malis, aliquando bonis adiungitur causis. Virgil. libro 2. Georg.

Pascuntur oues, auidæq; iuuencæ.

Audentia fortitudinis sit: Audacia temeritatis. Sallust. Audacia pro muro habetur. Virg. lib. 6.

audentior ito,
In casus omnes. Ibidem.
Aude hospes contemnere opes.

quòd humanitatis sit potius, quàm temeritatis.

Prospicere & Respicere distant, vt aduorsum videre, Prospicere rectè dicatur: Respicere, quasi retrò aspicere. Varro Manio: Sedens altus alieno sumptu, neque pòst respiciens, neque antè prospiciens.

Furorem ab Insania distare. Cic. Tus. lib. 3. ostendit. Itaque non est scriptum, si insanus, sed si furiosus esse incipit. Insaniam enim censuerunt inconstantiam, Insanitatem sanitate vacantem: posse tamen tueri mediocritatem officiorum, & vitæ communem cultum atque vsitatum: Furorem autem esse rati sunt mentis ad omnia cæcitatē: quod cùm maius esse videatur, quàm insania: tamen eiusmodi est, vt furor in sapientē cadere possit, insania non possit.

Confidentiæ Fidentiæ discretionem pandit M. Tusc. lib. 3. Qui fortis est, idē fidens, quoniā confidens mala consuetudine loquentium, in vicio ponitur: ductum verbum à confidendo, quod laudis est. Qui autem est confidens, is profectò non extimescit; discrepat enim à timendo fidens.

Inuidia & inuidentia. Cic. Tusc. lib. 3. Non dixi in inuidiam, quæ tum est, cùm inuidetur. Ab inuidendo autem inuidentia rectè dici potest, vt effugiamus ambiguum nomen inuidiæ.

Aegrotatio & Aegritudo. Cic. Tus. lib. 3. Sed propriè vt Aegrotatio in corpore, sic Aegritudo in animo nomen habet.

Iracundus & Iratus, Ebrius & Ebriosus, Amator & Amans & alia, quid inter se distent, Cic. discreuit Tus. libro 4: Aliud iracundum esse, aliud iratum, vt differt anxietas ab angore: neq; enim omnes anxij, qui anguntur. Inter ebrietatem & ebriositatem interest, vt aliud est amatorem esse, aliud amantem.

Lætari & Gaudere distant, vt Cic. Tus. lib. 4. Atque vt confidere decet, timere nō decet: sic quidem gaudere decet, lætari non decet: quoniam docendi causa à gaudio læticiam distinguimus. Vt autem innuit idem. Cic. Gaudium in sapiente, in rebus bonis semper est: Læticia etiam in malis & turpibus esse potest.

Pernicitatem & Velocitatem. Cic. discreuit. Tusc. lib. 5. Præstant valetudine, viribus, forma, acerrimis integerrimisq; sensibus, adde etiam, si lubet, pernicitatem. Virgil. Georg. lib. 3. hoc sensit.

Dura iacet pernix instrato saxa cubili.

Vt illud sit celeritatis, hoc patientissimæ fortitudinis.

Metum, Timorem, Formidinem, Pauorem Cicero discreuit Tuscul. libro 5. In quem autem metus, in eum formido, timiditas, pauor, ignauia incidit.

Innocens est non nocens, & Innocuum illæsum. Virg. lib. 2.

Et sedere carinæ Omnes innocuæ.

Legere & Eligere, non sub eadem significatione intelligi vult Varro de re rustica, Vua non solùm legitur ad bibendum, sed etiam eligitur ad edendum. Vt sit legitur, colligitur, vt plerunque: eligitur verò melior quæq; de plurimis.

Miserari est flere & lamentari: Misereri, miserationem alienis casibus exhibere, & significatione actiua ad primum affectum, passiua ad secundum.

Acerosum & Aceratum vtrunque nouè positum, sed distanti proprietate signatum. Acerosum namque panem farre minus purgato, ac sordibus à candido separato dicendum veteres putauerunt. Lucil. libro 25.

Quæ gallam bibere ac rugis conducere ventris
Farre acerosō olei decumano pane coegit.

Hunc Græci ὀξύφυρον vocant. Aceratum verò est luctum paleis mistum, vt laterarijs vsus est. Lucil. lib. 10.

Nam laterem qui ducit, habet nil amplius vnquam,
Quàm commune lutum è paleis, cœnumq; acerosum.

Multùm infinitum est, Satis finitum: Auaris illud, hoc parcis & se continentibus applicandum est. Lucil. lib. 18.

Deniq; vti stulto nil fit satis, omnia cum sint.

Omne atque Totum volunt quidam esse seiunctum, vt Omni plus esse Totum putent: cùm indiscretè inter auctores frequenter positum legerimus, & vtrunque cum significantia vniuersitatis. Quidē quòd Totum, quod plus putatur, non pro cuncto alicubi accipi potest Virg. Georg. lib. 3.

totas
Aduoluere focis ulmos, ignique dedere.

Vt sit totas, integras: non omnes, quæ in mundo sunt vlmos.

Eniti, Inniti, Obniti, cùm ex vno sint intellectu, acceptis tamen præpositionibus fiunt diuersa. Eniti enim potest videri aut aliquam gratiam, aut honorem, aut vtilitatem æruminoso tendere sine labore, quanquam in aliquibus grauius audiatur, vt sint enixæ, pariendi labore defunctæ: Inniti autem, incumbere, manifestum est. Virg. lib. 6.

Ille videt pura iuuenis qui innititur hasta.

Obniti verò est, contra aduersarium obluctari. Virg. 4. Georg.

Vsque adeò obnixi non cedere.

Illix

© Biblioteca Nacional de España

Illix & Illex *hoc discernuntur, ab illiciendo* Illix: Illex *verò à quo lex non seruetur. Plaut. Pænulo,*

Qui malæ rei ante fuimus Illices.

Idem Persa,

Iniuriæ, illex, labes populi.

hoc est, viuens sine lege, sine iure.

Ergastulum & Ergastulus *vt genere, ita & intellectibus differunt. Nã neutro carceris locus est: masculino, custos loci pœnalis.*

Fremere *est magnùm sonare. Virg. Georg. lib. 2.*

Fluctibus & fremitu assurgens Benace marino.

Frendere *cum gemitu vel iracundia, miserùm aut minax sonare. Virg. lib. 3. Aen.*

Luminis effossi fluidum lauit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu.

Fora & Fori, *vt genere, ita & intellectibus discernuntur. Neutro loca sunt, quibus ius dicitur: masculino, spacia in nauibus. Vt idem lib. 6.*

Inde aliæ animas, quæ per iuga longa sedebant
Deturbat, laxatq; foros.

Vel locus apertus ac patens, vndè & gladiatores foros facere dicuntur, cùm longo sectantur circuitu.

Educere *est extra trahere:* Educare, *enutrire, & prouehere Varro Catone, vel de liberis educandis,* Educit enim obstetrix, educat nutrix, instituit pedagogus, docet magister.

Aborsus *ille dicendus est, qui est in primis mensibus, cùm conceptui exordium factum est:* Abortus *prope tempus pariendi, tunc enim moritur, quod nascitur. In pluriimis hoc reconditum inuenimus.*

Agrætij.

FVerimus *coniunctiuo modo, tempore præterito:* Fuerimus *eodem modo, tempore futuro.*

Cùm diceres, *verbo actiuo, coniunctiuo modo:* Diceris, *verbo passiuo, indicatiuo modo.*

Miramur *opera:* Admiramur *virtutes.*

Labium *superius dicitur:* Labrum *inferius.*

Rostrum *non est, nisi quod incuruum est.*

Exercitus *laboribus:* Exercitatus *studijs.*

Minores *res esse aliquas, aut homines dicimus: nam minoris emptum aut æstimatum aliquid rectè dicimus, sicut est.* Pluris, *quod maioris summa taxatur.*

Plures *de multitudine scribimus,* Plures *de comparatiui gradu. Cic.* Vnus plures prædonum duces cepit Seruilius, quàm cæteri. *Positiuum habet* Multi, *superlatiuum* Plurimi.

Cepit, *de capiendo:* Cœpit *de incipiendo.*

Vterq; *venit:* Vtriq; *veniunt. Cic.* Iũbeo promi vtrosq; binos vt habeam.

Comparia *vasa Delphica semper sunt, vndè ipse Cicero dicebat,* Scyphorum paria complura.

Quæritur *de inquirendo:* Queritur *de plorando dicimus: & sic* Quæstus *lucrò, &* Questus *lachrimarum.*

Poculum *vas est:* Potio, *quod hauritur. Cic.* Accepto poculo subitò in media potione exclamauit.

Dimidiatum *calicem bibi, non* dimidium *dicere debemus: non enim ipse vas bibis, sed quod intra vas est.*

Olim & Quondam, & aliquando, *tria tempora tenent, præteriti, præsentis, & futuri: affatim inueniuntur exempla. Præsentis demus, quod dificile videtur. Virg.*

Tumidis quod fluctibus olim
Tunditur. *Idem.*
Quondam etiam uictis redit in præcordia virtus.

Cic. Expergiscimi aliquando, & capessite Rempub.

Conscribere *est multa simul scribere:* Exscribere, *quod ab alijs scriptum sit, transferre:* Transcribere, *cùm ius nostrum in alium transit:* Inscribere *accusationis est, vel occasionis:* Adscribere *significationis est:* Describere *dictionis vel ordinationis.*

Extruere, *est in altum struere:* Instruere *aciem vel actionem:* Altruere, *affirmare:* Construere, *struendo coniungere:* Substruere, *est aliqua substernere, superposita re.*

Memini me facere, *dicere debemus, non,* Memini me fecisse: *nam* Memini, *sermo est totus præteriti temporis, qui antè factam rem in præsens reuocat. & si dixeris:* Memini me fecisse, *duo præterita simul iungis. Cic.* Memini Pamphilum Lilybetanum mihi narrare solitum. *Idem infrà,* Respondi Metello vt debui, & memini me dicere. *Terent.*

Ego illam vidi virginem, forma bona,

Memini *videre. Virg.*

memini, fama est obscurior annis,
Aruncos ita ferre senes.

& multis præterea in locis. Neq; inuenitur vbi ab alijs magnis auctoribus Memini *ita positum sit, vt non addatur aut etiam, aut aliquantus sermo, qui præsens tempus restituat, nisi vno loco, & hoc quasi mirabile,*

Namq; sub Oebaliæ memini, me turrib. altis
Corycium vidisse senem.

quod poetæ pro necessitate metri licuit vsurpare.

Instar illius rei *dicere debemus, non* adinstar.

Arbor *omne lignum dicitur:* Arbos *non nisi fructifera.*

Hora *dierum:* Ora *pro finibus.*

Pignera *rerum:* Pignora *filiorum & affectionum.*

Columbæ, *quæ mansuetæ fieri possunt, & domibus assuescere:* Palumbes *feræ, arboribusq; & siluis, saxisq; inhabitantes.*

Veniunt, *qui accedunt:* Væneunt, *qui venduntur.*

Consuescimus *bona:* Insuescimus *mala:* Assuescimus *vtraq;.*

Contingunt *bona:* Accidunt *mala:* Eueniunt *vtraq;.*

Fungi *agere est:* Defungi *est deficere, vel peragere.*

Adolescere *augmenti est:* Inolescere *coagmenti:* Exolescere *vanescentis.*

Auenæ steriles, *germen est:* Habenæ *dicuntur retinacula iumentorum: hoc de habendi potestate, illud de occupandi auiditate dictum.*

Deuncem, *decem vncias:* Diuncem *vndecim.*

Pulchritudo *formæ: in viris* Dignitas: *vndè Cic. pro Cælio.* Quis non posit huic ætati, atque dignitati, etiãsi sine suspicione, at nõ sine argumento maledicere? *In fœminis autem* Honestas *dicitur: vndè Terent. de horrido & sene Eunucho.*

Illumnè obsecro inhonestum hominem, senem, mulierem?

© Biblioteca Nacional de España

Formosus verò in luxuriosis, vt
Formosum pastor Corydon ardebat Alexim.
Ipse pronomen dignitatis. Iste abiectionis. *Terent. in And.*
Id isti vituperant factum.
Donum dantis est: Munus accipientis: illud à dando, hoc à muniendo vel à mouendo dicimus.
Has manus, huius hominis dicimus: Hanc manum, multos homines coniungentes.
Coarguere est coercere, & compensare: Arguere ostendere & patefacere. *Virg.*
Degeneres animos timor arguit:
vndè argumenta dicuntur, quæ causam causæ ostendũt.
† Sunt sermones (vt ita dixerim) communes, duo sibi contraria significantes.
Victor est ille, qui portat, & qui portatur.
Hospes est, qui recipit, & qui recipitur.
Sacer est, venerandus & execrandus. *Virg.*
Auri sacra fames.
Vltus est, vindicatus & punitus.
Gratia malæ & bonæ rei causa, nam sic dicimus inimicitiarum, vt beneficij gratia. Ita, vt Sallust. Opprobrij gratia. Cic. Religionis & supplicij gratia, colendã & fruendam tradiderat. *Et Terent.*
Qui referam sacrilego illi gratiam?
Suffragia populi, & quæ honorant, dicuntur, & quæ donantur. Cic. de præfectura vrbana, Istum vix vllis populi suffragijs redimere potui.
Donamus & illud, quod damus: & illum, cui damus.
Afficimus honore, Afficimus iniuria.
Eleuamus, & quæ in altum extollimus, & quæ aleuiamus, id est, leuiora facimus.
Subducimus, & quæ retrò subtrahimus, & quæ in promptu afferimus bello. Sallust. Catilina optimũ quenq; in primam aciem subduxit.
Pudet, & quæ de alterius facto, & quæ de suo, vt in Adelph. de verbis Æschini,
Vbi eum pudet fratris, non ante confessum.
Supremus, Summus & Vltimus, & superiorẽ & inferiorem significat.
Altum, & quod sursum est, & quod deorsum.
Procul, & longè & prope significat. Vt
clypeo est excussa sagitta, proculq;
Egregiũm Autorem, latus inter & ilia fixit.
Damnatus, & Addictus, & Obligatus, vel potius absolutus. *Virg.*
Quem damnet labor, aut quò vergat.
id est, quem virtus sua absoluat, aut victorem faciat. Nunquam enim Virgilius in duobus locis vnam rem ponebat, præsertim cùm AVT, interponeret coniunctionem disiunctiuam. Idem alio loco,
Damnabis tu quoq; votis:
sicut voti reus, dixerat hic, ita & absoluendos dixit: Vndè & iure damnas istius & istum, esto ligatum dicitur, hoc est, soluendo, esto istum, quod solui omnibus modis necesse est, etsi res aliena ligatur.
In præpositio vtriq; casui seruit. Cùm in loquelas transit, fit etiam communis intellectus, nam & satis & parum factum aliquid; vel non factum dicimus, sicut Impotens & Infractus.
Latêre & Absconsum esse aliquid dicimus, & latè patêre. *Virg.*
Et scuta latentia condunt. Et,
Quod torua solum sub fronte latebat.
Horridum dicimus despicabile aliquid: Horrendum, admirandum. *Virg.*
Oculos horrenda in virgine fixit.
Aduocatur, daturus patrocinium: Inuocatur præstaturum auxilium: Euocatur præbiturus obsequiũ.
Illuuies sordium est: Ingluuies ventris. illud quidem à lauando, hoc ab inglutiendo dictum.
Torres, lignum præustum: Torrens, aqua præruptè decurrens.
Commonemus præterita: Admonemus præsentia: Præmonemus futura.
Ne, multas significationes habet. Vt, Ne quærè doceri. Ne longa, aduerbium prohibendi: Ne breuis, coniunctio disiunctiua, ut est,
Hominesne feræne.
Ne longa, coniunctio causalis. Vt est.
Ne tenues pluuiæ. Et,
Ne subeant Herbæ.
Temeritas sine consilio dicitur: Audacia post consilium.
Velocitas pedum & corporum: Celeritas animorum atq; factorum.
Gaudium animi lætitia est: Exultatio membrorum atq; factorum.
Vlcus est, quod nascitur: Vulnus, quod ab alio infertur.
Viuũ, de victuro dicimus: Viuentẽ, de moriturõ.
Nascitur, quod de vtero decedit: Enascitur, quod de terra aut de aqua exurgit.
Adducitur quis ad rem inhonestam: Perducitur ad studia: Deducitur ad honorem.
Eluxit, qui luctum deponit: Illuxit, cùm lumen apparuit.
Nunciatur de longinquo: Denunciatur de præsenti: Adnunciatur de futuro: Renunciatur de excusando & repudiando. Cic. Renunciata est tota conditio.
Deportare, deponere: Adportare est aliquid afferre: Comportare, in vnum locum conferre: Exportare, de loco tollere.
Temperantia est animorum: Temperatio rerũ: Temperies ventorum.
Passim aliquid inueniri rerum, de re corporali rectè dicimus: Affatim de re aliqua incorporali: primũ enim de incessu, illud de affatu dictum.
Lepus animal est: Lepor iucunditas voluptatis: vndè & gratum aliquid, lepidum dicimus: Lepos eloquij.
Recipimus aliquid deferendum rogati: Suscipimus nostra sponte.
Aspicimus sursum: Conspicimus palàm: Respicimus retro: Inspiciemus intus.
Præterea, præteriti temporis. *Sallust.* Nunquã Hispanos præterea tale facinus facere audiui. Tẽporis futuri. *Præterea haud suspectéris.*
Eo verbum primæ personæ, facit Eo, is, it. Eò aduerbium loci, vt si dicis.
Eò redactus sum.
Eho aduerbium interrogantis est. *Terent.*
Eho Parmeno mi, nostin'?
Eho est interiectio iubentis vel hortantis. Idem,
Eho puer, curre ad Bacchidem.

Heu

© Biblioteca Nacional de España

Heu interiectio *dolentis est:* Eu *laudantis. Terẽt.*
Eu Phormio, Idem.
Eu noster, laudo.

Heus *aduerbium vocantis:* Heu *respondentis.*

Limen *ædium est:* Limes *regionum.*

Arundo *canna est ab ariditate dicta. Vt,*
Fluuialis arundo:

Harundo, *telum è canna. Virg.*
Hæret lateri lethalis harundo.

Hirundo *auis est, quæ tignis adhæret.* Hirudo *sanguisuga dicitur.*

Spirare *viuentis est:* Expirare *mortui.*

Pertinacia *malæ rei:* Perseuerantia *bonæ.*

Consequimur *studio:* Obsequimur *officio:* Persequimur *iniuria:* Prosequimur *ordine:* Assequimur *voto.*

Nihil *aduerbium:* Nihili *nomen est.*

Nemo *momenti:* Nullus *nihil dicitur.*

Genus *familiæ:* Gentem, *regionẽ rectè dicimus.*

Lætamur *de nostris:* Gratulamur *de alienis. Hoc gratificans læticia, Cicero dixit,* Neq; istius hominis perditi subita læticia, quàm huius hominis amplissimi noua gratulatio, diuitijs eum commouebat.

Herbidum *locum dicimus, in quo herba est, etsi aridus esse consueuerit:* Herbosum, *qui herbam facilè generat, etiamsi ad tempus aridus sit. Sic* Aquaticam *potionem rectè dicimus, quæ aquã aliunde recipit:* Aquosum *locum, quòd ex se aquam fundat. Ita &* mericam *potionem,* merosum *autem vinum appellatur.*

Attollit, Aggerat, *non attollit, adgerat scribendum est. In compositione enim* AD *præpositio accusatiui casus corrumpitur, cùm seruire vocali incipit, quandò eam muta sequitur. Integra autem permanet, quãdo semiuocalis, vt* adficit, adripit. *Huius rei ratio reddenda est: vocales omnis vocis principes sunt, & dominæ literarũ, vtq; sint vniuersa fortiora naturaliter faciunt, subiecta & adiecta sibi protegunt, æqualia autem & resistentia elidunt. Nam quemadmodum nonnunquam inter se collisa franguntur, interdum & Synalœpham faciunt: Ita consonantes sibi creditas conseruant, quarum virtutem necesse est, vt semiuocales imitatæ vicina sibi muta tueantur.*

Quæritur ab aliquibus, quid distat inter Super & Supra, & Subter & Subtus. Super *est, quod eminet:* Supra, *quod substratum aliquid habet. Item* Subter *est, quod ab re aliqua superiore premitur, & conculcatur:* Subtus *est, quod demissum altius non contingitur.*

Sinum *dicimus exterius expansum receptaculum:* Gremium *vestis receptaculum, interius iacens secretum. Virg.*

Pandentemq; sinus, & tota veste vocantem.
Cœruleum in gremium.

Gremium *autem dicitur à contrario, ab ingressu difficili.*

Dicimus Adytum, & Penum, & Penetrabile, *eò quòd adiri & penetrari raro soleant.*

Largitas, *humanitatis est:* Largitio, *ambitionis.*

Crassari *in corporeis est, & sanguineis.*

Grassari *aut animi aut crudelitatis.*

Album *natura tantùm est:* Candidum *etiam studio: nam & corpori & animo aliquoties assignatur:*

Albos *ergo capillos, carmen* candidum *rectè dicimus.*

Muliebre *dicimus à muliere aliquid factum:* Mulierarium, *per mulieres ordinatũ, & per viros gestũ.*

Iuuentus *ipsa hominis ætas,* Iuuentas *dea, poeticè.* ἡβη, *vt Græcè dicitur.*

Delictum, *peccatum aliquando dicimus: Delictum militiæ: At alicuius rei examinatæ* Delectionem *appellamus, nam* Diligi *affectionis,* Deligi *iudicij est.*

Inter Cõmodatum & Mutuatum *nonnihil distat.* Commodamus *amico pro tempore equum, seruum, vestem. hanc ipsam rem, quam dedimus, recepturi.* Mutuo damus *pecuniam, triticum, vinum, & his similia, quæ mutuò data recipi necesse non est.*

Ligat *quis vinculo:* Legat *testamento.*

Loqui *est hominis:* Obloqui *est obtrectatoris:* Alloqui *suadentis est, vel hortantis, vel blandientis:* Eloqui *oratoris.*

Percussum *corpore dicimus,* Perculsum *animo. Cicero de signis,* Tanquam illa face perculsos esse.

Effertur, *qui portatur: Et* Efferunt, *qui laudando extollunt. Idem Cicero,* Nimium hæc illi fortasse efferunt.

Discrimen *& ad periculum pertinet, & ad experimentum.*

Indigenæ *homines dicuntur:* Indigenes *dij. Idem* Indigetes, *vnde geniti dij.*

Circumpedes *sunt obsequia seruorũ:* Antipedes *amicorum.*

Insita *arbor est, cui insissæ alienum germen includitur:* Adsita, *cui incoluimi aliquid, vt sustineat, adiungitur. Horat.*

Quia populus adsita surgit, quippe quæ vitibus maritatur.

Fremor *est rumor hominum:* Fremitus *ferarum.*

Flauum *dicimus rubeum, sicut Flaua Ceres:* Furuum, *nigrum. Horat.*

Quam penè furuæ regnã Proserpinæ:

Fuluum, *rubeum & nigrum. Vt, Fuluum leonem, & fuluam aquilam, & fuluum aurum. Vt Virg.*

Fulua pugnas de nube tuentem,

quæ haberet igneum de cœlesti, & sordidum de lugubri: aut certè de Aenea iracundiã, de Turno tristiciam. Fuluum *certè aurum, cui ad decorem splendoris sui ingeniti aliquid addatur.*

Postulatur *aliquid honestè:* Poscitur *improbè. Cicero in Frumentaria,* Incipiunt postulare, poscere nimia.

Aluus *virorum rectè dicitur:* Vterus *mulierum:* Venter *vtroq; modo.*

Supplicia *de tormẽtis dicimus:* Supplicationes *de precibus diuinis.*

Triceni *de tricenis dices,* Trigeni *de triginta.*

Accersit, *qui vocat:* Arcessit, *qui accusat. Sic Cicero,* Nos capitis arcessere.

Ecquando, *increpando, vel inquirendo, interrogantis aduerbium est:* Quandò *simpliciter loquentis.*

Ecce, *cùm ostendis:* En, *cùm increpas. Cicero,* En cui tu quoque liberos tutò committas.

Hem, *cùm dolor iram mouerit, aut cùm admiratio, cogitatioq; stuporem.*

Aceruus *mobilis est:* Acerbus, *immaturus:* Asper *in moribus, & in signis.*

© Biblioteca Nacional de España

Abitum *sine aspiratione de abscessu scribis:* Habitum *de vestitu gestuq; corporis dicimus.*

Primus *è multis, & Prior è duobus. Ita,* Postremus *de multis, & Posterior de duobus. Et,* Alter *de duobus dicitur,* Alius *de multis.*

Ve *interiectio dolentis est, sine æ:* Ve, *coniunctio disiunctiua.*

Præmium *cum diphthongo.* Pretium *per t. sine æ.*

† *Veteres enim maiores res sermonis cum diphthongo, & quadam dignitate scribi voluerunt.*

Precari *est rogare:* Deprecari *est purgare, & excusare. Virg.*

Equidem merui, nec deprecor.

Cicero, Quid faciet Hortensius, auariciænè crimina frugalitatis laudibus deprecabitur?

Fides *de fidelitate dicitur,* Fidis *de chorda.*

Disertus *orator est:* Desertus, *derelictus.*

Delator, *qui defert ad accusandum:* Dilator, *qui differt ad proferendum. Martialis,*

Traducta est Gyaris, nec cepit arena nocentes,
Et delator habet, quod dedit exitium.

Deluit, *purgat:* Diluit, *temperat. Liuius de morte Mithridatis,* Quod cùm diluisset.

Aduersum te, *Aduersarius:* Aduersus te, *imitator.*

Deduco, *de amico producendo:* Diduco, *distrahо.*

Derectum, *in rectum vadens:* Directum, *in latetera aptatum.*

Partem *nomen est,* Partim *aduerbium.*

Fastus *de superbia, & facit genitiuum fastuum:* Fastus *de libris, & facit fastorum.*

Expectatur, *venturus:* Spectatur, *qui videtur, vel probatur.*

Appâret, *qui videtur.* Pâret, *qui obsequitur.*

ÆLII DONATI, ARruntij Celsi, & aliorum Terentij interpretum.

CRedimus, *quod plerunq; falsum est:* Intelligimus, *quod certum est.*

Vtimur *fructibus rei, quæ ab amantibus saluo vsu nobis subministratur:* Abutimur, *quandò deperdimus rem & fructum.* Vtui *est ager, domus:* abutui, *vinum, oleum, & cætera huiusmodi.*

Scribit, *qui verba adhibet tantùm:* Facit, *qui etiã argumentum componit.*

Oratio *in sensu est:* Stilus *in verbis.* Oratio *ad res refertur:* Stilus *ad verba.* Stilus *non est in tempore, sed prolata oratione:* Oratio *est & in cogitatione, & in prolatu.*

* Orationem *in sententijs dicunt esse:* Stilum *in verbis:* Argumentum *in rebus.*

Auferimus *ea, quæ cum fastidio cernimus:* Ferimus *ea, quæ cum honore tractamus.*

Curatio *propriè medicorum est:* Cura *reliquorum.*

Facere *est in opere esse:* Efficere *perfectionem designat.*

Iustum, *in quo nihil iniquum iubetur:* Clemens, *in quo etiam multùm de iusto remittitur.*

Aduersum *sine dubio præpositio est. Vt, Aduersum te habeo gratiam.* Aduersus *participium potest esse, ab eo, quod est, Aduertò.*

Scimus, *quod certum est.* *In And.*

Nam qui scire possis, aut ingenium noscere?

Noscimus, *quæ adhuc incerta desideramus. In Hec.*

Forma in tenebris nosci non quita est.

Laudat *etiam alienus:* Gaudet, *qui pater est.*

Ferre, *est cum certo tempore:* Perferre, *finem expectat euentus.*

Feruntur *onera:* Sustinentur *supplicia.*

Dedere *se pertinacibus:* Obsequi, *superioribus.*

Obsequium *assentator debet:* Veritatẽ *amicus.*

In And.

Obsequium amicos, veritas odium parit.

Duriter, *sine sensu laboris:* Durè *crudeliter: illud ad laborem, hoc ad sæuiciam.* Durè *in alterum,* duriter *in nos aliquid facimus.*

Cibus, *qui etiam delicatis præbetur:* Victus *in paruis aridisq; alimonijs est constitutus.*

Quærit, *qui ad plenum & perpetuũ reponit:* Quæritat, *qui vix quotidie inquirendo victum inuenit.*

Amator *fingere potest:* Amans *verè amat.*

Spondet *puellæ pater:* Despondet *adolescentis.*

Metuo *illum, qui mihi ipsi aliquid facturus est:* Timeo *ab illo, cuius causa possum aliquid mali pati, etiãsi ipse nihil in me mali consulat.*

Efferri *dicuntur cadauera mortuorum:* Ire *propriè ad exequias.* *In And.*

Effertur, Imus. *Virg.*

Ite, ait, egregias animas.

Forma *immobilis est & naturalis:* Vultus *mouetur & fingitur.* Vultum *sibi fingere multi possunt, formam nemo.*

Modestia, *ad probitatem vultus & morum pertinet:* Venustas, *ad naturam corporis.*

Honestum *ad formam:* Liberale *ad vultum.*

Feci, *quasi facinus:* facere *enim quis & homicidiũ dicitur:* Commerui *minoris culpæ est:* Peccaui, *multò minoris, vel leuioris.*

In And.

Quid feci, quid commerui, aut quid peccaui?

Damnum *rei est:* Malum *ipsius hominis.*

Aeger *animus dicitur:* Aegrotum *corpus.*

Dare *est, quod repetas:* Dedere, *est ad perpetuum.*

Damus *amicis:* Dedimus *tantùm hostibus.*

Lex *ad homines:* Omen *ad deos refertur.*

Segnicia *ad agendum:* Socordia *ad considerandũ.*

In And.

Nihil loci segniciæ neq; socordiæ.

Opem ferre *dicitur in malis rebus, & ijs, qui de salute dubij sunt.* *In Adelph.*

Fer opem serua me.

Opitulari & Opitulatio *dicta ab opem tollendo, hoc est, ferendo.* *In And.*

Sin opitulor, huius minas.

In verbis παρόμοιον *dicitur.* *In And.*

Inceptio est amentium, haud amantium.

In nominibus παρωνομασία *Cic.* Facie magis, quàm facetijs ridiculus.

* Παρόμοιον *quoties verba sunt:* Παρωνομασία, *quoties nomina.*

Temulentus *vino:* Temerarius *natura.* *In And.*

Sanè pol illa temulenta est mulier, & temeraria.

Sanus, *qui saluus est:* Validus. *qui multùm rerum necessarias*

© Biblioteca Nacional de España

necessariarum ad salutem.

Exanimatus *est perturbatus. Virg.*

Exanimata sequens impingeret agmina muris.

Exanimus, *mortuus.* *Idem.*

Corpus vbi exanimum positum Pallantis.

Iracundia, *ex iniuria:* Dolor, *ex miseria.*

Inuenustus, *cui dissplicēs obiicitur:* Infelix, *cui placens negatur.*

Ineptum, *quod à quouis reprehēdi potest:* Falsum, *quod etiam prudentem possit fallere.*

Sollicitudo *est, quæ inhæret mentibus:* Sollicitatio, *quæ ab alio fit.*

Amor, *aduersus inhumanitatem:* Pudor, *aduersus ingratum animum.*

Obtestatio *dicitur, quandò eum adiuramus, quem rogamus:* Oramus *per eas res, propter quas rogamus. Virgil.*

per euersæ genitor fumantia Troiæ.
Excidia obtestor.

* Oramus, *quæ bona sunt:* Supplicamus *in aduersis magis, vel cum lachrymis.*

Lassus cura, *ex præterita spe:* Confectus, *sic vulneratus aut percussus, vt sanari non possit. Conuenit gladiatoribus. Cic. in Catil.* Gladiatori illi confecto & saucio.

* Lassus *adempta attentione:* Confectus *cura, confirmato timore.*

Fit, *quod verum est:* Fingitur *quod falsum est:* Inuenitur, *ne temere fiat:* Efficitur, *vt in effectum perducatur.*

Quæ opinamur, *putamus:* Quæ putamus, *incerta sunt.*

Promissio & Pollicitatio *eandem vim habent: sed* Pollicitatio *maioris asseuerationis est.*

Imponitur manus rebus, *cùm perficitur id, quod cœperit. Virg.*

Imponit regina manum.

Relinquuntur res, *cùm imperfectæ manent. Idem.*

Atq; opere in medio defixa reliquit aratra.

Petimus *precariò:* Poscimus *imperiosè:* Postulamus *iurè.*

Expectamus *tam bona quàm mala:* Speramus *bona tantùm.*

Assolet *consuetudinis est:* Oportet *rationis:*

Coràm *ad certas personas refertur. Vt,*

Coràm quem quæritis, adsum.

Palàm *ad omnes.*

Veretur *liber:* Metuit *seruus.*

Despicere & Disquirere *cōsilium:* Despicere, *deorsum aspicere.*

Timor *est malorum:* Pudor *tantùm bonorum.*

Aduerbia tēporis aut certa *sunt, vt, hodie, cras:* Aut incerta, *vt dudum, nuper. Itaq; in certis certū additur tempus, vt, iamdudum, nunc nuper.*

Pudor *est mali facti:* Verecundia *recti & honesti.*

Expostulare *est querelam apud eum ipsum deponere, de eo ipso qui fecit iniuriam:* Postulare *autem, querelam dicere de altero apud alterum.*

Amoliri *dicuntur ea, quæ cum magna difficultate & molimine summouētur & tolluntur è medio:* Discedere *dicitur, qui facilè abit è medio.*

Amicus *animi est:* Amator *corporis.*

* Amator, *qui ad tēpus:* Amicus, *qui perpetuò amat.*

Interrogatio *est, cui necessario respondetur aut etiam, aut non:* Percontatio, *cui nihil horum.*

Grandis *ad partem ætatis refertur. Vt, grandis natu:* Maior, *generaliter & ad summam ætatis refertur, & ad comparationem ætatis pariter ponitur.*

Commodus *esse quis potest, & alieno tempore suo peruenire:* Opportunus *malum etiam aduentum habere potest:* Commodum *in homine est,* aduentus *in eius facto.*

Quantuuis & Quantiuis *differunt, nam alterū contemptionis, alterum laudis.*

Confidentia *interdum in bona significatione, interdum in mala ponitur:* Fiducia *semper in bona.*

Gaudemus *nostris:* Gratulamur *alienis.*

Sempiternum *ad deos pertinet:* Perpetuum *propriè ad homines.*

Viuus *perit, qui etiam dormiens opprimitur.* Videns *perit, qui vigilans vim patitur & perit.*

Falsum *est, quo tegitur id quod factum est:* Vanū, *quod fieri non potest:* Fictum, *quod non est factum, & fieri potuit.*

* Falsum *est fictum mendacium, simile veritati:* Vanum *nec possibile, nec verisimile:* Fictum, *totum sine vero, sed verisimile.* Falsum *loqui, mēdacis est:* Fictum, *callidi:* Vanum, *stulti.* Falsum *loqui, culpæ est:* Fictū, *virtutis:* Vanum, *vecordiæ.* Falsis *decipimur:* Fictis *delectamur:* Vana *contemnimus. Sic Arruntius.*

Prudentia *naturalis est:* Gnaritas *extrinsecus venit.* Imprudens *per se:* Ignarus *per alios.*

Restituimur *ijs, quibus nos volumus:* Reddimur *ijs, qui nos volunt.* Restituimus *volentē:* Reddimus *volentibus.*

* Restituitur *cupiens:* Redditur *cupientibus:* Redditur & Restituitur *cupiens cupientibus.*

Expectatio *certorum:* Spes *incertorum.* Expectatio *rerum propinquarum:* Spes *longinquarum.* Expectatio *destinat tempus:* Spes *non destinat.*

* Expectamus *ante diem:* Speramus *ad diem.*

Locus *natalium est:* Ordo *fortunæ.*

Consilium, *in bonis animi:* Res, *in potestate fortunæ.*

Lanij, *qui laniunt pecora:* Lanistæ, *qui laniendis præsunt gladiatoribus.*

Ducitur *quis, ad supplicium:* Deducitur, *ad lætitiam,*

Cura, *mentis est:* Curatio, *medicinæ:* Curatura, *diligentiæ.*

Proxima *nobis aut præterita sunt aut futura:* Præsentia *ea sunt, in quibus nunc sumus.*

Labra *sunt superiora:* Labia *inferiora.*

Abducimur, *vnde nolumus:* Ducimur, *quò volumus.*

Cessat *desidiosus:* Requiescit *defessus.*

Facetus *est, qui facit verbis, quod vult:* Lepidus, *qui politus est, vt* λεπὶς: Lautus, *qui mundus & splendidus est.*

Oscula *officiorum sunt:* Basia *pudicorum affectuū:* Suauia *libidinum vel amorum.*

Dolus *à lædendo dictus est, id est, à dolando, id est, minuendo. Nam* & δόλος *Græcis læsio dicitur, &* Dolones, *tela quædam bellica: &* Dolare *fabri, lignum est ascia cædere.*

© Biblioteca Nacional de España

Prædicamus *vt res sunt:* Laudamus *extollendo.* Prædicamus *voce:* Laudamus *argumentum.*

Statura *corpori ascribitur:* Status *ad habitum refertur.* Status *est* σχῆμα: Statura, *longitudo corporis.*

Indicat *is, qui de se volens aliquid, & de alijs etiam prodit:* Confitetur, *qui de se tantùm, & qui inuitus.*

Ius *est, quod omnia recta & inflexibilia exigit:* Aequitas *est, quæ de iure multùm remittit.*

Rursum *introuersum:* Prorsum, *prius versum.*

Fides *in concipiendis comminationibus:* Denunciatio, *comminantis est.* 10

Iniuria, *quæ fit innoxio:* Ius, *illa vindicta, quæ redditur reo.*

Mancipia *dicuntur, quòd manu capta sunt:* Serui, *qui seruati sunt, cùm eos occidi oporteret iure belli.*

Concertatio *ipse actus.* *In Adel.*

Nunquam vidi in quius concertationem comparatam.

Certamen, *res ipsa, de qua certatur. Virg. 5.*

Velocis iaculi certamina ponit in vlmo.

Diuiduum *à diuisione:* Dimidium *à dimensione dicimus.* 20

Memor, *qui apud se meminit:* Gratus, *qui meruit hoc nomine vocari, dum vicem reddit.*

Laudat *coràm, qui non tacet apud alios, & hoc agit non per epistolam, sed ipse præsens:* Laudat *in os, qui apud ipsum loquitur quem collaudat.*

Genus *ad viuos pertinet:* Familia *etiam ad defunctos.*

* Genus *ad nobilitatem:* Familia *ad copiam refertur.* 30

Raptio *ad personam refertur:* Rapina *ad rem:* Raptus *ad stuprum propriè.*

Ducimus *volentes:* Abducimus *inuitos.*

Suademus *facilia:* Persuademus *difficilia.* Suadere *facientis est:* Persuadere *perficientis.*

Ordo *vel bonorum vel malorum dicitur:* Grex *vel bonorum, vel malorum est, & leuium. Cic.* In his bonis gregibus omnes aleatores, omnes impuri, impudiciq; versantur.

Ineptum, *est tantùm stultum:* Absurdum, *quod & stultum est, & in ipsa stulticia diuersum, & quasi sibi repugnans.* 40

Ludere *piscem, est non læsum viuere:* Natare, *quod etiam languidi possunt.*

Lenitas *ad permittendũ:* Facilitas *ad ignoscendũ.*

Prauum *est, quod ipsum lædit facientem:* Malum, *quòd alios tantùm.*

Pudet, *in his, quæ turpiter facit:* Piget, *in his, quæ cum damno & malo.* Pudere *etiam ad dedecus:* Pigere *ad dolorem refertur.* Pudet, *quod turpe est.* Piget, *quod dolet.* 50

Aggredimur, *de longinquo:* Adorimur, *ex insidijs, & è proximo.*

Patronus *aut temporale nomen est defensoris, aut certè appellatio, per quam ostenditur, quid illi cultus aut obsequij debeatur:* Parens *autem veri amoris nomen est.*

Deficit *socius:* Prodit *parens:* Deserit *patronus. Sallust.* Post defectionem sociorum & Latij. *Terent.* 60

Prodidisti & te, & illam miseram, & gnatum, quod quidem in te fuit.

Plaut. *Qui libertos habent, eos deserunt:*

Bonus *est, qui nõ nocet:* Liberalis, *qui etiam prodest.* Bonus, *qui non peccat in facto:* Liberalis, *qui nec in verbis.*

Orare *est placidos petere:* Obsecrare, *iratos rogare,* Obsecrans *plus facit, quàm* orans: *Plus* orans, *quàm* Rogans.

Torquemus *hominem:* Extorquemus *veritatẽ.*

Obnunciat, *qui malam rem nunciat:* Annunciat, *qui bonam.*

Erratio *est pecudum:* Error *animi est, & loci, in quo erratur.*

Coràm *indiget adiectione:* Palàm *non indiget.* Coràm *ad certas personas refertur:* Palàm *generaliter dicitur.*

Circumspicimus *præsentia:* Prospicimus *futura.*

Despondet *puellam, qui petit:* Spondet, *à quo petitur.*

Ira *de causa est:* Iracundia *de vicio multùm irascentis.*

Conseruamus *parta:* Quærimus *noua:* Parcimus *omnibus.*

Ligare *est iniicere alicui vincula:* Alligari *quis dicitur ad aliquid, sine quo esse non possit.*

Ridet, *qui simpliciter ridet:* Deridet, *qui alterius irrisione & contemptu ridet.*

Ducere *est apud alium, & palàm:* Subducere *apud seipsum & secretò.*

Facilis *est, cuius ira citò soluitur:* Clemens, *qui nõ irascitur.*

Clemens *est circa rectè agentes:* Placidus *etiam circa delinquentes.* Clementis *est, nulli lædere os:* Placidi, *arridere omnibus.*

* Clemens *animo:* Placidus *vultu.*

Sæuus *factis:* Tristis *animo:* Truculentus *vultu.* Tristis, *qui dolet:* Truculentus & Sæuus, *qui terret.*

Probus *sibi:* Modestus, *apud alios.*

Adiutor *dicitur in re bona:* Impulsor *in mala.*

* Adiutor *à non irascente:* Impulsor *à criminante & irato.*

Vicium *est, si tonat tantùm:* Calamitas, *si tonat, & grandinat, & etiam fulminat.*

* Calamitas παρὰ τὴν καλάμῃ *dicitur:* Clades, *quia clamatur: aliud grandinis culmũ frangentis, aliud furti aut doli mali. Sic Probus.*

Orator *est, dum agit:* Exorator, *cùm impetrauerit: Aliud dicentis, hoc effectitiam significationẽ habet.*

Docet *poeta:* Discit *Scenicus.*

Fidus *in maximis:* Fidelis *in minoribus negotijs.*

* Fidus *est amicus:* Fidelis *seruus.*

Monemus *consilio:* Hortamur *impulsu.*

Spoliare *est, non minimam partem auferre:* Mutilare, *aliquid detrahere, sine quo res esse non possit:* Lacerare, *cùm omnino non habeas, quod imminuas.*

Agere *est aliquid necessarium facere:* Agitare, *voluptuarium.*

Expostulatio *apud illum ipsum, qui peccauerit,* Postulatio *de illo apud alterum.*

Visere *officij est:* Videre, *quærentis aliquem.*

* Visere *officij est apud ægrotos:* Videre *cognitionis.*

Scimus

© Biblioteca Nacional de España

Scimus, *quæ ad nos deferuntur:* Rescimus *cælata.*

Confessio *bonæ rei est:* Coniuratio *malæ.*

Dedecoratur, *quod honestũ est in animo. Horat.*

Dedecorant bene nata culpæ.

Turpatur, *quod honestum est corpore.*

Opera *est, si scientes læserimus:* Culpa, *si nesciẽtes: alterum sceleris, alterum stulticiæ est.*

Refellit, *qui negat:* Purgat, *qui fatetur, & sic defendit.* Refellimus *per coniecturam:* Purgamus, *per cæteros status.*

Iratus, *qui ex aliqua re lacessitus irascitur:* Iracundus, *qui ex parua, nullaue causa præcedente irascitur.*

Rursum *propriè retro:* Prorsum *antè significat.*

Trepidatio *ad vocem refertur loquentiã:* Cursatio *ad sonũ pedum.* Trepidatur *ab his, qui morbũ putant:* Cursatur *ab his, qui raptum sciunt.*

Exanimatus *est conterritus, conturbatus. In And.*

Quidnam Pamphilum exanimatum video?

Exanimus *verò est occisus. Virg.*

Corpus vbi exanimum po/ tum Pallantis.

Fortuna *in incerto:* Fors Fortuna *in bono ponitur. Virg.*

Si qua in te fortuna fuisset. Et ipse,

O fors fortuna.

* Fortuna *dicta est incerta res.* Fors Fortuna, *euentus fortunæ bonus.*

Tecta, *ne videantur:* Tacita, *ne dicantur.*

* Tecta *sunt, ne hæc alij sciant:* Tacita, *ne ipse indicet.*

Sobrini *ex duabus sororibus:* Consobrini *ex fratre & sorore.* Consobrini, *cùm de fratre natus est alter, & alter ex sorore: cùm ex fratribus,* Patrueles *dicuntur.*

Mereri *bona dicimus:* Commereri *mala, id est, delinquere, peccare. In Hecyra.*

Sæpe, quod vellem, meritam scio.

Virg. *Ego te, quæ plurima fando,*

Enumerare vales, nunquam regina negabo Promeritã.

Scimus *manifesta:* Rescimus *occulta.*

Prospicere *futura:* Iudicare *præsentia.*

Edicimus, *quod iubemus fieri:* Interdicimus, *quod vetamus fieri.* Edicimus *vni generi hominum:* Interdicimus *diuersis.*

Agit, *qui rem iustam dicit:* Orat, *qui animo demisso precatur, vt quasi beneficium præstetur sibi.*

Scitũ *dicunt, quod placet:* Inscitum, *quod displicet.*

Offerimus *iniuriam non merenti:* Reddimus *ei, qui meretur.*

Accersi *dicitur vxor ad maritum:* Abduci *à marito ad diuortium. Virg.*

Et gremijs abducere pactas.

Facilis *ad peccatum:* Beneuolus *ad iram refertur.*

Segregari *dicitur quis à meretrice:* Seiungi *ab vxore.*

Redditur *nobis, quod nostri cupidum est:* Restituitur *nobis, cuius cupidi sumus.*

Resciscunt *ad quos pertinent, & qui nesciunt:* Sciunt, *qui negligunt,* Resciscimus *ex alio:* Scimus *etiam per nostram opinationem.*

Bonitas *in omnibus generaliter rebus est:* Æquanimitas *in spectãdo.* Bonitas *in probãdis his, quæ bona sunt:* Æquanimitas *in ignoscẽdis vicijs atq; delictis.*

Metuimus *eos, qui nos amant:* Timemus *etiam inimicos.*

Vtimur *cum honore:* Abutimur *cum iniuria.*

Cura *est in spe bonorum:* Solicitudo *in metu malorum.*

Refutatio *in rem est:* Confutatio *in personam.*

Stillare *est guttas emittere è corpore:* Extillari, *ipsum corpus guttatim finiri.*

Deliratio *senectuti conuenit:* Timor *conscientiæ.*

Fl. Sosipatri Charisij ex artis Grammaticæ institutionibus.

Seruitium *multitudo est seruorũ:* Seruitus *conditio seruiendi: sed veteres indifferenter seruitium & pro seruitute posuerunt. Virg. Æneid. 3.*

Seruitio enixè tulimus.

Mendum *in mendacij significatione dicitur:* Menda *in culpa operis aut corporis.*

Eboreum, & Eboratum, & Eburnum, *ita placuit distingui, vt* Eboreum *sit ex solido ebore confectum:* Eboratum *extrinsecus ebore ornatum:* Eburnum *à similitudine eboris aptatum.*

Podagrosus *à podagra bene dicitur: Sed &* Podagricus *à pedum ægritudine.*

Aeditimus *dicitur, qui ædem seruat, quasi ædis intimus:* Aedituus, *ab æde tuenda.*

Cùm dicimus Hispanos, *nomen nationis ostendimus: Cùm autem* Hispanienses, *cognomen eorum, qui prouinciam Hispaniam incolunt, etsi non sint Hispani.*

Lanius *dicitur, vt Terent.* *Lanij coci.*

Lanio *autem quasi diminutio est lanij.*

Cubicularius *est custos cubiculi:* Cubicularis *verò lectus, cubiculo aptus.*

Caligarius *artifex:* Caligaris *clauus.*

Clypeus *genere masculino, significatione scuti ponitur, vt Labienus ait: neutro autem genere, imaginem significat. Plinius dubij sermonis secundo, indistincto genere dici ait, sed litera differre, vt pugnatoriũ per i* Clipeum *dicamus, quod est à Clepere, id est, cælare dictũ: Imaginem verò per u, à cluendo. Sed hæc differentia mihi displicet, propter communionem i & u literarum.*

Munificus *est tanquam beneficus:* Munifex *autem tanquam opifex & artifex: Itaq;* Munificus *munera largitur:* Munifex *autem munere fungitur.*

Diuinitus *cùm dicimus, ex Dei mente factũ significamus:* Diuinè *verò, cùm laudamus.*

Rediuiua *dicimus, quæ post interitũ redeunt:* Recidiua, *quæ ex suo casu restituuntur, vndè Virg.*

Recidiua manu posuissem Pergama victis.

Necessitas *imperij:* Necessitudo *sanguinis coniunctio. Sallustius tamen necessitudinem aut sæpe pro necessitate ponit, nec vnquam necessitatem aut ipse, aut quisquam veterum.*

Vicinia *dicitur loci demonstratio:* Vicinitas *verò vicinorum conductio.*

Longitudo *mensura est:* Longinquitas *regionis aut temporis.*

© Biblioteca Nacional de España

Largè *qualitatis:* Largiter *quantitatis: vndè nascitur* Largitas *aut* Largitio. *Nam* Largitudo *nusquã inuenitur, nisi apud Nepotem.*

Insomnia *plurali numero significari volunt Grammatici* Somnia: *singulari verò numero* vigiliam. *Vt Paccuuius in Antiopa dixit,*

Perdita illuuie atq; insomnia.

id est, vigilia.

Cilones *dicuntur, quorum capita oblonga & compressa sunt:* Chilones *autem cum aspiratione ex Græco, à labris improbioribus, quæ illi χείλη, vnde Chilones, improbius labeati.*

Nihil *si dicas, quãtitatem notas: Si verò* Nihili *adiuncta i, hominis mores.*

Labra *modica:* Labia *immodica, & indè* Labiones.

Lingula *cùm non à linguendo dicta est, in argento In calceis verò* Lingula *à ligando: Sed vsus* ligulam *sine n frequentat.*

Saturitas *in cibo tantùm dicitur: In cæteris verò* Satietas.

Stirps *in significatione sobolis fœminino genere dicitur, vt ait Virg.*

Heu stirpem inuisam.

Sed cùm materiam significat, masculino modò stirpem rectum. Idem.

Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum
Sustulerant.

Breuis *in natura:* Pusillus *in corpore, vt,* Breuis *dies,* Pusillus *homo.*

Pometa *dicuntur, vbi poma nascuntur, vt oliueta:* Pomaria *autem, vbi seruantur, vt Penuaria.*

Intrò *est, in locum:* Intus, *in loco dicimus.*

Quando *acuta prima syllaba interrogationem temporis significat. Vt,*

Quando erit illa dies?

Sed si posterior grauetur, significat quoniam vel quandoquidem. Virgil.

Quandò tot stragis aceruos
Teucrorum, tua dextra dedit.

Tergum *hominis:* Tergus *pecorũ nominatur.*

Here, *quàm diu:* Heri, *quando: ita enim quidam putant dici debere.*

Accedo *tibi, eadem tecum sentio:* Accedo *te, id est, ad te venio.*

Q. Asconij Pædiani interpretis Ciceronis.

POpulati *auaricia:* Vexati *libidine & crudelitate.*

Sunt, qui Templa *esse dicant, singulorum dijs attributorum locorum:* Delubra *multarum ædium sub vno tecto, à diluuio pluuiæ munitarum:* Fana, *vnde fata petuntur.*

Rogare, *vt hominem:* Orare, *vt Deum.*

Qui defendit alterum in iudicio, aut Patronus *dicitur, si orator est: aut* Aduocatus, *si aut ius suggerit, aut præsentiam suam amico commodat: aut* Procurator, *si negotium suscipit: aut* Cognitor, *si præsentis causam nouit, & sic tuetur, vt suam.*

Præiudicium *dicitur res, quæ cùm statuta fuerit, adfert iudicaturis exemplum, quod sequantur:* Iudiciũ *autem res, quæ causam litemq; determinat.*

Suscipitur *totum:* Recipitur *pars.* Recipitur, *quod hinc pendet: Solum aliquid propter se suscipitur.*

Asportare *aliquid, vt intereat:* Deportare *vt mutet locum.*

Transigere, *quod manifestum est:* Expedire, *quod definiendum:* Absoluere, *quod diuidendũ. An* Transigere *est, quod aut confiteri non timeat, aut negationem excludat:* Expedire, *quod definitione soluatur:* Absoluere, *quod per qualitatem licitum esse monstratur.*

Iniuria *semper iniusta est:* Lædi *etiam aliquis iustè potest. Nam & qui iure damnantur, læduntur, sed non iniuria.*

Corrupta *iudicia sunt in ijs, qui acceperunt pecuniam:* Contaminata *in ijs, qui offensione ordinis infamantur.*

Dies *fœminino genere tempus, & ideo diminutiuè* Diecula, *dicitur breue tempus & mora:* Dies *horarũ duodecim generis masculini est. Vnde* Hodie *dicimus, quasi hoc die.*

Perditum, *quod inueniri nõ potest:* Profligatum, *quod potest.*

Peius Prodere, *quàm* Oppugnare, *propterea quòd* Oppugnare *inimici & hostis officium est:* Prodere *grauius, cùm ad eos, qui amici esse debent, referatur hoc uerbum.*

Alacer *dicitur is, cui omnis sensus, in suo quisq; loco degit,* Lacer *verò, qui sic est affectus, vt vultu indicet adesse animum non sincerum sensibus suis: Qua re cognita illud quoq; intelligitur, aliud esse* Alacrem, *aliud* Lętum. *Sunt, qui* Alacrem *festinantem & properũ putant, quasi alis acrem.*

Apertè *ad verba pertinet, non obscura:* Palàm *ad præsentium multitudinem, & qualitatem frequentis loci.*

Destrictus *potest esse sine vinculis in diuersum manu ducentium ferri:* Obligatus *etiam nodis vinculorum in loco intelligitur: Plus est ergo* obligatum *esse, quàm* destrictum.

Intelligitur *aliquid argumentis:* Animaduertitur *sensibus præsenti animo vtentibus: Plerunq; enim* Aduertimus *rem aliquam oculis, aut quouis sensu corporis sine animi attentione: Ergo plus est* Animaduersum, *quàm* Intellectum. *An ab alijs* Intellectum, *ad alijs* Animaduersum *intelligi posset? quod si est, rursus plus erit* Intelligere, *quàm* Animaduertere.

Deponitur *in sequestri:* Accipitur *ab eo, qui corrumpitur:* Recipitur, *id est, promittitur, id est, pro iudicato respondetur.*

Sequestres *sunt, apud quos pecunia deponitur:* Interpretes, *per quos inducitur pactio.*

Argumentari & Argumentis *vti ad rem probandam:* Dicere, *amplificatione vti ad rem, ad delectandũ, commouendumq; auditorem oratione perpetua.*

Nefandum *est non fandum:* Nefarium, *quod sacra polluit, farre pio solita celebrari: Ergo* Nefarij, *sacrilegi.*

Reijciens malos & retinens bonos, Verus Accusator *intelligitur. Qui verò contrà facit, vt sit impedimento cæteris, astuq; tegat, de hoc intelligitur, quòd* Præuaricator.

Figura

© Biblioteca Nacional de España

Figura *est circa gestum situmq; membrorum:* Status *circa ornatū & habitū vestis, insignium, et armorū.*

Videmus, *quòd in promptu est:* Inuestigamus, *quod non videmus.*

In nascēdo *sortem: in* faciendo *industriam esse veteres dicebant. Terent. in Adelph.*

Ego profectò ingenio egregiè ad miseriam natus sum.

Cic. 3. Verrina, Homo factus ad istius libidines.

Plus significatur dicēdo Spiritus, *quàm si* Animositas, Contentioûe *diceretur.*

Inter Syngraphas, & cætera Chirographa *hoc interest, quod in* Chirographis *tantùm quæ gesta sunt scribi solent: In* Syngraphis *etiam contra fidem veritatis pactio venit, & non numerata quoq; pecunia, aut non integrè numerata, pro temporaria voluntate hominum scribi solent. More institutoq; Græcorum, & cæteræ tabulæ ab vna parte seruari solent:* Syngraphæ *neutrius manu vtriq; parti seruandæ traduntur.*

Bona *in ipsis possessionibus:* Fortuna *in fructibus eorum.*

Prætexta *honestiorum:* Toga *viliorum, quod etiā circa mulieres seruabatur.*

Omen, *auspicium:* Causa, *excusatio.*

Boni *pro magnis:* Honesti *pro diuitibus, vetustè.*

Detrimentum *vel vnius partis dici potest:* Intertrimentum *verò ad vtriusq; partem spectat, dantis & accipientis.*

Bona prædia *dicuntur,* bona *satisdationibus obnoxia, siue sint in mancipijs, siue in pecunia numerata:* Prædia *verò, domus: agri.*

Prædia *sunt res ipsæ:* Prædes homines, *id est, fideiussores: quorum res,* Bonaprædia *nunc vno nomine dicuntur.*

Aliud Socius, *aliud* Particeps. Particeps, *qui certam habet partem, non diuise agit, vt* Socius.

Thensæ *sunt sacra vehicula:* Pompa *ordinum & hostiarum.* Thensas *alij à diuinitate dici putant: alij, quòd ante ipsas lora tenduntur, quæ gaudent manu tenere & tangere, qui eas deducunt.*

Spolia *quæsita de viuo hoste nobili per deditionem,* Manubias *veteres dicebant, et erat* Imperatorum *hæc præda, ex qua, quod vellent, facerent.*

Ius, *ad doctrinam pertinet:* Officium *ad virtutem.*

Marij Seruij Honorati interpretis Virgilij.

ARæ *& superis & inferis dijs consecratæ sunt:* Altaria *verò sunt superorum tantùm deorū, quæ ab altitudine constat esse nominata. Vt,*

En quatuor aras,
Ecce duas tibi Daphni: duas, altaria Phœbo.

Aræ *dictæ ab ariditate, quia in ijs adoletur ignis:* Altaria *ab alendo, quia igni adduntur alimenta.*

Armenta *sunt equorū & boum; quod hæc animalia apta sint armis, vt scutis boum coria, equi prælio:* Greges *capellarum & ouium sunt. Hæc tamē, armenta scilicet & greges, sciendum quòd plærunq; confundit autoritas.*

Angues *aquarum sunt:* Serpentes *terrarum:* Dracones *templorum. Vt Aeneid. 2.*

per alia immensis orbibus angues.

Et paulò post.

serpens amplexus vteriq;. Item,
delubra ad summa dracones.

Sed hæc significatio plerunq; confunditur.

Aedem *numero singulari de tēplo tantùm dicimus: plurali, & de domibus, & de templo.*

Auguro *dicimus secundum Plinium,* [*Grammaticum*] *cùm præsagio mentis futura colligimus:* Augur *verò tum, cùm futura veris captamus augurijs.*

Balsamum *est ipsa arbor:* Opobalsamum *succus collectus ex arbore:* Xylobalsamum, *lignum ipsius arboris.*

Barba, *singulari numero hominū: plurali verò quadrupedum dicitur.*

Culmus *est ipse calamus:* Stipulæ *verò folia, quæ ambiunt culmum.*

Coryli, *propriè dicuntur:* Auellānæ *ab Auella oppido Campaniæ, vbi abundant, nominatæ sunt.*

Camuri *sunt boum, qui conuersa introrsum cornua habent: quibus contraria* Patuli, *qui cornua diuersa habent, quorumq; cornua terram spectant: His contrarij* Liciui, *qui sursum versum cornua habent.*

Candidum *esse, id est, quadam nitenti luce perfusum: Aliud* album, *quod pallori constat esse vicinum.*

Crustam *cùm dicimus fœminino genere, lapidis aut ligni, aut gelu partem significamus: Cùm verò* Crustū: *edulium aliquod significamus, partem panis vel placentæ. Virg. 7.*

Orbem fatalis crusti. *Horat.*
dant crustula blandi
Doctores.

Cellarium *est paucorum dierum, vndè & in cella dicitur importatum frumentum:* Penus *verò longi temporis.*

Ceruix *cùm numero singulari dicitur, collum significat: si plurali vtimur, superbiam ostēdimus. Vt in Verr. Cic.* Frange ceruices.

Carcer *est vndecunq; prohibemur exire, & dictus quasi arcer, ab arcendo, & quandò locum: in quo seruantur noxij, significamus, carcere tantùm numero singulari vtimur:* Carceres *dicimus numero tantùm plurali, vndè erumpunt quadrigæ, sed poeta plerunq; singularē vsurpat. Vt est 5. Aeneid.*

Ruuntq; effusi carcere cursus.

Copiæ, *de exercitu numero plurali dicimus. Vt Sallust.* Memorare possem, quibus in locis maximas hostium copias populus Rom. parua manu fuderit: Copia *verò aliarum rerum est.*

Cornus *ipsa arbor dicitur: Pomū verò* Cornum, *&* Corna. *Vt,*

Lapidosaq; corna.

Cæstus *per diphthongum, significat arma pugilum, habet etiam pluralem numerum, & est quartæ formæ: nam* Cestus cesti *numeri singularis, sine diphthongo, baltheum Veneris.*

Consultor *est, qui consulit:* Consultus, *qui consulitur:* Consultum *verò res ipsa, de qua consulitur.*

Deduco *est persequor:* Diduco *verò diuido.*

Despiciens, *deorsum aspiciens:* Suspiciens, *sursum aspiciens.*

Dissimulamus *nota:* Simulamus *ignota.* Dissimulamus, *quod sumus:* Simulamus, *quod nō sumus. Vt Sallust.* Cuiuslibet rei simulator, & dissimulator. *de Catilina.*

© Biblioteca Nacional de España

Dapes *regum sunt:* Epulæ *priuatorum. Vel,* Dapes *deorum sunt:* Epulæ *hominum.*

Deos, *perpetuos dicimus,* Diuos, *ex hominibus factos, quasi diem obierint. Vndè diuos & Imperatores vocamus. Iuuen.*

Respice riuales diuorum.

Sed Varro & Aettius [Philologus Grammaticus] contrà sentiunt, dicẽtes, Diuos *perpetuos:* Deos, *qui propter sui consecrationem timentur, vt sunt dij manes. Quod tangit in* 12. *dicens.*

Turni sic est affata sororem,
Diua deam, stagnis quæ fluminibusq; sonoris
Præsidet.

Dona *sunt tantùm superorum:* Munera *inferorũ, Vt in Bucol.*

Phœbo sua semper apud me
Munera sunt, lauri & suaue rubens hyacinthus.

Επιτάφιον *est, quod dicitur cadauere nondum sepulto. Vt,*

Extinctum Nymphæ crudeli funere Daphnim.

Επιτάφιον *post completam sepulturam dicitur, Vt,*

Daphnis ego in siluis, hinc vsq; ad sidera notus.

Excubiæ *sunt diurnæ:* Vigiliæ *nocturnæ.*

Fas *ad religionem:* Iura *pertinent ad homines.*

Flabra, *hoc nomen tantùm pluralem recipit numerum, ab eo verò, quod* Flamina, Flamen *possumus accipere: licet sit vitandum propter aliam significationem, nam dicitur* Flamen *Dialis,* Flamen *Martialis.*

Frondeum *est totum de frondibus, vt truncus:* Frondosus *verò est, lucus.*

Flagrat *dicimus, quoties incendiũ significatur, quod flatu alitur. Vt,*

Flagrantibus aris.

Sed quoties odor, qui fracta specie maior est, per R dicimus Fragrat. *Vt,*

thymo fragrantia mella.

Fores *propriè dicuntur, quæ foris aperiuntur, sicut apud veteres fuit:* Valuæ *autem sunt, vt dicit Varro, quæ reuoluuntur, & se velant:* Ianua *verò est primus domus ingressus, dicta, quia Iano consecratum est omne principium. Cætera inter ianuam* ostia *vocantur generaliter, siue valuæ sunt, siue fores.*

Furiosus *est, à quo furor nunquam recedit:* Furiatus *verò, qui furit ex causa.*

Funus *est cadauer iam ardens, quod dum portatur,* Exequias *dicimus: crematum,* Reliquias & bustũ: *conditum iam,* sepulchrum.

Fundere *est supina manu libare, quod fit in sacris supernis:* Vergere *est conuersa in sinistrã partem manu ita fundere, vt supernè conuertatur, quod in infernis fit.*

Forfices *sunt, quibus incidimus:* Forcipes *sunt, quibus aliquid foruum tenemus, quasi* foruicapes, *nã foruum est calidum. Vndè &* Formosos *dicimus, quibus calor sanguinis ruborem pulchritudinis creat.*

Humidum *est, quod extrinsecus habet aliquid humoris:* Vuidum, *quod intrinsecus, vnde & vuæ dictæ sunt.*

Hostiæ *dicuntur sacrificia, quæ ab his fiunt, qui in hostem pergunt.* Victimæ *sacrificia, quæ post victoriã fiunt: sed hæc licenter confundit autoritas.*

Historia *est eorum temporum, quæ vidimus, vel videre potuimus, dicta* ἀπὸ τῆς ἱστορίας, *à videndo:* Annales *sunt eorum annorum & temporum, quæ ætas nostra nõ nouit. Vnde Liuius, Ex annalibus & historijs constat, inquit.*

Ignarus *est, qui ignorat:* Immemor, *qui oblitus est.*

Ius *generale est: sed* lex *iuris est species.* Ius *ad non scripta etiam pertinet:* Leges, *ad ius scriptum.*

Infensus *propriè dicitur plus, quam* inimicus.

Indocile *est, quod penitus non potest discere:* Indoctum, *quod nondum didicit.*

Labra *sunt virorum:* Labia *mulierum.*

Liquor *cùm nomen est,* L I *breuis est: Cùm ad verbum venerit, producitur. Vt:* Liquor, *Liqueris, Virg.* 1. *Georg.*

eanis cùm montibus humor
Liquitur.

Legumen *dicitur, quòd manu legatur, nec sectionem requirat:* Frumenta *sunt omnia, quæ ex se aristas mittunt.*

Lactans *est, qui lac præbet:* Lactens, *cui lac præbetur.*

Legiones *peditum sunt:* Turmæ, *equitum.*

Lucens *est, quod aliunde illuminatur:* Lucibile, *quod lucet per se.*

Mulctra *tempus dicitur, quo mulgentur animalia:* Mulctrale *vas, in quo mulgentur.*

Medicor *accusatiuum regit. Vt:* Medicor *illam rem:* Medicor verò illi rei *vsitatè dicimus:* Medicor illam rem, *figuratum est.*

Myrtetum, *ipse locus est:* Myrtus, *ipsa arbor.*

Metor, *metaris, metatus sum, significat eligere. Vnde Lucan.*

Hesperios audax veniam metatur in agros,

Metior, *metiris, mensus sum.*

Monstrum *dictum à monstrando, & refertur ad præsens eius significationem:* Prodigium *est, quod in longum tempus dirigit significationem.*

Monumenta *sunt memoriæ:* Monimenta *verò, à mentis admonitione sunt dicta.*

Matrona *dicitur prima pueri mater:* Materfamiliâs, *quæ plures peperit. Alij dicunt rectius* Matronam *dici, quæ in matrimonio cum viro conuenerit, & in eo matrimonio manserit, etiamsi liberi nondum fuerint: dictam matris nomine spe atque omine, vndè &* matrimonium *dictum.* Matrem *verò familiâs esse, quæ in mariti manu mancipiq; esset, quæ in familiam quoque mariti, & sui hæredis venisset. Alij* Matronas, *virgines nobiles dicunt:* Matresfamiliâs *verò, quæ in matrimonio per coemptionem conuenerunt. Nam per quandã iuris solennitatem in familiam migrant mariti. Inter* Matrem, & Matremfamiliâs *hoc interest, quòd* Mater *est, quæ præter illam significationẽ, quæ est* πρός τι, *quæ tantùm conuenit in matrimonio: quod alij* Matrifamiliâs *verò, quæ conuenit, vt iam diximus, per coemptionem.*

Naiades *sunt Nymphæ fontium:* Oreades *montium:* Dryades *arborum.*

Noxia *est culpa, id est, peccatum:* Noxa, *pœna.*

Nimbi *dicuntur repentinæ & præcipites pluuiæ:* Pluuias *ipsas vocamus lentas & iuges.*

Olea *est arbor ipsa, vndè deriuatum est* oleum: Oliua *fructus ipse, Vndè est* oliuum. *Legimus tamen* oliuam *& de arbore. Vt,*

Incumbens tereti Damon sic cœpit olinæ.

Oneratus

© Biblioteca Nacional de España

Oneratus, est qualicunq; pressus pondere: Onustus, cui onus ipsum honori est. Vt, si quis hostium spolia ferat: Sed Oneratus aspirationem non habet, quia ab onere venit: Honustus, quia etiam ab honore descendit, retinet aspirationem.

Opes numero tãtùm plurali diuitias significat. Virg.

Troianas vt opes.

Numero tantùm singulari, auxilium. Terent.

Iuno Lucina fer opem, serua me obsecro.

Vtroq; numero, possibilitatem.

* Opim quando dicimus, nymphàm significamus: Si autem dicimus opem, auxilium intelligimus. Opes numero plurali, auxilia et census accipimus. Nam Ops terra est vxor Saturni, quam Græci Rheam vocant.

Orare est petere: Exorare, impetrare.

Odorum, quod per se olet: Odoratum, quod odorẽ aliunde accipit.

Hoc Opus & hæc Opera tunc dicimus, quando negotium ipsum, quod geritur, significamus: Si autem fœminino genere dixerimus Operas, personas ipsas, quæ aliquid faciunt, significamus.

Patulum dicimus, quod per se patet naturaliter, vt, naves, arbor: Patens est, quod & aperitur et clauditur, vt, ostium, oculi.

Patrij dij sunt, qui præsunt singulis ciuitatibus, vt Minerua Athenis, Iuno Carthagini: Indigetes autem propriè sunt dij ex hominibus facti, quasi in dijs agentes, vt Aeneas, Romulus.

Plantæ raptæ sunt de arboribus: Plantaria, quæ ex seminibus nata, cum radicibus & terra propria transferuntur. Virg. 2. Georg.

Et vina sua plantaria terra.

Pecuaria, ab eo quod est pecuare venit: nã pecua, vt ait in Pompeiana Cicero, ab eo, quod est pecu venit. Vt, genu genua.

Peior à malo dicitur: Deterior à meliore.

Parêre est obedire. Vt, Pâret amor dictis: Apparêre autem est videri. Vt,

Apparet liquido sublimis in aere nisus.

Pernix pedum est. Vt,

Pernicibus gnea plantis.

Celeritas pennarum. Vt,

celeriq; fuga sub sidera lapsæ.

Populos cùm numero plurali dicimus, vrbes significamus: cùm verò Populum, vnius multitudinem ciuitatis intelligimus, Vt,

populum late regẽ, belloq; superbũ, de Romano intellexit.

Pollicemur sponte: Promittimus rogati.

Pauidus est semper timens: Pauens, ex causa.

Pone verbum, nullum habet accentum, Vt,

Ponè metum Cytherea.

Ponè tamen in vltima habet accentum, cùm significat retro. Terent. in Phor.

Pone apprehendit pallio.

Piget ad futurum spectat: Pudet ad præteritum. Et licet panè vna sit significatio, tamen dicimus, Piget me illud dicere: Pudet me fecisse.

Poscere, est secundum Varronem, quoties aliquid pro merito nostro deposcimus: Petere verò est, cùm aliquid humiliter & precibus postulamus.

Penetrale dicitur, quod penetrat: quod autem penetratur, Penetrabile.

Rura dicebant siluæ & pascua: Agrum verò eum, qui colitur.

Ripæ propriè fluminũ sunt: Littora maris. Vt, Ouid.

Pro ripis littora pulsant.

Sinus genus est vasis, quod cùm significamus, S I, producitur: Cùm gremium significamus, S I corripimus.

Squallẽs, splẽdẽs significat, quod à squãmis venit. Vt,

squammis auroq; tridicem.

nàm à squallore sordidum significat. Vt,

Squallentem barbam.

Spinus masculino genere prunorum arbor vocatur: Spinæ verò fœminino, sentes vocantur.

10 Salem quo vtimur, singulari tantùm numero dicimus: cùm iocum significamus, pluralem tantùm ponimus numerum, secundum Lucanum, qui ait,

Non solitii tuere sales.

Aliquando & vrbanitatem per singularem numerum significamus. Terent. in Eunucho.

Qui habet salem, quod in te est,

id est, quæ res in te est. Masculini enim generis est, non neutri, & neutra τρίπτωτα sunt, nec ab hoc accusatiuo nominatiuus esse potest, hoc sale.

20 Salum ab eo venit, quod est Salum Sali. Vt,

Perq; vndas superantes salo:

Et quod ait,

Et sale tabentes artus, ab eo quod est, hic Sal Salis, cùm Salum, à σαλεύω.

Statio est, vbi ad tempus stant naues: Portus, vbi hiemant.

Stirps genere fœminino genus significat. Vt,

Heu stirpem inuisam: Masculino arborem. Vt,

Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum.

30 Specula, quando speculationem significamus, generis est fœminini. Vt,

Specula Misenus ab alta.

Speculum autem, in quo nos intuemur, generis neutri est. Iuuen.

Speculum ciuilis sarcina belli,

quod Græcè ἐνοπτρον.

Sertum & Serta, cùm nihil adjcitur, dicimus. Vt,

Sertisq; recentibus halant.

Item alibi expressius,

Serta procul tantùm capiti delapsa iacebant.

40 Si autem Sertos dixero, addo flores: Si Sertas, addo coronas. Vt Lucanus.

Accipiunt sertas nardo florente coronas.

Species rerũ præsentium est, quod quasi aspicitur: Fama rerum absentium.

Sanies, mortui est: Tabus, viuẽtis scilicet sanguinis.

Timor de futuro est: Odium, de præsenti.

Turbo quandò appellatiuum est, facit turbinis: Si nomen proprium, Turbonis. Vt Hora.

Turbonis in armis.

Troia, cùm prouinciam dicimus, & principale est nomen, breuis est Tro. Vt,

50 *Troiæ ruinis.*

διαρετικῶς. Quandò non est principale, & deriuatio est, longa est, Tro. Vt, *Troius Aeneas.*

Tellurem deam dicimus: Terram verò elementũ.

Totum est vnius corporis plenitudo. Vt, Totũ auditorium, id est, integrũ. Omne de vniuersis dicimus. Vt, Omne auditorium, id est Vniuersa auditoria.

Terror propriè est, qui alijs infertur, vt si dicas, Ille habet terrorem, hoc est, timendus est: vnde & terribilis dicitur:

Metus dicitur, quem habent timentes.

Volema ab eo, quod volã impleant, dicta sunt: Vo-

© Biblioteca Nacional de España

la *autem est medietas palmæ vel pedis, vndè & inuolar: dicimus.* Volema *lingua Gallica bona & grandia dicũtur, sed magis dicta sunt ab eo, quod volã impleant.*

Voluens, *qui voluit:* Volubilis, *qui voluitur.*

Vterus *est mulierum:* Aluus *est, qua defluunt sordes Sallust. Simulans sibi aluum purgari:* Venter *qui videtur. Iuuen.*

Montani quoq; venter adest abdomine tardus.

Vanus *est, qui etiam sine vtilitate mentitur:* Mendax, *qui tantùm ad decipiendum. Sanè* vanus *apud idoneos, stultus inuenitur. Vt Iuuen.*

Sic libitum, vano qui nos distinxit Othoni.

Vrbs *muros:* Ciuitas *eius habitatores significat.*

Visus genere *vtimur* masculino, *cùm de his loquimur, quibus videmus, Vt si dicam, Nubecula obest visibus meis: Sin* neutro *vtamur, ea quæ videntur, significamus.*

Vittæ *sacerdotis sunt:* Laurus *verò etiam Imperatoris victoris.*

Vallum *dicitur ipsa munitio: nam* Valli *fustes sunt, quibus vallum munitur. Virg. de sustentaculis inquit vitium,*

Primus vallos sub tecta referto.

Sexti Pompeij Festi
DE VERBIS VETERIBVS.

AMbaruales *hostiæ appellabãtur, quæ pro aruis à duobus fratribus sacrificabantur.* Amburbiales *hostiæ dicebantur, quæ circum terminos vrbis Romæ ducebantur.*

Acus *dicitur, qua sarcinatrix vel etiam ornatrix vtitur:* Acus *etiam paleæ quædam de frumento dicuntur.*

Assiduus *dicitur, qui in ea re, quam frequenter agit, quasi consedisse videatur. Alij* assiduum, *locupletẽ, quasi multorum assium, dictum putarunt. Alij eum, qui sumptu proprio militabat, ab asse dando vocatum existimarunt.*

Ad, *aut propriè personam significat, vt, eo ad Pompeium: aut locum, vt, abijt ad theatrum.* At, *differentiam rerum significat, vt cùm dicimus: Scipio est bellator, at Marcus Cato orator.*

Adscripti *dicebantur, qui in colonias nomina dedissent, vt essent coloni.* Adscriptitij *veluti quidam scripti dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebãtur.*

Arbitrium *dicitur sententia, quæ ab arbitro statuitur.* Arbitrariũ, *cùm adhuc res apud arbitrũ geritur.*

Ambitus *honoris dici cœptus est, à circumeũndo, supplicandoq;.* Ambitio *est ipsa actio ambientis.*

Adeo, *cùm prima acutà effertur, idẽ significat quod accedo, vt cùm dicimus, adeo prætorem. Cùm secunda, idem est quod vsq; eo, non quidem secundum rationem, quia Ad præpositio accusatiuis accommodanda est, sed vetusta quadam loquendi consuetudine.*

Aquilus *color est fuscus & subniger, à quo aquila dicta esse videtur, quamuis eam ab acutè videndo dictam volunt.* Aquulus *autem color, ab aqua est nominatus.* Aquilo *vẽtus à vehementissimo volatu, aquilæ instar, appellatur.*

Apud & Penes *in hoc differunt, quòd alterum personam cum loco significat: alterum personam, & dominum, ac potestatem, quòd trahitur à* penitus.

Abgregare *est à grege,* Adgregare *ad gregem ducere,* Segregare *ex pluribus gregibus partes seducere: vndè &* Egregius *dicitur, è grege lectus.*

Auidus *à non videndo, propter nimiam cupiditatẽ appellatur: sicut* Amens, *qui mentem suam non habet.*

Beneficiarij *dicuntur milites, qui vacant muneris beneficio: è contrario* Munifices *vocantur, qui non vacant, sed munus Reip. faciunt.*

Bardus *stultus à tarditate ingenij appellatur.* Bardus *Gallicè cantor appellatur, qui virorum fortium laudes canit, à gente Bardorum.*

Concinnare *est aptè componere,* Concinere *est conuenire.*

Cohum *lorum, quo temo buris cum iugo colligatur, à cohibendo dictũ.* Cohum *poetæ cœlum dixerunt, à chaos, ex quo putabant cœlum esse formatum.*

Comptum, *genus libaminis, quod ex farina consperfa faciebant:* Comptum *Afranius pro ornatu, & cultu posuit.*

Chilo *dicitur cognomento, à magnitudine labiorũ.* Cilo *sine aspiratione, cui frons est eminentior, ac dextera sinistraq; velut recisa videtur.*

Cupes, & Cupedia *antiqui lautiores cibos nominabant: inde & macellum & forum Cupedinis Romæ appellabant:* Cupedia *autem à cupiditate sunt dicta.*

Curia *locus est, vbi publicas curas gerebant.* Calabra *curia dicebatur, vbi tantùm ratio sacrorum gerebatur.* Curiæ *etiam nominantur, in quibus vniuscuiusq; partis pop. Romani quid geritur.* † Curiata *comitia, à curijs appellata.*

Curiales *eiusdem curiæ, vt tribules, & municipes.* Curules *equi, quadrigales.* Curules *magistratus appellati sunt, qui curru vehebantur.*

Cœna *apud antiquos dicebatur, quod nunc est prandium.* Vesperna, *quam nunc cœnam appellamus.* Cœnacula *dicuntur, ad quæ scalis ascenditur.*

Cũ imperio *esse dicebatur apud antiquos, cui nominatim à populo dabatur imperiũ:* Cũ potestate *esse dicebatur de eo, qui à populo alicui negotio præficiebatur.*

Censere *nunc significat putare, nunc suadere, nunc decernere.* Censio *hastaria dicebatur, dum militi mulctæ nomine ob delictum militare indicebatur, quòd hastas daret.* Censui agri *à cẽsendo propriè appellantur, qui & emi & vænire iure ciuili possunt.* Censores *dicti, quòd rem suam quisq; tanti æstimare solitus sit, quantum illi censuerint.*

Comedus, di, *qui bona sua consumit, antiqui dixerunt:* Comedio, onis, *recentiores.*

Extrarius *est, qui extra forum, sacramentum, iusq; sit.* Extraneus *ex altera terra, quasi exterraneus.* Externus, *ex altera gente.* * Extraneus, *ex alia terra,* Exterraneus *quoq; dicitur, qui ante tempus natus, vel potius eiectus est: dictus autem* Exterraneus, *quòd eũ mater exterrita, aluo eiecit.*

Explorator à Speculatore *hoc distat, quòd* Speculator *hostilia silentio perspicit:* Explorator *pacata clamore cognoscit.*

Feralia, *dijs manibus sacrata festa, à ferendis pecudibus appellata.* Feria *à feriendis victimis appellata.*

Fœnus, & Fœneratores, *& lex de credita pecunia,* Fœnebris, *à fœtu dicta, quòd crediti nummi alios pariant;*

© Biblioteca Nacional de España

pariant, vt apud Græcos eadem res, τόκος dicitur. Fœnũ *quoque prætorum ab hac causa est appellatum, quandò idipsum manens, quotannis nouum parit: vnde etiam* fæltuca *vocata est.*

* Fœnus *appellatur naturalis terræ fœtus, ob quã causam & nummorum fœtus* Fœnus *est vocatum, & de ea re* leges Fœnebres.

Factio & Factiosus *initiò honesta vocabula erant: vndè adhuc factiones histrionum & quadrigariorum dicuntur. Modò autem* nomine factionis *seditio, & arma vocantur.*

Here, *est aduerbium temporis:* Heri *dictum à Græco* χθὲς.

Hæres *apud antiquos pro domino ponebatur.* Hæredium, *prædium paruulum.*

Hostis *apud antiquos peregrinus dicebatur, & qui nunc hostis, perduellis.*

Impages, *dicuntur quæ à fabris in tabulis fingunturquo firmius cohæreant, à* pangendo, *id est, fingendo. Vndè & poetæ* Pangere versus *dicuntur, & agricolæ* Pangere plantas, *id est, infigere.*

In, *non semper abnuitionem significat, sed interdum etiam pro ademtione ponitur, vt inuolando, inclamando, inuocando.*

* In præpositio *significat modò* quod non, *vt inimicus: modò* actionẽ, *vt inclamauit: modò* vbi quid tendatur, *vt incurrit: modò* vbi quis sit, *vt inambulat.*

Infectores *qui alienum colorem in lanam conjiciũt:* Offectores, *qui è colore proprio nouum efficiunt.*

Illex *producta sequenti syllaba significat, qui legi nõ pâret, qui legem putat tenere se nullam.* Illex *correpta sequente syllaba significat inductionem, ab illiciendo.*

Manubiæ *Iouis tres dicũtur esse, quarum vnæ sunt minimæ, quæ moneant, placidæq; sint. Alteræ quæ maiores sunt, ac veniant cum fragore, discutiantq;, aut diuellant, quæ à Ioue sint, & consilio deorum mitti existimentur: Tertiæ his ampliores, quæ cum igne veniant, & quanquam nullum sine igne fulgur sit, hæ propriam differentiam habeant, quòd aut adurant, aut fuligine deforment, aut accendant.*

Modò, *cùm per correptum o, dicitur, significat* tempus, *vt, Modò introij, & ponitur pro* tantùm, *vt, Tace modò, nunc iam. Quòd si producta posteriore syllaba enuncietur, datiuus vel ablatiuus est casus ab eo, quod est* modus. *Vt,* Modo quodam, *id est, ratione.*

Mente captus *dicitur, cùm mens ex hominis potestate abijt: & idem* Demens, *qui de suâ mente discesserit: &* Amens, *qui à mente abierit.*

Miseratur *is, qui conqueritur aliena incommoda:* Miseretur *is, qui miserum subleuat.* Miseret me, *eadẽ forma dicitur, qua* Piget me.

Oculissimum, *charissimum. Plaut.*

Oculissimum ostium amicæ.

Oculatum, *pro præsenti posuit idem Plaut. cùm dixit, oculata die. Item ipse,*

Pluris est oculatus testis vnus, quàm auriti decem,

id est, qui se vidisse dicat. Oculitus *quoq; dicitur, vt funditus, penitus: quo significatur tam charum esse quàm oculum.*

Orba *significat apud poetas priuata aliqua persona chara.* Orba *est, quæ patrem, aut filios, quasi lumen amisit.*

Inter Obsidionalem & Ciuicam coronam *hoc interest, quòd altera singularis salutis signum est, altera vniuersorum ciuium seruatorum.*

Ob *præpositio, aliàs ponitur pro* circum: *vt cùm dicimus, Vrbem obsideri, obsignari, obuallari. Aliàs* In, *vicem præpositionis, quæ est propter, vt, Ob merita, Ob superatos hostes, vndè* obsides *quasi* obfides, *qui ob fidẽ patriæ præstandam dantur. Aliàs pro* ad, *vt Ennius,*

Ob Romam noctu legionem ducere capit.

Præsidium *est, quod pro salute, et vtilitate alicuius auxilij gratia præponitur:* Subsidium *quod postpositũ est ad subueniendum laborantibus.*

Properare *aliud est, aliud* festinare. *Qui vnumquodq; maturè transigit, is* Properat: *qui multa simul incipit, neq; perficit, is* Festinat, [*Qui neq; citius agit, neq; serius, sed medium quiddam tenet, is* maturat: *vt bene atq; propriè Nigidius.*]

Portenta *rerum fieri dicuntur, cùm solida corpora raro se ostendunt, vt, cometæ, turbines, barathra, item sereno cœlo fieri tonitrua.* Ostenta, *quæ tantummodo ostendunt.* Monstra, *quæ perspiciantur, quæq; remedio purgentur.*

Puri, Probi, Profani, Sui auri *dicitur in manumissione, sacrorũ causa: ex quibus* Puri, *significat quod in vsu spurcum non fuerit:* Probi, *quod rectè excoctũ, purgatumq; sit:* Profani, *quod sacrum non sit, & quod omni religione solutum sit:* Sui, *quod alienum non sit.*

Quatenus *significat qua fine. vt hactenus, hac fine: at* Quatinus, *quoniam.*

Inter Legem & Rogationem: Rogatio *est genus legis. Quæ* lex *non continuò est, ea* rogatio *est, nõ potest non esse lex, si modò iustis comitijs rogata est. Aelius Gallus.*

* Rogatio *est, cùm populus consulitur de vno, pluribusue hominibus, quod non ad omnes pertineat: & de vna pluribusue rebus, de quibus non omnibus sanciatur. Quod in omnes homines resue populus sciuit* Lex *appellatur.*

Reus stipulando, *est idem qui stipulatur:* Reus promittendo, *est qui suo nomine alteri quid promisit, quide pro altero quid promisit.*

Inter Sacrum, Sanctum, & Religiosum *hæc differentia.* Sacrum, *ædificium consecratum Deo.* Sanctum *murum, qui sit circa oppidum.* Religiosum *sepulchrum, vbi mortuus sepultus aut humatus sit.*

Regium *est, quod aut est, aut fuit regis:* Regale, *est dignum rege.*

Sub vitẽ hastas iacere *dicitur veles, cùm eas sub manu sursum mittit:* Sub vitem *præliari dicuntur milites, cùm sub vinea militaturi pugnant:* Sub vineam iacere *dicuntur, cùm astantibus centurionibus iacerè coguntur sudes.*

Taciturnus, *qui facilè tacet:* Tacitus, *argutus etiam, quia potest aliquando tacere.*

Martij Terentij Varronis.

DE LINGVA LATINA.

VErba *aliud nunc ostendunt, aliud ante significabãt, vt* hostis. *Nam tum eo verbo dicebãt* Pere-

© Biblioteca Nacional de España

grinum, *qui suis legibus vteretur: nũc autẽ eum, quem tum dicebant* Perduellem.

Lacus, *lacuna magna, vbi aqua contineri potest:* Palus, *paululum aquæ in altitudinem, & palàm latius diffusæ.*

Præsidium *est dictum, quia extra castra præsidebant in loco aliquo, quò tutior regio esset:* Obsidium *dictum ab obsidendo, quò minus hostis egredi possit in die.*

Pauper, *à paulo lare:* Mendicus *à minus, cui cùm opus est, minus est.*

Diues, *à diuo, qui vt deus, nullo videtur indigere.* Opulentus *ab ope, cui ea opimè.* Pecuniosus, *à pecunia magna.*

Vindemiator, *vel quòd vinum legere dicitur, vel quòd de vite id demit:* Vestigator, *à venatu.*

Assum *dictũ, quòd ab igni assudescit.* Vuidum *est, quod humidum: & ideo vbi id non est, succus abest, & ideo sudando assum destillat humorem. Vt* Crudũ *minimum habet humoris, sic* Excoctum *parum habet succi.* Elixum, *est è liquore aquæ deductum, & ex iure: quod iucundum magis, conditione succi.*

Hasta, *quòd astans solet ferri.* Iaculum, *quod vt iaciatur, fit.* Tragula, *à traijciendo.*

Damnum, *à demtione, cùm minus re factũ, quàm quanti constat:* Detrimentum, *à detritu: quòd ea, quæ trita, minoris sunt precij.*

Merces *à merendo, quod manu factum erat, & datum pro eo.* Manuprecium, *à manibus & precio:* Præmium, *à præda, quòd ob rectè quid factum, concessum.*

Loquax, *qui nimium loquitur:* Eloquens, *qui copiosè loquitur.*

Colloquium, *cùm conuenitur in vnum locum, loquendi causa:* Loquela, *verbum quod in loquendo efferimus.*

Loquitur *is, qui suo loco quodq; verbum sciens ponit:* Proloquitur *iste, cùm animo quod habuit, idq; extulit loquendo.*

Conserere manum *dicimus cum hoste:* Assere manu, *cùm libertatem comprehendimus.*

Spondet, *qui dicit à sua sponte:* Sponsor *etiam spondet, qui idem faciat obligatus:* Præs, *qui à magistratu interrogatus, in publicum vt præstet, à quo & cùm respondet, dicitur* præs. Vas *appellatus, qui pro altero vadimonium promittebat.*

Inter Agendi, Faciendi, & Gerendi *verba. Potest quis quid* facere, *& non* agere. *vt,* poeta facit fabulam, *& non agit: Contrà* actor agit, *& non facit, & sic à poeta fabula fit, & non agitur, & non fit. Contrà Imperator qui dicitur res gerere, in eo neq; agit, neq; facit: sed* gerit, *id est, sustinet: translatum ab his qui onera gerunt, quòd hi sustinent.*

Signa *dicuntur eadem &* Sidera. Signa, *quòd aliquid significent, vt, libra, æquinoctium:* Sidera *quæ insidiuntur, atque ità significant aliquid in terris perurendo.*

Fretum, *dictum à similitudine feruẽtis aquæ, quòd in fretum sæpe concurrat æstus, atque efferuescat.* Aequor, *mare appellatum, quod æquatum, commotum vento non est.*

Q. Terentij Scauri DE ORTHOGRAPHIA.

De, *nonnunquàm perperam ponitur, pro ex.* De prouincia *venire, qui se dicit, dicit perperam. Imus enim* in prouinciam, *vt, in nauem, vt in Circum.* Eximus è prouincia, *vt è nauibus, è Corsica.* De prouincia *existimamus, cùm de ea bene aut malè prædicamus.* De naui *dicimus, cùm longa an oneraria sit, rogamus.* De Circo, *cùm Flaminius, an Maximus.*

Viciosè dicitur, Senatum haberi apud ædem *Apollinis, quod* in æde *dici oportet. Et* de senatus sententia *viciosè: nam debent dicere, vt ex mea sententia, ex tua sententia: sic,* ex senatus sententia. *Item quidam dicunt,* de senatu ire, *dici potius, quàm* è senatu: *quòd de eo, quo inimus dicimus, in: de, cùm redimus.* Ex senatu eiectus *potius quàm* de senatu.

Malè imperant qui dicunt, de tabulis *quid dicere. De tabulis enim is dicit, qui eas laudat, aut culpat:* è tabulis *is dicit, qui quod est in his scriptum, recitat è scripto, quæ pronuntiantur.*

A capite demta *quæ vocant, malè appellant, quod sunt* de capite demta, *non à capite.* Ad caput additum *rectè dicitur, si est extra caput quod additur.*

Qui transcribunt tabulas, *non describunt, sed exscribunt, qui quales sunt scribunt, id est, tribuunt.* *

A scena, *venit spectator:* è scena *venit, qui egit. Contrà* spectator e theatro: à theatro actor. De scena *loquitur, qui de ea bene an malè ornata sit, loquitur:* In scena *pronuntiat, qui hoc idem subtilius vult dicere, non* in scena, *sed* pro scena *dicit, pronũtiare actorem* in scena *significanter Græcè dicimus.* † E scena *actor exit, venit in pulpitum, ac vestibulum:* in scena *itaq; actor est, cùm eò venit.*

Prodire *dicimus, qui domo excedit:* Procedere *qui eo quod ducit producere.*

Pro rostris *dici oportet, cùm is qui concionatur, his dicit, qui ante rostra sunt.* Pro rostris *enim* & ante, *idem sunt.*

In rostra *ascendit,* è rostris *descendit:* de rostris *dicit, qui ea eiusmodi sint, dicit.* †

In concione *stat,* è concione *venit,* de concione *dicit.*

Inscribunt quidam literis, Datæ è Gallia: *Item,* Datæ in Roma *viciosè: nam sic dici oportet,* in Gallia, *&* Romæ. Dantur *enim* in loco, *afferuntur* è loco: *sequitur vt dentur* in Gallia, *&* Romæ.

Agellij.

Adoptatio *dicitur, quòd per prætorẽ fit:* Arrogatio, *quòd per populum.*

Auarus *appellatur, qui auidus æris est.* Locuples, *qui multas possessiones tenet.*

Lex *est generale iussum populi aut plebis, rogante magistratu.* Plebiscitum *est lex, quam plebes, non populus accipit.*

Rogatio *est, siue cùm populus, siue cùm plebs rogatur,*

© Biblioteca Nacional de España

gatur, siue quod ad vniuersos pertinet, caput ipsum, & origo, & quasi fons.

Populus est, *in quo omnis pars ciuitatis, omnesq; eius ordines continentur.* Plebs *ea dicitur, in qua gentes ciuium patritiæ non insunt.*

Qui mentitur, *ipse non fallitur, sed alterum fallere conatur:* Qui mendacium dicit, *ipse fallitur.* Qui mentitur, *fallit quantum in se est:* Qui mendaciũ dicit *ipse non fallit, quantum in se est. Ita Nigidius.*

Necessitudo *dicitur pro eo, quod necessum est.* Necessitas *pro iure officioq; obseruantiæ affinitatiq;.*

Errare *dictũ, ἀπὸ τοῦ ἐρρῆν.* Hallucinari *ex eo, quod Græcè dicitur ἀλύειν.*

Qui vnum quid maturè transigit, is properat: *Qui multa simul incipit, neque perficit, is* festinat.

Vani *dicuntur, non (vt vulgus dicit) desipientes aut hebetes, aut inepti: sed vt veterum doctissimi dixerunt, mendaces & infidi, & leuia inaniaq; pro grauibus & veris astutissimè componentes.* Stolidi *vocantur non tam stulti, & excordes, quàm tetri, & molesti, illepidi, quos Græci μοχθηρὸς, καὶ φορτικὸς dicunt:*

Venæ *suapte vi immobiles sunt, & sanguinis tantùm demittendi gratia explorantur.* Arteriæ *motu atque pulsu suo habitum & modum febrium demonstrãt.*

VOCVM ALIQVOT APVD TERENTIVM EXPLICATIO.

E veteribus membranis.

HEus, Ohe, Eho, Ehodum, *vocandi.*
Antehac, Quoad, Posthac, *temporis.*
Vsquam, Vspiam, Nusquã, Quopiam, *loci.*
Amâbo, Sodes, Hem, Mea tu, *blandientis.*
Pol, Edepol, Castor, Hercle, *iurandi.*
Eu, Euge, Eia, Age, Agedum, *hortandi.*
Nullus, *pro non.*
Vtut, *qualitercunq;.* Vbiubi, vbicunq;. Cuicui, cuicunq;.
Heu, Heu, *dolentis.*
Hui, Phy, Papæ, *admirantis.*
Vaha deridentis vel indignantis.
Atat, *expauescentis.*
Ha ha hæ, *deridentis.*
Heu heu, au au *flentis.*
Nequidquam, *frustra.* Neutiquam, *nullo modo.*
Itidem, *similiter.*
Apprimè, *Valde.*
Atqui, *Certè.*
Potis est, *potest:* Pote, *potes.*
Etsi, tametsi, *pro, quamuis.*
Quî, *quare vel quomodo.*
Quàm, *quantùm.*
Maximè, *sæpe pro libenter.*
Eccum, *ecce eum vel ipsum.*
Ecca ipsa. *ecce ea ipsa.*
Hicce, *pro hic,* hiccine, *pro hicne:* hijce, *pro hij:* istoc cine, *pro istône:* huiusce, *pro huius:* hijscine, *pro hiisne.*
Illaclon', *pro illaclóne.*
Malùm, *interiectio.*
Tute, *tuipse.*
Scelus *quandoq; pro scelesto.*
Periculum, *pro experientia.*
Res, *pro prædijs vel vtilitate.*
Facinus, *quandoq; factum.*
Mala, *maxilla.*
Dica, *scedula.*
Angiportum, *via arcta.*
10 Occipio, *incipio.*
Cesso, *tardo.*
Faxo; faxim, *pro faciam vel fecerim:* faxint, *facient, fecerint.*
Dedo, *do:* dedim, *dabo:* duint, *dent.*
Scies, *pro sis:* Sient, *pro sint.*
Face, *pro fac.* Adduce, *pro adduc.*
Mitte, *pro dimitte.* Rogo, *pro interrogo.*
Offendi, *pro inueni.*
Mane, *pro auscultа.*
20 Opperior, *expecto.*
Percontor, *inquiro.*
Maturo, *accelero.*
Obtundo, *eneco, de magna modestia.*
Concedo, *obœdio.*
Exigo, *expello & sperno.*
Arcessor, *vocor.*
Vereor, *timeo:* Reuereor, *obseruo.*
Calleo, *callidè scio.*
Abnuo, *nego & subtraho.*
30 Refello, *contradico.*
Gannit, *latrat, inaniter loquitur.*
Disperij, *per deos perij.*
Posterdie. *pro postridie, hoc est, postero die.*
Astu, *astutia vel prouidentia.* Astu *pro ciuitate.*
Misere *interdum pro immoderatè.*
Præuiso, *videre desidero.*
Sedulò, *intentò,* vtiliter, *studiosè,* exanimo, *sine dolo.*
Ambages, *verba frustratoria.* Phaleræ, *insidiosa.*
40 Clientela, *seruitium vel multitudo clientum.*
Conclamatum, *satis dictum.*
Facessere, *libenter & cum desiderio facere.*
Id propterea, *propter id.*
Ostentare, *vanè se iactare vel ostendere.*
Propediem, *breui vel cito.*
Diem, *breue tempus:* Aetatem *tempus longum significat, aduerbialiter.*
Debacchari, *furere, à furore non cessare.*
Despicatus, *despectus.*
50 Aerumna, *molestia vel miseria.*
Flocci facere, *contemnere, despicere.*
Lacessere, *prouocare.*
Suffarcinatus, *succinctus.*
Iurandum, *pro iusiurandum.*
Exemplum facere, *id est, pœnam constituere.*
Potesse, potis esse, *posse.*
Quis *pro qui.* Quiuis *pro quæuis.* Quisnam *pro quænam.*
Sycophanta, *pro comedone.*
60 Succenturiatus, *sub centuria positus.*

FINIS.

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

INDEX IN ISIDORVM QVORVM PRIORE PARTE NOMINA APPELLATIVA posteriore, propria, locorum, animalium, herbarum, gemmarum, atq; id genus alia continentur.

A

Banætæ 467.46
abauus 222.55
abba 176.34
abies 416.48
abiuratio in iure 107.7
abnepos 224.23
absinthium 428.4
absis 369.19
abstemius 502.39
abyssus 324.6
accentus 14 27
accipiter 307 32
accusator 443.36
acetabulum 488.46
acetum 486.41
acidum, substantiuè, vinum vile, seruis aptum 486.45
acies 439.15
acies 2 8 16
acinus 409.56
acitabula 76.1
acitabulus, mensura 401.55
acolytus 175.52
actio finium regendorum 104.34
actores 210.58
actuariæ naues 455.21
actus 373.49. & 60
actus 376.6
actus quadratus 373.53
acupicta vestis 469.49
acus 477.43
adamas 389 59
adnepos 224.25
adolescens 272.61
adolescentior 273.47
adoptiuus 223.43
adoreum 407.8
adulterium 106.38
adultum ver 114 34
æquimanus 237.51
æquor 318.47
aer 315.2
ærarium 367.5
ærarium 394 4
aeris flos 397.47
ærugo 397.51
æs 396.39
æstas 114.42
æstiua loca 350.56
æstus 322.33
ætas 116.2
ætates hominis 271.
ætates mundi 116.14
æther 313.59
affluentia 482.18
ager 371.53
ager aruus 372.9 consitus 10. pascuus 11. florulus. 12. compascuus 23
agger 370 26
agger 374.47
agiauia 455.60
agitator 446.60
ἄγυρα 456.37
agmen 218.36
agnati 224.37
agredulæ radæ 301.32
ἀγῶνες 445 21
ala 264 5
alabastrum 490.12
alæ 218.31
alæ 264.16
alæ 302.48
alea 451.25
alibrum 475 57
alimentum 482.16
alimonia 482.14
alimonium 482.20
alites 302 36
alites 309.16
alleluia 142.4
alluuius ager 372.26
altare 366.44
alueus 489.60
alumen 377.35
aluus 270 12
amalapus 496.8
ambegnæ oues 498.24
ambitus 107.9
ambitus 376.2
amen 142.7
amentum 440.12
amentum 440.17
amineum vinum 486.16
amnis 324.45
amœna loca 350.46
amor fœmineus 273.41
amphitheatrum 362.57
amphitheatrum 450.9
amphitaba tapeta 474.4
amphora 403.5
ampulla 489.22
amurca 420.8
anaboladium 473.35
anachoritæ 179.26
anagliphæ 488.26
analogia 21.41
analogium 366 54
anchora 456.36
anchiæ 477.41
anciromacus 454.23
ancillæ 221.34
anciilæ 442.19
angeli 158.21
angulus 369.4
anima 258.62
annua 306.14
animaduersio 109.46
animalia in aquis degentia 301. 54
animantia bigenera 285.7
annales 36.44
anni curricula 114.28
anni tempora 114.25
annona 483.19
annorum varia genera 115.18
annotatio 22.13
aquina 457.38
antecænia 483.10
ancella 496.34
antennæ 456.1
antes 368.50
antichristus 194.10
antephona 141.21
antiquarij, librarij 132.47
antistare 500.40
annus 115.6
annus bisextus 138.36
annus communis 138.17
annus emboliſmus 138 22
anuli 478 47
anulorum vsus apud veteres Romanos 478.53
anulus 115.9
anus 273.62
apex 442.54
apex 476.57
apire 476.58
apis 309.42
apodyterium 363 40
apogeum 365 8
apologeticum 129 50
apophoreta 488.42
apostatæ 192.29
apostoli 170.59
apotheca 367.26
aqua 318.46
aqua 324 14
aqua 485.40
aqualiculus 270 27
aquarum varijs in regionibus diuersitates 319.1
ara 366.39
ἄρα 366 41
arapennis 373.54

© Biblioteca Nacional de España

aratio 405.43
aratrum 494.50
arborum varia genera 411. 16
arbusta 411.25
arca 490.62
archangeli 158.40
arcifinius ager 372.28
arcumen 423.59
arcus 369.30
arcus 441.33
area 372.47
area 373.20
arena 380.4
arena 461.40
arenaria pila 452.49
argentaria creta 376.25
argentum 395.11
argentum viuum 396.15
argilla 376.17
argilla 488.10
argumentum 130.38
aries 280.23
aries 441.51
arista 407.52
arioli 190.58
arithmetica 63.
arma 438.60
armamentarum 367.12
armarium 367.11
armenta 279.51
armi 264.2
armelausa 470.18
armillæ 478.20
arra 105.4
arra 233.21
arrabo 233.17
ars 1.15.5.35
arsis & thesis 13.4
artaba 403.21
artemo 457.1
arteriæ 263.28
articuli 8.46
artus 265.6
aruales fratres 494.6
aruina 265.42
arundo 419.12
aruspices 190.62
aruspicinæ 192.2
aruus ager 372.9
ascia 467.8
ascillæ 264.18
asellus 282.46
asseres 466.27
assiduus 237.31
assum 484.11
astrologi 191.20
astronomia 77.1
atauus 222.56
atomi 312.5
atramentum 494.53
atrium 364.19
auctio 500.41
aues 302.34
augures 191.6
augures 309.11
auiaria 411.51
auium varia genera 302.10
aula 364.17
aulea 474.20
aumanum 501.47
aura 318.20
aurigæ 446.57
aurora 112.58
aurum 394.48
auspicia 191.9
austra 495.57
authores rerum rusticarum 405.1
autumnus 114.45
auus 222.52
axis 78.48
axis 314.13
axungia 484.26

B

Baculus 494.12
baionula 492.58
balanitæ uvæ 410.27
βάλανος 417.51
balista 441.40
baltheus 479.35
βασιλεὺς 215.30
basilica 366.30
baptismum 143.60
baratrum 351.36
barba 262.23
barca 454.30
bases 369.45
bases 461.53
basterna 494.8
batanula 492.57
batin 468.12
batus, mensura 403.1
baxea 480.49
baxeæ 482.7
beatus 237.53
bestiæ 285.19
bibiones 310.51
bidentes 280.13
bigæ 447.34
bibliorum libri 123.
bibliorum interpretes 128.22
biblicorum nominum etymologiæ 160.56
bibliothecæ 127.54
bigamus 234.3
bigenera animalia 285.7
biremes 455.16
birrus 472.52
bipennis 466.62
bisextus annus 138. 40
byssus 474.50
blaterare 499.28
blattæ 310.23
blatteus color 475.38
bombycina vestis 469.11
bona 104.11
bonorum possessio 104.20
boues Lucani 286.45
boia 108.5
bracæ 470.24
brachia 264.6
bracile 479.57
bractea 394.58
bracteæ 482.7
bruma 114.48
bucina 438.23
burgarij 220.32
burgundiones 220.34
buris 494.52
buprestis 310.16

C

Cacabus 490.35
cadauer 274.39
cadus 403.10
caduca hæreditas 104.25
caduceatores 196.36
cæna 483.22
cælata 488.22
cæsaries 260.51
calamus 74.18
calamus 132.59
calamistrum 494.36
calamistratus 240.15
calamistrati 494.38
calamites raræ 301.29
calathum 475.59
calathi 489.19
calare 138.51
calare ponere 132.60
calcaneus 268.25
calaticum hordeum 407.31
calcabra 496.44
calceus 480.34
calcus 400.19
calculus 379.33
calculum 479.52
calculi 451.34
calculi 452.26
caldarium æs 397.26
calx 461.26
calx 379.56
calcis 286. 24
calendæ 113.62
calendaria 36.42
caligo 316.55
caliculæ 374. 62
calix 489.19
calones nauiculæ 454. 21

caluaria

© Biblioteca Nacional de España

caluaria 260.41
calumnia 106.27
cama 492.54
camisia 470.21
caminus 458.62
camus 496.27
camera 369.8
campana 400.13
campus 350.11
campestria 468.40
cannabum 474.47
candida siue cretata toga 471.55
candela 492.4
candetum. 374.2
canalis 374.4
canalis 462.8
canon 133.55
canones Conciliorum 133.60
canones Euangeliorum 133.17
caniculæ 496.8
canicula 84.62
canistrum 491.22
canities 273.6
canterium 467.21
canticum 141.25
camisia 467.46
capanna 371.42
cappa 477.20
capulus 439.16
cupulus 493.15
capulum 496.42
capularis 500.27
capus 307.45
caput cæli 79.19
capitulum 477.19
capilli 260.45
capsus 493.62
capistrum 496.32
capitolium 362.42
capitolia 369.58
capitella 461.57
capitilauium 140.8
caprioli 409.4
carabus 455.33
carbo 459.4
carcer 108.6
carcer 364.1
carceres 446.49
carceres 108.12
carcinias gemma 392.49
cardo 373.13
cardo 368.42
cardines 314.17
cardines mundi 312.2
cardines cæli 79.1
cardinales 318.11
caries 413.7
caro 259.41
carnes 484.3
carpentum 493.56
carracutium 493.60
carrum 493.48
caracter 496.52
carchesia 456.12
carenum 487.11
carina 455.50
carpasia nauis 454.7
carta 131.10. Augustea Liuiana Hieratica Tenetica Saltica Corneliana Emporetica 131.10
cartilagines 266.14
casa 371.33
casula 472.46
cæseus 485.4
cassis 458.12
castrum 361.28
castri 310.2
castra 217.24
catena 494.39
catenæ 107.60
catechumenus 177.5
catellæ 478.13
caterua 217.32
catinum 489.43
catillare 500.20
catus 285.23
catuli 288.21
caulæ 370.41
caulacus mensura 401.53
caulis 431.30
caupolus 455.31
caupo 240.25
causa. pragma 101.17
causæ redintegratio 106.1
cautor 175.42
cautes 379.22
cauterium 496.55
cauterium hordeum 487.27
cedria 417.3
cedere 105.45
celia, genus potus 487.26
celia 487.26
celata vasa 459.45
cella 364.48
celebritas 139.18
celoces 501.40
celones 455.12
cementum 460.26
cementum 368.57
censere 219.37
censores 219.36
cento 34.47
centenum 407.36
centenarium ponderis genus 401.31
centrum 466.56
centura ager Cingerum 374.9
centuria 217.37
centuriones 217.37
centupeda 293.52
cernui socci 482.3
cerauniæ uvæ 410.11
ceræ scriptoriæ 130.50
ceremoniæ 143.17
cereus 491.64
certamina 445.21
ceruix 263.53
ceruicalia 472.55
ceruisia 487.23
cespites 412.3
cessio 105.44
chalybs 397.59
chœnix 402.3
chelidoniacus gladius 439.41
chirographum 103.17
chlamys 471.37
chorus ecclesiasticus 141.2
chrisma 144.26
chronica 110.9
cibus 481.39
cibutum 491.3
cicatrix 94.39
ciconia instrumentũ rusticũ 496.5
cicuta 419.16
cicuta 428.59
cidaris 477.1
cilium 459.45
cilio 488.24
cilia 262.1
Cilicia 474.30
cillere 264.21
cima 431.37
cimæ 412.38
cimicia 427.58
cinctus 479.29
cinctus Gabinus 471.60
cingulum 479.43
cingula 496.36
cinis 375.27
cinis in agricultura quid sit 405.41
circumtextum 472.17
circus 362.52
circus 445.60
circinus 466.53
circulus 261.9
circenses ludi 445.49
circumluuium 351.10
cistella 502.13
cistella 491.27
cithara 74.43
citharæ barbaricæ forma 75.10
citicula 96.30
ciuitas 360.27
ciuitas 361.3
ciuitatum varia nomina & authores 353
ciues 218.46
classis 442.50
classis 454.21
classes 218.20
classica 438.53
clauus 456.22

© Biblioteca Nacional de España

claua 440.20
clauati loci 482.4
clauis 494.39
claui 466.32
clerici 174.59
clibanus 367.52
climata, mensura 373.51
climata 79.24
cliuosum iter 376.7
cloaca 362.75
clodus 240.29
cliuus 367.53
clunes 267.13
clunabulum 439.39
clypeus 442.10
coclear 488.48
cochlear, mensura 401.48
cochleæ 363.28
cochleaticus lapis 460.46
coctum 484.8
codex 409.12
codex 132.23
codicellum 102.39
codicelli 130.44
condi 500.34
cæcus 240.30
cæca vox 73.40
cæcula 293.50
cælum 313.35
cælum 78.1
cœnobium 365.59
cœnum 375.26
cœnaculum 364.37
cœtus 134.61
cælebs 238.45
cælibatus 501.43
cohors 217.59
cohors 370.15
cognati 224.43
colatum vinum 486.27
collegiati 220.37
collum 263.49
collis 350.2
colobium 469.61
colum 475.52
colonia 361.7
coloni 221.1
colores 463.28
colores equorum 283.47
colorum species 475.5
columbinus lapis 460.48
columbaria 455.54
columnæ 369.49
columstrum 485.7
columnæ 461.44
communis diuisio in iure 104.40
comæ 260.54
comœdi 449.26
commercium 105.58
commentaria 129.49
commissura 466.36
compascuus ager 372.23
compagia 265.61
cometes 85.11
conopeum 458.16
compedes 107.57
competens 178.1
competa 375.10
competa 371.36
compluuium 369.40
comitialis morbus 91.27
commodum 104.47
communicantes 483.26
conchilium 475.8
concha 488.40
concilium 134.54
concilia œcumenica 134.11
conciliatrix 240.42
concentor 175.49
concula, mensura 401.51
conditiones 103.39
conditum, vinum 486.46
conductio 104.40
confessio 146.49
congerrones 502.10
confrages 350.26
congius 402.5
congiarium 402.13
coniugium 234.22
coniuges 233.31
coniuratio 218.8
connubium 234.27
consanguineus 224.50
conscripti 217.1
constructio 460.3
constitutio 100.37
consultum 99.23
consul 214.23
consul suffectus 256.33
constellationes 191.29
costræ 310.2
contagium 90.57
continens 351.17
controuersia 40.29
contus 440.1
conticinium 112.40
contubernium 234.37
conualles 350.10
conuiuium 481.27
conuexa cæli 79.7
conuexa cæli 314.27
conuulsus 240.37
cophinus 491.29
cor 268.44
coragium 501.20
corallius 380.16
corbes 491.31
corimbi 409.48
cordæ 75.4
coriti 441.18
corium 265.35
cornua 218.34
cornua in antemnis 456.11
cornua 456.4
coronarium æs 397.15
corona 261.40
corona 476.27
corus 403.25
corpus 259.38
cortex 412.17
cortinæ 474.23
cos 379.40
costæ 266.20
costæ 267.47
coturni 480.43
coturnix 308.19
cotula 401.56
crabrones 310.10
crapula 482.40
cratera 489.4
crates 461.20
creatores 222.31
crementum 258.50
cretio 102.50
creperum 112.38
crepido 379.19
crepida 480.29
crepusculum 112.37
creta cimolia 376 21.
argentaria. ibid.
cretata siue candida toga 471.55
cribrum 490 50
crimen 106.6
crines 260.59
crinitæ 85.14
crisentita vasa 488.25
crudum 484.5
crudum vinum 486.40
cruor 369.9
crura 269.5
crusta 483.48.55
crustæ 462.40
crustula 483.54
cubitus 264.10
cubitalis lusus 452.52
cucullus 308.37
cuculla 472.48
cucuma 490.35
cudere 459.22
culcitræ 473.60
culex 310.42
culeus 109.40
culeus 502.26
culmus 407.53
culmen 369.5
cultelli 494.56
cultura agri 405.38

© Biblioteca Nacional de España

culponiæ 482.5
cunabula 493.10
cuncus 218.17
cupa 489.53
culpæ 466.23
curia 362.31
cunales 220.20
curcubæ 457.20
currus 447.17
curricula anni 114.28
cuspis 440.54
cursus 444.50
curtum nauigium 454.20
cutis 265.27
crux 209.23
cyathus 401.52
cyathi 489.12
cyclus paschalis. 135.6
cyclica carmina 135.22
cylindrus 495.23
cymbala 76.1
cymba 455.49
cymbia 489.13

D

Dactyli 410.9
dæmones 193.42
Dalmatica vestis 468.59
damnum 107.53
dapes 482.29
decumanus 373.15
decuriones 220.16
decursus 324.47
dedicare 142.52
deditio 221.56
dedititij 221.55
defensores 219.62
defrutum 487.9
defunctus 274.47
dei varia nomina 147.26
delenificus 501.50
deliciæ 482.30
dentes 263.1. *canini* 263.4 *colomelli* 263.10. *molares* 263.11
dentale 494.54
depositum 104.58
deserta 350.37
desertor 216.57
desidro 501.23
desperatus 241.23
desultores 448.1
dextra 264.30
dextralis 467.7
deuia 380.40
δευτερώσεις 179.51
diabolus 193.56
diadema 477.8
dialectica 50.35
dialogi 129.34
diapsalma 141.40
diarium 36.38
dictator 214.41
dies 110.30. & 50
dies dominicus 140.29
dies palmarum 140.2
digamma 4.22
digiti 264.44. *pollex* 264.47. *index* 264.49. *salutaris. ibid. Impudicus* 264.50. *Anularis* 264.52. *medicinalis* 264.53. *auricularis* 264.55
digitus, mensura 373.39
dij gentium 192.36
diluculum 112.56
diluuia varia 328.8
diluuium. *ibid.*
diobolares 501.2
disciplina 1.7
discrimina citharæ 74.62
discriminalia 477.38
discriminare 477.39
discus 488.29
disseptum 270.1. *intestinum cæcum* 270.3
distichon hordeum 407.30
diuidicè 501.15
diuini 188.3. & 190
diuisio communis in iure 104.30
diuortia 375.5
diuortium 224.42
dogma 178.9
dolabra 467.5
dolium 489.53
dolon 456.62
dolores 441.27
dolus 106.22
dominicus dies 140.30
domus 218.49
dona 142.37
donaria 367.3
donatio 103.24. *vsufructuaria* 103.33. *directa* 103.36
dorsum 266.31
dragma 400.37
dromones 454.16
duella 400.54
duellum 435.22
ductile æs 397.24
duracinæ vuæ 410.6
duum virales 220.27
dux 215.51

E

Ebur 384.10
ecclesia 177.1
ecclesiastica officia 174
eculeus 108.39
edentulus 500.33
edictum 100.37
edor 407.10
edulium 280.37
edulium 501.29
ἐλύειν 267.11
elbidus color 475.29
elixum 484.12
elogium 502.30
elbum 475.30
emboliſmus annus 138.26
emeritus 216.33
emicadium 490.9
emina 401.61
emissis 489.15
emporetica carta 131.20
emptio 103.20
encænia 139.59
enchiridion 96.5
ἐνθήκη 367.29
epactæ 138.53
ephemeris 36.38
ephod 467.57
epidromos 456.59
epigri 466.30
epipata 435.22
epiphania 139.31
epistilia 369.59
epistilia 461.59
epistola 130.41
epulæ 482.26
equorum colores 283.47
era 115.23
ergasterium 367.34
ergastula 367.37
erugo 398.39
esca 481.39
etesiæ 318.13
ethnici 192.22
etymologia 22.10
euangelicorum nominum etymologiæ 173.1
euocatio 218.4
examen frutinæ. 400.10
exceptor 220.30
excerpta, id est, scholia 129.25
exconsul 214.39
excubiæ 217.12
excubitores 217.9
exequiæ 274.41
exercitus 218.18
exercitus 501.47
exilium 109.7
exomologesis 146.34
exorcismus 144.49
exorcista 175.61
expositio 129.49

F

Faber 458.23
fabrè 502.15
fabulæ 141.60
facies 261.5
facies cæli 79.19

© Biblioteca Nacional de España

facinus 106.9
facitergium 474.16
factum numisma 395.56
falarica 440.31
falcastrum 495.2
falsitas 106.29
falx 494.59
fama 108.60. & 109.2
familia 218.54
familia herciscunda 104.27
famuli 221.28
fana 366.13
farcimen 484.44
farina 483.57
farrago 407.45
fas 99.12
fascia 480.5
fasciculi fœni 438.13
fascidia 480.13
faselum 408.35
fasti 129.60
fatum 199.62
fautes 263.26
fauces 350.22
fauilla 375.27
fauilla 459.2
fauus 485.26
fax 492.20
febris 89.52
fecinia vua 410.22
fecula 487.3
fel 269.50
femoralia 470.23
fenestra 368.34
feræ 285.20
ferax pugna 451.5
ferculum 501.35
feretrum 441.13
feretrum 494.13
feriæ 111.38
feriæ 147.7. in=
dictæ 148.1.
legitimæ 148.1
fermentum 483.62
ferrugo 475.25
ferrum 395.57
feruidum 459. 40
ferula 430.32
festiuitas 139.12
fex 487.34
fibræ 269.38
fibrinum 474.52
fibula 479.53
fabulæ 478.27
fistilia 487.55
fideicommissum 102.59
fides 102.60
fides 178.21
fidicula 74.57
fiducia 105.16
fila 476.5
filij Dei variæ appellationes 151.
20
filius 222.61
fimbriæ 472.60
fines agrorum 372.59
finium regendorum actio 104.34
fisclum 495.49
fiscus 491.20
fistula 74.20
fistulæ 374.7
fistulæ 462.11
flagella 409.26
flagella 412.35
flagitium 106.11
flagra 108.14
flamines 174.60
flamma 458.58
flascæ 469.30
flocci 501.25
flores 412.41
flos æris 397.47
fluctus 324.12
fluuius 324.32
focaris petra 380.58
focus 491.39
fodere 411.13
fœdus 436.38
fœmina 267.43
fœminæ 273.37
fœmineus amor 273.41
fœmora 267.40
fœnum 431.14
folia 412.39
folia librorum 133.1
follicullus spicæ 407.55
forcipes 459.36
fores 368.29
forfices 494.21
fori nauium 455.51
formatum 370.34
formum 243.81
formosus 459.40
fornax 458.60
fornices 369.31
forpices 494.23
fortuna 200.27
fossorium 495.15
forus 362.25
forus 367.59
forum 441.60
foruum 459.39
fragmenta 483.53
fragor 318.37
framea 439.23
franciscæ 439.37
fratres 224.56
frena 496.17
frendere 89.56
frenusculi 94.22
fresa faba 408.32
freta 322.40
fretum 322.34
fribola 224.49
friboluin 224.46
friguttire 500.5
frixum 484.16
frandes 412.5
frons 261.14
fructus 412.47
frumen 406.44
frumen 484.37
frumenta 406.41
fruftum 484.36
frutex 411.34
fucata 463.9
fucus 310.4
fulcra 473.52
fulgere 315.49
fulgur 315.48
fulmen 315.48
funalia 492.8
functi 220.6
funda 441.39
funda 458.4
fundamentum 378.56
fundamentum 460.26
fundibalus 441.44
fundus 311.1
fundus 371.1
funes 457.12
funis 273.36
furca 109.25
furcifer 244.15
furcillæ 495.32
furfures 483.58
furfuria 309.2
furnus 367.55
furo 285.27
furtum 106.59
furunculus 94.17
fustes 108.20
fustes 494.16
fusus 475.55

G

Galerium 476.60
galla 417.48
Gallicinium 112.51
garrire 263.43
garum 487.36
gauli 305.30
gazetum vinum 486.29
gazophil..zium 490.57
gehenna 352.27
gelu 316.34
gemini 223.48
gemma 384.26
genæ 362.10
genethliaci 191.22
geniales lecti 493.8
genitalia 267.18
genitor 222.29
genius

© Biblioteca Nacional de España

Genius 199.55
gentiles 192.16
gentium vocabula 203.48
gentium diuersarum proprietates 471.8
genua 267.53
genus 257.39
genus 218.56
Geometria 69.58
gerinen 412.45
Gigantes 276.24
Gymnasium 362.35
gymnasium 444.34
Gynæcium 367.42
gingiuæ 263.18
gipsum 491.52
gipsum 461.36
girgillus 495.59
glacies 326.32
gladiatores 650.23
gladij 439.16
gladius 439.10
glandula 417.48
glaucum 283.60
glaucus color 475.28
gleba 375.30
glisceré 286.4
globus silex 461.5
glos 234.18
glossa 22.48
gnatus 223.6
gradipes 303.19
grando 316.27
graphium 130.60
gubellum 476.10
gubernator 435.14
guberaio 435.14
gunia 467.21
gutta 324.22
gurgulio 310.55

H

HAbenæ 469.29
Hæres 222.17
hæreses Christianorũ 180.18
hæreses Iudæorum 179.42
hæresis 179.7
hallucinari 502.22
harpax 496.10
hasta 430.60
haurit 446.58
hebdomada 113.1
herciscunda familia 104.27
hæreditas 103.56 intestata 104.22 caduca 144.25
heroas 200.55
hesternum 112.3
hexaticum hordeum 407.25
hibernus 114.53
Hippagogæ 455.23
historia 35.57
histriones 449.38
hyems 114.47
hymnus 141.55
hypotheca 105.19
hodie 111.62
holocaustum 143.10
holographum testamentum 102.16
homeliæ 129.30
homicidium 106.44
Hominis ætates 271.50
homo 257.60
honorarium vinum 486
hordeum 407.23
horologium 494.41
Horoscopi 191.39
hortus 431.21
hospitium 364.56
hostiæ 143.3
humare 264.54
humeri 263.63

I

IActus 444.56
iactus 452.11
iactus tesserarum 452.17
iacula 451.47
iaculum 458.5
iaculum 444.57
ianitrices 234.14
ianua 368.18
ianuæ cæli 79.15
ianuæ cæli 311.33
icon, saxum 379.26
ictus 108.31
idololatria 193.23
idolum 193.30
idus 114.3
iecur 269.30
iciunia 270.5
iciunium 145.45
ientaculum 483.4
ientaculum 501.27
infamium 108.56
ignari 262.39
ignis 458.53
ignominium 108.52
ilex 416.12
ilixm 267.10
ilum 430.32
imago, saxum 379.28
imbres 316.21
imbrices 461.13
imbuli 362.22
immolatio 142.55
immunis 247.3
impetigo 93.33
implagium 457.61
inaures 477.46
inbrumali 114.52
incantatores 190.56
incessum 458.13
incentor 246.16
incestus 107.21
inciti 452.28
inciti calculi 451.28
inciti homines 452.29
incola 221.20
incubi 202.5
incus 459.20
indigenæ 221.18
induciæ 436.47
inerticula vua 410.41
infans 272.21
infectum numisma 395.26
infernus 352.26
infertum vinum 486.31
inferus 352.27
inficiatio, in iure 107.6
insula 476.51
ingenui 221.42
inhonesta 267.25
iniuges boues 499.15
iniuria 106.30
innubia 233.45
inofficiosum testamentum 102.21
inquilini 221.9
inquisitio 443.10
insitio 411.58
instar 460.21
instaurare 460.22
instructum 105.30
instrumenta equorum 496.46
instrumentum 105.28
insula 342.57
insularum varia nomina 342
insulæ Vulcaniæ 346.55
insubuli 475.48
intempestum 112.42
intestina 269.54
integri restitutio 105.62
intercalares 138.50
intercilium 262.8
interdictum 105.51
interfinium 262.49
intermissio in re rustica 406.1
internecio 160.51
intrepretes Bibliorum 128.22
interscapilium 266.40
interualla 370.22
intestata hæreditas 104.22
intus pro incus 459.24
inuestis 247.58
inuitare 482.12
irrigare 324.50
iscus 408.29
iscurra 247.61
iscia 484.56
isis 199.28
iter 374.54
iubar, id est, lucifer 85.20
Iubileus 115.43
iudex 443.34
iudices 219.40
iuga 350.4
iugerum 373.58
iugula 84.43

© Biblioteca Nacional de España

iumenta 279.43
iura 104.1
iurgium 443.20
ius 99.16
iusticium 501.17
iuuenis 273.1
iuuencus 281.55
ius ciuile 99.50 gentium 99.50 militare 99.59 publicũ 100.8 Quiritum 100.12 liberorum 102.37
ius coquinæ 485.1

K

Καδος 489.42
κατάσκοπος 454.28
κελητες 455.13
κιθαρα 74.48
κωνος 442.55

L

Labia 262.54
labina 375.33
Labyrinthus 362.61
labrum 489.59
lac 265.20
lac 485.9
lacerna 472.33
lacerti 268.37
lacrimæ 261.60
lactatum 486.48
lacteus circulus 314.30
laculata Vestis 469.4
lacunaria 462.28
lacunaria 492.6
Lacus 323.12
lacus 368.6
lacus 495.41
lacus Italiæ 338.56
lacuum varia genera 327.10
Lagena 489.30
Lana 474.34
Lancis 480.39
lancea 449.14
Lapides varij generis 380
lapides varij 460
lapis 379.8
laquearia 369.11
laquearia 462.27
lequearij 450.54
Lardum 484.21
laruæ 291.16
laruatio 91.24
laterculi 461.16
laterculus, pro cyclo 135.23
lateres 370.2
lateres 461.18
laterna 492.22
late 324.20
latomiæ 198.39
latro 248.41
latus 266.22
Lebetes 490.41
lecticæ 462.49
lecticæ 493.3
lectio 141.22
Legio 217.30
legumina 408.19
Lembus 500.54
Leno 248.48
lentigo 93.23
Leges variæ 100.50
Lepra 93.49
lepusculi 451.46
lepusculi, tessere 451.45
letamen 406.8
letania 146.59
læua 264.37
læua 266.27
leuca 374.24
Leuir 234.13
Leuitonarium 470.1
Lex 42.56
lex 99.19.100.24
libare 142.62
libatio 142.58
Liber 132.31
liber 412.16
liberalia 444.17
liberi 223.50
libertus 221.45
libra 461.17
librarij 132.38 & 45
libri ex omentis elephantinis 132.4
libri ex foliis maluarum 132.4
librorum conficiendorum ratio 131.61
licia 476.17
licinium 470.15
Lychniæ oliuæ 419.48
lignum 466.7
ligna 412.56
ligones 495.11
lima 459.43
limbus 455.10
limbus 489.12
limen 368.47
limites 373.1
Limpidum vinum 486.22
limus 375.25
limus vestis 470.10
limus 373.5
linum 459.43
limum 470.13
Linnæ 470.45
linguarum diuersitas vnde orta 201.8
linea 465.51
linguæ 201.21
linguæ 262.58
linostema 469.27
linum 474.37
lintris 455.31
liquamen 487.41
lirni 188.5
lis 443.21
Litera Pythagoræ 2
literarum inuentores 2.12
literatio 1.50
literæ 2.5
literæ mysticæ 2.52
literæ Aegyptiæ 2.23
literæ sacerdotales 2.26 vulgares. ibid.
litostrota 369.33
litostrata 462.50
Lyra 75.18
Littus 351.7
litta 484.12
litta 502.33
locatio 104.38
loculus 491.5
Logicon 468.2
Lolium 431.12
longæ naues 454.16
lorica 442.40
lubricum 350.56
lucerna 491.45
lucitiosus 499.33
luctatio 445.2
lucubrum 492.26
lucus 350.33
lucus 411.44
ludices 473.47
ludi Circenses 445.36
ludorum origo 444.4
ludus equestris 450.22
ludus Gladiatorius 450.11
lues 90.59
lumbare 470.3
lumbi 266.60
lumen 317.9
luna 83.60
lunares adiectiones 138.53
lunulæ 478.30
lunus 479.49
lunapar 448.56
lupati 496.23
lupæ 448.57
luria 486.57
luridus 248.61
luscus 249.3
lustra 350.30
lustrum 115.26
luteus color 475.32
luteum 502.37
lutum 375.35
lutum 461.24
lux 317.9
lux membra 484.14

M

Macellum 363.55
Maceriæ 370.31
Machera 439.21
machil. 467.54
machiones 459.59
mactus 249.18
magalia 371.45
Magister populi 214.48 magi-

© Biblioteca Nacional de España

Magistratus 200.25
maiestatis reatus 107.24
mamillæ 265.9
manales 497.26
mancipatio 105.41
mancipium 221.36
mandatum 103.11
mandibulæ 262.21
manè 111.45
manicæ 108.1
manicleata tunica 468.52
manipuli 348.14
manipulus 217.47
manipulum 431.16
mantilia 474.3
mala 415.53
malæ 262.4
malleolus 409.15
malleus 459.1
malus 456.6
manubiæ 502.44
manumissus 221.50
mannus 284.21
manus 111.50
manus 264.25
manus precium 264.29
manus impositio 144.41
mantum 472.39
manutergium 474.16
mappæ 474.10
marcellus 459.31
marculus 459.32
marcellus 465.54
marcus 459.30
mare 320.15
mare magnum 320.57
margo 351.12
maritima 351.14
maritus 233.3
marmor 382.55
marmor 382.59
marmora varij generis 382.55
marmorum varij colores 383.1
marsupium 491.15
martyres 173.31
martyrium 365 35
martyrij duo genera 173.51
masticinus color 475.37
mastruga 470.56
mataxa 476.8
mater 222 35
materfamilias 222 45
materia 466.10
materia 313.15
mathematici 191.28
matrimonium 234.20
matrix 270.28
matrona 233.54
matutinum 112.53
mauors ornamentum muliebre 473.20
maxillæ 262.19
meatus 267.38
medicina 87
medimna 403.17
medullæ 266.8
mel 485.14
melicratum 486.62
mella 414.30
mel Sardum amarum 485 24
membra 265.46
membrana 131.33
membranarum varij colores 131.49
meniana 364.61
mens 259.23
mensis 259.23
mensium anni etymologiæ 113.10
mensura 373.29
mensura 401.36
menstrua 270.52
mentum 263.37
menus color 475.35
mercatus 105.59
mercatur 363.57
mercenarij 220.44
merenda 483.7
merenda 485.60
merendare 483.20
meretrix 250.34
mergus 307.26
meridies 79.36
meridies 311.30
meridies 111.52
meruni 79.38
merum 111.53
merum 485.50
messis 406.19
mesticius color 475.39
metallum 109.16
metallum 394.40
metra 32.32
metatores 250.22
metæ 446.24
mucro 439.18
mala, Sagmaria 496.40
mulgarium vas 489.57
mulier 273.11
mullei 481.1
mulsum 486.49
mundus 77.51
munera 142.39
munia 220.12
municipales 220.15
municipes 220.10
municipium 361.10
munitum siue munimentum 370.13
munium 361.44
mures 268.38
murus 361.53
musculi 300.62
musculus 442.4
musculus 454.18
musica 71.34
musices vis 72.5
mustum 486.8
mutuum 104.56
miles 216.22 ordinarius 28
extraordinarius 33
emeritus 33 veteranus 33
desertor 57
miliarium 374.29
militia 217.27
mimi 449 47
minores 224 28
minutal 484.46
mioparo 455.6
Myropolæ 501.37
miser 249.54
missa 140.59
mysticæ literæ 2.52
mitra, funis 457.37
mitra 477.37
mitra 477.22
mna 401.20
modius 402 28
modius 456.10
mœnia 361.42
mola 490.48
molaris lapis 460.50
momentum 105.22
momentum 110.20
monachus 176.16
monarcha 215.59
monasterium 365.57
moneta 395.38
moneta, trutina 400.6
monile 477.56
monimentum 371.1
monogamus 233.62
mons vnde dictus 348.31
monstra 275.13
morbus 89.5
mors 273.19
mos 99.22
mozica 491.8

N

Nam 275.40
nares 262 36
Nasiterna 500.45
nassa 458.11
nares 267.11
natura 257.35
naturales 223.40
naualia 350.61
nauclerus 435 12
naues longæ 426.16
naues rataria 454.1
nauis 435.27
nauta 435.27
nebula 316.48
necromantici 190.33
nefrendes 496.19
nefrendes 497 35
negocia pragmatica 101.39
negocium 443.13
nemus 411.41

© Biblioteca Nacional de España

Neomenia 139.51
Neophytus 177.3
nepos 224.7
nepos 251.18
nerui 265.49
neruus vinculum ferreum 100.3
nimbus 477.12
nysticorax 306.7
nix 316.31
nodus 218.24
nomen 6.7
nomina per alphabetum distincta. 235
nominum propriorum Biblicorũ etymologiæ 160.56
nonæ 114.5
norma 465.36
νοσοκομεῖον 365.23
notæ iuridicæ 18.16
notæ epistolarum 18.50
notæ militares 18.35
notæ digitorum 19.5
notæ ponderorum 403.34
notæ sententiarum 16.20
notæ vulgares scribarum 18.4
nothus 223.55
nouacula 494.26
noualis ager 372.33
nouum ver 114.34
nox 112.12
nubes 315.22
nuclei 415.51
numerarij 220.4
numerorum vtilitas 65.20
numerus 64.18
numeri musici 76.20
numisma 395.40
numus 395.45
nuncupatio 102.31
nuptæ 233.40
nuptæ 315.23

O

Obeliscum 446.30
oblaqueare 411.3
obnubere 233.43
obrisum aurum 394.55
obstrigilli 480.57
obulus 400.30
occare 406.14
occatio 406.12
occipitium 260.43
oceani variæ appellationes 320.40
ocreæ 480.41
oculi 261.19
oculi 412.7
Oenoforum 489.27
œnomelum 486.51
œstrum 310.48
offarij coci 484.30
offertorium 142.32
officia Ecclesiastica 140.44
offa 484.28
officia Ecclesiastica 174
oleaster 419.28
olerum varia genera 431.20
oleum 419.61
oleum viride 420.4
commune 420.5
olfacere 262.40
olfactoriola 478.41
olla 490.30
olor 303.48
olus 431.24
omenta elephantina libris conficiendis idonea 132.4
omentum 269.60
ὀμφακὶς 417.49
opifera funis 457.33
ops 329.20
optiones 217.6
opulentia 482.22
oracula 365.40
oræ 110.25
oratio 5.39
oratio 145.9
orbis 329.37
orbita 376.5
orca 196.2
orca 489.46
orcistra 449.12
ordeolus 94.13
ordire 476.19
organum 73.58
oria 499.46
ornamenta circi 446.12
orphani 272.43
orthodoxus 176.61
Osanna 142.21
oscilla 495.33
oscedo 94.10
ossa 266.2
ossæ 480.60
ostiarij 176.4
osticius color 475.39
ostracus 462.2
ostracus 369.37
ostia 351.16
ostium 368.25
ostrea 300.58
ostrum 475.11
oua 309.28
ouis 280.10
ouorum vis 309.38
οὔραγον 263.24
οὔραγος 313.43
oximelum 486.57
oxysalus, mensura 401.54
oti 441.31

P

Pactum 103.1
Pagani 192.12
Pagus 361.33
Pala 495.30
Palæ 266.42
Palæstra 445.6
Palatium 364.24
palatum 263.22
palea 408.5
palla 473.7
pallium 471.30
palma 264.40
palmarum dies 140.2
palmata toga 471.51
palmes 409.28
palmula 456.8
palpebræ 261.44
paludamentum 472.11
palus 372.55
Pampinus 409.34
Panagiricus 129.54
pandorus 74.27
Panicium 407.40
panis 483.29
panis varia genera 483.30
panotios 276.58
panuliæ 476.12
pannutia vestis 469.59
Papilio pro tentorio 370.53
papillæ 265.11
papula 94.18
parabolæ 130.26
paranympha 233.28
parapsis 488.36
parastatæ 456.21
parentes 222.29
paries 368.59
parietinæ 360.1
parma 442.33
paro 455.1
parricidium 106.47
Pascha 139.20
paschalis cyclus 135.6
passum 487.5
pastinatum 495.19
pateræ 489.1
pater 222.24
Paterfamiliâs 222.37
patina 488.38
patibulum 109.25
patratio 222.27
patres 219.24
patres conscripti 219.27
patriarcha 174.11
patriarchæ 166.13
Patricius 216.5
patricius calceus 480.36
pauidus 254.15
pauimenta 461.61
pauimentum 366.32
panire 461.63
pauor 462.1
pausia oliua 419.5
pax 436.36
Pectides 74.52
pecten 494.34
pectines 475.50
pectus

© Biblioteca Nacional de España

pectus 265.6
Peculatus 107.12
peculium 104.14
pecunia 394.60
pecus 279.31
pedes 268.15
pedes poetici 11.48
pedicæ 107.58
pedites 448.8
pelagus 322.5
pellex 254.11
pellis 265.33
pelta 442.27
pelues 490.1
penetralia 365.49
penicilli 301.49
penicilli, spongiarum 301.49
penna 132.61
penna 302.51
penna 466.61
pensum 476.3
Pentecoste 139.20
pennum 467.2
penula 472.32
peplum 473.2
pera 472.54
perendie 112.7
peregrini 221.22
pergamenum 131.30
periscellides 478.38
perones 482.5
perpendiculum 465.46
pertica 373.44
peruasio 107.1
peruicax 252.41
pestilentia 90.48
petalum 468.8
petoritum 494.1
petulans 252.55
phalarix 217.32
phaleræ 496.15
pharetra 441.12
phaselus 454.25
philosophici 51.8
philosophi gentium 185.30
phrenesis 86.55
phrygia vestis 469.49
piaculum 107.28
pictura 463.5
pignus 105.2
pila 96.17
pila 440.44
pila 438.8
pila 452.40
pilentum 494.1
pili 260.48
pilleum 467.50
pilleum 476.62
pilosi 202.5
pilum 96.26
pinnula 262.33
pinnum 262.34
pinum 416.37
pirgus 451.32
pirula 262.47
piscis 296.57
piscibus nomina à terrestribus animantibus imposita 297.9
pistacia 416.34
pistrinum 367.45
pyra 371.20
pyra 492.29
pyxides 496.15
placentæ 483.46
placitum 103.5
placium 474.61
plagæ 108.16
plagæ 458.1
plagæ cæli 79.24
planetæ 83.30.85.32
planetæ 472.49
plantæ 268.20
plantæ 411.62
plastice 462.58
platæa 362.10
plaustrum 493.58
plebs 219.2
pluma 302.54
plumbum 398.51
plutei 442.2
pluuiæ 316.12
poculum 488.59
poderis 467.45
pœna 107.38
pænitentia 149.15
poetarum genera 188.3
poetæ 187.42
poetæ officium 188.41
poli 78.53
poli 314.19
polinutus 469.46
pollen 483.61
pollinctores 497.19
pons 456.46
pompa 436.58
ponderum signa 403.34
pondus 399.60
pontifex 174.41
pontonium 455.26
popina 363.44
populus 218.60
porta 362.4
porticulus 456.26
porca 373.61
pori 265.38
portemia nauicula 455.39
portenta 274.59
porticus 368.15
portus 351.1
posturæ 15.37
possessio bonorum 104.20
possessiones 371.59
postella 496.34
posteriora 267.35
postes 368.50
posthumus 223.51
posteritas 224.10
postliminium 109.8
pragma 101.37
pragmatica negocia 101.39
prandium 483.6
pratum 372.51
præcentor 175.46
præceps ver 114.34
præcepta 130.10
precium 105.55
præcoquæ vuæ 410.3
præcordia 265.54
prædium 372.4
præfatio 130.8
præfectus 216.7
prælia 436.29
prælocutio 130.9
prælum 495.39
præsegmina 502.7
præsentia 259.62
præses 216.11
præsides 219.44
præstigium 191.61
prætexta 472.41
prætor 216.9
prætores 219.46
precarium 104.51
presbyter 175.7
prætorium 362.3
pridie 112.6
primi ordines ibid.
primitiæ 406.45
princeps 215.45
priuati 220.41
priuilegium 101.12
proauus 222.54
problema 499.49
problemata 130.33
procari 252.60
procax 252.60
procella 318.39
proceres 219.49
proces 219.53
proci 233.24
proci 252.61
proconsul 214.36
procuratores 406.22
prodigia 275.11
proœmium 138.3
profundum 351.32
probæres 222.21
promi 500.34
promontoria varia 347.60
promurale 362.2
pronomen 8.24
pronepos 224.14
pronuba 233.26
propes 457.22
prophetæ 167.46
prophetiæ varia genera 170.14

© Biblioteca Nacional de España

Propina 363.43
propitiatorium 365.46
propugnacula 361.62
prora 455.49
prorostra 442.61
prosa 32.14
proscriptio 109.14
prosciſsio 406.22
proselytus 178.6
prosuesion 457.35
proximus 224.48
pruina 316.37
pruna 459.3
Psalmus 141.26
Psalterium 75.8
puberes 272.47
publicani 220.48
pudenda 267.21
puella 272.36
puerperæ 272.55
pugio 439.37
pugna 436.31
pugnus 264.42
pulli 302.43
pulmentum 269.43
pulmo 269.20
pulpa 265.43
pulpa 484.38
pulpitum 366.46
pulsus 268.54
puluillus 473.57
puluinar 492.60
puluini 456.40
puluis 375.18
puluis Puteolanus 376.30
pumex 379.45
pumilus 499.57
pupilla 261.30
pupilli 272.39
puppis 455.47
purpura 475.20
purpureæ vuæ 410.8
putare 411.6
puteus 324.53

Q

Vactum 485.33
Quadrans 400.61
quadrisinium 372.23
quadrigæ 447.28
quadrum 472.30
quæsitores 443.12
quæstio 130.36
quæstores 219.47
quæstores 443.11
qualus 495.46
quasillum 476 1
quatrio planus 452.13
quisquiliæ 413.5
quintana 362.13

R

Racemus 409.57
Radij 475.50
Radiolæ oliuæ 419.44
radix 412.8
ralla vestis 469.56
ramentum 500.60
rami 412.20
rancidum 484.19
rastra 495.9
rates 435.33
ratum 103.13
reatus maiestatis 107.24
receptus 438.51
recidiua arborum 411.53
reconciliatio 146.29
recta vestis 469.30
redimiculum 477.25
redimiculum 479.56
redintegratio causæ 106.1.201. 106.2
regillum 473.1
regna 214.1
regula 133.56
regula 465.42
regulare æs 397.22
rei redintegratio 106.1
relegatus 109.12
religio 178.12
religiosus 254.33
reliquiæ 274.42
remex 435.20
remi 456.6
remulcum 457.41
renate 470.9
renes 266.55
renones 470.48
repastinari 495.21
repetundæ 107.18
repti 470.51
reptilia, pisces 296.59
repudium 224.40
res 103.62
restes 457.15
restitutio integri 105.62
responsoria 141.16
retia 457.60
rhetiarius 450.37
reticulum 477.35
reus 443.40
ῥήγιον 322.47
rheda 493.53
rhetorica 37.16
ricinium 473.17
rigula 477.28
rini 324.49
ros 316.46
roseum vinum 486.14
rostratæ naues 454.13
rota 493.51
rota 495.53
rotabulum 490.52
rubigo 398.37
rubrica 463.39
rudentes 457.17
rudera 462.7
rudi 379.49
rudi 462.5
ruminare 263.46
ruminatio 282.44
rumen 263.44
runcatio 406.16
ruptum testamentum 102.24
rura 372.15
russata vestis 468.57

S

Sabbatum 111.23
Sabbatum 140.21
Saccatum vinum 486.55
Saccus 491.13
sacerdos 174.56
sacerdotales literæ 2.26
sacra loca 365.29
Sacramentum 103.52
sacramentum 217.61
sacramentum 143.38
sacrarium 366.59
sacrificium 142.49.& 143.28
sacrilegium 106.36
sagma 496.39
sagmaria mala 496.40
sagitta 409.22
sagitta 440.60.41
sagum 472.29
sal 377
salinum 488.44
salis varia genera 377
salsatores 191.46
salis natura 378.4
salsum 484.17
saltatores 449.56
saltus 350.20
saltus 411.48.& 444.46
sambuca 74.24
Sandapila 497.1
sanguis 89.23.& 32
sancta loca 365.32
sancta sanctorum 365.3
sanguis 269.6
sanies 94.31
sanctus 255.19
sapa 487.14
saphon 457.30
sarabara 470.38
sarcitectum 466.4
sarcophagus 371.11
sarculum 495.17
sarmentum 409.14
sartago 490.44
satictas 482.35
satio 406.24
satisfactio 146.26
satur, mensura 402.55
satura, imprecatio 366.42
scabies 93.48
scafa 454.27
scabra 350.28

Scalæ

© Biblioteca Nacional de España

scalæ 465.55
scalpellus 407.16
scalprum 467.15
scapula 266.39
scabellum 493.19
scanna 493.18
scansilia 493.24
scena 449.2
scenopegia 139.43
scetra 442.30
scheda 133.12
schisma 179.27
scholia 129.25
scyphus 489.48
scita 100.28
scofina 467.20
scopulus 379.15
scoria 398.41
scorta 256.20
scortia 490.10
scrinia 491.10
scriniarij 491.12
scrupulus 400.33
scurra 256.27
scutum 442.15
scudicia 495.12
sculponeæ 500.14
sebam 484.27
secare 466.38
secta 179.23
sectio 466.37
seculum 115.56
secundus 256.35
secures 439.54
securis 466.58
secutor 450.44
sedes 493.26
seditio 106.33
seditio 435.56
seges 372.20
seges 406.20
segmenta 469.32
segmenta 477.60
seiuga 447.41
sellæ 493.39
semen 270.43
semispacium 439.34
semita 374.59
senatus 219.17
senatusconsultus 219.20
senatorum primi ordines 219.30
senectus 273.10
senes 273.52
senior 273.43
sensus 259.60
septentrio 311.25
sepulchrum 370.60
sepultus 274.52
sequester 255.47
serere 406.25
serica vestis 469.15
sericum 474.57
serpedo 93.30
serpens 286.53
serrula 495.7
sermones 129.36
serpentum 477.58
serpentum exuuiæ 295.13
serpentum natura 295.1
serra 466.34
serum, id est, vesper 111.60
serui 221.30
seruitus 109.18
setæ 281.49
sextarius 402,1
sextula 400.49
sica 439.44
sicel. 401.2
siclus 401.2
sicera 487.16
sicula 489.35
sydera 84.12
signa bellorum 437.53
signa ponderum 403.34
signatum numisma 495.55
silex 379.13
silex 460.56
silicernium 498.38
silentium 316.60
siliqua 490.26
syllaba 11.19
syzygiæ 12.58
sylua 411.37
σύμβολον 22.12
symbolum 144.62
symbolon 437.55
simile 483.56
symphonia 76.16
simplones 502.2
simulachrũ vsus vnde ortus 192.60
synagoga 177.34
synodus 134.52
sinus 322.10
sinus maris 322.10
siparum 457.3
siphon 490.2
siricum 463.42
sistrum 76.6
sitarciæ 491.19
soboles 223.8
socci 480.53
socci 481.8
socci 482.1
sodales 255.42
sol 83.48
solarium 365.10
soleæ 481.6
solidos 395.49
solidus 400.41
solidus aureus 400.51
solium 268.29
solium 493.34
solum 350.17
solstitium 114.8
sortilegi 191.41
spacia 447.50
spadones 409.19
sparus rusticanum telum 299.13
spata 439.28
Sfungia panis 483.41
sphæra 78.13
sphæra 314.2
sphæra 452.41
spectacula 444.1
speculatorium 454.29
specula 478.32
spelunca 379.17
spes 178.27
spuma argenti 396.34
spica 407.48
spina 266.44
sacra 266.54
spingæ 492.61
spiræ 457.19
splen 269.46
sponsus 233.8
sponda 493.6
spondiales 12.5
sportula 461.36
spurius 223.58
spuma 324.28
spurcum vinum 486.33
squalidus ager 372.36
squama 442.48
stadium 374.25
stagna 323
stamen 476.14
stannum 399.18
statera 400.7
statuæ togatæ 471.46
stater 400.56
statio 145.51
stega 500.51
stellæ 84.64
stercoratio 406.3
stillicidium 324.23
stilus 133.8
stipa 419.6
stipendium 395.35
stiria 324.23
stipulatio 105.46
stipulæ 407.60
stirps 223.5
stola 473.13
stomachus 269.55
stragulum 473.41
strata 374.40
stratus 492.50
strictura 398.16
strigiles 496.49
strophium 479.44
struppi 457.45
stuppa 474.41
stuprum 106.41
suberies 416
subtibulum 470.55

© Biblioteca Nacional de España

Subbircus 264.22
sublinguium 263.47
subsellia 493.38
subsiciua 372.42
subsiciui agri 372.43
suburbana 361.40
suburbanæ vuæ 409.58
succentor 175.47
succenturiati 217.40
succidia 484.20
succinctorium 479.56
succus 487.46
sucinatium 486.19
suculæ 84.50
sudum 502.35
suffragines 267.51
sugrandaria 498.30
suillus 285.14
sulcus 406.18
summates 502.1
supercilia 262.3
superstites 443.44
superstites, id est, testes 443.43
superstitio 179.32
suppedaneum 493.21
sipla tapeta 474.3
suppus 452.13
suppetiæ 500.39
supplicare 107.47
supplicationes 147.6
supplicia, id est, supplicationes 148.4
supplicia, supplicamenta 107.45
supplicium 107. 42
suppressum testamentum 102.27
suprema diei pars 111.57
suram dare 452.50
surculi 412.22
suspirium 91.60
sutela 500.1
sutores 281.50
sutores 480.20

T

Tabellarij, 130.46
tabellio 220.29
taberna 363.46
tabernacula 370.5
tabulæ testamenti 102.4
tabulæ 466.34
tabulatum 365.6
talentum 401.22
talares calcei 480.53
talio 108.44
talus 268.10
tapeta 474.1
tapeta sipla amphitaba 474.3.4
tartarum 467.20
tartarus 352.8
taxea 484.22
tegulæ 369.62
tegulæ 461.13
tela 475.45
telum 440.48
telo 496.1
tempestas 318.29
templa 366.3
tempora 261.1
tempora anni 114.25
tenebræ 112.36
tenebræ 316.57
tenia 477.32
tentorium 370.51
terebra 467.16
terga 266.35
termes 296.16
terra 329.11
territorium 342.50
tescua 371.43
tessellæ 369.42
tesselli 462.53
tesseræ 495.36
tesseræ 451.44
testamenti tabulæ 102.4
testamentum 101.53
testamentum holographum 102.16
testamentum irritum 102.19
inofficiosum 102.21
102.24 suppressum 102.27
testes 443.44
testiculi 267.29
testudo 301.9
testudo 442.40
tetrarcha 216.2
thalamus 364.28
theatrum 362.54
theatrum 448.46
theca 441.22
themelici 449,31
theologi 187.1
theristrum 473.30
thermæ 363.32
thesaurus 395.20
θίασος 15.53
thorax 264.61
threnum 142.1
tibia 74.11
tibiæ 268. 8
tigillum 461.15
tigna 466.18
timpanum 75.33
tinctura 475.1
tintinnabulum 76.13
tiro 216.41
typhi 91.40
tissanæ 487.48
titiuillitium 500.9
toga 471.41
toga candida siue cretata 471.55
toga palmata 471.51
togatæ statuæ 471.46
toles 263.34
tolus 268.10
tolus 466,21
tomentum 474.45
tomi 129.30
tonitruum 315.30
tonsilla 456.36
τοπάζειν 385.33
toralia 474.13
torcular 367.57
tori 264.9
tormenta 108.37
tormentum 457.26
torques 477.49
torrens 324.39
torris 413.2
torus 481.20
trabariæ amnicæ naues 455.46
trabea 472.3
trabes 466.16
tractatus 129.39
traditiones 179.50
traducere 411.9
tragœdi 449.20
tragum 458.8
traiectus 455.30
trama 476.15
tramites 375.3
transenna 455.29
transcripti 217.3
transformata 278,40
transtra 456.1
trapedum 495.38
tremissis 400.52
tribula genus 495.38
tribunal 366.49
tribum 219.56
tribunus 216.13
tribus 219.11
tributum 95.26
trielinium 364.42
trieris 454 1
trifinium 373.22
trigæ 447.39
trigenaria pila 452.48
trilicis vestis 469.55
trimense hordeum 407.30
trinepos 224.26
trio 452.13
triones 84.27
tripedes 488.52
tripedes 490. 46
tripedes 493.45
triremes 455.18
tritauus 222.57
triticum 407.1
triumphantium insigne 436.15
trocleæ 456.20
trophæum 436.62
trudes 440.5
trullæ 465.52
truncus 264.58
truncus 412.15
trutina 400.3
tuba 74.1
tubraci 470.29
tubrici 470,26

Tuceta

© Biblioteca Nacional de España

Tuceta 501.33
tucus 308.37
tudis 459.26
tugurium 371.37
tumulus 350.6
tumulus 371.10
tumultus 435.11
tundere 459.25
tunica 468.43
tunica manicleata 468.52
turbo 318.27
turma 217.54
turres 361.55
turtur 307.53
tuſsis 92.10
tutuli 499.38

V

Vada 323.5
vadatus 502.40
vagina 441.20
valgia 501.49
valles 350.8
valli 370 21
vallum 370.19
valuæ 368.29
vas 487.52
vaſa eſcarum 487.50 potatoria 488.59 vinaria & aquaria 489.26 olearia 490.8 coquinaria 490.27 repoſitoria 490.56 luminariorum 491.43
vates 174.50
vates 187.57
vbera 265.17
vectes 108.23
vectes 494.19
vehiculorum varia genera 493.49
vela 456.50
vela 474.18
velites 217.15
velites 451.1
vellus 474.35
velorum varia genera 456.56
venabula 440.10
venditio 103.20
veneuum 294.36
venæ 269.3
venter 270.7
ventilabrum 495.30
ventus 317.12
veractum 406.20
verbera 108.13
verennes 495.44
veretrum 267.27
vermiculum 475.3
vermis 295.30
verbum 9.1
ver nouum adultum præceps 114.34
verrere 458.10
verriculum 458.9
verſus in arando 133.10
verſus librorum 133.6
vertibulæ 266.10
vertex 260.38
veruina 501.8
veſica 270.32
ueſper 112.32
veſpertina 483.29
veſperus 85.25
veſpillones 497.11
veſtibulum 368.11
veſtigia 376.8
veſtis laculata 469.4
veſtis Dalmatica 468.54
veſtis molocina 469.9
veſtis ruſſata 468.57
veſtis fibrina 469.23 maſticina 469.25 mela vel mena. ibid. leuidenſis 469.36 panitenſis 469.37 citroſa 469.39 Velenenſis 469.4 Exotica 469.44 polimita 499.46 Acupicta 469.48 Trilicis 469.54 Raila 469.56 Intripola 469.58 Pannutia 469.59 Serica 569.15
vexillum 438.11
via 374.31 priuata, publica. ibid.
victimæ 143.5
victoria 436.49
victus 482.10
vicus 361.18
vidua 234.5
viere 188.1
villa 371.57
villicus 220.52
vimen 418.33
vinnolata vox 73.43
vinnus 73.44
vinorum varia genera 486.14
vinum 485.48
vir 233.1
vir 278.8
virago 273.27
virga 412.28
virgæ 108.26
virgo 273.24
virgultum 412.23
viriliæ 478.22
virectum 411.28
virtus 273.9
virus 267.28
vis 106.14 priuata 106.16 publica 106.19
viſcera 268.31
viſcum 265.44
viſcum 484.40
viſcus 267.34
vita 257.40
viticella 430.20
viticionia vua 410.57
vitis 408.61
vitis 409.1
vitrum 393.38
vitta 480.10
vittæ 477.29. & 34
V litera digamma 4.22
vlcus 94.24
vliginoſus ager 372.39
vligo 372.40
vligo 376.16
vlna 264.12
vmbo 267.7
vmbra 317.1
vncia 401.9
vnciariæ vuæ 410.13
vnda 324.15
vngues 301.7
vngulæ 108.33
vngulæ 264.57
vnicula 107.54
vnio 387.58
vola 302.39. & 40
volatilia minuta 309.42
volucres 302.38
volumen 132.28
volumina 129.30
voluntas 101.50
volutabra 375.40
vomer 494.46
Vopiſcus 223.50
vox 14.11
vox cæca 73.40
vox vinnolata 73.43
vrbani 221.25
vrina 270.38
vrna 403.12
vrſa 84.25
vſucapio 105.38
vſura 104.45
vſus 105.35
vſusfructus 37
vter 270.21
vterini 224.63
vterus 270.20
vtres 489.56
vuæ 409.51
vuarum varia genera 409.58
vultus 261.8
vulua 270.31
vxores 233.47

X

Xenodochium 365.18

Z

Zona 479.42
ζωνάριον 479.42

FINIS.

© Biblioteca Nacional de España

INDEX IN LIBELLOS VETERVM GRAMMATICORVM.

A

Præpositio 548
Abduci 530.531.533
abgregare 544
abitus 527
aborsus, abortus 521
abrogans 507
absconsum esse 523
absoluere 536
abspulsus 508
absurdum 531
abuti 527.534
accersere 526.533
accidit 522
accipere 508.536
accommodare 507
accusator 536
aceratum 520
acerbus 526
acerosum 520
aceruus. ibid.
acuere 509
acus 543
ad 543.545
ad, in compositione 525
addictus 523
adduci 524
adeo 543
adgregare 544
adimere 511
adiutor 532
admirari 521
admouere 524
adnunciare. ibid.
adolescere 522
adoptatio 548
adoriri 531
adportare 524
adrogans 508
adscripti 543
adscriptitij. ibid.
adsita 526
adsuescere 522
aduerbia temporis 529
aduerbium 509
aduersarium. ibid.
aduersum te, aduersus te 527
aduocare 524
aduocatus 535
adytus 525
ædes 538
æditimus 538
æditimus. ibid.
æger 502
ægritudo 519
ægrotatio. ibid.
ægrotus 509
æmulatio 516
æquabile 509
æquale. ibid.
æquanimitas 533
æquitas 531
æquor 548
æstas 506
æstus. ibid.
affatim 524
afficere 523
ager 541
agere 532.533.547
aggredi 531
agilis 511
alacer 536
albus 505.525.538
alere 512.518
alienus 508
alimentum 509
alimonia. ibid.
aliquando 512.521
alitudo 509
alius 527
alligare 532
alloqui. ibid.
altaria 537
alter 527
altum 523
aluus 526.543
amare 512
amator 519.527
ambaruales 543
ambitio ibid.
ambitus. ibid.
ambulare 509
amburbiales 543
amens 544.545
amicus 537
amoliri ibid.
amor 512.529
angues 537
anima 511.513
animaduertere 36
animal 508
animans. ibid.
animus 511.513
animositas 517
annales 540
annotare 510
annuere 510.517
annunciare 524.532
antipedes 526
antiquior 513
antiquus. ibid
antiquum 506
apertè 536
apparere 527
appellare 510
aptum 511
apud 543
aquaticus 525
aquilo 543
aquilus. ibid.
aquosus 525
aquulus 343
aræ 537
aranea 507
araneus. ibid.
arbitrarium 543
arbitrium. ibid.
arbor 522
arbos. ibid.
arcessere 526
arcus 513
arguere 523
argumentari 536
argumentum 527
armenta 537
arquus 513
arrogantia 509
arrogatio 548
arteriæ 549
arundo 525
asper 527
aspicere 524
asportare 536
assecla 506
assequi 525
asserere manu 547
assiduum 543
assiduus. ibid.
assolet 529
assum 509
astruere 521
at 543
auarus 519.548
audacia 519
audax 507
audentia 519
auellanæ 538
auenæ 524
auferre 512.513.527
augurium 514
auguro 538
auguror. ibid.
auidus 519.544.548
aurum 546
auspicium 514
auxilium 509

B

Balsamum 538
Barba. ibid.
Barbara locutio 509
Barbarismus ibid.
Bardus 544

Basis

© Biblioteca Nacional de España

Basia 530
beatus 508
bellum 510
beneficiarij 544
beneuolus 533
bidental 507
bona 537
bona prædia. ibid.
boni. ibid.
bonitas 533
bonus 511
breue 535
bustum 539

C

Cadere 509
Cælare 516
Cæstus 538
calabra 544
calamitas 532
caligaris 534
caligarius. ibid.
camuri 538
candidus 506.510.538
carcer 538
carceres. ibid.
castitas 517
cauere. ibid.
causa 506.509.537
cedò 512
celare 516
celer 511
celeritas 524.541
celerius 507
cellarium 538
censere 544
censio. ibid.
censores. ibid.
censui agri. ibid.
cepit 521
certamen 512.531
certatio ibid.
certum 511
ceruix 538
cessare 531
cestus 538
chilones 535.544
chirographum 537
cibus 527
cilones 535.544
circum 508
circumpedes 526
circumspicere 532
circus 515
citius 506
ciuica corona 546
ciuitas 514
clades 532
clam 511
claritas 510
claritudo ibid.
clemens 527.532
cliens 506
clipeum 534
clupeum 509
clypeum ibid.
clypeus 534
coarguere 523
cœna 544
cœnacula. ibid.
cœpit 521
cœruleum 509
cœrulum. ibid.
cogitare 514
cognitor 535
cohum 544
coire 509
colloquium 547
columbæ 522
comedo 544
comedus. ibid.
comes 506
cominus 507
comitia 544
commereri 533
commerui 528
committere 510
commodare 507
commodus 511.526
commonere 524
communitas 510
communis. ibid.
comparare 524
comparia 521
compendium 509
comportare 524
comptum 544
concedere 508
concinere 516
concinnare. ibid,
confectus cura 530
confidentia 519.530
confiteri 515
confutatio 534
conscius 514
conscribere 522
consecratum 507
consequi 525
conserere manum 547
conseruare 532
considerantius 507
consideratius ibid.
consilium 530
consobrini 533
conspicere 524
construere 522
consuescere. ibid.
consultor 538
consultum. ibid.
consultus. ibid.
contemnere 516
contentio 537
contingit 522
continuatè 507
continuè. ibid.
contrarium 509
controuersia 511
contumelia. ibid. & 514
conuenire 509
copia 538
copiæ. ibid.
coram 529.532
corinthiacus 505
corinthiensis. ibid.
corinthius. ibid.
cornum 538
cornus. ibid.
corruptela 509
corruptio. ibid.
coryli 538
crassari 525
credere 510.527
crudum 547
crusta 538
crustum. ibid.
cubicularis 534
cubicularius. ibid.
cuiatis 513
cuius. ibid.
culmus 538
culpa 533
culpatio 510
cuncti 511
cupedia 544
cupes. ibid.
cupido 507.512.576
cupiditas 516
cur 505
cura 510.527.530.534
curatio 527.530
curia 544
curiæ. ibid.
curiales ibid.
curiata comitia. ibid.
cursare 533
curules 544

D

Dadamnatus 512
damnum 523
dapes 509.528.547
dare 539
De 527
decens 548
decidere 511
decor 509
decorum 505.509
decus 505
dedecorare 511
dedere 533
dedicatum 527
deduci 507
deduco 524
deficere 509.527.530.538
defungi 531
delator 524
delectio 527

© Biblioteca Nacional de España

deliberare 514
delictum 505.526
deliratio 534
delubrum 508.535
deluere 527
demens 545
denunciare 524
denunciatio 531
deponere 536
deportare 524.536
deprecari 537
derectum 527
deridere 532
deserere 531
desertus 327
desiderare 506
despicere 516.529.538
despondere 528.532
destrictus 536
deterior 541
deterius 515
detrimentum 509.537.547
deunx 532
dicere 507.536
diceres, dicêris 521
dicta 517
diduco 527.538
diecula 536
die quarta, Die quarto 518
dies 536
dies festi, profesti 515
dignitas 516.522
dij 539
dilator 527
diligentia 510
diligere 512
diluere 527
dimidiatum 521
dimidium 531
directum 527
discedere 529
discere 532
disciplina 511
discrimen 526
disertus 527
dispendium 509
disponere 507
disquirere 529
dissimulare 518
dissimulo 538
distrahere 509
diuellere. ibid.
diues 508.547
diui 539
diuiduum 521.531
diuinè 534
diuinitus. ibid.
diunx 522
docere 532
doctus 514
dolare 531
dolor 529
dolus 531
dona 539
donare 523
donum 508.523
draco 537
dryades 521
dubium 509
ducere 532
duci 531
durè 530
duriter. ibid.

E

E Præpositio 548
Eboreum 534
Eboratum. ibid.
Ebriosus 520
ebrius. ibid.
eburnum 534
ecce 526
ecquando. ibid.
edicere 533
educare 512.521
educere ibid.
efferre 526
efferri. ibid.527
efficere 521.529
egregius 544
ehò 524
eleuare 523
eligere 520
elinguatus 510
elinguis. ibid.
elixum 547
eloquens. ibid.
eloquentia 510
eloqui 526
eloquium 510
eluxit 524
eminus 507
en 526
enasci 524
eniti 520
Eo, Eò 524
ἐπικήδιον 539
ἐπιτάφιον ibid.
epulæ. ibid.
ergastulus: um 521
errare 549
erratica 510
erraticium. ibid.
erraticum. ibid.
erratio. ibid.532
erratrix. ibid.
error. ibid.532
exacuere 509
exanimatus 529.533
exanimus. ibid.
excoctum 547
excubiæ 539
exequiæ 521
exercitatus ibid.
exercitus. ibid.
exiguum 509
exolescere 522
exorare 541
exorator 532
expectare 527.529
expectatio 529
expedire 536
experrectus 508
expertus. ibid.
expirare 525
expleri 513
explorator 544
exportare 524
exscribere 522
exterraneus 544
externus 508
extillari 534
extinguere 518
extorquere 532
extraneus 508.544
extrarius. ibid.
extruere 522
exultatio 524
eu 525
euenit 522
euocare 523

F

F Acere 528.547
Facetus 531
Facies 506.513
Facilis 532.533
facilitas 508.531
factio 545
factiosus. ibid.
facultas 508
festuca 545
falsum 529
falsus 528
fama 508.542
familia 542
familiare, familiarium 511.535
fanum 508
fas 539
fastus, id est. fastus, us: 527
faustum 513
feci 528
felix 506
feralia 544
fere 512
feria 544
ferox 511.513
ferre 513.528
ferri 528
ferus 511.513
festinare 510.518.545.549
festum 513
fidelis 512.532
fidentia 519
fides 527.531
fidis. ibid.
fiducia 529
fidus 512.532

Figura

© Biblioteca Nacional de España

figura 511.516 527
fingitur 529
fit ibid.
flabra 539
flagrare 517.539
flamen 539
flauum 526
flumen 505
fluuius ibid.
fœdum 516
fœnebris 544
fœneratores ibid.
fœnum ibid.
fœnus 544
fora 521
forcipes 539
fores ibid.
forfices ibid.
fori 521
forma 511.516.528
formido 508.520
formositas 522
formosus 511.539
fors fortuna 513 533
fortis 511
fortitudo 508
fortuna 533.535
fortunatus 507.508
foruicapes 539
fragrare 517
frater 506
fremere 521
fremitus 527
fremor ibid.
frendore 521
frequentia 506
fretum 548
frondeum 539
frondosus ibid.
frumenta 540
fuerimus,fuerimus 521
fulgor 507
fulgur 514
fulguritum ibid.
fulmen ibid.
fulcio 510
fultura ibid.
fundere 510
fungi 522
funus 539
furaciter,furtim,furtiuè 507
furiatus ibid.
furiosus ibid.
furor 520
furuum 526
fuscus 505

G

Gallicus 595
Gallus ibid.
gaudere 519.528
gaudium 524
generosus 510
genitrix 513
gens 509.525
genus 525.531
gerere 547
germanus 506
glacies 509
globus 515
gloria 511
gloriator 507
gloriosus ibid.
glorius ibid.
gnaritas 530
gnatus 510
grandis 509.530
grassari 525
gratia 523
gratulari 525.530
gremium 525
grex 531.538
gutta 510

H

Habenæ 522
habere 508
habitus 527
hæredium 545
hæres ibid.
hallucinari 549
harundo 525
hasta 547
hebescit,hebetescit 512
hem 526
herbidus 525
herbosus ibid.
here 535.545
heri ibid.
heu 525
heus ibid.
hic 507
hirudo 525
hirundo ibid.
hispaniensis 534
historia 539
hodie 536
homonymia 509
honestas 522
honesti 537
honestum 528
honor 511
honustus 541
hora 522
horrendum 512.523
horrere 506
horridum 512
hortari 532
hospes 522
hostia 527.540
hostis 545.546
humidum 539

I

Actura 509
Iaculum 547
Ianua 539
idoneum 512
ieiunitas,ieiunium 510
ignarus 539
ignominia 511
ignoscere 508.516
ille 517
illuuies 524
illuxit ibid.
immanis 509
immemor 540
imitatio 516
impages 545
cum imperio esse 544
impius 517
impugnare 505
impulsor 532
imum 507
in 507.510.523.545.546.548
inambulare 509
incertum ibid.
inchoare 511
incipere ibid.
indicare 531
indigenæ 526
indigenes ibid.
indigetes 526.541
indocile 540
indoctum ibid.
industria 537
ineptum 531
ineptus 529
infamia 511
infector 511.545
infelix 529
infensus 539
infimum 527
ingluuies 524
inimicus 539
iniuria 511.514.531.536
inniti 520
innocens ibid.
inolescere 522
innuere 510.517
inquirere 506
insania 519
inscitum 533
inscius 509
insimulare 510
insita 526
insomnia 535
inspicere 524
instar,adinstar 522
instruere ibid.
insuescere ibid.
intelligere 527.536
interdicere 533
interficere 508

© Biblioteca Nacional de España

interire 512
interpres 536
interrogatio 529
intertrimentum 537
intro 535
intus ibid.
inuenire 508
inuenire 529
inuenuſtus 529
inueſtigare 536
inuidentia 519
inuidia ibid.
inuocare 523
inuolare 509.543
ipſe 523
ira 532
iracundia 529.532
iracundus 509.533
iratus ibid.
ire 568
is 507
iſte 507.523
iudicare 533
iudicia contaminata 536
iudicia corrupta ibid.
iudicium 536
iugulare 507
iurgium 514
ius 571.537.539.540
iuſtus 527
iuuenilitas 515.526
iuuenta ibid.
iuuentus ibid.

L

LAbiones 535
labium 521.530.535.580
labrum ibid.
lacer 536
lacerare 532
lactare 540
lactere ibid.
lacus 547
læſio 536
lætari 525
lanio 534
laniſtæ 530
lanius 530.534
lapis 512
largè 535
largiter ibid.
largitas 525.535
largitio ibid.
laſſus cura 529
latêre 523
laudare 528.531
laudare coràm 531
laudare in os ibid.
laudatio 515.526
laurus 543
laus 511.512
lautus 531
legare 526
legere 520
leges 539
leges fœnebres 544
legiones 540
legumen ibid.
lepor 524
lepidus 531
lepus 524
lenitas 531
lex 528.540.546 548
liberale 528
liberalis 532
liciui 538
ligare 526.532
ligula 535
lingula ibid.
liquor 540
liquor ibid.
lis 511.514
litare 513
littora 542
locuples 508.548
locus 530
longinquitas 534
longitudo 534
longum 594
loquax 547
loquela 506.547
loqui 507.514.526
lucens 526
lucibile ibid.
lucidum 507
lucus ibid.
ludere 531
luminoſum 507

M

MAgnus 509
maior 530
malum 531
mancipia ibid.
manubiæ 513.545
manuprecium 547
banc Manum, has Manus 527
mater 512
materfamiliâs 519.540
materia 515
materies ibid.
matrimonium 540
matrona 519.540
maturare 546
medicamentum 506
medicor 540
meminiſſe 518
memini me facere 522
memini me feciſſe ibid.
in Memoriam redigere ibid.
memoriosè 507
memoriter ibid.
menda 534
mendacium dicere 518.549
mendax 543
mendicus 547
mendum 534
mente captus 545
mentiri 518.549
mercatura 514
merces 547
merere 507
mereri 507.533
meretrix 512
merx 514
metior 540
meror ibid.
metuere 528.529.534
metus 508.520.542
minoris 521
mirari ibid.
miſerari 520.545
miſereri ibid.
moderari 509
modeſtia 528
modeſtus 532
modò 545
modulari 509
modus 545
monere 505.532
monimenta 540
monſtrum 506.514.516
monumenta 504
morata 515
morbus 517
morigera 515
moroſa ibid.
mulctra 504
mulctrale ibid.
muliebrè 526
mulierarium ibid.
multò 517
multum 520
munifex 534.544
munificus ibid.
munus 507.523
murmurare 513
muſſare ibid.
mutilare 572
mutuo dare 526
mutuum 517
myrtetum 540
myrtus ibid.

N

NAiades 540
nanus 511
narrare 507
naſci 524
natare 517.531
natio 509
natus ibid.
ne 524

© Biblioteca Nacional de España

necare 508
necessitas 517.534.549
necessitudo ibid.
nefandum 536
nefarius 517.536
nemo 511.524
nescius 509
nictare 517
niger 505
nihil 524.535
nihili ibid.
nimbi 504
nix 509
nobilis ibid.
nocens 517
nomen 546
nominare 510
nonnunquam 512
noscere 528
notare 510
nouare 509
nouissimum 506
noxa 507.517.540
noxia ibid.
nullus 511
nunciare 526

O

Obsides 547
obiurgo ibid.
obligatus 505
obloqui 523.536
obniti 526
obnuntiare 520
obsecrare 532
obsequi ibid.
obsequium 525 528
obsides 528
obsidionalis corona 547
obsidium ibid.
obtestari 547
occidere 529
occultè 508
oculatum 511
oculissimum 545
oculitus ibid.
odium 547
odoratum 542
odorum 541
offector ibid.
offerre 511.545
officium 573
olea 537
oleum 540
olim ibid.
oliua 521
oliuum 540
omen ibid.
omne 514.528.537
omnes 520.542
oneratus 511
onus 541
onustus 508
opem ferre 541
opera 528
operæ 541
opes ibid.
opinio ibid.
opis 507
opitulari 541
opobalsamum 528
ops 538
oportet 541
opportunus 529
opprimere 530
oppugnare 518
opulens 505.536
opulentus 508
opus 547
ora 541
oræ 518.522
orare 518
oratio 532.529.533 535
orator 528
orba 532
ordinare 507
ordo 507
oreades 530.531
os 540
osculum 507.513
ostentum 513
ostium 514.547
539

P

Pabulantia 511
pacta 517
palàm 529.5,6
palumbes 522
palus 547
parcere 542
parens 531
parêre 527.541
parsi 507
partem, Partim 527
particeps 537
paruum 509
pascentia 511
pascere 518
patens 541
patrij dij 541
patrocinium 509
patronus 531.535
patruelis 533
patuli 538
patulum 541
pauens 541
pauidus ibid.
pauor 508.519
pauper 547
peccatum 505
peccaui 528
pecua 541
pecuaria ibid.
pecuniosus 508.547
pedale 507
pedule ibid.
peior 541
peius 514
penes 543
penetrale 541
penitus 544
penus 525.538
peperci 507
percontatio 529
perculsum 526
percussum ibid.
perditus 536
perduci 524
perduellis 547
peregrinus ibid.
perferre 528
perfuga 507
periculum 511
perimere 508
perire 512
peritus 514
pernicies 511
pernicitas 520
pernix 541
perpetuum 530
persequi 525
perseuerantia ibid.
persuadere 531
pertinacia 515
petere 529.541
picenus 505
pigere 531.541
pignera, pignora 522
placidus 532
plantæ 541
plantaria ibid.
plebiscitum 548
plebs 549
pluris 521
plus 517
pluuiæ 540
poculum 521
podagricus 534
podagrosus ibid.
poema, poesis, poetice, poeticum 509. 514
polire 509
polliceri 541
pollicitatio 529
pomaria 535
pometa ibid.
pompa 537
pone, ponè 541
populati 515
populi 541
populus 541.549
portentum 506.514.516.546
porticus Pompeij, ia, iana 505

portus

© Biblioteca Nacional de España

portus 542
poscere 526.529.541
possidere 508
posterior 527
postremus ibid.
postulare 526.529
postulatio 534
potens 508
cum potestate esse 544
potio 521
præda 515
prædes 537
prædia ibid.
prædicare 531
præiudicium 535
prælium 509.517
præmium 527.547
præmonere 524
præparare 509
præs 547
præsentia 530
psæsidium 546.547
præterea 524
præuaricator 536
prouerbium 509
precari 527
precium ibid.
primores, priores 513
primus, prior 527
priuatum 508
prauum 531
pro, præpositio 548
probatus 517
probus 532
procedere 548
procul 523
procurator 5.5
prodere 532.536
prodiginm 514.541
prodire 548
profiteri 515
profligatum 536
proloqui 547
promissio 529
promittere 541
properare 508.518.549
proprium 508
prorsum 531.533
prosequi 525
prospicere 532.533
prostibula 512
proxima 530
prudentia ibid.
pudere 513.531.541
pudicitia 517
pudor 529
pugna 511
pugnare 505
pulcritudo 522
purgare 533
putare 529.506
pusillum 509

Q

Quærere 515.ibid.521.532
quæritare 528
quandò 526.535
quando ibid.
quantiuis 530
quantumuis ibid.
quare 505
quarto 514
quartum ibid.
quatenus 546
quatinus ibid.
querela 507
querimonia ibid.
quondam 521

R

Rapina 505.531
raptio 530
raptus ibid.
ratio 506
rebus manum imponere 529
recidiua 534
recipere 524.536
reddere 533
rediuiua 534
refutatio ibid.
regale 510.547
regium ibid.
religio 514
religiosum 546
reliquiæ 539
remedium 505
renunciare 524
reperire 508
repulsus 508
requiescere 531
requirere 515
rescire 533.534
rescisscere ibid.
respicere 519.524
res relinquere 529
restiarius 510
restio ibid.
restituere 530.533
reuellere 533
reus promittendo 546
reus stipulando ibid.
ridere 532
ripe 541
rixa 511
robustus ibid.
rogare 532.535
rogatio 546.548
rosaceus 511
roseus ibid.
rostrum 521
rumor 507
rura 541
rursum 531.
533

S

Sacer 523
sacellum 508
sacrificare 513
sacrum 546
sæuus 532
sal 542
sales ibid.
salubre 510
salum 542
salutare 510
sanctum 546
sanies 542
sanus 529
sarcina 508
sarcinatrix 506
sartrix ibid.
satiari 513
satiatus 507
satietas 512
satis 520
saturatus 505.535
saxum 511.512
sciens 508
scire 527.533
scitum ibid.
scitus 508
scius 514
scribere 527
scrutari 510
sebum 513
segnitia 528
segregare 544
seiungere 533
sempiternum 530
sensa 515
sensus ibid.
sepulcrum 539
sequestres 532
sermo 506
serò 511
serpens 533
sertæ 542
serti ibid.
sertum ibid.
serui 531
seruitium 518.534
seruitus ibid.
serum 511
sidera 547
signa ibid.
silere 508
simul 507
simulare 509.517.538
sinus 525.542
sobrini 533
socius 537
socordia 528
sodalis 507
sollicitatio 529
sollicitudo 529.534
somnia 535

species

© Biblioteca Nacional de España

ſpecies 509.511.542
ſpecialitas 509
ſpecietas ibid.
ſpectare 527
ſpectatus 517
ſpecula 515.542
ſpeculator 544
ſpeculum 513.542
ſperare 529
ſperata 517
ſpes 530
ſpinæ 542
ſpinus ibid.
ſpirare 525
ſpiritus 537
ſplendor 507
ſpolia 537
ſpoliare 533
ſpondere 528.532.547
ſponſa 517
ſponſor 547
ſqualleus 542
ſtatio ibid.
ſtipulæ 538
ſuadere 531
ſuauium 512
ſub 510
ſubducere 532
ſubſidium 509.546
ſub vineam iacere 546
ſub vitem haſtas iacere ibid.
ſub vitem præliari 546
ſubſtruere 522
ſubter 525
ſubtus ibid.
ſuffragia 523
ſumere 508
ſummus 523
ſuper 525
ſuperbia 509
ſuperſtitio 515
ſupplicationes 526
ſupplicia ibid.
ſupra 525
ſupremus 523
ſurripere 509
ſuſcipere 524.536
ſuſpicax 519
ſuſpicor 506
ſuſpicio 538
ſuſpicioſus 510
ſuſtineri 528
ſtatura 531
ſtatus 531.537
ſtilla 517
ſtillare 634
ſtilus 527
ſtirps 542
ſtolidi 549
ſtrenuus 511
ſtudium ibid.
ſyngrapha 537
ſynonymia 509

T

TAbus 542
tacere 507
tacita 533
taciturnus 546
tacitus ibid.
tecta 533
tellus 542
temerarius 506.529
temeritas 524
temperantia 524
temperatio ibid.
temperies ibid.
templum 507.535
temulentus 529
tergum 535
tergus ibid.
terra 542
terribilis ibid.
terror ibid.
thenſæ 537
timere 528.534
timor 508.520.529.542
tollere 512
torquere 532
torrens 524
torres ibid.
totum 520.542
tragula 547
transfuga 507
transigere 536
treîs 510.
trepidare 506.533
tres 510
triceni 526
trigeni ibid.
triſtis 532
troia 543
truculentus 532
turba 506
turbo 542
turmæ 540
turpare 533
turpe 516

V

VÆnire 522
validus 529
valli 543
vallum ibid.
valuæ 539
vanum 543
vas 547
ve 527
vector 523
vegetum 515
vehementia 508
velocitas 519.524
venæ 549
venator 547
venire 523
venter 526.543
venuſtas 528
verecundia 529
vereri ibid.
vergere 539
veritas 528
veſtigiator 547
veſperna 544
verum 511
veteraſcere 517
vetus 505
vetuſtiſcere 517
vexati 536
vicinia 510.534
vicinitas ibid.
victima 514.539
victus 528
videns 530.537
vicium 532
videre 506.534
videte, videtote 508
vigiliæ 539
vigor 508
vindemiator 547
vindicta 505
virtus 508
viſere 532
viſitatus 508
viſum 543
viſus 508.543
vitare 517
vittæ 543
vituperatio 510
viuens 524
viuum ibid.
viuus 529
vlcus 516.524
vltio 505
vltimum 507
ultimus 523
vltus 523
vna 507
vnguentum 513
vniuerſi 511
vocabulum 506
vola 543
volema ibid.
volubilia 511.543
voluentia ibid.
voluntas 507
voluptas ibid.
vrbs 514.543
vterq; 521
vterus 543
vtile 515
vti 527.534
vtriq; 548
uvidum 539.547
vultus 507.514.528

FINIS.

© Biblioteca Nacional de España

INDEX POSTERIOR IN ISIDORVM CONTINENS NOMINA PROPRIA

locorum, Animalium, Arborum, Herbarum, Gemmarum, &c.

Prior numerus columnam, posterior lineam significat.

A

Abidos 344.51
Academici 186.19
Acanthus 424.51
Acephali 184.43
Acer 418.2
Achaia 338.10
Achates 346.36
achates Gemma 388.45
Aconita 425.1
Acorum 424.3
Acridium 428.29
Acroceraunij montes 348.58
Aegyptilla gemma 388.54
Aegyptiæ literæ 2.26
Aegophthalmos gemma 392.56
Aeoliæ insula 346.48
Aequor 320.22
Aethna 349.30
Aethiopia 431.54
Aethioxicus, gemma 812.26
Aethites 382.5
Aetites gemma 392.55
Aforus piscis 299.44
Africa 340.21
Africus 317.54
ἀφροδίτη 198.51
Agaricum 429.46
Alabandica gemma 391.21
Alabandicus lapis 383.37
Alabastrites lapis 383.23
Alanorum habitus 471.3
Alant 434.22
Alba 358.28
Alboda 326.61
Albutium 429.47
Alectria gemma 390.37
Alemannos habitus 471.4
Alexandria 357.1
Alga 430.50
Alimus 344.49
Allium 432.27
Alnus 418.5
Aloa 421.62
Alpes 349.58
Altanus 318.24
Althea 429.13
Amaracus 424.27
Ambrosia 429.30
Ametistus 387.13
Amiantos lapis 381.49
Aminea lagana 410,20
Amio 299.19
Ammochrysus 391.58
Amygdala 415.55
Amnites lapis 382.29
Amolum 483.57
Amomum 422.13
Amphibæna 292.36
Amphibia 297.3
Amanchitis gemma 393.3
Anas 307.8
Anchusa 428.53
Androdamantus 381.42
Androdamas 392.9
Anesion 434.10
Anguilla 108.18
Angubus hebes visus 294.52
Anguis 286.41
Anguilla 299.46
Anser 307.11
ἄνθραξ gemma 390.51
Anthracites 390.53
Antiochia 354
Antipodes 277.17
Aonia 337.47
Aonia 337.49
Apenninus mons 349.24
Aper 281.52
aphronitrum 378.22
Apiacum 429.35
apianæ vuæ 410.23
apis 199.41
apium 433.10
apium syluaticum 429.30
Apollo 196.60
Apsyctos gemma 388.51
Apulia 339.23
Aquila 302.61
aquilæ 437.58
aquilo 318.4
aquitania 339.50
Arabica gemma 391.31
arabicus lapis 381.17
Aranea 295.37
aranea piscis 298.16
ararath 348.55
araris 325.45
araxis 325.56
arboraca 432.58
Arcadia 338.23
arcturus 84.34
arcus cæleſtis 316.2
ardea 304.8
arelatus 359.27
arenatius lapis 460.39
aretina vasa 488.14
Argesten 317.58
argitis vua 410.33
argire 344.6
argirites gemma 392.7
Aristolochia 427.31
ἀκάνθις 309.9
Arctophylax 84.31
Armeniorum habitus 471.6
Arnoglossos 427.24
Arsenicum 464.22
Artabatitæ 276.62
artoteritæ 181.32
Artemisia 427.3
Asarum 423.43
Asbeston 338.30
asbestos 380.40
Asiæ regiones 330.14
asini Arcadici 282.61
Asinus 282.46
Asparagus 432.52
Asphodelus 429.47
Aspis 291.49
Asterites gemma 384.9
Astrion gemma 390.33
Athenæ 357.45
Athlas 349.50
Athos mons 349.15
Auellana 416.1
Auernus lacus 323.54
Augusteum marmor 283.10
Augustus 215.13
Aurichalcum 396.57
Auster 317.37
Australis piscis 299.15
Austroafricus 317.45

B

Bachia 489.17
Bactrum 354
Bactrus fluuius 325.48
Bœotia 337.38
Balamites gemma 392.17
Baleares insulæ 347.49
Balena 297.32
Baroptis gemma 388.61
Balsamum 422.30
Basanites marmor 383.20
Basiliscus 291.18
Batrachites lapis 381.55
Beelfegor 194.35
Beelzebub 194.44
Behemoth 194.50
Bel 194.26
Belgæ 339.44
Belial 194.48
Beli oculus gemma 388.35
Benacus lacus 323.51
Berenice 357.8

Berill

© Biblioteca Nacional de España

Berillus 385.6
Berillus 385.7
Betis 339.62
Betis fluuius 327.34
Bidella 421.34
Bitinia 335.1
Bithinia 357.30
Biturica uva 410.31
Bitumen 377.26
Bizanzena regio 340.58
Blitum 432.36
Boa 292.47
Boas 293.18
Boccæ 297.44
Bombyx 296.2
βόμβυκες 474.60
Bootes 84.32
Borio promontorium 348.24
Bos 282.4
Botrax 293.58
Bionia 430.9
Britannia 342.61
Brontia gemma 393.10
Brucus 293.53
Brundisium 358.14
Bubali 282.21
Bubo 305.53
Buglossos 427.18
Buptalmos 430.24
Burgedalis 359.29
Buxus 418.58

C

Caballus 283.8
Caballus sagmarius 496.40
Cadmia 397.43
Cæsarea 357.10
Cæsareaugusta Terraconēsis 359.35
Cæsarea Mauritaniæ 360.10
Cæsares 214.50
Calamus aromaticus 422.24
Callaica gemma 385.37
Callitriches 288.56
Calpes 349.46
Calpis promontorium 348.29
Cameleon 287.7
Camelus 282.28
Campania 339.26
Campanum æs 397.30
Cancer 94.8
Cancri 300.47
Canes pontici 287.39
Canis 288.7
Cantarida 295.54
Caper 280.47
Capillus veneris 428.44
Capparis 432.55
Caprificus 415.27
Capua 358.33
Carbunculus gemma 390.45
Carchedonius gemma 391.16
Cardamomum 424.7
Carduelis 309.8
Carduus 432.61
Caria 335.30
Carix 430.61
Carpathos 345.38
Carra 354.30
Cartago Spartaria 359.40
Cassia 422.19
Castanea 416.5
Castores 287.27
Cataporates 457.48
Cathari 181.52
Catochites 347.45
Caucasus 348.36
Caurus 317.58
Cedrus 416.57
Cencris 293.11
Centauri 337.60
Centauria 426.1
Centaurus 278.25
Cepa 432.22
Cerastes 292.17
Cerasus 415.2
Cæraunij montes 349.22
Ceraunium gemma 390.18
Cerberus 277.61
Ceres 197.28
Cerui 281.13
Cerussa 465.20
Cete 297.36
Calcanthum 378.34
Chalcanthum 465.31
Chalcites gemma 392.14
Chalcophonos gemma 292.16
Chamædrys 427.9
Chamæmelon 427.6
Chamæleon 428.57
χαμαιπίτυς 429.51
Chaonia 337.20
Charibdis 322.58
Charibdis 346.28
Charisteum marmor 383.57
Charon 196.3
Chelidonia 426.13
Chelidonia gemma 387.42
Chelidros 292.58
Chelonitis gemma 393.6
Chernites 382.17
Chimæra 278.17
Chios insula 346.9
Choaspis fluuius 325.50
Choaspites gemma 386.5
Christianorum hæreses 180.18
Christianus 176.42
Chryse 344.5
Chryselectrus gemma 391.50
Chrysites lapis 382.27
Chrysoberillus 385.13
Chrysocolla gemma 392.3
Chrysocolla 464.6
Chrysolampis gemma 391.54
Chrysolitus gemma 391.49
Chrysophis gemma 391.48
Chrysoprasius gemma 391.32
Chrysoprassus 385.16
Chrysoroa 326.28
Cicadæ 310.35
Cicendula 310.21
Ciceronis fons 319.8
Ciconia 303.36
Ciconia 496.5
Cilicia 335.46
Cimex 296.43
Cimolia creta 376.21
Cinifij hirci 280.45
Cinnabaris 463.58
Cinamomum 422.46
Cinomya 310.40
Circius 318.1
Circuncelliones 183.43
Citherea insula 345.44
Citolatia 428.37
Cyanea gemma 387.4
Cyclades insulæ 344.61
Cyclaminos 430.2
Cydnus 326.25
Cygnus 303.51
Cyniphes 310.45
Cynici 186.35
Cygnus amnis 335.51
Cynocephali 276.36
Cynocephali 288.51
Cynædia gemma 388.31
Cynomolgus 304.24
Cypressus 417.8
Cypria 464.12
Cyprus 344.26
Cyprium æs 396.53
Cyrene 360.20
Clitorius lacus 319.12
Clitumnus lacus 319.32
Cocytus 352.6
Colena 429.15
Colocynthis 425.58
Colora 429.15
Coluber 286.48
Columba 307.62
Comædi 188.14
Conchæ 300.24
Congrus 300.2
Constantinopolis 357.32
Coquimella 414.35
Coralliticus lapis 383.35
Coranus lapis 382.33
Coriandrum 434.12
Corintheum 397.1
Corinthia vasa 397.10
Corintheus lapis 383.53
Corinthus 357.54
Cornices 303.41
Cornix 306.25
Coriscos oppidum 335.53
Corsicæ insulæ 347.27
Corus 317.56
Corui pisces 298.1

© Biblioteca Nacional de España

Coruus 306.17
costum 423.17
Creta 344.30
Cristallus 389.48
Crocodilus piscis 298.17
Crocomagma 423.40
Crocus 423.24
Crustumia oliua 419.56
Crustumia pira 414.60
Ctesiphon 354
Cucumer 432.38
Cuniculi 281.39
Cunila 429.16
Cucurbitularis 429.54
Cupido 199.5

D

Almatia 337.7
Damula 281.32
Danubius 327.3
Dardania 335.18
Daucus 428 36
Delos insula 345.12
Delphin 297.48
Dentrix piscis 298.30
Diana 197.15
Dictamnum herba 425.32
Diespiter 192.62
Dyctamnus herba 344.48
Dydyme 346.60
Diomedeæ aues 304.58
Διόνυσος 196.15
Dionysia gemma 389.8
Dionysius lapis 381.1
Dioscoria 357.24
Dipsas 291.60
Dipsus 293.41
Dorcadæ 280.53
Draco 286.62
Draco marinus 299.53
Dracontea 426.9
Draconum signa 438.5
Dromeda 282.37
Droselitus gemma 389.2

E

Benus 417.27
Ebolus 347.46
Echeneis 299.23
Echinus 301.16
Echinus piscis. ibid.
Echites gemma 392.48
Eden 330.25
Edissa 364
Esbolæ uuæ 410.45
Electrum 386.52
Electrum 399.30
Elephas 286.37
Elleborus 425.1
Emerita 359.48
Emeriti 359.48
Enhydrus 292.44
Enhydros 285.4
Enhydros gemma 390.41
Eridanus 326.51
Erigonon 427.40
Erimantus 326.43
Eumenides 201.15
Euonymos 346.61
Euphorbium 425.13
Euphrata 325.25
Euphrates fluuius 325.22
Euro auster 317.42
Europæ regiones & prouinciæ 336.1
Eusis 326.16
Excedra 278.5
Exebenus gemma 388.41
Exuuiæ serpentum 295.13
Ephesus 357.20
Epicurei 186.44
Epimelas gemma 388.39
Epitimum 424.18
Equi marini 297.42
Equorum tria genera 284.30
Equorum uiuacitas 283.11
Equus 283.3
Erebus 352.4
Eritius 286.7
Ericodes 346.61
Ericula 346.60
Erynus 326.29
Erymantus 338.30
ἔρμης 196.23
Ermiscron gemma 391.41
Eruca 296.6
Eruca 433.2
Eruum 408.56
Escaris piscis siue Scarus 299.1
Esculus 416.23

F

Aba 408.26
Faba fresa 408.32
Faba fresa 496.21
Fagus 416.18
Falernum uinum 486.30
Far 407.4
Faselos 432.30
Faunus 199.51
Faunus ficarius 202.14
Fauonius 224.1
Fauonius 317.50
Feniculum 434.3
Fiber 287.39
Filix 431.9
Ficedula 309.4
Ficus 415 11
Flomos 429.7
Flomos 430.24
Folium, herba aromatica 422.60
Fons 324.54
Formica 286.22
Formicoleon 286.31
Fortunatæ insulæ 343.4
Fraxinus 417.55
Fucus 430.47
Fungi 432 44
Furiæ 200.35
Fulica 307.18

G

Abinus cinctus 471.60
Gades 343.32
Gades 359. 62
Gagates 380.32
Galactites 381.57
Galactites gemma 388.13
Galatias 390.15
Galaticæ 484.58
Galaxia gemma 388.21
Galbanum 425.29
Gallia 339.29
Gallia Cisalpina 359.3
Gallus 307.2
Ganges fluuius 325.10
Garama 341.50
Gemmæ rubræ 386.15 purpureæ 387.10 candidæ 387.50 nigræ 388.43
Gemmæ virides 384.36
Geneser lacus 323.43
Genicularis herba 429.42
Gentiana 426.51
Geon fluuius 324.56
Germania 336.26
Germani 224 58
Geryon triformis 277.32
Getulia 341.10
Gymnicus ludus 444.21
Gymnosophistæ 186.57
Gladiolus 429.44
Gladius piscis 298.7
Glaucus piscis 298.56
Glis 286.3
Glycyriza 426 5
Glycysides 427.14
Glossopetra 392.41
Gnostici 180.40
Gomor 403.24
Gorgodes 343.53
Gorgones 277.36
Graculus 306.34
Gradiuus 196.58
Græcia 336.62
Gramen 434.4
Grillus 286.16
Gryphes 287.1
Grues 303.23
Gurges 324.52
Gurgulio 263.39

H

Alcyon 304.42
Hæmathites 386.43
Hæmorrhois 292.3
Halec 299.42
Hastula 412.58
Hedera 424.56
Helicon 349.22
Heliotropium gemma 385.44
Heliotropium 426.17
Hellas 337.23

Hemero-

© Biblioteca Nacional de España

Hemerobaptistæ 180.16
Hemicraneus 296.26
Hephæstitis gemma 392.32
Herba insana 426.44
Herba lauaria 427.55
Herba pulicaris 427.44
Herba sanguinaria 429.27
Herbæ aromaticæ 422.53
Herciniæ aues 305.17
Herbitus 419.2
Hermafroditæ 275.15
Hermes 796.39
Herba salutaris 429.23
Herpillus 427.27
Hesperidum insulæ 343.60
Hesperiæ 338.62
Hetruria 339.14
Hexecontalithos gemma 389.33
Hyacinthizon gemma 387.36
Hyacinthus 387.25
Hyacinthus 424.31
Hyades 84.48
Hydra 278.4
Hydria 489.35
Hydromantici 190.41
Hydromelum 486.53
Hydros 292.46
Hymenæus 234.34
Hyosquiamos 426.40
Hypnalis 291.62
Hysopus 426.30.34
Hidaspes 325.37
Hiemia 393.12
Hiera 346.60
Hierabotane 427.46
Hieracites gemma 392.54
Hierosolyma 353.42
Hinnuli 281.30
Hiperborei montes 349.1
Hipocentaurus 278.38
Hippopotamus 298.28
Hipposelinon 433.24
Hirci cinifij 280.43
Hircus 280.39
Hirundo 308.50
Hispalis 359.56
Hispania 339.53
Histrix 285.1
Hædi 280.35

I

Iaculi 293.26
Ianiculum 358.19
Ianus 195.40
Iaspis 385.20
Ibernia 343.22
Iberus amnis 327.24
Ibices 281.2
Ibis 305.26
Icaria insula 345.48
Icosium 360.15
Ideus dactylus, gemma 392.23
ἰκτιδες 285.50
India 330.41
Indicæ mulieres quæ quinquennes concipiunt 277.27
ὑπποπόδες 277.19
Iris 316.4
Iris gemma 390.28
Iris Illirica 423.58
Isauria 335.37
Ischistos lapis 381.47
Ismirus lapis 382.25
Ister 327.6
Istria 338.42
Italia 338.45
Iuno 198.13
Iudaicus lapis 381.20
Iudæorum hæreses 179.42
Iudicum 464.37
Iuniperus 417.21
Iuncus 430.39
Ilas 326.26
Ilium 357.18
Imperator 219.61
Inachus 338.21
Indorum habitus 471.5
Indus fluuius 325.35
Intubus syluaticum 426.22
Intubus 432.20
Inula 434.22
Iordanus 326.9
Iouis 195.25

K

Κόκκος 475.3
κύπειρος 423.50
κύρνη 347.37
κύτινοι 413.60

L

Labrusca 409.3
Lacertus 293.55
Lactuca 432.14
Lactuca agrestis 432.17
Lacus Asphaltides 323.19
Lacus Tyberiadis 323.38
Lagunum 483.52
Lamiæ 202.3
Lapistrus 432.59
Lappa 428.39
Larex 488.11
Laser 425.18
Latini 222.3
Latium 338.47
Latonia 197.26
Lauinia 358.28
Laurus 413.27
Lemnias 276.44
Lens 408.34
Lenticula 490.17
Lentiscus 418.48
Leontophonos 288.58
Leonum natura 285.24
Leopardus 286.
Lepus 281.35
Lepus pisc. 298.38
Lesbius lapis 383.51
Leuiathan 194.55
Leuitæ 175.19
Lucaniæ 484.43
Lucani boues 286.45
Lucernalis herba 429.7
Lucifer 85.19
Lucina 197.17
Lucrinus lacus 323.54
Lucubri 229.9
Luculleum marmor 384.2
Lulligo 300.20
Lumbricus 296.27
Lunensis lapis 384.7
Lupa 249.9
Lupinum 408.39
Lupus 287.52. piscis 298.39
Luscinia 305.43
Lyæus 196.14
Libanotus 317.46
Libanus 348.49
Liber 196.4
Libia 340.16
Lybia Cyrenensis 360.21
Liburnæ naues 426.10
Lycia 335.56
Lychnites gemma 391.1
Lycisci 288.24
Lycophthalmos gemma 392.57
Lydia 335.31
Liguritium 434.7
Lilia 424.46
Lilibæum promontorium 348.21
Limax 295.61
Lyncurius 387.7
Lynx 287.18
Lipare 346.57
Liparis gemma 393.1
Locusta 310.32
Lotos 414.30

M

Macedonia 338.1
Μακεδόνιοι 277.20
Magi 189.35. & 190.22
Magnes 380.11
Maleum promontorium 348.9
Malum 107.35. & 413.36
Malum punicum 413.56
Malum persicum 414.7
Malum matianum 413.39
Mala cidonia 413.44
Malogranata fœm. 413.60
Malomellum 413.51
Malum Duracenum 414.9
Malua 431.40
Maluæ viscus 429.13
Maluarum folia libris conficiendis idonea 132.4
Mandragora 425.41
Manes 201.5
Mantua 359.2
Maratonius campus 337.34
Mareoticæ uvæ 410.45
Mare mortuum 323.19

© Biblioteca Nacional de España

Mare Salinarium 323.32
Margarita 387.52
Marrubium 427.61
Mare 196.49
Martisia 484.47
Maßilia 359.23
Mastix 418.51
Mauritania 341.25
Mauritania Cæsariensis 341.32
Mauritania Tingitana 341.40
Mausolea 371.14
Mæander 326 32
Meconites gemma 392.60
Medea gemma 388.56
Media 354.11
Medica 408.45
Medica arbor 414.19
Mediolanum 358.54
Medus 487.1
Melanurus 298.3
Melichoros gemma 386.3
Melichrysos gemma 392.1
Melitites 382.23
Melinum 465 13
Melo 285.28
Melo 325.5
Melofos 414.50
Melos 345.59
Melotes 472.54
Memnonides aues 305.9
Memphitis 381.26
Menta 434.24
Menta agrestis 429.39
Mercurius 196.19
Meropes 305.30
Merula 308.46
Mespila 414.53
Mesometas gemma 389.1
Mesopotamia 353.30
Milago 299.32
Milimindrum 426.47
Milium 407.39
Miluus 367.48
Mineus fluuius 327.26
Minerua 198.25
Minium 463.52
Miricæ 418.37
Mirtus 418.42
Mitrax 382.3
Mitrax gemma 389.19
Mycenæ 357.60
Myrrha 421.12
Myrmicites gemma 392.51
Myrrhites gemma 385.60
Mnicius 323.51
Molochites 385.41
Molocina vestis 469.9
Molossia 337.19
Molotius lapis 382.34
Monocentaurus 278.38
Monoceros 286.26
Molossia 337.18
Mora piscis 299.28
Morus 415.31
Mugilis 298.49
Multipes serp. 295.57
Mullus 298.43
Muræna 299.56
Muræna 478.5
Murex 300.41
Muria 487.44
Murrhina gemma 189.39
Murices 379.24
Mus 285.35
Musaraneum 285.54
Musa 310.38
Musio 285.19
Mustela 283.44
Mustela 496.4

N

Napocaulis 431.59
Narbona 359.27
Narcissus 424.38
Nardus 423.3
Napus 431.52
Nasturtium 432.42
Natrix 293.7
Naxos insula 345.55
Neptunus 195.48
Neptunus 315.24
Nicomedia 335.7
Nicomedia 357.28
Nisa 354.8
Nitrum 378.16
Nyctages hær. 184.22
Nilus 325.3
Nymbus 316.16
Noctua 306 1
Numesianæ uvæ 401.7
Numidia 341.12
Numidium marmor 383.66
Nummularia 131.43
Nux 415.41

O

Obites 293.32
Obsedius lapis 381.61
Obsius 464.30
Oceanus 320.40
Olca gemma 389.17
Oleo 419.37
Oleomella 414.43
Oliua 419.37
Olympias 115.30
Olympus 338.13
Olympus 349.12
Oninimorbia 428.18
Onager 282.53
Onocrotalos auis 305.23
Onyxigem 386.29
Origanum 429.13
Opalus gemma 389.23
Ophitæ 180.54
Ophites, marmor 383.7
Oppidum 360.48
Orchades 343.20
Orchades oliuæ 419.41
Orcus 196.1
Orgia 143.18
Orion 84.39
Orontes 326.71
Ortigometra 308.23
Ortygia 345.19
Oseoleminon 434.1
Ostia 358.51
Ostracites 382.21
Ostracites gemma 392.37
Oscines 309.14
Ossifragus 307.51

P

Pachinum promontorium 348.17
Pactolus 326.28
Pæderos gemma 384.28
Pæonia 427.12
Padus fluuius 326.46
Pagrus piscis 298.33
Pallas 198.45
Paliurus 427.52
Palma 413.11
Palma 12.27
Palumbes 308.6
Pan. 199 12
Pannonia 338.33
Panchrus gemma 389.15
Parnassus 337.56
Parnasus mons 349.20
Panther 285.58
παπάτης 474.51
Papauer 425.53
Papiliones 310.29
Papulus 418.14
Paradisus 330.23
Parnassus 337.56
Parias 293.14
Pardus 286.16
Parius lapis 383.30
Partenij 359.5
Passer 308.44
Pastinaca 431.47
Pauo 306.54
Pediculi 296.31
Pellicanus 304.49
Pelorum promontorium 348.14
Peloponensis 337.50
Peloponensis 337.50
Peloponenses 358.5
Pelorides 301.3
Pelorides pisces 301.3
Penates 201.1
Pentapolis 340.44
Ponterobon 427.15
Perdix 308.11
Persarum habitus 471.5
Paripatetici 186.30
Pentaphyllon 426.27

Peucetia

© Biblioteca Nacional de España

Peucetia 355.62
Petroselinon 433.18
Phæcicodes 346.61
Phanace 425.25
Pharus 363.14
Phasiarius 306.59
Phengites 382.12
Phenicusa 346.60
Phœnix 304.15
Phœnices 74.50
Phlegontis gemma 391.35
φιλάνθρωπος herba 428.39
Philadelphica 354
Phrygia 335.17
Phygalæ 488.61
Physon 325.12
Picus 306.47
Picæ 306.39
Pictauius 359.27
Pinus 416.36
Piper 421.47
Piperinus lapis 460.44
πιστάσφαλτος 377.31
Platanus 417.37
Pleiades 84.55
Pluton 195.62
Polios 428.18
Polygonon 429.37
Polypus 300.2
Polypodion 418.14
Poma 412.52
Pompeia 358.22
Pontici canes 287.39
Pontica gemma 293.17
Pontica gemma 389.29
Porrus 281.45
Porrum 432.32
Porci marini 297.58
Piras 414.56
Prasius lapis 385.3
Prasina 464.3
Prester 292.8
Proserpina 197.22
Psitacus 304.33
Psyllion 427.43
Ptolemais 357.8
Pulex 296.34
Pulegium 428.1
Pulegium Martis 425.38
Pulicaris herba 427.44
Punicani lecti 493.1
Purpurissum 464.61
Purpurites marmor 383.17
Puteolanus puluis 376.30
Pygmæi 277.24
Pyrites 380.49
Pyretron 429.10
Pyrenæus 349.38
Pyritis gemma 389.12
Pyropum æs 397.18
Pythagoræ litera 2.42
Pythones 191.18

Q

Quercus 417.43

R

Ranæ 301.24 aquaticæ. ibid. palustres 301.24 rubetæ. ibid. calamites. ibid.
Raphanum 432.3
Rapa 431.49
Regulus 291.18
Resina 420.14
Reubarbarum 246.34
Reuponticum 426.34
Rhamnus 419.23
Rhenus 327.18
Rhetia 339.49
Rhodus 358.6
Rhodanus 327.11
Rinoceros 286.25
Riphæi montes 349.3
Robur 418.3
Rodomelum 486.60
Rhodos 345.23
Roditis gemma 387.49
Rosa 424.44
Rosmarinum 429.37
Rubetæ ranæ 301,27
Rubia 427.49
Rubrum mare 322.14
Rusticana instrumenta 494.46
Ruta 434.17

S

Sabinus lapis 382.38
Sagda gemma 385.56
Sagmen 427.50
Saguntum 359.45
Salix 418.26
Salamandra 293.60
Salem 353.38
Salpinga 293.49
Samos insula 346.12
Samius lapis 381.23
Samia vasa 488.2
Simiæ 288.37
Samothracius anulus 479.19
Samsucus 424.21
Sandaracha 464.14
Sandastros gemma 390.58
Sangnisuga 295.42
Saphirus 387.22
Sarcophagus 381.31
Sardinia 347.10
Sardum mel amarum 485.24
Sardis 347.9
Sardius 386.25
Sardonyx 386.36
Sarda siue sardina piscis 299.40
Sarralia 432.17.20
Satyri 277.3
Satyrici 288.53
Satyrici 188.32
Saturnus 195.8
Saturnia 358.20
Saura 294.9
Saxifragia 426.49
Scammonia 428.29
Scarus 299.1
Schinos 424.9
Scilla 346.28
Scilla 277.53
Scilla 322.52
Scindula 407.34
Sciopodum gens 277.12
Scirpus 430.41
Scitalis 292.27
Scolopendryos 429.58
Scorpio 295.48
Scorpio 441.6
Scorpio piscis 298.11
Scorpio manus palmam non ferit 295.53
Scorpitis gemma 392.50
Scotia 343.22
Scotorum habitus 471.4
Selenites 380.59
Selemones 499.21
Senecio 427.42
Sentit 419.25
Sentit vrsina 419.23
Seps 293.37
Seps 292.14
Sepia 300.14
Septa 360.2
Septentri 317.60
Serapis 199.34
Serpillus 427.27
Seriola 489.49
Serra piscis 298.9
Sfungiam lapis 466.54
Sfingæ 288.49
Sibilus 271.34
Sibyllæ 188.56
Sicale 489.20
Sicilia 346.17
Sicomorus 415.38
Siden 319.38
Sideritis gemma 392.20
Silnites lapis 383.45
Sigæum promontorium 348.3
Sifnius lapis 382.41
Siligo 407.14
Simones, Delphines 297.56
Sinapis 432.1
Sinopis 463.36
Sirenæ serpens 293.28
Sirenas 277.43
Sirius 84.62
Sirtes 323.1
Solenites gemma 388.27
Solurius 349.42
Solsequia 426.20
Solyma 353.44
Smaragdus 384.40
Smirna 335.40
Smirna 357.21

© Biblioteca Nacional de España

Solis gemma 388.24
Sophistæ 185.37
Sorex 285.41
Sparta 327.62
Spartus piscis 299.11
Spartus 431.1
Spartus 491.37
Specus 351.15
Specularis lapis 381.48
Speranum 420.2
Spiracula 351.22
Spiritus sanctus 154.50
Splenion 429.57
Spongia 301.36
Squilla 429.49
Stæchas 429.62
Stæchades insulæ 347.4
Stephanitæ vuæ 410.12
Stefadium 481.22
Stellio 294.13
Stiphadium 481.26
Storia 492.53
Stoici 186.4
Storax 421.20
Strichnos 429.23
Strix 306.10
Strongyle 346.60
Strutio 304.3
Strutius 427.55
Stymphalidæ 304.55
Styx 352.4
Subsolanus 317.30
Succinus 386.49
Sulphur 376.36
Sus 281.42
Susis 354
Syluanus 199.12
Symphyton 428.11
Synochitis gemma 393.5
Syrius lapis 381.14
Syrtites gemma 391.37

T

TAgus fluuius 327.30
Talpa 285.60
Tanus 326.38
Tanais 326.39
Taos gemma 392.53
Tarmus 296.36
Tapsus insula 346.37
Tarentum 359.15
Tarsus 357.12
Taurus 281.61
Taurus 348.48
Tauri 310.16
Taxus 417.59
Telos insula 344.22
Tenedos 345.30
Terebintus 418.53
Teredones 296.4
Terracona 359.32
Testudo piscis 301.9
Testudo 369.24
Thanatos insula 343.7
Thebe 357.2
Thebaicus lapis 382.46
Thebaicus lapis 383.41
Thracius lapis 381.5
Thessalia 337.52
Thyle 343.12
Thynni 298.3
Thyrrhenia 335
Tiberium marmor 383.30
Tiberis 326.58
Tiburtinus lapis 460.24
Tibuis 326.62
Tigris 285.52
Tilia 418.23
Timallus 298.59
Titimallum 429.17
Timum 424.16
Tinea 296.19
Tingis 360.5
Tinius anulus 479
Titanes 213.48
Tiphus 430.54
Tiphus 430.58
Tiphus 430.60
Tophus lapis 460.36
Topazion 385.26
Torpedo 300.7
Tragœdi 188.7
Tragelaphi 281.26
Tramaria 418.37
Tramaritia 418.37
Trichrus gemma 389.5
Trio 282.4
Trinitas sancta 157.26
Tripolitana prouincia 340.50
Tritania 198.40
Triuia 197.18
Tubera 432.49
Turbiscus 419.4
Turdus 308.59
Turdela 308.61
Tuscia 339.5
Tusculanus lapis 382.36
Tygris fluuius 325.17
Tyrannus 215.34

V

VAcca 282.14
Veientana gemma 388.59
Venus 198.49
Veneris crinis gemma 388.93
Venetia 359.3
Venetum ceruleum 464.34
Verbascum 430.24
Vergiliæ 84.57
Verres 281.44
Verrucaria 426.24
Veruex 280.17
Vespertilio 305.36
Vesta 197.32
Vicia 408.50
Vicia 252.42
Viola 454.48
Vipera 291.36
Viscarago 428.57
Vitis alba 430.10
Vitulus 282.17
Vlmus 418.9
Vlpicum 432.28
Vlula 305.48
Vlua 430.54
Vmbria 339.10
Volenus, oliua 419.56
Voluus 439.60
Volui 432.51
Vnguis, piscis 301.7
Vpupa 308.31
Vranoscopus piscis 299.30
Vrbs 360.34
Vri 282.27
Vrtica 426.63
Vrsus 287.43
Vsia 296.40
Vua lupina 429.25
Vngulus 479.16
Vulcanus 195.50
Vulpes 288.30
Vultur 303.10
Vulturnus 317.33
Vlyßipona 359.53

X

Xerophagia 146.11

Z

ZEphirus 317.47
Zeugis 341.3
Zonæ 314.39
Zonæ cæli 314.40
Zurilacus gemma 382.28

FINIS.

© Biblioteca Nacional de España

Pagina versus

45 33 De colo themate) *lege*, commate colo *ibid.* 33 themate) *leg.* commate. 47 17 expugnat) *leg.* pugnat. 48 50 Flentis similitudinis, dele flentis. 52 *lege* gementis, flentis. 102 54 capiendi hæreditas. *leg. aliâs*, capiendæ hæreditatis. 104. 105 *leg.* 103. 104. 107 1 persuasio *lege* Peruasio. 122 17 Sequentia *leg.* Hæc 248, 3 & 4 Rharus & Rharitas. *leg.* Rarus & Raritas. 254. 3 peccator pellice. *leg.* à pellice. 291 *erratum in numeris paginarum.* 293 59 βότρακα *leg.* βότρακχον. 302 61 Aliqua *lege* Aquila. 309 6 De stagno *lege* stanno. 352 26 Inferus *lege* infernus. 376. 27 Tetra *lege* Terra. 393 26 Squalibus *lege* Squalidus. 420. 15 Lacrima *lege* Lachryma. 423 43 Alarum *lege* Afarum. 444 55 laculatum *lege* laculum. 457 9 in quæ sic nautolocantur *lege* quē sic nautæ loquuntur. 460 16 mentum *lege* cementum. 467 54 thicinyna *lege* hyacintina. 471. 61 secus, fortasse legendum est, post se cum reijcitur. 474. 41 stuppa, fortè stipa. 483. 53 fragmen menta *lege* fragmenta. 491 6 Lacuniaria *lege* Lacunaria. 494. 23 forpiceps *lege* forpices. In T vltimo pro 435 *leg.* 453 & pro 426 *lege* 454.

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

MARTIANI MINEI FELICIS CAPELLAE AFRI CARTHAGINENSIS, DE NVPTIIS PHILOLOGIAE ET MERCVRII, LIBER I.

TV, quem psallentem thalamis, quem matre Camæna,
Progenitum perhibet copula sacra deum:
Semina qui arcanis stringens pugnantia vinclis,
Complexuq; sacro dissona nexa foues
Nanq; elementa ligas vicibus, mundumq; maritas:
Atq; auram mentis corporibus socias:
Fœdere complacito sub quo natura iugatur,
Sexus concilias, & sub amore fidem:
O Hymenæe decens, Cypridis qui maxima cura es:
Hinc tibi nam flagrans ore cupido micat.
Seu tibi quod Bacchus pater est, placuisse choreas,
Cantare ad thalamos, seu genitricis habes.
Comere verniferis florentia limina sertis,
Seu consanguineo gratia trina dedit.
Connubium diuûm componens Calliopea
Carminis auspicio te probat annuere.

DVM crebrius istos Hymenæi versiculos nescio quid inopinũ intactumque moliens cano, respersum capillis albicantibus verticem, incrementisque lustralibus decuriatum, nugulas ineptas aggarrire nõ perferens, Martianus interuenit dicẽs. Quid istud mi pater? quòd nondum vulgata materie cantare deproperas, & ritu nictantis antistitis, priusquam fores aditumque reserares † γυμνολογίζεις? Quin potius edoce quid apportes, & quorsum prædicta soluerint, reuelato. Ne tu inquam desipis? admodumque perspicui operis ἐγκεφομμμεῖον noscens crepetum sapis? nec liquet Hymenæo prelibante disposita, nuptias resultare? Si verò concepta, cuius scaturiginis vena perfluxerint properus scrutator inquiris, fabellam tibi quam olim Satyra comminiscens, hyemali peruigilio marcescentes mecum lucernas edocuit, ni prolixitas perculerit, explicabo. Cum inter deos fierent sacra coniugia procreationis vndique numerosæ, liberique præclues, ac nepotum dulcium ætherea multitudo, & inter se quodam cælicolarum complexu ac fœdere potirentur, presertimque potissimos connubialis bearet adiectio, idque deditum mundo loquax triuiatim dissultaret humanitas, poetæque precipuè Euagrium citharistam secuti, cecutientisque Męonij suauiloquam senectutem, epica vulgo lyricaque pagina consonarẽt. nec aliquid dulcius Ioui inter æthereas voluptates vna coniuge loquerentur: hisque accederet promptior fides, quæ suadente aruspicio grandæuos pontifices in testimonium conuocat. Cum quid Iupiter hominum votis trepida curarum ambage suspensis, multa implacabilis hostia denegaret, exorata eius matrona prouenire, & quicquid ille exprompta sententia Parcarum pugillo asseruante dictauerit, delinitum suadę coniugis amplexibus iussuque remouere. Nec solum superum regem attestabatur vxorium, idque etiam Diti propositum, idque Portuno, certumque esse Gradiuum Nerienis Nerinæ coniugis amore torreri. Æsculapio quoq; non dispar affectio, similique persuasione transduci Ope coniuga, Cybeleq; permulsa mœstissimum seniorẽ deorum: Ianusq; Argionam vtraq; miratur effigie. Nam reginã † tantum marito dependisse Memphiticam, vt obsita luctu perpetuo nunquam eum contenta sit inuenire. Hac igitur fama, hisque deorum alternis amoribus motus concitusque Cyllenius, simulque quòd cunctorum affectiones & thalamos dum paret plurib. conspicatur, vxorem ducere instituit. Inquam sententiam mater illum anxia cum annua peragratione zodiactea in Pliadum numero salutaret, impulerat, presertimq;, quòd palæstra crebrisq; discursibus exercitum corpus lacertosis in iuuenilis roboris excellẽtiam toris virili quadam amplitudine renidebat. Ac iam pubescentes genæ seminudum eum incedere, chlamydeque indutum parua, inuelatumq; cætera humerorum cacumen obnubere sine magno risu Cypridis non sinebant. Rationabili igitur proposito constituit pellere cælibatum. Itaq; pro industriæ dignitate quã conueniret accipere, cuncta merito longæ deliberationis alternat. Nam Sophiã, ipse miro quidem cupiebat ardore, quòd prudens sanctaque sit intemeratioq; cunctis pulchrioque virginibus, sed quòd sororis eius collactea & indiscreto amica fœdere videretur: perindeque ad innubas ipsa quoque transisse, eam in Palladis iniuriam non placuit coaptari. Non dispar illum formæ desiderabilis, grataque lucu lentas in manticem quoque succenderat. Nam & nobilitas generis illam, quippe Pronoe maior est filiarum, & prouidum perspicacis prudentiæ commendabat ingenium. Sed ipsis diebus fortè immensi amoris impatientia, vltro iuuenem consecuta, Apollini fuerat copulata. Voluit saltem Endelechiæ ac Solis filiam postulare

al. γαμολογίζεις.

al. tantum dicunt.

© Biblioteca Nacional de España

lare, quòd speciosa quàm maximè, magnaque deorum sit educata cura. Nam ipsi ψυχῇ natali die dij ad conuiuium † corrogati multa contulerant. Iupiter quippe diadema, quod Æternitati filiæ honoratiori detraxerat, capiti eius apposuit. Iuno quoque ex purgatioris auri splendente vena addiderat crinibus sociale vinculũ. Tritonia etiam interula, resoluto ricinio, strophioque instar flammarum è cocco atque ipso sacri pectoris ac prudentis amiculo virginem virgo contexit. Delius quoque, vt ramale laureum gestitat, diuinatrice eadem coniecturaliq; virga, volucres illi, ac fulgurum iactus, ac ipsius meatus cæli syderumque monstrabat. † Anię autem prænitens speculum, quod inter donaria eius adytis Sophia defixerat, quo se recognoscens etiam originem vellet exquirere, clementi benignitate largita est. Lemnius quoque faber insopibilis illi perennitatis igniculos, ne caligantibus tenebris nocteque cæca opprimeretur, incendit. Omnes verò illecebras circa sensus cunctos apposuit Aphrodite. Nam & vnguentis oblitam, floribusque redimitam, halatu pasci fouerique docuerat, & melle permulserat, & auro atque monilibus inhiare, membráque vinciri honorationis celsæ affectatione persuaserat. Tunc crepitacula tinnitusque quis infanti somnium duceret adhibebat quiescenti.

Præterea ne vllum tempus sine illecebris oblectamentisque decurreret, pruritui subscalpentem circa ima corporis apposuerat voluptatem. Sed vehiculum ei atq; volatiles rotas, quis mira posset velocitate discurrere, tradiderat ipse Cyllenius: licet eam aut compedibus illigatam memoria prægrauarit. His igitur ψυχὴν opimam superis ditemque muneribus, atque multa cælestium collatione decoratam, in connubium Arcas superiorum casus optabat. Sed eam Virtus, vt ãdhærebat fortè Cyllenio, penè lachrymans nunciauit impotentiam pharetrati volitantisq; superi, de sua societate correptam, captiuamq; adamantinis nexibus à Cupidine detineri. Super his igitur virginum thalamis, dum eum deliberatæ sortis blandimenta frustrantur, nec facilè quæpiam, præter eam quæ congrua parilitate tonantis nurus deligeretur; occurrit, amplius deliberandum suggerit Virtus: neq; eum sine Apollinis consilio quicquam debere decernere, aut fas ab eius cõgressibus aberrare. Cum zodiaca eum hospitia † permeantem nunquam abesse menstrua præcursione permitteret. Igitur constitutum, vbicunq; locorum frater esset, adiretur. At tunc volatilem virgam, vti secum mundi penita permeare, æthereosque recessus irrumpere parili velocitate posset, Virtuti de more permittit: ipse pedibus talaria nectit aurea, & nunc in fanis, quibus aut vaticinia obliquis fundebantur ambagibus, aut denunciata pecudum cæde physiculatis extorum † prosicijs viscera loquebantur, quibusque sortitus excedere, vel logia personare, sagaci eum inuestigatione disquirunt. Sed † his adytorum fastigijs

al. cõgregati

al. prænetãtem.

al. prosicis

forte, is

specubusque viduatis, absque lauri arentis paucis admodum folijs, † vitibusque semiuulsis, quas in Cumano antro post Sibyllam tinearum morsus cariesque carpebant, nihil eius potuit inueniri. Per aereos etiam tractus, quibus formare solitus & volucrum diuersos meatus, & oscinum linguas, & præpetis omina pennæ, frustra incassumque disquiritur. Iam pridem quippe offensus contamine monendorum, dedignatur Augur Pythius nuncupari. Item eum in Helicona, Delon, Lyciumque sectantur. Sed alibi laurios primores, arentesque hederas, alibi cariantem tripodem, crepidasque situ murcidas, præsagiorumque interlitam memoriam repererunt. Tandem fama nunciante cognoscunt, quòd Phœbo gaudet Parnasia rupes: Licet inde quoque ad Indici montis secretum, ob umbratumq; scopulũ, nube perpetua posterius migrasse perhibebant, tamen Cirrheos tunc recessus, & sacrati specus loquacia antra conueniunt. Illic autem circunstabat in ordinem quicquid imminet sæculorum, fortunæ vrbium nationumque omnium regum ac totius populi videbantur. Aliæ transacti cursus emenso fugientes consistebant. Aliæ sub conspectu, aduenie bantque quàm plures, atque ita nonnullis eminus † vanescebat disperata prolixitas, vt velut fumidæ caligationis incredibilis haberetur aura. Inter hæc mira spectacula fortunarumq; cursus, † motus nemorum etiam susurrantibus flabris, canora modulatio melico quodam crepitabat appulsu. Nam eminentiora prolixarum arborum culmina perindeque distenta acuto sonitu resultabant. Quicquid verò terræ confine ac propinquum ramis adclinibus fuerat, grauitas rauca quatiebat. At media ratis per annexa succentibus duplis, ac sesquialteris nec non etiam sesquitertijs, octauis etiam sine discretione iuncturis: licet interuenirent limata, † concinebant. Ita fiebat, vt nemus illud harmoniam totam superumq; carmen modulationum congruentia personaret. Quod quidem exponente Cyllenio virtus † edicit, etiam in cœlo orbes parili ratione aut concentus edere, aut succentibus conuenire. Nec mirum, quòd Apollinis sylua † ita rata modificatione congrueret, cum cæli quoque orbes idem Delius moduletur in sole: hincque est, quòd † ille Phœbus, & hic vocitetur Auricomus. Nam solis augustum caput radijs perfusum circumactumque flammantibus, velut auratam cæsariem rutili verticis imitatur. Hinc quoque Sagittarius, hinc quoque Vulnificus, quòd posit radiorum iaculis icta penetrare. Demonstrabat præterea Cyllenius Virtuti amnes quosdam cælitus defluentes, quos transeundos esse perhibebat, vt ad eum ipsum quem reperire curæ est, peruenirent. Verùm eosdem amnes diuersicolor fluentorum discrepantium vnda raptabat. Quippe primus diffusioris ac prolixi ambitus gurges liuentis aquæ volumine nebuloso, atque algidis admodum pigrisque cursibus † hęsitabat. Interius lactis

al. vitisq;

al. vnà cessabat

al. motusque nemorum susur.

† concinnabant

al. edidicit

al. iterata

al. illic

al. hæsitabat interius. Alius lactis, &c.

© Biblioteca Nacional de España

ctis instar alius candidæque lucis mitis per omnia quietusque motu vndas voluebat argenteas. Tertius verò † minio rubeoque igne rutilantes, festinataque rapiditate præcipites, † ira grososque cursus anhela sulphureus celeritate torquebat. Qui hunc sequebatur auratus ac fulgidus, & flaminis coruscantibus rutilans, sed diuersitate fluminum vtrinque coniunctus, qui busdam riuulis intermixtis, quantum pensabat moderatio temperabat. Verùm interior ille electro purior resplendebat amnis, quem præter cæteros fortunarum ille consistens populus appetebat: quarum aliâs eius odor & halatus illexerat, aliâs lenis vndæ canori permulsere modulatus. Gustum autem haustumque quàm plures ex eodem dulcissimo gurgite sitiebant. Nec deerat, qui eadem foueri abluique lympha ac se in illam iacere cupiebat. Præterea duo restrictiores, ac sinu ambituque paruo raptabantur interius: quorum vterque pro aliorum vicinia & confinio coloratus, exiguum proprij saporis haustum, multa mutabilis admixtione traxerat. Nam alter nimia celeritate festinus, ac plerunque consistens relabensque ferebatur. Alius verò quandam vndarum originem gestans, flexuosisque anfractibus errabundus spumabat cunctis seminibus fluentorum. Hi igitur cursus discoloris amnes prædictas rerum nationumque fortunas immensis primo finibus ambiebant. Tunc diuersa vndarum violensque rapiditas singulas quasque peruadens improuisa vi per decliuis aluei præcipites lapsus rapidis turbinibus pertrahebat, ita vt alius easdem plerunque alteri transfunderet fluuio, & quam ille exercitam longa collisione vexauerat, alter aut ripæ redderet, aut amne mersaret. Non tamen fortunas omnes illi † sanguineos aut cæruleos inuolutas gurgites rapiebant. Plerunque illius lactei † renitens vnda repente correptas eminentis tractus vertice subuehebat. Aliquando etiam sublimitas atque fluctu elatiore suspensas in illum cruentæ similitudinis reijciebat æstum, aut in torrentem liuidum vorandas hiatu piceo despuebat. Alterna igitur permixtione fluuiorum ille Fortunarum populus agebatur. Neque enim vlla prorsus erat, quæ ab omni immunis incursu, cunctoque esset gurgite feriata. Denique Virtus secuta Cyllenium dum sola cunctos interritè transmearet: licet eam magno fragore collisérint: tamen opprimere non quiuerunt. Tandem trans fluuios, qui ad quoddam Phœbi spectaculum ferebantur, cum virtute Mercurius constiterunt. Ac tunc Latoium conspicati edito considentem arduoque suggestu, atque in conspectu quatuor urnulas adopertas vicissim atque alternis inspectionibus enudare, quæ diuersa specie metallisque formatæ. Nam vna ex ferro, quantum conijci potuit, duriore: alia ex argenti fulgentiore materie: tertia liuentis plumbi fusili robore videbatur. At verò propior deo perlucentis vitri falo renidebat. Singulæ autem rerum quædam semina elementaque gestabant. Nam flamma flagrantior, & ab ipsius cecaumenis exanclata fomitibus ex ferri prædicta anhelabat vrna: quæ tamen Vertex Mulciferi dicebatur. Alia etiam quæ fuerat ex argenti materie, præferebat serena fulgentia, & vernantis cæli † temperie renidebat. Hanc dicebant Risum Iouis: Illa verò metalli grauioris plena vndosæ hyemis atque algidi † rigoris, nec non etiam pruinarum. Hæc Saturni vocabatur Exitium. At verò sali resplendentis, atque ad ipsius dei dexteram sita, aeris totius seminibus erat referta. Hanc Iunonis Vbera † memorabant. Ex his igitur vrnis deus alternatim, quantum dispositis sat erat, hauriebat. Nam quoties orbi complacito vitalis spiritus salubres ministrabat auras, ex illa argenti clementia aeris hausti permiscens semina temperabat. Cum verò pestem diram commeritis mortalibus minabatur, aeris similiter anhelos ignes, aut torpentis frigoris venena miscebat, & in † affligendum meare cogebat orbem. Tali dei temperamento Virtus admonita, magisque cum eum salutaris auras miscere conspiceret, Cæci poetæ Graium versum Mercurio comprobante commemorat:

Φοῖβ' χρυσοκόμης λοιμὸν νεφέλην ἀπ' ἔρυκε.

Ex quo pestem fugari posse Mercurius, si voces primæ vestigijs eius accederent, admonebat. Subdendæ tamen Clario fidibus personanti, atque inter serta laurigera infularum lubrico implexoque crine redimito. Talia conserentes vt procul Pythius aduentare conspexit, causamque aduentus primis aspectibus recognouit, throno quo insidebat exurgens, Musas iussit occurrere. Quæ licet in Maiugenæ officium properare viderentur, satis tamen incessibus mouebantur. Ac tunc Germano in participatum operis consessumque suscepto, prior orsus est Phœbus.

ANxia cum trepidis nutat sententia rebus,
Fluctuat incertis aut sors ignota futuris,
Consultat mortale genus, quodq; † indaga veri
Cura facit dubium; vel spes incerta fatigat.
At præscire deis vacuum est, cunctatio nulla est,
Quod superi voluere, licet de pectora fixis
Præoptare caret: si quod placet, atque necesse est.
Sed tibi quod nondum venit mansura † voluntas:
Consilium vis ferre meum, sic semper ab omni
Velle capis socium, fuciunt atque abdita mentem.
Est igitur prisci generis doctissima virgo
Conscia Parnaso, cui fulgent sydera cœtu,
Cui nec tartareos claustra occultare recessus,
Nec Iouis arbitrium rutilantia fulmina possunt,
Fluctigena spectans quali sub gurgite Nereus:
Quæq; tuos norit fratrum per regna † recursus
Peruigil immodico penetrans arcana labore,
Quæ possit docta totum præuertere cura,
*Quod superis præscire datum, quin crebrius * in nos*
Ius habet illa deos vrgens in iussa coactos.
Et quod nulla queat superûm tentare potestas:
Inuito scit posse Ioue, vt stent ardua magno.

al. nimio.
al. flagrososq;
al. sanguineo aut ceruleo.
al. prenitens
Legendum puto ipsius ce caumi nis.
al. materie.
al. frigoris.
al. referebat
al. infligendu.
al. indiga.
al. voluptas.
al. recessus.
al. immodico

© Biblioteca Nacional de España

Alterutrum cumulat parilem meruisse iugalem.

His Apollinis dictis lætabunda Virtus, quòd tam excellentis Virginis suasum videt esse coniugium, vt nihil amissum ex supradictarum duceret dignitate, nomen tamen eius inquirit. Quod vbi cognouit Philologiam esse, de qua fœdus instabat, tanta gratulatione alacritateq; concutitur, vt aliquanto de ingenito rigore descendens, etiam corpore moueretur. Quippe propinquam esse commemorat, & laudatæ illius Mantices patronam, in ipsam quoque Sophiam supellectilis multæ remuneratione largissimam. Nam ψυχὴν incultam ac ferino more versantem, apud hanc asserit expolitam: ita vt si quid pulchritudinis ornatusq; gestaret, ex Philologiæ sibi cultibus arrogarit: quæ ei tantum affectionis impenderit, vt eam semper immortalem facere laborarit. Nihil igitur immorandum, quippe cum impiger gerendorum sciat esse Cyllenius, sed acceptis Apollonis fatibus respondit ipse Maiugena.

CErtum est lauripotens, decusq; diuûm
Nostrum ex contiguis venire pectus,
Et quicquid socium ciere numen
Iunctus compererim probare rerum.
Sed nunquam mage velle disparamus:
Et fit collibitum manere iussis,
Quam cum Deliaco meare fatu
Cura atque arbitrio monemur isto.
Hunc quippe ambiguum nefas putamus:
Et quæcunque fuit perit voluntas
Quo circa officio decentiore
Paret præcluibus libens profatis
Arcas in thalamos venire iussus.
Sed tu Delie, quo tonantis extet
Compar propositum, volensq; nutus
Instes, nam solitus ciere pectus:
Et præuersa vigil monere sensa:
Illum contribuas † manere iussis: al. fauere
Et cœptis sacra fulserit voluntas.

HAec dicente Mercurio, Quin potius, inquit Virtus: vterque vestrum Iouem voce conciliet. Nam & hic eius consiliorum conscius, & tu præceptionis arcanus. Ille mentem nouit, tu verba componis. Phœbo suetum instante cōcedere, tibi fectus solitus aperire. Ad do quòd vos non conuenit disparari. Et licet hic cursor Apollinei plerunque axis celeritate vincatur, ac remorata statione consistens captat demum festinata præuertere: tamen dum consequitur, ita libratus antreuenit, vt cessim plerūque recursitans gaudeat occupari. Vnà igitur vestrum Iouem pia pignora conuenite. Certum quippe est, quòd & Phœbeo cōniuens splendore succumbat, & cum Stilbonte incedens, connubiorum copulis allubescat. His dictis, Virtus præcedentis officio ac Mercurialis virgæ perflatione concussa, in cælum itura sustollitur. Augurales verò alites ante currū Delio constiterunt, vti quis vellet vectus ascenderet. Nam futura plerunque conformans, his præsagire consueuerat. Petaso autem ac talaribus concitatis, cœpit præire Mercurius. Sed scandente Phœbo, Musarum pedissequus adhærensq; comitatus, candenti canoraque alite vehebatur. Tunc verò cō spiceres totius mundi gaudia conuenire. Nam & tellus floribus † lumina, quippe veris deū cō- al. luminis
spexerat subuolare Mercurium, & Apolline cō-
spicato aeria temperies sudis tractibus renidebat. Superi autem globi orbesq; septemplices suauis cuiusdam melodiæ harmonicis tinnitibus concinebāt, ac sono vltra solitum dulciore, quippe Musas aduentare præsenserant, quæ quidem singillatim circulis quibusque metatis, vbi suæ pulsum modulationis agnouerant, constiterunt. Nam Vrania stellantis mundi sphæram extimam † concinit, quæ acuto rapta- al. continet
batur sonora tinnitu. Polymnia Saturnium circulum tenuit. Euterpe Iouialem. Erato ingressa Martium modulatur. Melpomene medium vbi Sol flammanti mundum lumine conuenustat. Terpsichore Venereo sociatur auro. Calliope orbem complexa Cyllenium. Clio citimum circulum, hoc est, in luna collocauit hospitium. Quæ quidem graues pulsus modis raucioribus personabat. Sola verò (qd vector eius Cygnus impatiens oneris atque etiam subuolandi alumna stagna petierat,) Thalia derelicta in ipso florentis campi vbere residebat. Interea tractus aereos iam Phœbus exierat, cum subito vitta crinalis immutari in radios, laurusque quam dextera retinebat in lampadem mundani splendoris accēditur: fiuntq; volucres, qui currum Delium subuehebāt anheli flammis lucis alipedes. Atque idem pallio rutilante ac reserato stellantis poli limine Sol repente clarus emicuit. Cyllenius quoque in sydus vibrabile astrumque conuertitur. Atque ita methamorphosi supera pulchriores per Geminos proprietate quadam signi familiaris inuecti augusto refulsere cælo, ac mox Tonantis palatium petiuerunt. Qui postquàm introgressi & coram data copia fandi, vt vidit Clarius consortio patrem Iunonis hærentem, quàm nouerat suffragari plurimum ac fauere connubijs, lætus primo omine ipsamque concilians, in cuius arbitrio positam mariti noūerat voluntatem, ita mitis affatur.

POssem minore ambigens fiducia
Solem Tonantem pignoris pro fœdere
Pubeda vixdum vel paterna contremens
Præcepta adire, ni iugata cælitum
Omen pararent prosperum consortia
Tabensq; diuûm nunc moueret nexio:
Iunone thalamos quis rogare conscia
Nolet deorum? cum futura pronuba
Eadem profectò quæque suffragabitur.
Iugalis ergo blanda nutus præstrue
Nostrisque suada quo lubescat nisibus:
Te nunc parentem principemq; maximum
Fatumq; nostrum, quippe Parcarum chorus

Hunc

© Biblioteca Nacional de España

Humana pensat, tuq; sortem cælitum:
Tuumque velle est ante præscientias:
Ac mente gestas, quicquid instabit deis:
Cuiusque nutu gignitur necessitas
Futura cuius † illigat decretio: al. alligat
Instatque quicquid velle vel serum potes.
Tene igitur illo quo benignus numine es
Deposco cœli blanda temperatio:
Piumque culmen iure qui divûm pater
Concede proli quo nepotum provehat
Numerum supernis: Astra quem vibrant poli.
Maiæ tuumque flagitat pignus sacrum.
Thalamis iugetur virginis doctissimæ.
Sed te si parentis cura stringit pia:
Par est deorum convoces cœtum potens
Connubium ipsa sanciens cum coniuge:
Quo prolis extent lege supera nuptiæ:
Perpesq; vinclum cœlitum signet decor.

HIc postquam Delius conquievit, conversus ad coniugem Iupiter, quid eius voluntas haberet inquirit. Verùm illa multa ratione permulsa, primò quòd ei qui placiditatem afferre solitus Phœbus orabat, quique etiam à se eiusdem filias eruditas ad parentum quoq; conspectum fecerat subvolare. Dehinc nuptijs Iuno non solita refragari, tunc etiam Cyllenium diligebat, quòd eius uberibus educatus poculum immortalitatis exhauserat: perindeque & matris gratiam conferebat. Accrescebat votis, quòd multa eam Clarius conciliatione devinxerat, faciendum profectò accelerandumq; persuadet, ne itidem Cyllenius Cypridis lactatus illecebris Hermaphrodito fratrem gignere succensus optaret. Stimulabat paululum Iovem, ne uxoris Cyllenius fotibus repigratus, somnolento repentè marcore torperet, & iam velut maritali vacatione feriatus discursare sub præceptis Iovialibus denegaret. Nam illum iam pridem, ait, Philologiæ sentio, amore torreri, eiusque studio comparatas habere quamplurimas in famulitio disciplinas. Ipsumq; linguæ insignis ornatibus fandi nimiã venustatem quo placeret virgini consecutum. Deinde barbito auratãq; cheli ac doctis fidibus personare. Addo quòd celebrat mirabile prestigium elegantiamq; pingendi, cùm vivos etiam vultus æris, aut marmoris signifex animator inspirat. Tũ certè complacitum est, quicquid comit decorem iuvenalem gratiarum. Se igitur eos iam pridẽ amore mutuo colligatos iccirco paululũ distulisse, ne in thalamũ primæva affectione festinãs cùm discurrendũ esset, totis noctibus repigritior paululũ simularet anomalũ. Tũc Iuno, Atquin ait eiusdẽ convenit virginis subire vinclũ, quę illum etiam quiescere cupientẽ connivere non perferat. An verò quisquã est, qui Philologiæ se asserat pervigilia laborata, & lucubrationum perennium nescire pallorem? Quæ autem noctibus universis cœlum, freta, tartarumque discurere, ac deorum omnium sedes curiosæ indaginis perscrutatione transire, quæ textum mundi, circulorumque volumina vel orbiculata parallela, vel obliqua decusata polosè, & limmata, axiumque vertigines, cum ipsorum puto siderum multitudine numerare, nisi hæc Philologiæ gracilenta quadam adfixione consuevit? Quoties deos super eiusdem coactione & constantia conquestos, cùm eos connubiæ aut intempestæ noctis silentio quiescentes ad se venire inaudita quadam obsecratione compelleret. Tam verò abest, ut sub hac posit pigrescere intricariique Cyllenius, ut commotis ab eadem suscitatisque pennis extra mundanas petere latitudines urgeatur. Cur igitur rex optime differuntur, cùm pro sola Athlantidæ solertiã duos vigiles repromittam? Hæc cùm Iuno affixa, ut adhærebat elatiori plurimum Iovi, acclinatis eius auribus intimaret, de quodam purgatioris vibratiorisque luminis loco allapsa, sensim Pallas coruſca descendit, atque ita ut videbatur vertici Ioviali inhærere, supervolans tandem constitit sublimiore quodam annixa suggestu. Quam cùm Iupiter, ut iugali elatior adhærebat, de proximo contiguoque suspexit, sic exorsus: O virgo nostri pars melior oportunè votis intermixta Maiugenæ, quæ sive Deliacis vocibus permulsa descendis, sive absque te Iovis non erat formare consilium, seu consensus noster ne mutilus videretur approperas: noveris tamen Philologię Cyllenium nuptias postulare. Nondum mea prompta sententia est: expecto quid suadeas. Novi quippe quàm eiusdem virginis incessabilis labor tibi semper acceptus, & ut è tuis numeretur illa pedissequis. Par est igitur ipsa prę̃sertim decernas, quicquid de eius connubio provisura dispensas. Tunc Pallas aliquanto submissior, ac virginalis pudoris rubore suffusa, oculosque peplo quod rutilum circum caput gestabat obnubẽs, improbabat aliquantum, quod super nuptijs virgo consulitur, præsertimque eius quam propter consociationis officia manere cuperet semper intactã Dedignatur præterea huiusmodi adhibere consensum, cùm ita expers totius copulæ censeatur, ut neque de ulla commixtione progenita, neque ipsa procreari quicquam Arithmetica testẽ monstretur. At tunc septem radiorum coronam solivaga virginitas renudavit, ne futurarum causis & copulis interesset. Quia tamen eius optaverat Iupiter exegeratque consilium, suadet deos maritos deaumque grandævas in hæc decernenda conduci. Quippe convenire Cyllenio, ut pro officiorum præmijs potissimorum favor cœlitum eius vincla sanciret. Augustius quoque fieri Ioviale decretum cum cœtu deorum attestante depromitur, ipsamque nupturam deo convenire non posse, nisi super senatusconsulto mortalis esse desineret. Id genus plurima suadente Tritonia, regum coniugum uterque consentit. Ac mox Iouis scribæ præcipitur pro suo ordine ac ratis modis cœlicolas advocare,

© Biblioteca Nacional de España

precipueque senatores deorum, qui penates ferebantur tonantis ipsius: quorumque nomina quoniam publicari secretum cœleste non pertulit, ex eo quòd omnia pariter repromittunt, nomen * eius † consensione perfecit. Vulcanũ verò Iovialem ipse Iupiter poscit, licet nunquam ille de sede corusca descenderet. Tunc etiam ut inter alios potissimi rogarentur ipsius collegæ Iovis, qui bisseni cum eodem tonante numerantur, quosque distichon complectitur Ennianum:

Iuno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars;
Mercurius, Iupiter, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

ITem ex his septem residui, qui inter xij non vocantur, post hos quamplures alij pro suis gradibus cœlites, ac deorum omnium populus absq; impertinentibus convocandi. Nec mora milites Iovis per diversas cœli regiones approperant: quippe discretis plurimum locis deorum singuli mansitabant. Et licet per zodiacum tractum nonnulli singulas vel binas domos animalibus titularint, in alijs tamen habitaculis commanebant. Nam in sexdecim * discernitur cœlum omne regiones. In quarum prima sedes habere memorãtur post ipsum Iovem dij Consentes, Penates, Salus ac Lares, Ianus, Favores, Opertanei, Nocturnusque. In secunda itidem mansitabant præter domum Iovis quæ ibi quoque sublimis est, ut est in omnibus Prædiatus, Quirinus, Mars Laris militaris, Iuno ibi quoque domicilium possidebat, Fons etiam, Lymphæ. Dijque Novensiles. Sed de tertia regione unum placuit corrogari. Nam Iovis secundani, & Iovis Opulentiæ, Minervæque domus illic sunt constitutæ. Sed omnes circa ipsum Iovem fuerant in præsenti, Discordiam verò ac Seditionem, quis ad sacras nuptias corrogaret, præsertimque cùm ipsæ Philologiæ semper fuerit inimicæ. De eadem igitur regione solus Pluton, quòd patruus sponsi est, convocatur. Tunc Lynsa sylvestris, Mulciber, Lar cœlestis, nec non etiam militaris, Favorque ex quarta regione venerunt. Corrogantur ex proxima transcursis domibus coniugum regum, Ceres, Telluris Terræque pater Vulcanus & Genius. Vos quoque Iovis filij Pales & Favor cum Celeritate Solis filia ex sexta poscimini. Nam Mars, Quirinus & Genius superius sunt postulati. Sed etiam Liber ac Secundanus Pales vocãtur ex septima. Fraudem quippe ex eadem post longam deliberationem placuit adhiberi, quòd crebrò ipsi Cyllenio fuerit obsecuta. Octava verò transcurritur, quoniam ex eadem cuncti superius corrogati, solusque ex illa Veris fructus adhibetur. Iunonis verò hospitæ Genius accitus ex nona. Neptune autem Lar omnium cunctalis ac Neverita, tuque * Cosse ex decima conveniſtis. Venit ex altera Fortuna & Valitudo, Favorq;, Pastor manibus refutatis: quippe hi in conspectum Iovis non poterant advenire. Ex duodecima Sancus tantummodo dèvocatur. Fata verò ex altera postulantur. Cæteri quippe illic dij Manium demorati. Bis septena Saturnus eiusque cœlestis Iuno consequenter acciti. Veiovis, ac dij publici ter quino ex limite convocantur. Ex ultima regione Nocturnus, Ianitoresq; terrestres similiter advocati. Ex cunctis igitur cœli regionibus advocatis dijs, cæteri quos Azonos vocant, ipso commovente Cyllenio convocantur. Tunc elementorum præsules, atque utilitatis publicæ mentiumque cultores, omnisque populus potestatum, quis Numæ multus successor * indicat: Qui confestim omnes imperio Iovis convocati, in aulam cœlitẽ * cum vibrantibus venere sideribus. Tunc Ianus in limine, milites que Iovis ante fores regias constiterunt, ingressuros etiam cunctos nominatim vocabat fama præconans. At intra consistorium regis quędã fœmina, quę Adrastia dicebatur rnam cœlitẽ superamq; sortem irrevocabilis raptus celeritate torquebat, excipiebátque ex volubili orbe decidentes sphæras peplo inflexi pectoris * Imarmine. Cloto verò Lachesis Atroposque quoniam sententias Iovis orthographæ studio veritatis excipiunt, utpote librariæ superum, archivique custodes cùm senatum curiamque contrahi & ipsum Tonantem exuvijs induſiari publicè cernerent, magistratus in acta cœlestiumque consultum, stilos acuunt, cerasque componunt. Tunc Iupiter publica & quæ senatum contracturus assumit indumenta percipiens, apponit primùm verticì regalis serti flammantem coronam, contegitque ex posticis caput quodam velamine rutilantẽ, quod ei præsul operis Pallas ipsa texuerat. Dehinc vesti admodum candidæ obducit amictus hyalinos, quos stellantibus oculis interstinctos crebri vibratus ignium luminabant. Tunc duo globosos orbes, quorum unus auro, electro alius prænitebat, dextra porrectiore corripuit: Leva * enneaphthongon chelin innitẽti similis imprimebat. Calceos autẽ smaragdineę fluctu viriditati herbosos vestigijs eius Tellus annexuit. Insidebat autẽ ex pavonũ pennis intertextæ oculatęq; pallę, ex qua multicoloribus notulis variata pictura vernabat. Sub calceis verò fuscinũ deprimebat. Huius suggestui Iunonis subditus consessus, haud indecẽter ornatus, ipsa verò recto capite, lacteo quodã galumnate, prænitebat. Cui gemmis insitũ diadema preciosis: nam neq; Scythidis vireta, nec Ceraunionũ vibrans fulguransq; lumen, nec fluctícolor hiacynthi credebatur abesse profũditas. Sed totum illud sertũ capitis fulgurantis Thaumantias obtulisse reginæ cœlitum ferebatur. Ipsius verò diuæ vultus assidua perlucẽs gratia, fratri cõsimilis, nisi quòd ille immutabili lætitia renidebat: hęc commutationum assiduarum nubilo crebrius turbidabatur. Nam vestis eius hyalina, sed peplũ fuerat caliginosum: quo tamen si appulsu cuiusdã luminis tãgeretur, inter obumbrantes nebulas sudę perspicuitatis gratia prę-
niteret.

* eis
† aliàs ex

* discerni
discitur

al. Conse

al. indicat?

al. cõvibrantibus

* ἐμμαρμένη

Descriptio mundi.

* ἐννεάφθογγον

Descriptio aeris.

© Biblioteca Nacional de España

al. flumen niteret. Hæc † fulmen dextra, leua sonorũ bõbis terrentibus sustinens tympanũ, sub qu bus ¦ lu rimum sudans ima subiecta roscidis videbatur inundare fluoribus. Huius verò calcei admodum furui: quorum solea atræ noctis nigredine coloratur. Nam eiusdem genua, zona quidem diuersicolor ambiebat, quæ nunc perfulgido re splendebat orbe, nunc vanescentis gratię tenua ta varietas ita penitus † obliquabat, tanquam nihil habuisset antè discolorum. His † igitur indumentis decenter ornati, a te consessum in suggestu sydereo positam quandam sphæram cæiatam varietate multiplici conspicantur, quę ita ex omnibus compacta fuerat elementis, vt nihil abesset, quicquid ab omni creditur natura contineri. Illic omne cælum, aer, freta, diuersitasque telluris, claustraque fuerant tartarea. Vrbes etiam, compita, cunctorumque species animantium, tam in specie quàm in genere numerandæ. Quæ quidem sphæra imago quędam videbatur ideaque mundi. In hac quid cuncti, quid singuli nationum omnium populi quotidianis motibus agitarent pedeire, formãt speculo relucebat. Ibi quem augeri, quẽ dep imi, quẽ nasci, quẽ occidere Iupiter vellet manu pro pria ipse formabat. Quam terrarum partem disperdere, quam beare: quam vastam quamque celebrem cuperet, fictor arbitrarius variabat. Hoc igitur fatum publicum conspicans, compo nensque Deorum senatum, iussit admitti. Quãuis intus, quos † innominabiles sacra vis testatur, intrarent, tamen etiam primatibus diuũm, præsertimque parentibus vterque consurgunt. Verùm sator eorum gressibus tardus ac remorator incedit: glaucoque amictu tectus caput. Prætendebat dextra flammiuomum quendam draconem caudæ suæ vltima deuorantem, quem credebant anni numerum nomine perdocere. Ipsius autem canicies pruinosis niuibus candicabat, licet etiam ille puer posse fieri crederetur. Eius coniunx grandæua corpulentaque mater: quamuis fœcunda circumfusaque partubus tamen floridam discoloramque vestem herbida palla contexuerat. In qua totus gemmarum metallorumque census, atque omnium prouentus frugesque sationum larga admodum vbertate ferebant. Huic Vesta quæ etiam coæua eius fuerat, adhærebat. Quæ quod nutrix Iouis ipsius, suoque eum sustentasse gremio ferebatur, caput regis ausa est osculari. Post hos candida cum sorore Sol auratus expetitur: qui mox vt cœpit ingressui propinquare, purpuræ rutilantis puniceus quidam fulgor anteuenit, & rosulenti splendoris gratia totam aulæ ipsius curiam obstupefactis cæteris ornatibus illuminauit.

Aft vbi primos honorati capitis radios ingressurus immisit, ipse etiam Iupiter paululum retrogressus sub immensi nitoris † lumine caligauit. Sphæræ verò orbesque quos dextera sustinebat, veluti speculo cognati luminis refulsere. Iuno autem diuersi coloris illustris ornatibus, ac varia velut speculo cognati luminis gemmarum luce resplendens, candentibus serenis enituit. Erat enim illi in circulum ducta fu gens corona, quæ duodecim flammis † i nitorum lapidum fulgorabat. Quippe t es fuerant à fronte gemmæ: Lychnis, Astrites, & Ceraunos; quæ eius effigiem reuerendam à cognitione conspicient.um vibrán es radiorum fulgoribus occulebant. Quarum alia Cancri cerebro, Leonis oculis altera, Geminorum fronte assumpta tert a dicebatur. Aliæ sex ex troque latere rutilabant. quarum Smaragdus vna, Scythis altera: Iaspis tertia vocab ur. Inter quarum virorem fœta mari † per lumina coruscat, fronti quædam interioris † suauitas resplendebat. Hiacynthos, Dendrites, etiam Hel tropios vtrinque compacti. Qui lapides color bus suis terras ratis temporũ vicibus herbidabant: quos ei ad obsequium numinis recurrentis Ver dicebatur & Autumnus munere contulisse. Posterior autem pars corona Hydatide Adamante & Crystallo lapidibus alligabatur. Hos enim Hyems vndosa genuerat. Ipsius verò diui auro tinctam cæsariem comasque crederes bractea tas. Facie autem mox vt ingressus est, pueri † renitentis, † incessu medio iuuenis anheli: in fine senis apparebat occidui: licet duodecim nonnullis formas conuertere crederetur. Corpus autem eius flammeum totum, pennata vestigia, pallium coccineum, sed auro plurimo rutilatum. Sinistra autem manu clypeum coruscantem, dextera ardentem facem præferebat. Calcei verò similes ex Pyropo; quem iuxta lunam leni quodam teneroque vultu ex fraterna fulgorem lãpada resumebat. Post hos admissi fratres Iouis, quorum alter maritima semper inundatione viridior. Alius lucifuga inumbratione pallescens; in capite vterq; dominandi sertum pro regni conditione gestabat. Nam vnus albidi salis instar candidum atque spumarum caniciem concolorum, alter hebenum ac tartareæ noctis obscuritate furuescens. Qui quidem multo ditior fratre, & semper eorum quæ gignuntur conquisitionibus opulentus. Alius verò propter molem elationemque corporis renudatus, ac despuens diuitias oppressione quæsitas. Verùm vtrique diuersa coniunx. Nam hic nudus omnium nutricem deorumque hospitam secum ducit. Ille puellam accessibus gratulantem, quæ ita plerunque frugem exposcentibus tribuit, vt magni numinis vota sint eidem redhibere centesima. Dehinc admissi tonantis ipsius filij. Inter quos primus quidem ruber iuuenis, ac vorax omnium sitiorque etiam sanguinis gradiebatur. Alter suauis & comis, falcem dextra, leuaque gestans cratera somnificum, ac pronus in petulantiã ferebatur. Huius gressus incerti, atque olacis temeti madoribus implicati. Post hos duorum vna quidẽ germanaque facies, sed alius lucis sydere, noctis alius refulgebat. Dehinc quidam roboris inaudi ti & extirpandis semper aduersitatib. ꝑparatus.

al. ablegabat. Descriptiõ mundi intellectualis.

al. luminã cõfrontí. al. suauitatis.

al. renidẽtis. al. in incessu.

Noctis descriptio eiusq; partium.

Saturni descriptio. Anni descriptio.

al. Iouis vis.

Aurora.

al. numine. Descriptio partium mundi.

De vsura centesima.

© Biblioteca Nacional de España

al. sublimis Sed eius miros lacertos rictusque cleoneos † limis Iuno cernebat: quis inter eos decernentes fœminæ: quarum vna Virgo ferebatur: alia generationum omnium mater: illi arcus cum pharetra, huic rosis decussatim vinculatis sertata al. contexio. † contextio. Quam & conspicere nitentem, & fantem audire dulces illecebras, & attrahere fragrantissimi spiritus halatibus redolentem, & osculis lambere, & contingere corpore, eiusq; velles cupidine suspirare. Quæ quidem licet amorum voluptatumque mater omnium crederetur: tamen eidem deferebant pudicitiæ principatum. Cum his grata Ceres admodum grauis fœmina, alumnaq; terrarum ac nutrix mortalium videbatur. Quidam etiam claudus faber venit: qui licet crederetur esse Iunonius, totius mũdi ab Heraclito dictus est demorator. Tunc etiam omnium garrula puellarum, & contrario semper fluibunda luxu, leuitate pernix desultoria gestiebat. Quam alij Sortem asserunt: Nemesinque nonnulli, Tychenque quàmplures, aut Nortiam. Hæc autem quoniam gremio largiore totius orbis ornamenta portabat, & alijs impartiens repentinis motibus conferebat, rapiens his comas puellariter, caput illis virga comminuens, eisdemque quibus fuerat eblandita ictibus crebris verticem complicatisque in condylos digitis vulnerabat. Hæc mox vt facta conspexit omnia quæ gerebantur in Iouis consistorio subnotari, ad eorum libros & pugillarem paginam cucurrit, & licentiore quadam fiducia, quę conspexerat inopinata descriptione corripuit, vt quędam repente prorumpentia, velut rerum seriem perturbarent. Alia verò quę causarum ratio prospecta vulgauerat: quoniam facere improuisa non poterat, suis tamen operibus arrogabat. Post hanc vulgo cæteri deuenêre. Iupiter tunc solio resedit, præcepitque cunctos pro meriti ordine residere. Tuncque subsellia flammabunda cœtum suscepêre sydereum. Verùm quidam redimitus puer ad os compresso digito salutari, silentium commonebat.

Conticuere omnes, intentiq; ora tenebant.

Tunc Iupiter cœpit:

Ni nostra astrigeri nota benignitas
Conferre arbitrium cogeret intimum:
Et quicquid tacito velle fuit satis
Id ferre in medium collibitum foret:
Possem certa meis promere ductibus.
Nec quisquam illicitis tollere nisibus
Concertans cuperet iussa deum patris.
Sed tristis melius censio clauditur:
Atq; infanda premit sensa silentium:
Ne vulgata ciant corda doloribus.
At cum læta patrem promere gaudia:
Et certo deceat fœdere pignora
Palàm perpetuis iungere nutibus:
Cassum est nolle loqui sensa decentia.
Vobiscum ergo dij grata propinquitas
Conferre studium est vota propaginis.
Æquum quippe puto fœdere cælitum
Quæ sectanda forent orsa probarier.
Nostri Maiugenam pignoris inclyti
In nostris merito degere sensibus:
Quæ nec frustra mihi est insita caritas:
Vt sueuit patria stringere pectora.
Nam nostra ille, fides, sermo, benignitas,
Ac verus Genius fida recursio:
Interpresq; meæ mentis honos sacer.
Hic solus numerum promere cælitum.
Hic vibrata potest noscere sydera.
Quæ mensura polis, quanta profunditas,
Qualis sit numerus Marmoris haustibus:
Et quantos rapiat margine cardines.
Quæq; elementa liget dissona nexio:
Perq; hunc ipse pater fœdera sancio:
Sed forsan pietas sola recenseat:
Quæ parens probitas munera pensitet
Qui Phœbi anteuolans sæpe ingalibus
In sortem famuli nonne relabitur?
Hic quoque sic patruis seruit honoribus:
Vt dubium proprium quis mage vendicet
Illum connubio rite iugarier.
Suadentem meritis sæcla laboribus.
Et robur thalamo flagitat additum.
At Virgo placuit docta quidem nimis
Et compar studio. Sed cui terreus
Ortus, propositum in sydera tendere
Plerunque & rapidis præuolat axibus:
Ac mundi exuperat sæpe means globum.
Cunæ ergo officiant quo nihil æditæ
Censendum superi: quique crepundia
Terris recolitis vestra tenerier.
Quæ occultant adytis sacra latentibus
Iungantur paribus, nam decet auspicijs:
Et nostris cumuleut astra nepotibus.

SEd postquàm Iupiter finem loquendi fecit, omnis deorum senatus in suffragium concitatur, acclamantque cuncti fieri protinus oportere: adijciuntque sententiæ Iouiali, vt deinceps mortales quos vitę insignis elatio, & maximum culmen meritorum, ingeniumq; in appetitum † cælitem propositumque sydereæ cupiditatis extulerit, in deorum numerum coaptentur. Ac mox inter alios quos aut Nilus dabat, aut Thebæ, Aeneas & Romulus, alijq; quos postea astris doctrinæ nomen inseruit, designati Cælites nominentur, vt post membra corporea deorum fierent curiales. His quoque annuente Ioue, iubetur quædam grauis insignisque fœmina quæ † Philologia dicebatur, hoc superi Senatus consultum æneis incisum tabulis, per orbes & compita publicare. Tunc Iuno condicit propter prædictorum thalamum iuuenum & nuptialia peragenda, vti postridie omnis ille deorum senatus in palatia quæ in Galaxia Iouis habitationem potissimam faciunt, diluculo conuenirent. His igitur actis solio rex ipse surrexit, omnisque ille deorum numerus sedes proprias cursusque repetiuit.

al. cælitum

al. Philosophia.

MAR-

© Biblioteca Nacional de España

MARTIANI CAPELLAE DE NVPTIIS PHILOLOGIÆ ET MERCVRII,

LIBER II.

ED purum astrificis cælũ scandebat habenis
Nox reuocans merso fulgentia sydera Phœbo.
Ardua tunc senior succẽdit plaustra Bootes
Et spiris toruo nituerunt astra Draconi.
Auratis etiam flagrans splendebat in armis
Qui trahit æstifero fulgentem Sirion ortu.
Hoc quoque Nysiacus quod sparsum floribus ardet
Multiplici ambitum redimitur lumine sertum.
Virginis interea ad trepidas perlabitur aures
Fama Iouis magno dum complet tecta boatu.

DENIQVE ipsa compertis superum decretis, adultaque iam nocte Philologia peruigilans, multa secũ ingenti cura anxia retractabat. Ingrediendum primo senatum deũ. Iouisq; subeundos in præmeditata visione conspectus, exiliendumq; sibi in superam cælitum sortem. Deinde ipsi sociandam esse Cyllenio. quem licet miro semper optaret ardore, tamen vix cum post vnctionem palæstricam recurrentem dum flores ipsa decerperet, prelectis quibusdam herbusculis conspicata, quidꝰ quod vtrum sibi hæc nuptialis conduceret amplitudo, anxia dubitabat. Nam certè mythos poeticæ etiam diuersitatis delitias Milesias, historiasque mortalium postquàm supera conscenderit, se penitus amissuram non cassa opinatione formidabat. Itaque primò conducat ne connubium, atque ætherei verticis pennata rapiditas apto sibi fœdere copuletur, ex nuptiali congruentia numero cõquirit, moxq; nomen suũ Cyllenijq; vocabulum. Sed nõ quod ei dissonans discrepantia nationum, nec diuersi gentium ritus pro locorum causis cultibusque finxêre: Verùm illud quod nascenti ab ipso Ioue syderea nuncupatione cõpactum, ac per sola Aegyptiorũ commenta vulgatum, fallax mortalium curiositas asseuerat, in digitos calculumque distribuit. Ex quo finalem vtrinque literam sumit, quæ numeri primũ perfectumq; terminum claudit. Dehinc illud quod in Fanis omnibus soliditate † cybica dominus adoratur. Literam quoque quam † vim mortalitatis asserere prudens Samius† extimauit in † locum proximum sumit, ac sic mille ducenti decẽ & octo numeri † effulserunt. Quos per nouenariam regulam distribuens minuensque permonades decadibus subrogatas, in tertium numerum perita restrinxit. † suum quoque vocabulum per septingentos viginti quatuor numeros explicatum, in quaternium duxit, qui vterq; numerus cõgruenti ambobus ratione signatur. Nam & ille, quod ratio principium, medium finemq; dispensat, † pro certo perfectus est. Quippe lineam facit solus, & solidorum frontes incũctanter absoluit. Nam longitudine profunditateq; cẽsentur. Dehinc numeri triplicatio prima ex imparibus κύβοι gignit. Tres autem Symphonias quis ignorat in musicis? Numerusq; impar maribus attributus. Omne verò tempus tribus vicibus variatur. Atq; idem numerus seminariũ est perfectorum, sexti videlicet atq; noni, alterna diuersitate iuncturę. Ritè igitur deo attribuitur rationis. Philologia autẽ, quòd etiam ipsa doctissima est: licet fœmineis numeris æstimetur, absoluta tamen ratione perficitur. Nam quaternarius suis partib. complet decadis ipsius potestatem: ideoq; perfectus est & habetur quadratus, vt ipse Cyllenius, cui anni tempora, cęli climata, mundiq; elementa conueniunt. An aliud illa senis dei ratio, qui Mathen tetraden non tacuit, confitetur: nisi perfectæ rationis numerũ. Quippe intra vnum secundũ, triadenq; ipsum bis binum tenet. quis collocationib. Symphonię peraguntur. Nam tres ad quatuor epitritus vocitatur Arithmetica ratione, ac diatesseron in musicis perhibetur. Itẽ intra eum iacẽt tres ad† duos, quæ hemiolios forma est, symphoniamq; secundam quæ diapente dicitur reddunt. Tertia symphonia diapason in melicis perhibetur, diplasioq; cõficitur: hoc est vno duob. collato. Igitur quaternarius numerus omnes symphonias suis partib. perfectus absoluit, omniaq; mela harmonicorũ distributione conquirit. Hanc igitur discutiẽs numeri congruentiã, perita virgo gratulatur. Deinde vtrunq; cõsociat, & trias quaternario cõsociata heptaden fecit. Qui numerus rationis superæ perfectio est, sicut etiam ὁμαλῶν illa doget plenitudo. An aliud fatalis tẽperamenti cursus, syderũq; circuli motusq; testãtur, intraq; latebras vteri septimo mẽse absoluta mortalitas? Dehinc quod trias triplicata nouẽ numeros facit: quaternarius autẽ per διπλάσιον geminatus octo reddit. Nouẽ verò ad octo ἐπογδόου numeri efficiũt iunctionẽ, tãtũq; pẽsat in numeris, quãtũ symphonia diapason in melicis: q̃ tonũ facit, q̃ est cõsonę vnitatis cõtinua modulatio. Ex quo nihil est qd discrepet aut resultet in medio, consentaneaq; cõgruit iugitate. Ergo prædictorum nominũ numerus cõcinebat. Sic igitur rata inter eos sociatio copulã nuptialẽ vera ratione cõstrinxit, ex quo cõmodissimum sibi cõnubium lætabunda alio mentis fluctu multiuida concitauit. Nam nihil differens animo decori, for-

al. cubica
al Biuium
al. æstimauit
al. loco proximo
al. refulserũt
al. summq̃ue
al. profecto
al. duo

© Biblioteca Nacional de España

mæ ac substantiæ cœpit formidare corporeæ. Quippe perferendos flammarum cælestium globos, & ignes ardentium syderum mortalibus adhuc artubus & macilenta gracilitate siccatis, non incassum tremebunda formidat. Sed aduersum illa quoddam Abderitę senis alimma, cui multa lapillis surculisque permixtis herbarum etiam membrorumque concesserat, præparauit. Colchica etiam in centum voces continuata fiducia adamantini cacuminis impressione signatur. Quid aduersum ignes superos & deorum confinia præparata, decoris incuriam venustatis etiam lumine submouebat. Denique reuibratu corpori mensis apposito, irrorati liquoris † illiniebat vnguentum. Sed cum talia virgo componit, pedissequa eius Periergia, vtrum matre virginis missa an sua, vtpote eius collactea, trepidatione sollicita quid ageret conspicatur. Quam cum disponentem prædicta rimatim ab hostio speculabunda cognosceret, aliam eius ancillam cui Agrypnia vocabulum est, atque intra cubiculum præbebat excubias, adorta est increpare, quòd paululum conniuere seruandi decoris gratia Virginem non siuisset, cum ipsa hæc cuncta, si Philologia iniungeret, valeret implere. Nam iam multa asserit circuisse, mancipiaque dotalia. quid solertiæ, quid ornatus, quid denique indumentorum sumerent comperisse. Non sibi quoque nescitum quid sponsus ipse perageret, quid Iouis in palatio gereretur. an Leucothea succederet facem lumenque purpureum, & an Solis remigia vigilarent, sonipesque Phosphori comeretur. Id genus innumera quæ curiosis perscrutationibus aspexerat astruebat. Verùm secretum cubiculi repente Phronesis mater irrumpit. Quam cum virgo conspiceret, ad eam accurrens, honorandumque pectus exosculans, præparatorum poematum consciam fecit. Verùm illa exuuias filiæ ornatusque detulerat, quîs induta deorum sociari cœtibus non paueret. Itaque vestem peplumque lactis instar fulgidum dedit. Quod vel ex illa herbarum felicium lana, qua indusiari perhibent Indicæ prudentiæ Vates accolasque montis Vmbracij. Et quantum osus eius telluris apportat ex candentis byssi nexibus videbatur. Dehinc apponit vertici diadema virginale: quod maximè medialis gemmæ lumine prænitebat. Ex qua galeata quædam, obtectaque vultum Virgo instar secreti Troiani penitus incisa resplenduit. At cingulum quo pectus annecteret, sibi prudens mater exsoluit. Et ne Philologia ipsius Phronesis careret ornatibus, eius pectori quo verius comeretur apposuit. Calceos præterea ex papyro textili subligauit: ne quid eius membra polluerent morticinum. Acerra autem multo aromate grauidata eademque candenti manus Virginis onerantur.

al. allinebat.

ET iam tunc roseo subtexere sydera peplo
Cœperat † Ambronum promens aurora pudorem:

al. Ambrosium.

Cum cœperum lux alma micat gemmata decore,
Cum nitet aurato sit & cum Phosphorus astro
Tunc candens tenero glaciatur rore pruina:
Et matutina greges quatiunt in pascua caulas,
Languida mordaces cum pulsant pectora curæ:
Et fugit expulsus Lethæa ad littora somnus.

ECce ante fores quidam dulcis sonus multifidis † suauitatibus suscitator, quem Musarum conuenientium chorus impendens nuptialibus sacramentis modulationis doctæ tinnitibus concinebat. Nam nec tibiarum mela, nec ex fidibus sonitus, nec hydraularum harmonica deerat plenitudo: sed in blandum collata cantum, ac modificato fine compactum voci Virginum complementi spacio ratum fecere silentium. Ac tunc ille omnis chorus canoris vocibus dulcique modulatu præuertit omnes organicas suauitates, & cum sacræ numeris cantilenæ hæc dicta funduntur.

al. suauisatibus canoris.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere
Te socer subire celsa
Poscit astra Iupiter.

Tunc Vrania cæteris paululum reticentibus, cœpit.

Sydereos cœtus & culmina sacra polorum
Nil iam † conjciens numine fisa vide.
Olim disquirens nexos quid torqueat orbes:
Nunc præsul causas raptibus ipsa dabis.
Quæ circos textura liget, quæ nexio claudat:
Ambiat & quantos orbita curua globos:
Sydereos cursus quid cogat, quidue retardet:
Quis lunam flammet vel minuat radius.
Qui cælum stellet fomes & quanta reuoluat,
Quæ sit cura deis vel modus aspicies.

al. coniciens.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te socer subire celsa
Poscit astra Iupiter.

Tunc Calliope.

Semper complacitis amica Musis:
Cui Magnesia poculum fluenta
Et fons Gorgonei tulit caballi.
Vertex Aonidum virens choraulis:
Cui frondet violas parante Cyrrha
Tu vatum mela dulcibus camænis
Et scis Pindaream chelim referre.
Te dicit ante fides sacrumque plectrum
Mouit Threicium sonare carmen.
O lux nostra sacros probare cantus
Suesce, atque organicis beare circis.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te socer subire celsa
Poscit astra Iupiter.

Ac sic

© Biblioteca Nacional de España

Ac sic Polymnia.

Tandem laboris fructus æthram fulgidam
Diuûmq; sedes ac Iouis consortia
Prouecta carpis, inditoq; numine
Cruenta dudum quæ iugare rhythmica
Ac dispari mixta sueta regula
Mox quid iacente quid iugata linea
Trigonus recuruet, circulusq; torqueat
Melos probare, ac tonos & crusmata,
Artesq; cunctas solita, quæq; cælitum
**adacta Possunt parare mente * ad alta culmina*

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere
Te socer subire celsa
Poscit astra Iupiter.

Tunc Melpomene.

Sueta coturnatos scenis depromere cantus
Soccumq; ferre comicum.
Et reboare tua tulimus quæ carmina cura
Melo fauente rhythmico.
Nunc tibi Virgo cano spes atq; assertio nostri,
Tenore versa carminis.
Nam thalamum redimire iuuat, tu serta probato
Tuis placere ritibus.
Digna maritali semper videaris Olympo,
Decentiorq; cælitum.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te socer subire celsa
Poscit astra Iupiter.

Ac sic Clio.

Tu quæ Rethorico clangere syrmate:
Atque reum rabido absoluere pectore
Quæ nunc sensa ligans horrida nexibus:
Soritas cumuli accessibus aggerans.
Nunc quid grammatica stringere regula:
Quid fandi ambiguis conterat ordinem,
Doctricanis solers ludere sensibus:
Nunc stellata poli conspice limina:
Et candore sacro ætheris vtere:
Quem verò precium est noscere lumine.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere
Te socer subire celsa
Poscit astra Iupiter.

Mox Erato.

Caput artibus inclyta Virgo
Cui panditur aula Tonantis:
Merito tibi subditur Orbis
Rationibus ante repertus:
Sacra fulgura cur rutilescant:
Fragor intonet vnde resultans:
Quid agat per aperta madorem
Modo nubibus imbrificatis.
Quid euntibus agmine nimbis
Reuocet nitidissima verna,
Rotet omnia circulus anni
Properantia claudere secla.
Quid habent rationis operta
Canimus tibi cognita soli.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te socer subire celsa
Poscit astra Iupiter.

10

Ac tunc Terpsichore.

Læta honoris meritis astra Virgo conspicis
Hoc tibi sollers peperit ingenium laboq;,
Ista peritis tribuit cura vigil lucernis.
Perdia pernoxq; sacris nanq; onerata chartis
Quicquid agentes stoasi præscia dant futuris
Semper anhelis docilis fomitibus tulisti.
Nam Sabæorum rapidis quid vapor edat aris:
Fumida quid thuricremis aura paret fauillis
20 *Omnia vel certa ferant vocibus auguratis*
Intrepidis nec dubitans fatibus anteuortis.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere.
Te socer subire celsa
Poscit astra Iupiter.

Dehinc Euterpe.

Virgo peritæ præuia sortis:
Quæ potuisti scandere cælum,
30 *Sacraq; castis dogmata ferre:*
Noscere semet quis valuere
Quiq; videntes lumine claro
Numina fati & geniorum,
Cernere vultus.
Quæq; Platonis Pythagoræq;
Esse dedisti sydera mentes:
Tuq; caducis mortalibusq;
Nube remota cernere iusti
Numina cæli.
Iure senatum scande Tonantis:
40 *Quam decet vnam Mercuriali*
Fœdere iungi.

Scande cæli templa Virgo
Digna tanto fœdere:
Te socer subire celsa
Poscit astra Iupiter.

Deinde Thalia.

Beata Virgo tantis
50 *Quæ syderum choreis*
Thalamum capis iugalem
Ac sic fauente mundo
Nurus adderis Tonanti:
At cuius esse diui
Tibi contigit maritam,
Eius meante penna
Qui solus astra mundi.
60 *Præteruolans perrexit*
Rapidis vigil procellis:
Qui cum superna tranat:

Freta

© Biblioteca Nacional de España

Freta tartarum recurrit:
Qui solus ante currum
Et candidos iugales
Altipotens parentis
Memorem ciere virgam:
Qui fata succidentis
Separat libens Osiris:
Sationibus grauari
Genitalibus repertis
Quem scit pater deorum:
Cui lacteam papillam
Gaudens dedit Nouerca:
Cuius vigente virgâ
Dirum stupet venenum:
Cui virus omne fanti
Orbem facit gemellum:
Est doctus ille diuûm,
Sed doctior puella
Nunc nunc beantur artes:
Quas sic sacratis ambo
Vt dent meare cœlo,
Referent caducis astra:
Ac lucidam vsque ad æthram
Pia subuolare vota:
Per vos vigil decensque
Nus mentis ima complet:
Per vos probata lingua
Fert glorias per ævum:
Vos disciplinas omnes
Ac nos sacrate Musas.

Dum hæc igitur Musæ nunc solicanæ nunc concinentes interserunt, vicissimque mela dulcia geminantur, ecce quædam matronæ sobrio decore laudabiles nec conquisitis figmentis circa faciem vultuosæ: verùm simplici quadam comitate prænitentes, in penates Virginis thalamumque conueniunt. Quarum vna intenta circumspectione cautissima, & omnium rerum vigili distinctione discriminans, dicebatur Prudentia vocitari. Huius germana sua cunctis attribuens, nullumq; eo quo non merebatur afficiens, Iustitiq ferebatur sortita vocabulum. Verum tertia contemptis muneribus atque abstinentia prędicanda, ex morum temperantia nomen acceperat. Quæ supererat fortissima, ac tolerandis omnibus aduersis semper infracta subeundis etiam laboribus, robore quoque corporis præparata, Virium vocabulum possidebat. In amplexum eius osculumque deferuntur, atque eam cum intra cubiculum conspicerēt, per omnia trepidantem & velut lucifugam hæsitationibus torpentem, pectus eius faciemque tractantes in conspectum omnium & publicā venire faciem compulere. Post has ingressa quædam grauis crinitaque fœmina, & ex eo quod per ipsam Iupiter ascensum cunctis in supera tribuerit admodum gloriosa. Quam cum Virgo conspiceret, ad eam omni studio affectuq; concurrit: Quippe quadam fiducia compertorum, ipsa eidem scandendum cælum fuerat augurata, & nunc ad eam in nuptias corrogandam ab ipso transmissa Maiugena. Præterea tres puellę vultu decoreque parili ac venustate luculentæ, sertis religatæ inuicem manus rosarumque speculis redimitæ ad Virginem conuenêre. Quarum vna deosculata Philologiæ frontem, illic vbi pubem ciliorum discriminat glabellæ medietas: alia os eius, tertia pectus apprehendit. Videlicet prima: vt

—Lætos oculis afflaret honores:

secunda gratiam eius linguæ inspirabat: animo tertia comitatem. Quippe illæ Charites dicebātur, & quicquid apprehenderant venustabant. Quæ quidem Virginem postquā lumine repleuere, Musis admixtę, etiam gesticulationes consonas atque hymeneia dedêre tripudia. Sed ecce magno tympani crepitu crotalorumq; tinnitu vniuersa dissultant, eousque vt Musarum cantus aliquāto bombis tympani obtusior redderetur: & cum sonitu introfertur lectica interstincta sideribus: cui ritu mystico crepitus prę-cinebant, qua mos fuerat nubentes Deas in cælestis thalami peruenire consortia. Ante hanc quædam augustioris vultus fœmina, ac sacro lumine æthereoque resplendens venerabili antistitio prę-minebat. Quam cum omnes qui affuere, conspicerent, reueriti inclytam maiestatem, vt deorum omnium mundique custodem, huic Athanasiæ nomen fuit. Et heus, inquit, V[illegible]o præcepit deorum pater hac regali lectica in cæli palatia subueharis: quam quidem nulli fas attrectare terrigenę. Sed nec tibi quidem ante nostrum poculū licet. Et cum dicto leniter dextra cordis eius pulsum pectusque pertractat, ac nescio qua intima plenitudine distentum magno cum turgore respiciens: nisi hæc, inquit, quib. plenum pectus geris coaptissima egestione vomueris forasque diffuderis, immortalitatis sedem nullatenus obtinebis. At illa omni nisu magnaque vi quicquid intra pectus persenserat euomebat. Tunc verò illa nausea ac vomitio laborata in omnigenum copias conuertitur literarum. Cernere erat qui libri quantaque volumina, quot linguarū opera ex ore Virginis defluebant. Alia ex papyro quæ cedro perlita fuerant videbantur. alij carbasinis voluminibus complicati libri, ex ouillis multi quoque tergoribus: rari verò in phyllire cortice subnotati. Erantque quidam sacra nigredine colorati, quorum literæ animantium credebantur effigies. Quasque librorum notas Athanasia conspiciēs, quibusdam eminentibus saxis iussit ascribi, atque intra specum per Ægyptiorum adyta collocari. eademque saxa stelas appellans, deorum stemmata præcepit continere. Sed dum talia Virgo vndanter euomeret, puellę quamplures quarum artes aliæ, alteræ dictæ sunt disciplinæ, subinde quę Virgo ex ore effuderat, colligebāt. In suum vnaquęque illarum necessarium vsum facultatemque corripiens. Ipsæ etiam Musę prę-sertim Vrania Calliopeque innumera gremio congessere volumina: In alijs quippe distinctæ ad tonum ac deductæ paginæ: in alijs circuli, lineæque

© Biblioteca Nacional de España

lineæque,hemisphæriaque cum trigonis & quadratis multiangulæque formæ protheorematũ vel elementorum diuersitate formatæ. Dehinc pictura animalium membra multigenum in vnam speciem complicabat. Erant etiam libri qui sonorum mela,signaque numerorum & cãtandi quædam opera præferebant. Postquam igitur illam bibliothecalem copiam nixa imitatus Virgo diffudit, exhausto pallore confecta, Athanasiæ opem quæ tanti laboris conscia fuerat,postulauit. Tum illa,vt refectior cælum sublimisque conscendas, hoc tibi accipe sorbillandum. Ac tunc matri Apotheosi, quę cum illa forte conuenerat, etiam pridem libros qui ex Philologiæ ore defluxerant, manu contingens ac dinumerans consecrabat,auferens quandã globosam,animatamq; rotunditatem sumit,ac Virgini porrigit hauriendam. Verùm ipsa species oui interioris † coccino circumlita exterius rutilabat. Ac dehinc perlucida inanitate albidoq; humore,interiore tamen medio solidior apparebat. Quam cum Philologia susciperet,quoniam post tanti laboris afflictationes æstusque mentis plurimum sitiebat,reseratis eius rotuditatis arcanis, postquãm rem dulcissimam comperit, totam incunctanter exhausit.

al. crocino.

Continuoq; nouo solidantur membra vigore:
Et gracilenta perit macies, vis terrea cedit:
Aeternumq; venit sine mortis legibus æuum.

Verùm diua cum immortalitatis eam poculum cerneret ebibisse, quo è terris illam in cælum immortalemque factam velut ænigmate rediminiculi perdoceret, ex herba quadam rurestri cui ἀείζωον vocabulum est, Viginem coronauit, præcipiens omnia, quæ adhuc mortalis aduersus vim superam in præsidium coaptarat,expelleret: quippe caducæ mortalisque substantiæ isthæc esse minima memorabat. Quæ quidem omnia eidem mater abstraxit, postquam eam mundana transcẽdisse studia recognouit. Tunc Philologia ex aromate præparato aerraq; propria Athanasiæ primitus supplicauit, matrique eius gratiam multa litatione persoluit, quòd nec Vedium cum vxore conspexerit, sicut suadebat Etruria: nec Eumenidas ad Chaldæa miracula formidauit: nec igne vsserit, nec lympha subluerit: nec animæ simulachrum Syri cuiusdam dogmate verberarit: nec Phasi senis ritu Charontis manibus inuolutam immortalitatem mortis auspicio consecrauit. Interea conscendere iussa lecticam, quæ in suggestu maximo,quoniam videbatur difficile admodum sibi, ne dicam impossibile,deputabat. In quam rem consequenter implendam alumnum suum dilectum præ cæteris conuocauit:quo innixa omnem difficultatem superæ † confessionis euicit. † Verùm idem qui Labor ab eadem vocabatur: non solùm in lecticæ culmen eam sustulit, verũ cælum cum domina impiger permeauit. Quippe consociato sibi quodam puero † renidẽti,qui nec voluptuarię Veneris filius erat,& tamen Amor à sapientibus ferebatur,à fronte lecticã sub uehere † moliuntur. Nam posticam Epimelia & Agryphia dilecta Virgini sustulere mãcipia. Sic enim Athanasia præceperat, vt vterque sexus cum Philologia cælum posset ascendere. Præcedit illico conscendentem Musarum concinentium pompa, & prædictarum comitum venerabilis multitudo. Periergia verò alijs comitata pedissequis dotalibusque mancipijs curiosè vniuersa perscrutans atque interrogans,sequebatur. Verùm ad culmina arcis aeriæ comitatus ille cum Virgine propinquabat. Et ecce aduenire subitò deorum pronuba nunciatur, ante quam Concordia,Fides,Pudicitiaq; præcurrunt:nam Cupido corporeæ voluptatis illex, licet eã semper anteuolet,Philologię occursibus non ausus est interesse. At vbi in conspectum nubentis diua peruenit, atque, vt mos Virginis erat, litauit aromatibus,Deam talibus deprecabatur: Iuno pulchra, licet aliud nomen tibi consortium cæleste tribuerit,& nos à iuuando Iunonem,vnde & Iouem dicimus, nominemus. siue te Lucinam,quòd lucem nascẽtibus tribuas, ac Luceiã conuenit nuncupari. Nam Fluuoniam,Februalemque ac Februam mihi poscere non necesse est,cum nihil contagionis corporeæ sexu intemerata pertulerim. Interducam & domiducam, Vnxiam, Cinctiam mortales puellæ debent in nuptias conuocare, vt earum & itinera protegas, & in optatas domos ducas,& cũ postes vngent,faustum omen affigas & cingulum ponentes in thalamis non relinquas. † Sotigenam te, quas vel in partus discrimine,vel in bello proteXeris,precabuntur. Populoná plebes † Curitim debent memorare bellantes. Hic ego te Aeriam potius ab aeris regno nuncupatam voco. Da nosse poscenti,quid hæc aeria latitudo,atq; atomis perlucentes concurrentibus campi animãtium gerant,quidúe hîc dicatur numinũ subuolare. Non enim de humilitate aeris illius quæro qui volucribus permeatur,quem Olympi montis cacumen excedit: qui vix decem stadiorũ altitudine sublimatur: sed elata disquiro. At iam fas puto quicquid περὶ εὐδαιμονίας lectitans intellexerã cõspicari. Hic Iuno cõscendentis precib. nõ repugnãs,eam secũ in arces ducit aerias, atque exhinc multarum diuersitates edocet potestatum. Illi,inquit,quos ignitæ substantiæ flammatisque suspicimus,ab ipso æthere sphæræq; superioris ambitu vsque solarem circulum demeantes,ipsi dicuntur dij,& cælites alias perhibentur:causarumque latentium arcana componunt. Sunt enim puriores, nec admodum eos mortaliũ curarum vota sollicitant ἀπαθεῖς q; perhibentur. Illic Iouem regnare certissimum est. At intra solis meatum vsque lunarem globum, secundæ beatitatis numina subparisq; potẽtiæ, per quæ tamen vaticinia somniaq; ac prodigia componuntur. Hæc aruspicio exta physiculãt admonentia quædam,vocesq; transmittunt,auguratisq; loquuntur omnibus. Plerunq; enim quærentes admonẽt,vel syderis cursu,vel fulminis iaculo,vel ostentaria nouitate. Sed quoniã

al. conscensionis.
al. verum labor idem, id est alumnus.
al. renisenti.
al. memorantur.
al. morantur
Iunonis nomina.
al. Soticenã.
al. curitam.

© Biblioteca Nacional de España

vnicuique superiorum deorum singuli quiq; deseruiunt, ex illorum arbitrio istorumq; comitatu, & generalis omnium præsul, & specialis singulis mortalib. Genius admouetur, quem etiã Præstitem quod præsit gerundis omnibus vocauerũt. Nam & populi Genio, cum generalis poscitur, supplicant, & vnusquisque gubernatori proprio dependit obsequium. Ideoque Genius dicitur: quoniam cum quis hominum genitus fuerit, mox eidem copulatur. Hic tutelator fidissimusque germanus, animos omnium mentesque custodit. Et quoniam cogitationum arcana superæ annunciat potestati, etiam Angelus poterit nuncupari. Hos omnes Græci δαίμονας dicunt, ἀπὸ τοῦ δαίμονας εἶναι. Latini Medioximos vocitarunt. Qui quidẽ omnes minus lucidæ splendentisque naturæ quàm illi cælestes, sicut conspicitis, approbantur. Nec tamen ita sunt corpulenti vt hominum capiantur obtutu. Hic ergo Lares, hic post membrorum nexum degunt animæ puriores, quæ plerunque, si meritorum excellentia subuehantur, etiam circulum Solis ac flammantia septa transiliunt. Dehinc à lunari circulo vsque in terram, quicquid interpatet, interstitij proprij partitione discernitur. Et ab orbe lunari interfusa medietas disparatur. Sed superior portio eos sicut conspicis claudit: quos ἡμιθέους dicunt, quosque Latinè Semones, aut Semideos conuenit memorare. Hi animas cęlestes gerunt sacrasque mentes, atque sub humana effigie in totius mundi commoda procreantur. His animus datus ex sempiternis ignibus, quæ sydera stellasque vocamus. Qui quidem plerunque sui miraculo fidem fecêre cælestium, vt in ortu Herculis geminatæ noctis obsequium, serpentesque idem paruus oblidens, vim numinis approbauit. Tages sulcis emicuit, & ritum statim gentis Sypnumque monstrauit. Ammon apparuit cum cornibus arietinis & vestimento lanitio, ac sitientibus vndam fontis exhibuit. Quid loquar eos qui primi mortalibus vsum rerum maioraque commoda præstiterunt? vt vitem Dionysius apud Thebas: Osiris apud Aegyptios haustum vini vsumque comperiens: frumentũ Isis in Aegypto: Triptolemus apud Atticos docuêre. Eademque Isis lini vsum sementemque monstrauit. Comminuendæ frugis farrisq; fragmẽta Pilumno signat Italia. Ascribit Asclepio Græcia medicinam. Alij quoque huius generis homines in diuinandi vsum & præscientiã procreati, vt Carmentis in Arcadia ab effuso per vaticinia carmine memorata. Sibylla vel Erythrea, quæque Cumæa est, vel Phrygia: quas nõ decem, vt asserunt, sed duas fuisse non nescis, id est, Erophilam Troianam Marmensi filiam: & Symmachiam Hyppotensis filiã, quæ Erithræa progenita, etiam Cumis est vaticinata. Ex hac diuinandi possibilitate Amphiaraus Mopsusq; celebrati. A medietate verò aeris vsq; in montiũ terræq; confinia, Hemithei heroesq; versantur. qui ex eo quòd Heram terram veteres dixerũt, Heroes nuncupati. Ibique manes, id est, corpori humano præsules attributi, qui parentum seminibus manauerunt. Denique hæc omnis aeris à luna diffusio sub Plutonis potestate consistit: qui etiam Sumanus dicitur, quasi summus Manium. Hic luna, quæ huic aeri propior est, Proserpina memoratur. Verùm illi manes quoniã corporibus illo tempore tribuuntur, quo fit prima † conceptio, etiam post vitam hisdem corporibus delectantur, atque cum his manentes, appellantur Lemures. Qui si vitæ prioris adiuti fuerint honestate, in Lares domorum vrbiumq; vertuntur. Si autẽ deprauantur ex corpore, Larua perhibẽtur ac Maniæ. Manes igitur hic tam boni quàm truces sunt constituti, quos ἀγαθοὺς καὶ κακοὺς δαίμονας memorat Graia discretio. In his etiam locis Sumanes eorumque prestites manaque manuana: Dij etiam quos Aquilos dicunt. Item Fura, Furinaque, & mater Mania: Intemperiæque, & alij † triptes diuorum degunt. Circa ipsum verò terræ circulum aer ex calore supero atque exhalatu madoreque infero turbidatus; egredientes è corporibus animas quodam fluenti æstu collidens, non facilè patitur euolare. Hincque tractum Pyr Phlegetonta sollertia poeticæ adumbrationis allusit, atque in eo perenni strepitu volutata colliditur animarum, quas Vedius adiudicarit impietas, id est, Pluton: quem etiam Ditem, Veiouemque dixere. Ipsam quoque terram, quæ hominibus inuia est, referciunt longæuorum chori, qui habitant syluas, nemora, lucos, lacus, fontes, ac fluuios, appellanturque Panes, Fauni, † Fones, Satyri, Syluani, Nymphæ, Fatui, Fatuæque, vel Fantuæ, vel etiam Fanæ, à quibus fana dicta, quòd soleant diuinare. Hi omnes post prolixum æuum moriuntur vt homines, sed tamen & præsciendi & incursandi & nocendi habent præsentissimam potestatem. Inter priores igitur Genios tua adhuc mortalis Virginis diua consistet. Nam eccum tibi, Iuno ætherea seu Vesta est: vt iam immortali diuæque præcipit dicens: Iam sede concilio Iouis directa, demumque de acerra Virginis partem sumit. Tunc portitores diuæ correpta lectica magno eam molimine subuexere. Sed postquàm centum viginti sex millia stadiorum aeria subuecti leuitate conscenderant, ac tonum primum ex phthongis compleuere cælestibus: Lunarem ingressa circulum Virgo, diuæ congruis nidoribus supplicando, de proximo conspicatur globosum quoddam tenerumque corpus ex superni roris leuitate compactum, instar speculi prænitentis & adiaculati fulgoris radios reuibrare. In eo sistra Niliaca, Eleusinaque lampas, arcusque Dictynnæ, tympanaque Cybeleia videbantur. Triformis etiam discolorque vertigo terribili quadam maiestate rutilabat. Quæ licet cornigera & aspera videretur egestionibus: opportuna tamen & felem & ceruam etiam conuersio.

Genius vnde dictus.

al. congestio.

al. tripites.

Foni.

Sibyllæ quot

© Biblioteca Nacional de España

uersiones bis binas vultibus præferebat. Ex hinc medio quàm ad lunã conscenderat, ad Cyllenij circulũ venit. Quo hemitonio permeato, multiplex ei, vtpote nubenti Dominæ ministrorum populus lætabundus occurrit. Inter quos splendentis formæ habitusq; fœmina, ac promptæ vbertatis ornatibus opulenta, Virgine salutata, vsque in eius osculum confisa peruenit. Sed mirabatur illa obsequentium multitudo, quæ sicut Syrus quidam astruit in numero duorum millium fuerat constituta, quòd fœmina, quam Hetrusci dicebant, ipsi deo nuptam fuisse Cyllenio: nulla prorsus inuidia titillata, Virginem complexa constrinxerat. Hæc autem Facundia, nam illi hoc erat vocabulum, in Philologiæ penatibus se ortam educatamq; memorabat. Nec indignum esse, quòd sibi alumna prælata est, quæ & sibi semper ornatum & pabulum multis præbuerat disciplinis. Venit etiam quædam decens, ac pudicissima puellarũ: quæ præsul domus custosq; Cylleniæ, verùm Themis, aut Astrea, aut Erigone dicebatur: spicas manu, cælatamq; ex hebeno πίνακα argumentis talibus afferebat. Erat in medio auis Aegyptia, quæ Ibis memoratur ab incolis. Sed cum petaso vertex atq; os pulcherrimum videbatur: quod quidem serpentis gemini lambebat implexio. Subter quædã prænitens virga, cuius caput auratum, media glauca, piceus finis extabat. Sub dextra testudo, minitansq; nepa: à leua caprea. Sed dilofon aliten, quę sit oscinum mitior in certaminis tentamẽta pulsabat. Ipsa verò Ibis p̃notatum gerit nomen mensis cuiusdam Memphitici. Hanc tabellam cum ingestam sibi † conspiceret Virgo venerata, licet sponsi cognosceret argumentum, tamen non ausa est sine supplicatione transire. Tunc etiam candidior Athlantidum Iouis congressu, pignorisq; culmine prouecta superuenit, quæ quidem ne in nurus officio sine † bilance libra apparere dignata est. Quam virgo venerata, quoniam satis sociam filio recognouit, duabus cum lucrorum potente dicatis cœpit honorare pecudibus. Hinc festinatur ascensus, & vsq; in Veneris circulum hemitonio transuolatur, ipsaq; Venere, quę nuptijs allubescebat, quantum decebat † orata, hoc in ea perhibetur intuita, quòd admodum pulchra, tamẽ antias draconibus circumflexa, crebroq; capilli tio vulsa, ambifariumq; † Nital secum congressa mitificat. Mox studium in solarem laborare circum, quippe sescuplo fatigabat ascensum: qui tonus ac dimidius habebatur. Ibi quandam nauim, totius naturæ cursibus diuersa cupiditate moderantem, cunctaq; flammarum congestione plenissimam, & beatis circumactam mercibus conspicatur. Cui nautæ septem, german ita men suiq; consimiles præsidebant in prora: Felix forma depicta leonis in arbore, Crocodili in extimo videbatur. In eadem verò rate fons quidam lucis æthereæ, arcanisq; fluoribus manãs, in totius mundi lumina fundebatur. Quo viso Philologia consurgens, totaq; veneratione supplicans, ac paululum conniuens oculos, deum talibus deprecabatur:

l. cognosceret.
al. blancæ.
al. honorata
al. amital.

Ignoti vis celsa patris, vel prima propago,
Fomes sensificus, mentis fons, lucis origo,
Regnum naturæ, decus atq; assertio diuũm:
Mundanusq; oculus, fulgor splendentis Olympi,
Vltra mundanum fas est cui cernere patrem:
Et magnum spectare deum cui circulus Aethræ
Paret, & immensis moderaris raptibus orbes.
Nam medium tu curris iter, dans solus amicam
Temperiem superis, compellens atq; cohercens
Sydera sacra deum, cum legem cursibus addis.
Hinc est quòd quarto ius est decurrere circo:
Vt tibi perfecta numerus ratione probetur:
Nonne hac principio geminum tu dans tetrachordon
Solem te Latium vocitat, quòd solus honore
Post patrem sis lucis apex, radijsq; sacratum
Bis senis perhibent caput aurea lumina ferre:
Quòd totidem menses, totidem quòd conficis horas,
Quatuor alipedes dicunt te flectere habenis.
Quòd solus domites quam dant elementa quadrigam.
Nam tenebras prohibens, retegis quod cerula lucet.
Hinc Phœbum perhibent prodentem occulta futuri.
Vel quia dissoluis nocturna admissa, & Iseum
Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirim.
Dissona sacra mitram, Ditemq; forumq; Typhonem
Atys pulcher item, curui & puer almus aratri.
Ammon & arentis Lybies, ac Biblius Adon.
Sic vario cunctus te nomine conuocat orbis.
Salue vera deũm facies vultusq; paternæ
Octo & sexcentis numeris, cui litera trina
Conformat sacrum nomen, cognomen & omen.
Da pater æthereos mentis conscendere cœtus:
Astrigerumq; sacro sub nomine noscere cælum.

His † audita deorum sedes iussa est permeare, verùm hemitonio subleuatam Pyrois circulus immoratur, in quo Iouis fuerat maximus filiorum. Ex quo circulo visus Pyriphlegetõ amnis ad infra demeare. quo transgresso (neq; enim labor fuerat, hemithonij interiecta transcurrere) in Iouialis syderis peruenere fulgores: cuius circulus Phthongo personabat. Illic sydus erat tẽperamenti viuifici ac salubris: effulgentia blandisq; vibrata candoribus. Cuius quidem lucis natura ex calidis humidisq; commixtionibus candens, quadã prosperitatis tranquillitate rutilabat. Verùm ibi sydus Iouis: nam ipse totius mundi membra collustrans, ad deorum dicebatur imperium & senatum cælitem commeasse, Hunc etiam prætergressa circum, ac parili interiectione sublimis, deorum rigidissimum creatorem in algido hærentem pruinisq; niualib. conspicata: verum idem, quem circumuenire nitebatur, orbis melo Dorio tinniebat. Sed ipsi presuli nunc draconis facies, nunc rictus leonis, nunc cristæ cum aprinis dentibus videbantur: totoq; exitiali sæuiebat horrore. cui tamen potestas pro circi granditate maior ac prælata cæteris habebatur. Deniq; arpis, bombisq; perterrita, † tam intoleranda congressione Virgo diffugit. Inde maximis conatibus sescuplo † itine-

al. auditis.
al. iam pro intoll.
al. itinere.

© Biblioteca Nacional de España

ris euehuntur. Nam tono ac dimidio ad ipsius cælestis sphæræ globum, ac laqueatum stellis ambitum peruenitur. Sicq; sex tonorum cõscensionibus & stadiorum † defessa lassitudine fatigati: cum Diapason symphoniã quicquid emensi erãt, aduerterent consonare, perfectione absolutæ modulationis, post labores maximos recreati, paululum conquierunt. Ipsa quoq; Philologia lectica dissiliens, cum immensos luminis campos, æthereæq; tranquillitatis verna conspiceret, ac nunc tot diuersitates cerneret, formasq; decanorum: tunc octoginta quatuor liturgos cælo miraretur astare: videretque pręterea fulgentes crebrorum syderum globos, & circulorum alterna illigatione texturas: Ipsam verò quæ ambitum coercet vltimum sphærã, miris raptibus incitatam, polosq; & axem ex cæli summitate vibratum profundã transmeare terram, atq; ab ipso totam cæli molem machinámque torqueri: tanti operis tantæq; rationis patrem deumq;: non sciens ab ipsa etiam deorum notitia secessisse. quoniam extra mundanas beatitudines eum transcendisse cognouerat, empyrio quodam intellectualiq; mundo gaudentẽ: iuxta ipsum extimi ambitus murum annixa genibus, ac tota mentis acie coartata, diu silentio deprecatur. Veterumq; ritu vocabula quædam voce mentis inclamans, secundum dissonas † nationes numeris varia, sono ignota, iugatis alternatisq; literis inspirata, veneraturq; verbis intellectualis mundi præsules deos eorumq; ministros, sensibilis sphæræ potestatibus venerandos: vniuersumq; totum infinibilis patris profunditate coercitum. poscitq; quosdã tres deos, aliosq; diei noctisq; septimo radiatos, quãdam etiam Fontanam Virginem deprecatur. Secundum Platonis quoq; mysteriã ἄναξ & δὶς ἐπίκοινα potestates. His diutissimè florem ignis atque illam existentem ex non existentibus veritatem toto pectore deprecata. Tum visa secernere ἀπόθεωσιν sacraq; meruisse. Quippe quidam cãdores lactei fluminis tractu stellis efflammantibus defluebant. Lætabunda igitur gratesq; testata, iter in Galaxeum flectit, vbi senatum deũm à Ioue nouerat congregatum. Erat autem ibi Iouialis domus, quæ etiam granditate mira mundanum ambitum possideret, & decore conspicuo fulgorem syderum vinceret, & nouitate situs signiferum circulum decussaret. Pręterea tanto splendore renidebat, vt argenti crederetur fabricata materia. Ibi septa candẽtia, culmenq; septatum limbis niualib. albicabant. Ibi Iupiter cum Iunone omnibusque diuis in suggestu maximo ac subsellijs lacteis residẽs, spõsales præstolatur aduentus: qui simul Musarum voces ac dissonis mela dulcia cantilenis Virgine adueniente percepit: priore loco præcepit venire Cyllenium, cum quo Liber & Delius fidi amantissimique germani, Hercules etiam, vterq; Castorum, Gradiuusq;, & quicquid deorũ de Ioue progenitũ est, Cyllenij adhærebat officio. Elementorum quoq; præsides, angeliciq; populi pulcherrima multitudo, animæq; præterea beatorum veterũ quæ iam cæli templa meruerant, gressus Maiugenæ sequebantur. Linum, Homerum, Mantua numq; vatem redimitos canentesq; conspicere: Orpheum atq; Aristoxenum fidibus personantes: Platonem Archimedemq; sphæras aureas deuoluentes: Ardebat Heraclitus: vdus Thales, circumfusus atomis Democritus videbatur. Samius Pythagoras cælestes quosdã numeros replicabat. Aristoteles per cæli quoque culmina Endelechiã scrupulosius requirebat. Epicurus verò mixtas violis rosas & totas apportabat illecebras voluptatum. Zeno ducebat fœminam prouidentem. Archesilas collum intuens columbinum. Multusq; pręterea palliatorum populus studijs discrepãtibus dissonabat. Qui quidem omnes inter Musarũ carmina concinentium audiri, licet perstreperent, nullo potuere rabulatũ. Veniente igitur introgressoque Cyllenio, omnis ille deorum senatus veneratus verticem ingredientis, exurgit. Ipse Iupiter eum propter suum consessum Pallade à dextra sociata medium collocauit. Nec lõgo interiecta ipsa quoq; Philologia ambita Musis ac matre præambula corrogatur. Qua ingrediente, ac Vestæ deũm nutrici eidemq; pedissequæ acerram illã olacem aromatis refundente, omnis ille ordo cęlicolum portiones sibi competentes attribuens, Arabicis lætabatur halatibus. Verùm Virgo vt est per omnia verecunda, licet à Ioue eius assidere confinio iuberetur, tamẽ ibi potius voluit vbi Musas conspexerat admota Palladis consortione residere. Tunc exurgens Virginis mater poscit de Ioue superisq; cunctis, vti sub conspectu omnium quicquid sponsalium nomine pręparauerat Maiugena, traderetur, ac demum dos à Virgine non deesset. Tuncq; tabulas ac Papiã † Pompeamq; legem sinerent recitari. Cuius petitioni iustissimæ deorum senatus attribuit, vt in consessu cælitũ offerenda probarẽtur. † Hinc Phœbus exurgit fratris officium non detrectãs, ac singulas ex famulitio † dilecto Cyllenio incipit admouere, quæ tã pulchræ cũctis quàm ornatissimæ refulsere.

al. defecta.
al. mutationes.
al. popeamq;
al. consperso
al. delectisq;

Transcursa lector parte magna fabula:
Quæ tam morosis implicata ductibus
Tenui lucernam palpitare lumine
Coegit instans innitens crepusculum:
Ac in rosetis purpuraret culmina
Aurora primo conuenustans habitu
Surgens fenestras dissicaret lumine:
Adhuc iugata compararet pagina
Quocunque ducta † longiorem circulum.
Nunc ergo mythos terminatur insiunt
Artes libelli qui sequentes asserent.
Nam fruge vera omne fictum dimouent:
Et disciplinas annotabunt sobrias
Pro parte multa, nec vetabunt ludicra.
Habes quid instet, si potestas cælitum
Faueantq; Musæ & Chelis Latoia.

al. largiorem

MAR-

© Biblioteca Nacional de España

MARTIANI CAPELLAE DE ARTE GRAMMATICA, LIBER III.

RVRSVM camœna paruo
Phaleras parat libello:
Et vult amica fictis
Commenta ferre primum:
Memorans frigente vero
Nil posse comere vsum:
Vitioq; dat poetæ.
Infracta ferre certa:
Lasciua dans lepori:
Et paginam venustans
Multo illitam colore.
At quin prioris ille
Titulus monet libelli
Mythos ab ore pulsans:
Artesq; vera fantes
Voluminum sequentum
Præcepta comparare.
Ad hæc iucante victu:
Nil mentiamur inquit:
Et vestiantur artes.
An tu gregem sororum
Nondum dabis iugandis.
Et sic petent notandis
al. Es † In cælitum senatum
Aut si tacere cultum
Placet ordo quis probatur
Certè loquentur illæ
Quicquid erat docendum:
Habitusq; consequentur
Asomato in profatu.
Hæc nempe ficta vox est
Et deuius promisti es:
Cur ergo non fateris
Ni figminis figura
Nil posse comparari?
His me camœna vicit:
Fugis, iugabo ludum.

Literarum origo.

ADMOVERAT igitur Latoides vnam priori loco Mercurialium ministrarum, ætate quidem longeuam, sed comitate blandissimam, quæ se in Memphide ortam, rege adhuc Otire memorabat, diuque obtectam latibulis ab ipso repertam educatamque Cyllenio. Quæ fœmina, licet in Attica vbi maiore qui parte floruerat, se assereret incedere palliatâ, tamen ritu Romuleo, propter Latiale Numen, & olim caput, propterq; Martiam gentem Venerisque propaginē, senatū deum ingressa est penulata. Gestabat hæc autem teres quoddam ex compactis annexionibus ferculum, quod leui extenus elephato prænitebat. Vnde velut medendi solers magistra, curandorum vulnerum insignia proferebat. Nam ex eodem scalprum primo vibranti demonstrabat acumine: quo dicebat circuncidi infantibus vitia posse linguarū. Dehinc quæ nigello quodam puluere, qui ex fauilla confectus vel sæpia putaretur illato per cānulas eadem resanari. Tunc etiam quoddam medicamē acerrimum, quod ex ferulę flore caprigeniq; ter goris † resectione confecerat, rubri admodū coloris exprompsit, quod monebat faucibus † admouendum, cum indocta rusticitate vexatæ fœtidos ructus vitiosi oris exhalant. Demonstrabat etiam quendam † gratissimum gustum Vespere multo oliuoq; laboratū. Quo depulsa vocis insuauissimæ diritate, canoros etiam fieri posse memorabat. Arterias etiam pectusq; cuiusdam medicaminis adhibitione † gargarizando purgabat. In quo & cera fago illita, & gallarū gummeosq; cōmixtio, & Niloticæ fruticis collemata notabantur. Quæ vis epithematis licet memoriā intentionemq; procuraret, tamen natura sui etiam vigilias inferebat. Protulit quoq; limā quandā artificialiter expolitā, quæ octo partib. auratis, velut diuersis nexionib. interstincta vibrabat, ex qua scabros dentes vitiliginesq; linguarū & sordes, quas in Soloe quadam ciuitate cōtraxerāt, leui sensim attritione purgabat. Hęc abstrusa nosce carmina numerosq; multifidos crebræ supputationis opere putabatur. Deniq; quoties curādos acceperat, mos eius erat de nomine primo tractare: Casus etiam non tacebat, quanti vel vitia creare possent, vel prudentissimè declinari. Tunc genera rerū, verba etiā curādorū cum ratione captabat, ne vt fieri ab ægrotantib. moris est, nomen † pro nomine cōmutarēt. Tum verborū Modos, Tempora, Figurasq;, & Schemata requirebat: Iubebatque alios quis plenitudo obtusior atq; immobilis torpor insederat, gradus percurrere, scandereq; quāmplurimum operū: Præpositionibus aut Coniunctionibus, aut Participatis insistere, totaq; curādos arte fatigari. Hāc igitur fœminā tali multorum curatione callentē, cum deorū nonnulli Iatricē, alij Genethliacem diuersis rerum operibus æstimarent, adderetur q; fidei medēdi solertia, quod eam opitulari posse oris vitijs nec Pallas denegaret nec ipse Maiugena. Inconsentaneū tamen videbatur incedere medicā penulatam. Idcirco ab ea & nomen & officiū suum ac totius expositio artis exquiritur. Tunc illa, vt familiare habebat, exponere percunctata, ac docere facile quæ ab eadē querebantur: penula à dextra cum modestia verecundiaq; reuelata, sic cœpit: Γραμματικὴ dicor in Græcia, quod γράμμα linea, & γράμματα literę nuncupentur. mihiq; sit attributum literarum formas proprijs ductibus lineare. Hincque

al. resectatione.
al. adhibenpum.
al. grauissimum.
al. in V. C. deest.
forte, pro nomine.

© Biblioteca Nacional de España

mihi Romulus literaturæ nomẽ adscripsit, quãuis infantem me literationem voluerit nũcupare, sicut apud Græcos† γραμματικὴ primitus vocitabar. Tunc & antistitem dedit & sectatores impuberes aggregauit. Itaq; assertor nostri nunc *literatus* dicitur, *literator* antea vocabatur. Hoc etiã Catullus quidem non insuauis poeta cõmemorat dicens: *Munus dat tibi Sylla literator.*

al. γραμματικὴ.

Idẽ apud Græcos γραμματοδιδάσκαλος vocitatur.

Quid sit officium Grammaticæ.

OFficium verò meum tũc fuerat, doctè scribere legereq;. Nunc etiam illud accessit, vt meum sit eruditè intelligere probareque. Quæ duo mihi vel cum philosophis criticisque videntur esse communia. Ergo istorum quatuor, duo actiua dicenda sunt, duo spectatiua. Siquidem impendimus actionem, cum quid conscribimus legimusúe. Sequentium verò spectaculo detinemur, cum scripta intelligimus aut probamus: & licet inter se quadam cognatione coniuncta sint, sicut cæteris artibus comprobatur. Nam & actor cognoscit primo quæ valeat actitare, & astronomus quædam facit, vt per ea cognoscat quæ debeat comprobare. † Promittit etiam vtrunq; Geometres, quippe formas theorematum cum rationibus certis efficit & cognoscit.

al. Misit.

Quot sint partes eius.

PArtes autem meæ sunt quatuor: literæ, literatura, literatus, literatè. Literæ sunt quas doceo, Literatura ipsa, quæ doceo, Literatus, quem docuero, Literatè, quod peritè tractauerit quem informo. Profiteor autem de oratio nis natura vsúque tractare. Natura est ex quibus formetur oratio. Vsus, cum eadem vtimur, appellatur. His etiam materies admouetur, vt de qua re dicendum sit æstimemus. Oratio verò ipsa tribus gradibus eruditur, id est, ex literis, syllabis, & ex verbis.

De natura literarum.

VErùm in literis gemina quęstio diuersatur. Nanque aut naturales sunt, aut affectę. Natura enim insinuante, earum nomina in loquendi substantiam procreata. Artificiosa verò formatio earum lineas quas scribimus† designauit. Ad hoc, vt præsentes vna vti, absentes alia potuissent. Atque ita ex hac parte qua scribitur *mutæ*: ex illa qua legitur, † *vocales* sunt appellatæ. Siquidem hæc auribus tantum, illa solis oculis valeat comprehendi. Literæ igitur aliæ sunt, quæ per se efficere totum valeãt, aliæ quæ nihil.

al. deformauit.

al. voces.

Nam vocales, quas Græci septem, Romulus sex, vsus posterior quinque commemorat, Y velut Græca reiecta. Hęc tamen in Latio nunc produci, nunc contrahi, nunc acui, nunc grauari, vel etiam circunflecti: nunc aggregari, nunc distrahi sine iactura sui nominis possunt. Modo solæ syllabas formant, nunc consonantes vtrinq; suscipiunt. Vocalesque nonnullæ modo se inuicem mutant, nuper sibi cum decore succedũt: quippe A plerunque in E transuertitur. Nam *capio, cepi* facit: nunc in I, vt *salio, insilio*: nunc in O, vt *plaustro, plostro*: vel in V, vt *arca, arcula*. Item E litera, in primum A reformatur: vt *sero, satum*: vel in I, vt *moneo, monitus*: vel in O, vt à *tegendo, toga*: vel in V, vt à *tego, tugurium*. Similiter I quoq; vocalis in A conuertitur, vt *siquis, siqua*. In E, vt *fortis, fortè*. In O, vt *qui, quo*. In V, vt *ibi, vbi*. Non aliter O litera in A transit, vt *creo, creaui*: vel in E, vt *tutor, tutela*: vel in I, vt *virgo, virginis*: vel in V, vt *volo, volui*. Item V simili ratione conuertitur in A, vt *magnus, magna*: in E, vt *sydus, syderis*: in I, vt *telũ, teli*: in O, vt *lepus leporis*. Sic igitur transformatæ, nunc vtrinque poterunt copulari, nunc ex altero, nunc ex neutro, nunc aliquas partes orationis terminant, nuncque nullas.

Quòd vocales vtrinque aliquando copulantur.

NAm A primum vtrinq; sibi associat V & I literas: nam & *aurum* dicimus & *Varus* & *Ianus* & *Aiax*. Ex vno autẽ latere suscipit E, vt *Aeneas*. Ex neutro verò O. Finit fœminina nomina, vt *dea*: masculina, vt *Iugurtha*. Neutra in singulari numero tantum Græca, vt *toreuma, peripetasma*. In plurali autem Latina, vt *monilia*. In verbis imperandi modi, vt *tanta, salta*.

E autem vocalis duarum Grecarum literarũ vim possidet. Nam cum corripitur, E Græcum est, vt *ab hoc hoste*. Cum producitur hęta est, vt *ab hac die*. Ac maximè tunc circumflexum accentum tenet. Hæc duas vocales, id est, I & V ex latere vtroq; complectitur, vt in *Euro, Veientano*: & in *eia, iecore*. Finit verò neutra nomina, vt *monile*. Fœminina etiam sed Græca, vt *Calliope*. Pronomina, vt *ille, iste*. Numerum etiam totius generis, vt quinque, licet ἄπτωτον sit. Item verba imperatiui modi, vt *sede, curre*. Modi infiniti, *scribere scripsisse*.

I verò litera cunctis vtrinque vocalibus socia tur. Nam A complectitur, cum dicimus *Ianua & Aiax*. E autem vt † teneat, docuerunt exempla superius demonstrata. O autem literæ copulatur in nomine *Iouis & Oinone*: *Oisus* etiam dicitur. Sic enim veteres *vsum* dixêre. V autem in *iuuando, & vita*: hæc aliquando vocalis geminam syllabam facit. Finitque omnium generum nomen, vt *frugi*: numerum itidem omnium generum, vt *viginti*. Item verba modi indicatiui, ut *noui, memini*. Imperatiui, *sali, veni*. Infiniti, *iaculari, luctari*.

al. tenia.

O verò litera, quibus vocalibus quaúe ex parte cohæreat, superius memoratum. Finit autem nomina masculina, vt *Cato*. Fœminina, vt *Iuno*. Numerum omniũ generum, vt *octo*. Item verba actiua, *canto, laudo*. Modi imperatiui tantum modo inuenitur, vt *cedo*. Aduerbiũ, vt *subitò*. Præpositionem, vt *pro*.

V autem litera vocalibus omnib. vtrinq; coit, præter O antelatum. Sola etiam V, sui generis literam non geminat, sed coniungit, vt *Vulgus, Vulcanus*. Finit articulos, vt *tu*. Nomina neu-

© Biblioteca Nacional de España

neutra, vt *cornu*, *genu*: nullum autem verbum claudit.

De semivocalibus.

HActenus de vocalibus. Non enim vocales astruere, sed omnes literas sum iussa monstrare: verùm reliquas quæ sequuntur, consonantes esse non dubium est. Quæ item discernũtur, in semivocales & mutas: quarum exequar rationem.

Quippe F litera, quæ est semivocalium prima, duas tantummodo consonantes prælata complectitur, L & R, ut dicimus *flavus & frugi*. Vocales verò complectitur, ita ut I & V vocales sibi præferri prohibeat: nullum autem claudit finitiva sermonem.

L verò litera tripliciter sonat. Nam exilem sonum reddit cùm geminatur, ut *sollers*, *Sallustius*. Medium autem cùm terminat nomina, ut *sol*, *sal*. Item leniter sonat, cũ vocales antevenit, ut *lapis*, *lepus*, *liber*, *locus*, *lucerna*. Plenum verò sonum habet, cùm ei præferuntur literæ P G C F, ut in *Plauto*, *glebis*, *Claudio flavo*. L autem nunquam vlli semivocali vel mutę præponitur, quę pro D in præpositione accipitur, cùm & A prę fertur, ut *allidit*, *alligat*. Hæc etiam prælata præpositione servatur, ut *inlepidus*, *inlotus*. Vtrinque autem vocales amplectitur; & nomina nonnulla determinat. In masculino *Sol*, in fœminino *Tanaquil*: in neutro A E I præcedentibus, ut *bidental*, *mel*, *sil*. Adverbia etiam claudit, ut *semel*.

M verò litera tam in sermonis initio quàm in medio esse, & in ultimis potest, ut *mores*, *umbra*, *triticum*. Ex consonantibus sola M præcedit N, ut *Memnon*. Subsequitur solam S, ut *Smyrnthius*. Mutaturque in N nonnunquam, ut cùm dicimus *nunquis*. Terminatque neutra, ut *aurum & argentum*. Item Monoptota, ut *nequam*. In genere masculino accusativum simplicem, & duplicem genitivum. Item participia & verba, & adverbia, ut *tractum*, *legam*, *cursim*. Numerum etiam omnium generum, ut *novem*, *decem*.

N autem litera plenior apparet in primis & ultimis, ut *Nestor*, *tibicen*. In medijs exilior, ut *mane*, *damnum*. Ex consonantibus sequitur M litera, ut *Memnon*. S autem præcedit, ut *fons*, *mons*. Convertitur etiam in M, cùm eam sequuntur B P M, ut dicimus, *imbuit*, *impulit*, *imminet*. Eadem nomina terminantur masculinum, ut *Tibicen*. Fœmininum Græcum, ut *Syren*. Neutrum, ut *culmen*.

R verò vocales utrinque complectitur. De consonantibus S soli præponitur, ut *sors*, *fors*, & X duplici nonnunquam, ut *arx*. Convertitur in L N & S, ut *niger*, *nigellus*, *semen*, *seminis*, *gero*, *gessi*. Finit nomina masculina post omnes vocales, ut *par*, *pater*, *vir*, *nitor*, *fur*. Fœminina post E & O, ut *mulier*, *soror*. Neutra post omnes præter I, ut *calcar*, *piper*, *marmor*, *sulphur*. Finit verba & adverbia, ut *venor*, *vador*.

S nonnulli literam non putáverunt. Nam Messala quendam sibilum dixit, quæ tamen utrinque P literæ copulatur, ut *spado*, *psittacus*, & C Q T sequentes amplectitur, ut *scaurus*, *squama*, *stella*. In plures etiam transitũ facit, ut in L. Dicimus enim *modus*, *modulus*: in N, *sanguis*, *nis*: in R, *flos*, *floris*: in D, *custos*, *custodis*: in T, *nepos*, *tis*. Terminat etiam masculina & fœminina post omnes vocales. Neutra post A O V, ut *vas*, *os*, *nemus*. Huic literæ Divus Claudius P adiecit; aut C propter ψ & χ Græcas, *Psalterium*, *saxa*.

X autem nemo literam putat; quoniam duplex est. Constat enim ex G & S, ut *rex*, *regis*: aut ex C & S, ut *nux*, *nucis*. In V aliquando transfertur, ut *nix*, *nivis*: & C, ut *pix*, *picis*: & in T, ut *nox*, *noctis*. Hæc in Latinis nunquam ponitur prima, apud Græcos autem ponitur, ut *Xanthus*. Et masculino & fœminino omnibus vocalibus sociatur, ut *Aiax*, *frutex*, *calix*, *velox*, *Pollux*; & fœminino, *fax*, *lex*, *lodix*, *velox*, *lux*: neutrum nullum claudit.

De mutis.

TRansactis semivocalibus mutæ sunt perquirendæ: quæ ideo hoc nomine nuncupantur, quoniam nisi illis vocales associatæ succurrerint, intra oris sonitum ante auspicia moriuntur.

B prima omnibus vocabulis utrinque connectitur: præfertur consonantibus L & R, ut *blesus*, & *brevis*. Transit in C, ut *succurrit*: in F, *sufficit*: in M ut *summittit*: in P ut *supponit*: in S, ut *sustulit*. Finit nihil, nisi tres præpositiones, ab, ob, sub.

C vocales utrinque collaterat; consonantes quasdam præcedit L T R M N, ut *clarus*, *tectum*, *crus*, *acmon*, *Cnidus*. Finit articulos, quos pronomina vocant, *hic*, *hæc*, *hoc*. Et adverbia, ut *sic*, *huc*, *hic*. Sola mutarum antecedẽtem vocalem producit, & pro duplici habetur, ut *hic*, *hoc*.

D utrinque vocales tenet. Præponitur R literæ in *Druso*: M literæ nunquam præfertur in Latinis: in Græcis autem aliquando, ut *Dmolus*. Sic & N, ut *Ariadne*. Transit in C, ut *accidit*: in G, ut *aggerat*: in L, ut *alligat*: in P, ut *apponit*: in R, ut *arripit*: in S, ut *assidet*: in T, ut *attinet*. Finit articulos neutralis generis, ut *illud*, *istud*: & præpositionem, ut *apud*.

G omnibus vocalibus præfertur, sequitur A literam, ut in *aggere*, quæ quoties geminatur, adiungitur. Præfertur R literæ, ut *grave*. L, ut *gladius*: N, ut *ignis*. In C quoque convertitur, ut *rego*, *rector*. Nihil quoque concludit.

H, aspirationis notam esse certissimum est, quæ quando vocalibus accidit, ut *hospes*, *hæres* transit in X, ut *traho*, *traxi*. Hanc Græci diviserunt. Nam pars eius dexterior aspirationis nota est, sinistra contrariæ significationis.

K verò nunc nota putatur esse, nunc litera: nam eius effectus C integrare non dubium est absque his,* kapite, kalendæ, kalumniæ. *al. Kapita

© Biblioteca Nacional de España

Brevis est, cùm vocalis corripitur, ac nullis consequentibus adiuvatur: aut cum correpta forma vel litera terminatur.

Longa autem duobus modis efficitur: Natura & Positione.

Natura, cùm vocalis producitur, aut cùm syllaba circumflexum accẽtum tenet, vel acutum in penultima: aut cùm monosyllaba unaquæque vocalis est, aut cum diphthongo reperitur. Vel cùm prima syllaba sub alia forma cuiuscunque verbi composita, nec vocalem nec acumen mutat.

Positione, cùm brevem vocalẽ aut duæ consonantes sequuntur, sive in eadem syllaba, sive in sequenti, sive per ambas divisæ, aut in altera tria: duplex una.

Literæ duplices. Duplices autem sunt X & Z: aliquando I & C fieri possunt duplices, ut si i inter vocales sit, ut *aio, Troia*. Item C, ut *Hoc erat alma parens* —. Hæ autem consonantium vel duplicium, quæ breves adiuvant formæ, tunc possunt, si in eodem sermone claudantur. Cæterùm proximi sermonis consonantes, nihil adiuvant præcedentem, licet Virgilius refragetur dicens:

Arma virumq; cano Troiæ —. Et item,

Fontesq; fluviosq; voco.

Diphthongi Diphthongi sunt, Ae, Oe, Eu, Au, Ei. Absque his syllabis nulla dyphthõgus memoratur.

De communibus syllabis.

COmmunium autem syllabarũ modi sunt octo. Nam primus est cùm correptam vocalem sequitur subiecta consonantibus liquida: est enim longa, ut, *Vasto Cyclopes in antro*. Brevis, ut, *Vastosq; ab rupe Cyclopas*.

Secundus modus, cùm correpta vocalis in unam desinit consonantem sequente H: est enim longa, ut: *Terga fatigamus hasta*. Brevis: *Quisquis honos tumuli*.

Tertius, cùm correptam vocalem duæ consonantes sequuntur, quarum prima S litera sit: est enim longa, unde: *Spissa coma*. Brevis: *Ponite spes quisq; suas*.

Quartus locus, cùm brevis syllaba partem terminat orationis: est enim longa in commate, ut est: *Nam tibi Tymbre caput Evandrius*. Brevis: *Hoc caput ô cives*.

Item alter locus ex dyphthongo fit communis longa, ut: *Musæ Aonides*. Brevis, *Insulæ Ionio in magno*. Cùm vocalis enim sequitur, potest dyphthongus fieri brevis, ut: *Sudibúsve præustis*.

Alius locus, cùm longam vocalem alia vocalis sequitur: est enim longa: *O ego infelix, quem fugis*. Brevis, *Sub Ilio alto*.

Alius locus, cùm pronomen C litera terminatur vocali sequente: est enim longa: *Hoc erat alma parens*. Brevis, *Solus hic inflexit sensus*.

Alius locus, cùm correptam vocalem sequitur Z: est enim longa, ut *Mezenti ducis exuvias*. Brevis, *Nemorosa Zacynthos*.

Dicta natura in tribus generibus syllabarũ. Superest ut finales dicantur, in quibus artis auctoritas & canonica forma consistit, ac prius de nomine retractandum.

De Nomine.

NOminativus casus singularis A litera terminatus, brevis est, ut *Catilina, Iulia*. *Nominativus.*

E litera finitus in Græcis longus est, ut *Euterpe*.

I autem terminatus longus est, ut *frugi*.

O finitus in Latinis brevis, ut *Cato*. In Græcis longus est, ut *Dido*.

V terminatus longus, ut *cornu*.

Al finitus brevis, ut *tribunal*.

El, brevis, ut *mel*.

Il, brevis, ut *vigil*, excepto uno hetrusco, *Tanaquil*.

Ol longa est, ut *Sol*.

Vl brevis, ut *consul*.

M terminatus brevis, ut *tectum*: licet huius raro currat exemplum, quia inter vocales M deprehensum, velut Metacismi asperitate subtrahitur.

An finitus producitur, ut *Titan*.

En in neutris brevis est, ut *carmen*: in alijs generibus, longus est, *Lien, Siren*.

On terminatus longus est, ut *Memnon*.

Ar terminatus in monosyllabis tantùm longus est, ut *nar, far*.

Er finitus in Latinis brevis est, ut *puer*, excepto monosyllabo, *ver*: in Græcis producitur, ut *aer*.

Ir terminatus corripitur, ut *vir*.

Or terminatus brevis est, ut *auctor*.

Vr terminatus corripitur, ut *murmur*, excepto uno monosyllabo, *fur*.

As finitus in Latinis nominibus, producitur, ut *facultas, paupertas* In Græcis tunc tantùm brevis est, cùm genitivus *dos* fuerit terminatus, ut *Arcas, Arcados*.

Es terminatus in Græcis nominibus brevis est, ut *Anchises*: in Latinis si quintæ declinationis fuerit, producitur, ut *dies*. Si tertiæ, tunc longus est: cùm genitivus non crescit syllaba, ut *labes*: vel crescens. E productam ante ultimam syllabam retinet, ut *quies, quietis*: nam si eam in I mutaverit, ut *miles, militis*, aut corripuerit, ut *seges, segetis*, corripitur: exceptis his, *Ceres, pes*, atq; his similibus.

Is finitus, brevis est, ut *agilis*.

Os terminatus tunc est in Latinis brevis, cùm genitivus ante ultimam syllabam non habet naturaliter longam, ut *os, ossis*. In Græcis tunc corripitur, cùm genitivus dyphthõgo terminatur, ut *Delus*.

Vs finitus brevis est, ut *doctus*. Sed longus fit, si genitivus syllaba creverit, & ante ultimam I aut V productam habuerit, ut *virtus*: & in uno inflexibili, ut *pus*.

T terminatus, corripitur, ut *caput*.

C finitus, duo tantùm nomina facit, ut *halec*, quod

© Biblioteca Nacional de España

quod producitur; & *lac*, de cuius declinatione dubitatur.

Genitivus singularis, tunc producitur, cùm aut nominativo similis est, ut *senatus*: aut diphthongum habet, ut *Iuliæ*: aut I terminatur, ut *docti*: in cæteris corripitur.

Dativus singularis producitur, ut *Pompeio*. In Græcis corripitur, si I litera finiatur, ut *Palladi*.

Accusativus singularis in Græcis tunc tantùm corripitur, cùm A vel On terminatur, ut *Thesea*, *Delon*: in Latinis verò brevis est, ut *doctum*.

Vocativus singularis A litera terminatus, in Latinis omnibus, vel in Græcis fœmininis, corripitur, vt in *tabula*, *musa*: in masculinis longus est, ut *Ænea*.

E terminatus in Latinis brevis est, ut *doctè*: in Græcis producitur, ut *Titide*, exceptis his, quæ nominativus Græcus os terminatur, ut *Phœbos*, *Phœbe*.

I terminatus in Latinis, longus est, ut *Mercuri*: in Græcis corripitur, ut *Nai*.

O terminatus in Latinis brevis est, ut *Cato*: licet Virgil. contrà sentiat: in Græcis, producitur, ut *Dido*.

V terminatus, producitur, ut *cornu*. In consonantes verò desinens, nominativi sequitur regulam, exceptis Græcis nominibus, quæ sæpe mutantur varietate linguarum, ut *Diomedes*. Ablativus singularis semper producitur, absq; cum E terminatur, in his duntaxat nominibus, quæ tertiæ fuerint declinationis, ut à *pariete*.

Nominativus & Vocativus plurales in masculino & fœminino genere producuntur, ut *fluctus*, *terræ*. In neutris breves sunt, ut *fata*. In Græcis verò, cùm A vel S terminati fuerint, ut *rhetores*, *poemata*. In alijs verò longi sunt, ut *musæ*.

Genitivus pluralis brevis est, ut *doctorum*: in Græcis longus, sed Græca declinatione, ut *philenωn*.

Dativus pluralis & Ablativus, si is fuerint terminati, producuntur, ut *doctis*. Si *bus*, corripiuntur, ut *hominibus*. At si Græca sit declinatio, In terminatus dativus, corripitur, ut *Arcasin*, aliàs longus est.

Accusativus pluralis in omnibus masculinis vel fœminis producitur, ut *doctos*, *Iulias*: in neutris corripitur, ut *mœnia*. In Græcis verò si *as* fuerit terminatus, & venit à genitivo *os* finito, corripitur, ut *Arcadas*; aliàs producitur, ut *Musas*.

De Pronomine.

IN omnibus pronominibus singularis nominativus correptus invenitur, exceptis duobus monosyllabis, *tu* & *qui*.

Genitivus singularis I vel E prolatus, longus est, ut *mei*, *meæ*. Aliàs brevis est, ut *illius*.

Dativus singularis semper productus est, ut *nostro*: exceptis *mihi*, *tibi*, *sibi*, quæ indifferenter accipiuntur.

Accusativus singularis corripitur, ut *illum*, exceptis *me*, *te*, *se*.

Vocativus singularis à nominativo suo non dissentit.

Ablativus singularis longus est, ut *ab illo*.

Nominativus & Accusativus plurales, tunc tantùm corripiuntur, cùm *a* fuerint terminati, ut *nostra*.

Genitivus pluralis nunquam producitur, ut *illorum*.

Dativus & Ablativus plurales *is* terminati producuntur: *Bus* finiti, corripiuntur.

De Verbo.

IN omnibus verbis, Modis, Temporibus, Numeris, Personis, Coniugationibus hæc uniformis est ratio. Quæcunque persona A fuerit terminata, producitur, ut *canta*.

E finita brevis est, ut *lege*, nisi à secunda coniugatione veniat, ut *doce*, tunc enim longa est.

I terminata persona semper producitur, ut *nutri*.

O quæ finitur, correpta est, ut *audio*: licet auctoritas & in his discrepet. Nam primam personam Virgilius longam facit, ut *Canto quæ solitus*, &: *Terra tibi mando*. Tamen monosyllaba etiam producenda sunt, ut *do*, *sto*, *flo*.

V terminata persona, producitur.

Am quæ finitur brevis est, ut *legebam*.

Or finita corripitur, ut *legor*.

S litera terminata verba producuntur, si penultima litera A vel E fuerit, ut *amas*, *doces*, excepto monosyllabo, *es*, & ijs quæ ex eo fiunt, ut *ades*. Si verò I ante S habuerit corripitur, ut *legis*, *legitis*, excepta secunda persona indicativi modi, temporis præsentis, numeri singularis, à quarta coniugatione producta, ut *nutris*, *audis*. Et à verbo *volo*, *vis*.

Si verò V ante S habuerit, correpta erit, ut *nutrimus*.

T litera terminata correpta sunt, ut *legit*.

C finita producuntur, ut *produc*.

Participia licet per casus flectantur, à nominibus tamen omni ratione dissentiunt.

De Adverbio.

ADverbia monosyllaba, ut *huc*, vel quæ ex his fiunt, ut *illuc*, omnia producentur, exceptis *bis* & *ter*.

Quæ verò A finiuntur, longa sunt, ut *unà*.

Quę in E desinunt, producuntur, ut *doctè*, *pulchrè*: exceptis quæ aut non comparantur, ut *ritè*: aut in comparatione deficiunt, ut *benè*, *impunè*.

Quæ I finiuntur longa sunt, ut *heri*, præter *ibi* & *ubi*: & quæ componuntur ex ipsis, ut *sicubi*. Item *quasi* corripitur.

Quæ O finiuntur, à se venientia brevia sunt. ab alijs ducta producuntur, ut *falsò*: licet auctoritas variet.

Quæ V finiuntur longa sunt, ut *noctu*.

Quæ L terminantur, corripi debent, ut *semel*.

© Biblioteca Nacional de España

Quæ M, N, R, finiuntur, brevia sunt, ut *cursim, forsitan, fortiter.*

Quæ S terminantur, tunc tantùm producta sunt, cùm ante eam A habuerint.

Quæ C finiuntur, producta sunt, ut *illuc.*

De Participio.

OMnium participiorum temporis futuri Nominativus singularis brevis est, ut *lecturus.*

Genitivus & dativus singularis producuntur, ut *lecturi, lecturo*, excepto præsentis temporis Participio, quod genitivum corripit, ut *amantis.*

Accusativum & vocativum breves esse constat, ut *lecturum, lecture.*

Ablativus singularis tantùm corripitur, ut *amante, legente.*

Nominativus & accusativus plurales, ex masculini & fœminini generis participijs, producuntur, ut *lecturi, lecturos.* In neutris corripiuntur, ut *lectura.*

Genitivus pluralis brevis est, ut *lectorum.*

Dativus & ablativus pluralis, *is* terminati, producti sunt. *Bus* finiti breviantur.

De Coniunctione.

COpulativæ & disiunctivæ & expletivæ coniunctiones breves sunt, nisi positio fecerit longas.

De causalibus verò & rationalibus, quæ A terminantur: exceptis *ita* & *quia*, productę sunt, ut *propterea* & *interea.*

Quæ I terminantur excepta una, *nisi*, producuntur, ut *si.*

Quæ in N desinunt, si ante eam I habuerint, producuntur, ut *sin*: alias breves sunt. Cæteras verò omnes correptas esse constat.

De Præpositione.

PRæpositiones quæ in A exeunt, solæ productione lætantur, ut *contra* & *extra*, & una monosyllaba à.

Ablativæ præpositiones omnes corripiuntur, exceptis monosyllabis, quæ vel ex vocalibus constant, vel vocalibus terminantur, ut *è* & *de.*

Vtriusque casus præpositiones correptas esse non dubium est.

De interiectione.

INteriectiones longæ sunt, si monosyllabæ fuerint, ut *heus.* Si verò dissyllabę erunt, quoniam speciem retinent partium orationis, exemplo earum quarum similes erunt iudicandæ sunt, ut *pape.* Hæc ita, ut dixi, per omnes partes orationis in ultimis syllabis observanda sunt, exceptis positione longis & diphthongis.

Expleta cursim syllabarum pagina est.
Iuganda demum verba, nam probabilis
Hic ordo rebus quiq; disgregabitur
In bina demum prima nam proportio
Dicenda est, Grai Analogiam quam vocant:
Ac mox repulsa quæ novantur regula
Vulgò docti quæque Anomala nominant.
Bis quarti fandi quis paratur portio:
Vel vulneratur ductus oris integer.
Quantumq; solo inditum libellulo.
Potest probare serium fastidium.

De Analogia.

ANalogia est igitur quæ Latinè proportio dicitur, observatio similium inter se loquelarum. Nam primùm omnia nomina Latina duodecim literis terminantur: vocalibus quinque, & semivocalibus sex, atque una muta: T, ut *caput*: A igitur vocalium prima, terminat masculina, ut *Catilina*, *Iugurtha*: fœminina, ut *advena.* Fœminina etiam Græca, ut *Helena*, *Andromacha.* Pronomina quoque, ut *altera, sola, illa.* Quibus si detrahas A, & ius addas, genitivum singularem feceris, ut dicimus *alterius, solius, illius.* Si verò I, dativum: ut *alteri, soli.*

Illa verò quæ sunt Græca neutra, ut *poema*, *tereuma* tres casus in utroque numero similes habent. In genitivo Tis assumunt: in dativo S amittunt: & in E correptam ablativum finiunt, atque in plurali dativo & ablativo, genitivi singularis formam servant, licet & *Bus* possunt assumere.

E correpta nomina terminata, quæ Latina sunt, neutra sunt, ut *monile, sedile.* Hæc præter casus quos similes habent, dativum & ablativum confundunt, ut *huic, & ab hoc monili, sedili*: quoniam ablativus si in E exierit, quatuor casus similes faciet, quòd neutrorum nominum declinatio non admittit. Nam quæ E producta in nominativo finiuntur, Græca sunt generis fœminini, ut *Agaue Autonoe* Græcorum more sunt declinanda, ut nominativus, dativus, vocativus & ablativus pares sint. Genitivus S, accusativus N finiantur. Quæ autem E in A convertunt, ut *Andromache*, *Andromacha*, sic declinantur, ut Latina in A exeuntia.

I litera terminata Latina nomina, totius generis sunt ac monoptota, ut *frugi*, *nihili*. *Gummi* autē & *sinapi* peregrina sunt, & neutri generis, & tantùm numeri singularis, sed per casus eodem modo decurrunt, excepto genitivo, qui S recipit, ut *sinapis, gummis*: quamvis rectè dicatur, *hæc gummis.*

O litera nullum nomen in neutro finit: nam aut masculina sunt, ut *Cicero*: aut fœminina, ut *Iuno, hirundo*: aut utrique generi communia, ut *homo*, quorum declinationes in duas species exeunt: nam aut O literam in obliquis casibus retinent, ut *unio*, *unionis*: aut I mutant, ut *cupido, inis, crepido, dinis*: utraque autem syllaba crescunt in obliquis casibus, præter vocativum singularem. *Caro* autem præter hanc Analogiam, ut declinetur, consuetudo obtinuit. Item

Anio

© Biblioteca Nacional de España

Anio, & quæ in sua declinatione unica sunt, & sine exemplis similium declinantur. Faciunt enim *huius carnis. Anienis, Duo* & *ambo* cùm sint semper pluralia, non sunt annumeranda his quę suprà dixi: sua etenim consuetudine declinantur. Græca nomina quæ O litera finiuntur, ea quæ à prima positione in nostram formam transierunt, ut *leo, draco*, sic declinantur, ut *Cicero, Milo*. Ea verò quæ primam sui positionem integram servant, ut *Io, Ino* Græco more declinantur, ut faciant in genitivo *Ius, Inus*, accusativo *Ion, Inon*, & cæteris casibus similiter, quanquam consuetudo *hanc Io* dicat. *Turbo*, si nomẽ est proprium, ut *Cicero* declinatur: si autẽ vim venti significat aut puerilis ludi instrumẽtum, ut *rupido* declinatur.

V litera tantùm neutra finiuntur, ut *cornu, veru*, quod in plurali facit *verua*. Apud veteres etiã *specua* diceban ur. Horum nominum, plurales declinationes carent dubitatione. Nam tres casus, ut in omnibus neutris similes sunt. Itẽ dativus & ablativus in *Bus* syllabam exeunt. Dativus & ablativus singulares u syllabam iungit. Quæritur autem de genitivo singulari, quẽ alij in Vs, alij in V literam egerunt. Nec nõ dativo, quem alij in I agunt, ut *genui, cornui*. * Quidã, veteres secuti, ablativo similem faciunt, *huic genu, cornu*: quoniam pluraliter, *genibus & cornibus*, amissaq; ultima syllaba relinquitur dativus singularis, sicut fit in *civibus, & suavibus*. Et quoniã *genibus* & *cornibus* dicimus, I litera in locum V transit, sicut & *optimum et maximũ* item dicimus, cùm *optumus & maxumus* diceretur. Sunt aliqui qui genitivo casu *genuus & cornuus* dicant, sed nõ debet genitivus plures habere syllabas, quã dativus & ablativus. Quanvis ergo dissimilia sint, *senatus* & *exercitus*: tamen sic *genus* & *cornus* in genitivo dicendum est, quemadmodũ *senatus* & *exercitus*. Pręterea quæcunq; nomina vel participia genitivo singulari in Is exeunt, dativo plurali syllaba crescunt, ut *Catonis, Catonibus*: secundum quam rationem si esset *genuis, genuibus* fecisset, & syllaba cresceret.

*qui

L litera finita nomina, duplicem formam habẽt. Prima est, in qua masculina sunt, ut *Hannibal, Hasdrubal*, neq; alia ferè propria quàm Punica: excepto *Solis* nomine. Item fœminina, ut *Tanaquil*, nomen Hetruscũ. Et communia, ut *vigil, pugil*: quæ omnia easdẽ declinationes habẽt. Altera species neutrorũ, ut *mel, fel*, quæ hoc differunt à superiori declinatione, cũ monosyllaba sint, & L literam per obliquos casus geminant. Nam de *proconsule* in nominativo, qui E litera finiunt natura *Pro* præpositionis intuentur. *Pro* quippe ablativo tantũ præfertur. *Non respiciunt, cũ *proconsul* dicitur, nõ duabus vocibus, sed cõposito nomine dici, ut *procurator, propugnator*. Nec quicquam obesse exemplo, quod hæc nomina possunt verba ex se facere, ut *procuro, propugno*. Nam præpositio perit: *proconsulo* autem non facit, licet *consulo* faciat. Tamen si *proconsulo* dicatur in casu nominativo monoptoton erit. Sed propter consuetudinem *proconsul* dicatur, ut declinari possit, quemadmodum illa quæ litera L terminãtur, ut *vigil, pugil, mugil*: quoniam in plurali genitivo *mugilum* dicimus, & *pugilum*. Nam si *mugilis* esset nominativus, ut *agilis*, *mugilium* faceret, ut *agilium*.

*Nam

M litera etiam neutra finiuntur, ut *telũ, scamnum*. Sed hoc animadvertamus, quoniã quę nomina I antè ultimam syllabam habent genitivo singulari: item dativo & ablativo pluralibus, eandem geminare debẽt, ut *lilium, foliũ*. Quoniam genitivus aut pares syllabas nominativo habet, ut *scamnũ, scamni*: aut plures, ut *caput, capitis*: pauciores nunquã. Præterea dativus O litera finitus, in I eam cõvertit, ut *scamno, scamnis*. Sed consuetudo & auctoritas veterũ, *ingeni, cõsili, imperi*, per tres syllabas maluit dicere. *Vasum* an *vas* dici debeat, quæritur. Quoniam quæcunq; neutra non M litera nominativo finiuntur, si pluralem recipiant, dativo & ablativo in *Bus* cadũt. Itaq; *monile, monilibus: genu, genibus: pecus, pecoribus: nomen, nominibus: marmor, marmoribus*: secundumq; *vas, vasibus* facere debuit, & in genitivo *horũ vasium*: quoniam quęcunq; neutra singularia ablativo E litera finiuntur, genitivum pluralẽ totidem syllabarum habent, quot ablativum singularem, ut à *nemore, nemorum: capite, capitum*. Sed hoc nomen per anomaliam declinatur, & erit singulari nominativo *Vas*, genitivo *vasis*, dativo *vasi*, ablativo à *vasi*. Plurali autẽ sic declinabitur, ut *scamna*. Lucretius tamen genitivo *vasi*, ut:

— *Rariq; facit lateramina vasi.*

N litera terminantur masculina, ut *flamen, pecten*. Cõmunia duobus generibus, ut *tibicen, fidicen*, quod frequẽtissimi auctores non probãt: nam etiam *tibicinam, et fidicinã* dicunt. Item neutra, ut *nomen, flumen*, quę omnia manifesta declinatione uno modo declinantur. Altera species est generis masculini, quę E literã ante extremã N servant, ut *lien, ren*, quæ tamen ipsa quoq; in cæteris, ut superiora declinantur. *Gluten* quoq; his simile est, licet Salustius *glutinũ* dixerit. Item fœminina quasi similia videtur. Nam *ren singularis nominativus, nec ullus alius ablativo excepto in usu est. Græca quæ N finiuntur, præcedentes habẽt literas A E I O V, ut *Alcman, cephen, delphin, phaeton*. Ex quibus, quę An, En, In terminantur, exemplo superiorũ declinantur, ut *fulmen, numen, fidicen*. Quæ verò On finiuntur, si producta On Græca declinantur, ut *Leon*. Eandem literã & apud nos producũt, ut *Cicero, Scipio*. Ea autem quæ ex productione nominativi casus corripiuntur, in reliquis figurationibus, ut *Amphion, Creon, Agamemnon*, admittunt apud nos N literã in nominativo, & comparabuntur his Latinis, quæ cõversis casibus correpta efferuntur, ut *virgo, turbo*. Quæ apud Græcos recipiunt T literam, apud nos quoque eãdem habebunt, ut *Phaeton, Phaetontis*.

al. reo, reos

R litera præcedente A terminatorũ, ut *Cæsar, lar, far, par, impar*, una forma est, nisi quòd neutrũ in reliquis casibus R literã geminat, ut *far*. Poetarum verò licẽtia hæc nomina pluraliter dixit:

© Biblioteca Nacional de España

cùm omnia nominá, quę pondere aut mensura æstimamus: pluralem numerũ non admittant, ut *aurũ, plumbum, triticũ, oleum*. Errát ergo qui *parium* dicunt: quoniã hęc in plurali triptota sunt, ut *hi Cæsares, hos Cæsares, ô Cæsares*. Nec potest accusativus I habere ante S, si genitivus ante u, r habeat. Videntur tamen qui *parium* dicunt, nominativum pluralẽ generis neutri intueri, & quoniã *paria* dicuntur, ut *suavia*, facere *pariũ* ut *suaviũ*.

R litera pręcedente E terminatorum species sunt sex. Prima, quæ genitivo casu nullũ incrementũ admittit, & in I literam mutatur, ut *aper, niger, macer: apri, nigri, macri*. Secunda hęc, *tener, lacer, puer: teneri, laceri, pueri*. Tertia, ut *imber, uter*, quę à superioribus hoc differt, quòd hæc in genitivo S literã accipit, & dativo I finitur, & non crescit ut secunda species, & in genitivo plurali *Ium* literis finitur. Quarta ut *pater, mater, frater*, quę dativis pluralibus, nõ ut prima species *aris*, sed *fratribus* facit. Nec secunda syllaba crescit & in genitivo plurali *um* syllabam habet. Dicimus enim *fratrũ, patrum*, nõ ut in tertia *utrium, imbriũ*. Pręterea tres casus similes habet, *hi patres, hos patres, ô patres*. Cùm *imber* & *uter*, *hos imbris & utris* faciat. Quinta species est ut *passer, anser, later, mulier*, quæ à secunda specie hoc differunt, quòd illa cum incremento syllabæ I litera finiuntur, ut *gener, generi*: hæc in S exeunt, ut *passer, passeris*, & in cęteris discrepant. *Piper* namq; & *cicer* neutra in quinta specie habentur. Nam ut *passer* ita declinantur in numero singulari, quem nunquam egrediũtur. Sexta species, ut *neuter, uter: neutrius* enim & *utrius* facit, & declinantur ut cętera pronomina, quæ in ius literas genitivos, & in I dativos agunt. Præterea eos genitivos & dativos communes habent cum reliquis generibus, id est, fœminino neutroque.

R litera præcedẽte I una tantũ species est *vir*.

R litera præcedente O terminatorũ species sunt duæ. Alia quæ per obliquos casus producuntur, ut *sopor, ris: color, ris*: alia corripiuntur, ut *arbor, ris*, sed uno modo declinantur. *Castoris & Hectoris* genitivos veteres produxerũt, sed nos corripimus: quoniam Græci horum nominum genitivos corripiunt.

R litera præcedente V terminatorum species sunt duæ. Prima, ut *satur*, quæ genitivo I finitur, ut *saturi*. Secunda, quorum genitivus in Is literas venit, ut *sulphur, ris: Augur, ris*. Neutra autem quæ Vr literis finiuntur, alia retinent V literã, ut *sulphur, ris*: alia in O mutãt, ut *ebur, eboris*.

S litera finitorum nominũ formæ sunt octo. Nam aut A litera præponitur, ut *Mæcenas, civitas*: aut E, ut *verres, moles*: aut I, ut *panis*: aut O, ut *custos, nepos*: aliàs V, ut *ligus, vetus*: aliàs R, ut *iners*, aliàs N, ut *serpens*: aliàs P, ut *præceps*.

S autẽ litera præcedente A, species sunt duę. Prima, ut *Mæcenas, lenas*. Secunda, ut *nostras, privernas*, quæ à superioribus hoc differunt, quòd communia sunt omnibus generibus, & assumere debent I literã in genitivo plurali, quæ neutralibus in plurali nominativo, accusativo, vocativo familiaris est. Igitur *nostratium, privernatium* dicemus: quia sunt hæc *nostratia, privernatia*; sed & *prægnatium & optimatium* dicimus, quia accusativus pluralis I literam habet, ut *hos et has optimatis & has prægnatis*, quãvis veteres *prægnatum & optimatum* dixerunt. *Prægnas* autem fœminini & neutri generis est. *As & Mas* cùm sint monosyllaba, Analogia non tenentur, sed propria quadam declinatione *assis* & *maris* faciunt, & in plurali *assium, marium*. *Phas* & *nephas*, aptota sunt.

Græca nomina, quæ apud nos in As exeunt, tres species habent. Prima est, ut *Olympias, pythias*: nam *Olympiadis & pythiadis* facit. Secunda, ut *Pallas, Thoas, Athlas*: nam *Pallantis, Thoantis, Athlantis* facit. Tertia, ut *Æneas, Pythagoras, lycas*: nam facit *Æneæ, Pythagoræ, lycæ*. Quando nostra ratione nomina quæ genitivo in E exeunt, nominativo A finiuntur, ut *Catilinæ, Catilina*. Sed hæc Græca sunt, ideo in nominativo S literam retinent. Quædam tamen perdunt S literam in nominativo, ut *Nicæa, Medæa*. Ergo in his nominativis consuetudo servanda est.

S litera pręcedente E terminatorum species sunt quinq;. Prima, quorum nominativus & accusativus & vocativus plurales similes sunt, genitivus pluralis in Vm exit, ut *Hercules, proles, Herculum, prolum*. Secunda species est, quæ à superiore hoc differt, quòd genitivum pluralem in *ium* compellit, accusativum in *es*, ut *nubes, rupes, cautes*. In qua forma masculina non habent. Tertia, quæ etiam si aliquam inter se habent differentiam in declinatione, tamen quoniam incremento syllabarum pares sunt in obliquis casibus, in unam speciem rediguntur, ut *Ceres, bipes, merces*. Masculina autem exempla non sunt, nisi Græca, ut *Chremes, Laches*. Quarta species non differt à pręcedẽte, quòd obliquos casus E in I compellit, cùm superiore literam servat: videlicet quoniam in nominativo nõ ut superiora E producunt, sed cõtrahunt, ut *hospes, antistes, ales, comes*. Quinta species à superiore hoc differt, quòd genitivus aucta syllaba I litera finitur, qui etiam dativus habebitur: accusativo in Em exit, ablativo in E productam, cui adiecta *Rum* syllaba genitivum pluralẽ facit. Cuius numeri nominativum cum prima positione & vocativo singulari confundit, dativũ & ablativum *Bus* syllaba finit, ut *facies, dies, spes, acies*. Sed consuetudo, *rei & spei* corripuit, fortasse quòd monosyllaba sunt.

S litera pręeunte I terminatorũ alia crescunt per obliquos casus: alia intra modũ positionis cõtinentur, duntaxat in numero singulari. Eorum igitur quæ non crescũt, species sunt *duæ. al. tres
Prima, generis masculini, ut *scrobis, mensis*: licet Lucanus *exiguam scrobem* dixerit. Fœminini & cõmunis, ut *canis, iuvenis*, quorum declinatio liquet. Secunda species hoc à superiore differt, quòd ablativum in I litera finit, accusativum in Im, ut duo sola masculina, *liguris, Tyburis*: fœminina, *clavis, pelvis, turris*, * *classis, cassis*. al. sitis, missa

Hanc

© Biblioteca Nacional de España

Hanc rationem declinandi manifestam diminutio facit, quæ I producta in omnibus istis pronunciatur. Itaque quoties dubitamus de nominum enunciatione, diminutionem eius conlulemus. Eorum quæ syllaba crescunt, species sunt duæ, quarum altera corripitur I literam, in qua forma sunt masculina, *sanguis, pulvis, lapis*: fœminina, *cuspis, cassis*, in quibus nihil interest, quòd alia in declinatione I conservant: alia in E transeunt. Item quòd alia dis: alia trissyllaba in genitivo finiuntur. Altera species I literam producit in nominativo *glis, lis*, quam & in obliquis similiter conservant. In genitivo plurali L ante um syllabam dicimus, *glirium, litium*, non ut superiora, *lapidum, cuspidum, cassidũ*.

S litera præcedente O terminatorum, cùm sit parvum discrimen, una species potest esse: nam cùm omnia in obliquis syllaba crescant, hoc differunt, quòd quædam in genitivo S literam in T: quædam in D: quædam in R convertunt, ut *nepos, tis: custos, dis*. Monosyllaba masculina, ut *flos, floris*: *ros, roris*. Item neutrum, *os oris*. In ossibus autem nominativum consuetudo facit *os*, contra rationem, quoniam in genitivo R non habet. Sed nec ossum potest dici, quoniam neutra quæ nominativo M terminantur, *Bus* syllabam non admittunt numero plurali. Ergo in monosyllabis Analogia non tenetur.

S litera præcedente V terminatorum species sunt sex. Prima, genitivus I simplice, vocativus E terminatur, ut *Marcus, Sextus*: genitivus, ut *Marci, Sexti*, vocativus, ut *Marce, Sexte*. Secunda species à superiore hoc distat, quòd genitivo I geminat, & in vocativo I terminatur, ut *Antonius, Iulius*, huius *Antonij, Iulij* facit, & ô *Antoni, Iuli*: in cæteris cum superiore consentiunt. Tertia species, nominativum cum vocativo miscet, & genitivo easdem literas * producente conservat: dativo V & I: ablativo V, accusativo um terminatur, ut *senatus, fluctus, exercitus*, quæ pluraliter nominativum cum accusativo & vocativo in Vs productam agunt, genitivum in Vm, dativum & ablativum in *Bus* syllabam. Quarta species incrementum syllabæ per obliquos casus accipit: ita tamen ut aliquá varietatem inter se habeant. Quædam enim V literam retinent, aliàs correptam, aliàs productam, ut *ligus, liguris: palus, dis: virtus, tis*. Quædam eandem V literam in E vel in O mutant, ut *vetus, veteris: Venus, Veneris: nemus nemoris*. Quædam tamen uno modo declinantur. *Laus & fraus*, cùm sint monosyllaba & duas vocales habeant iunctas, in eadem specie habentur, quia similiter syllaba crescunt. Quinta species pronominum quæ Vs terminantur, ut *unus, totus, solus*, quæ hoc modo declinantur, *Vnus, unius, uni, unum: une* ab *uno, uni, unorum, unis, unos, uni*, ab *unis*. Sexta in Eus, ut *inuleus, eculeus*, à vocativo E litera geminata efferũtur, ut *eculee, inulee*. Sed quidá malunt in Eu, ut *Tideu*, vocativo Græcè dicere.

*producte

S litera I præcedente finita neutra monoptata sunt, ut *tressis, sexis*.

S litera præcedente V duæ species sunt. Prima, quæ in I genitivum agit, & pluralem non habet, ut *vulgus, pelagus, virus*. Lucretius *viri* dicit, quanquam rectius inflexũ maneat. In secunda specie sunt, quæ per obliquos casus crescũt, & genitivo singulari in Ris literas exeunt, ut *genus, nemus*. Ex quibus quædam V in E mutant, ut *olus, oleris: ulcus, ulceris*. Quædam in O, *nemus, nemoris: pecus pecoris*. In dubitatione veniunt *stercus & fœnus*, in E, an in O mutẽt: quomodo quæ in Mus syllabam finiunt, V in E mutant, ut *vulnus, genus*, * *funus*, & *funeratus* dicimus: fœnus enim exemplo non debet nocere, cùm inter dubia genera ponatur. Item veteres sterceratos agros dicebant, non stercoratos.

* Fœnus & fœneratus

S litera finita nomina, præcedentibus N vel R, omnia sunt unius generis, nisi quæ ante S, R habent, interdũ D recipiunt, ut *socors, socordis*. Interdum T, ut *sollers, iners*. In plurali quoq; excepto genitivo & accusativo, omnibus casibus similiter declinãtur. Nam quædã in um genitivo, accusativo in Es exeunt, ut *Mars, Aruns*. Quædã in *Ium, ut *sapiens, patiens*, & ob hoc accusativi eorum in Is exeunt. Pleraq; autem ex his nominatribus generibus communia sunt, & N literam quã habent neutra in nominativo plurali, dant etiam genitivis reliquorum generum cum quibus communia sunt.

*al. tum

T litera neutra tantũ nomina quędam pauca finiuntur, ut *Gît*, quod non declinatur, ut *caput, sinciput*. Quidã cùm *lac* dicunt, adijciunt T, propter quod facit *lactis*. Sed Virgilius:

Lac mihi nõ æstate novum, nõ frigore defit. Quippe cùm nulla apud nos nomina in duas mutas exeũt, & ideo veteres lacte in nominativo dixerũt.

X litera terminatorum quędã in genitivo plurali, in quibus omnia cõmunia, in Ium exeunt, & ob hoc accusativo in I & S. Plurima verò genitivo in V & M non prę eunte I, & ob hoc in E & S, accusativo exeunt. Nam in reliquis cõsentiunt, utpote cũ singulariter omnia in nominativo habeant X, genitivũ in I & S agunt: dativum in I literã: ablativum E definiãt, adiectaq; M accusativum definiunt, implentq;. Pluraliter verò ablativumq; *Bus* syllaba finiũt. Nam de cæteris quibus dissident veteres, quidã *atrocum et ferocũ*. Qua ratione omnium X litera finitorũ una species videbitur. Huic X literę omnes vocales prę feruntur, ut *capax, frutex, pernix, atrox, redux*. Ex his nominibus quædam in nominativo producuntur, quædã corripiuntur, quędam consentiunt in nominativo, in obliquis autẽ dissentiũt. *Pax* enim & *rapax*, item *rex et pumex*: item *nux et lux* primam positionẽ variant. At *nix et nutrix*: itẽ *nox & atrox*: sic enim in prima positione consentiunt, ut discrepent per obliquos. Et illud animdvertendum est, quædã ex his X literam in G, & quędam in C per declinationes compellere. *Lex* enim *legis: grex, gregis* facit: & *pix, picis: nux, nucis*. Nam in his quæ non sunt monosyllaba, nunquã X litera genitivo in C convertitur, ut *frutex, fruticis: ferox ferocis* facit. *Suppellex* autem

© Biblioteca Nacional de España

& *senex*, & *nix* privilegio quodam contra rationem declinantur. Quoniam *supellex* duabus syllabis crescit, quod vetat ratio, & *senex*, ut in nominativo, item in genitivo dissyllabum manet. cùm omnia X litera terminata crescant, ut *nix*: nec in C convertitur, ut *pix*: nec in G, ut *rex*, sed in V. quum consonans in vocalē transire non possit. In plurali autem genitivo ablativus singularis formam vertit. Nam in A aut O terminatus, in Rum exit: E correpta in um: producta in Rum, I terminatus in Ium: V terminatus in uum. Dativus & ablativus plurales item aut in Is exeunt, aut in Ibus, quæ præcepta in scholis sunt tritiora. sed quotiesin Is exeunt, longa syllaba terminátur: quoties in *Bus*, brevi.

De generibus verborum.

DEcursis nominū regulis æquum est consequentia dicere, canonesq; verborum. Genera verborum sunt quinq;, Activum, Passivum, Neutrum, Commune & Deponens. Activum est quod in O exit, & agendi significationem habet, ut *lego, scribo, canto*, & cętera huiusmodi. Passivum in R, & patientis significationem monstrat, ut *legor, scribor*. Neutrū in O, & neq; agentis, neq; patientis plenam significationem habet, ut *sudo, dormio*. Nescio enim agat quis an patiatur. Commune & Deponens in R exit, sed hoc interest, quòd in communi duæ sunt significationes, agētis & patientis Cùm enim dicimus *osculor*, nescis utrum potius *osculor te*, an *osculor à te*. In deponenti autem aut agentis effectus est, ut *luctor*: aut patientis, ut *morior*. Est etiam impersonale, ut *sudatur, curritur*, quod ideo sic vocatur, quòd cùm omnes personas contineat, nullam habet certam.

De modis verborum.

VErborum autem modi sunt quinq;: sed alij sex, alij septem, alij octo, alij novem, pauci decem esse dixerunt. Qui verò quinque dicunt, hos aiunt: *indicativum, imperativum, optativum, coniunctivum, infinitivum*, quē & *perpetuum* dicimus. Qui sex memorant, addunt *promissivum*. Qui septem, *impersonalem*. Qui octo, *percunctativum*. Qui novem *subiectivum*, & à coniunctivo eum separant. Qui decem, etiam *hortativum* asscribūt: sed hos superfluè adiectos ratio non admittit.

De Coniugationibus

COniugationes autem quas Greci Συζυγίας appellant, tres esse non dubium est: quæ in verbis activis neutralibūsve in secunda persona, tempore pręsenti monstrātur. Nam quoties finalis syllaba in As exit, prima est: in Es secunda: in Is tertia, ut *cantas, vides, audis*: si producta sit, hęc tertia: nam si correpta sit *curris*. Harum omnium coniugationum verba in prima positione ante ultimam literam tres tantùm vocales recipiunt, E I V, ut *sedeo, lanio, irruo*. Consonantes autem omnes, exceptis K & Q, ut *libo, vaco, cado, lego, traho, impello, amo, cano, scalpo, curro, lasso, peto, nexo*. His accidunt I & V loco consonantium positæ, ut *aio, adiuvo*. Sed nec F excludunt, cùm dicamus *triumfo*, quanquā à Græcis veniat, & per P & H potius scribatur. Præterea ab eo quod dicimus *faris* & *fatur*, primam verbi personam volunt *For*. De Q litera dubitatur: nam dicimus *ellquo* & *æquo*. Et in huiusmodi verbis V litera nec vocalis locum, ut est *irruo*: nec consonantis, ut est *adiuvo*, valeat obtinere.

De Formis.

HArum omnium coniugationum in declinando formæ sunt triginta sex: exceptis defectivis & impersonalibus & inchoativis. Primæ coniugationis verba, quæ vel O litera nulla alia præcedente vocali terminantur, vel præeunte vocali qualibet, formas habent quatuor. Secundę coniugationis verba formas habent sex. Tertiæ coniugationis correpta verba formas habent viginti. Sic quæcunq; verba indicativo modo, tempore præsenti, persona prima, I O literis terminantur, formas habent sex, quæ V, O, formas habent duas: quæ nulla præcedente vocali, V litera terminantur, formas habent duodecim. Tertiæ coniugationis productæ verba, quæ indicativo modo, tempore præsenti, prima persona, I, O, literis terminantur, formas habent quinq;. Quæcunq; autem verba cuiuscunq; coniugationis indicativi modi tempore præsenti, persona prima, vel nulla præcedente vocali, vel qualibet alia præcedente O litera terminantur: eorum declinatio hoc numero formarum continetur, de quibus singulis dicam.

De prima Coniugatione.

PRimę coniugationis verba indicativo modo, tempore præsenti, persona prima, aut O litera nulla alia præcedente vocali terminantur, ut *amo, canto*: aut *Eo*, ut *commeo, calceo*, aut *Io*, aut *lanio, satio*, aut *uo*, ut *æstuo, continuo*.

Primæ coniugationis verba imperativo modo, tempore præsenti ad secundam personam, A litera producta terminantur, ut *amo, ama: canto, ta*. Infinitivo modo ad imperativum modum Re syllaba manente, productione terminantur, ut *ama, amare: canta, cantare*.

Item prima coniugatione, quæ indicativo modo, tempore pręterito, specie absoluta, adiecta ad imperativum modū Vi syllaba, manente productione terminantur, ut *commeo, cōmea, commeavi: lanio, lania, laniavi: satio, satia, satiavi*.

Eodem modo, eodē tempore, specie inchoativa, adiecta ad imperativum modum *Bam* syllaba terminantur, ut *conimea, commeabam: lania, laniabam: æstua, æstuabam*. Item prima coniugatio eodem modo, eodem tempore, specie recordativa, adiectis ad imperativum modum Ve & Ram syllabis M terminat partes, ut *commea, commeaveram: lania, veram: æstua, veram*.

Prima

© Biblioteca Nacional de España

Prima coniugatio eodem modo tempore futuro, adiecta ad imperativum modum Bo syllaba terminantur, ut *commeo, bo : lania, bo : æstua, bo.*

Quæ verò indicativo modo tempore præsenti ad primam personam O litera nulla præcedente vocali terminantur, ea indicativo modo tempore preterito specie absoluta & exacta, quatuor modis proferuntur. Et est primus modus, qui similem his regulam habet, quæ indicativo modo tempore præsenti prima persona penultimam vocalem habent, ut *amo ama amavi, amabam amaveram, amabo, amare.* Secundus est, qui O in I convertit, & penultimam in præterito perfecto, & tertiam ab ultima in plusquam perfecto producit, ut *adiuvo adiuvi adiuveram.*

Tertius, qui similem quidem regulam habet primi modi, sed detracta A litera disiungit, ut *seco secui secaveram secabo secare.* Facit enim specie absoluta *secui*, & exacta *secueram.* Quarta est, quę per geminationem syllabæ profertur, ut *sto sta steti stabam steteram, stabo stare.* Huic simile, *do da dedi dederam dabo, dare.* correpta litera A, contra regulam in eo quod est *dabam, dabo, dare* profertur.

De Secunda coniugatione.

SEcundæ coniugationis verbo indicativo modo tempore præsenti, persona prima, E O literis terminantur, *video vides, moneo nes.* Secundæ coniugationis verba imperativo modo tempore præsenti, ad secundam personam, E litera producta terminātur, ut *video vide, moneo mone.*

Secundæ coniugationis verba infinitivo modo adiecta ad imperativum modum *re* syllaba, manente productione terminantur, ut *vide videre, moneo monere.*

Secundę cōiugationis verba indicativo modo, tempore præterito specie absoluta, & exacta septem modis declinantur. Et est primus, qui formam regulæ custodit. Nam forma hæc est, cùm secundæ coniugationis verbum indicativo modo, tempore præterito quidem perfecto adiecta ad imperativum modum *ui* syllaba, manente productione terminatur, ut *deleo delevi.* Plusquamperfecto autem adiectis ad imperativum modum *ve* & *ram* syllabis terminantur, ut *dele deleveram.* Secundus est, cùm indicativi modi primæ personæ, E & O literis terminatæ transeunt in I, ut *sedeo sedi*, & in exacta, ut *sederam.* Tertius est, cùm E & O in V & I mutantur, ut *caleo calui, moneo monui, calueram, monueram.* Quartus est, cùm E & O in I mutant, & consonantem quæ præcedit in S, ut *mulgeo mulsi mulseram.* Quintus est, cùm E & O in I mutant: præcedens verò consonans in X mutatur, ut *lugeo luxi luxeram.* Sextus est, qui per duplicationem syllabæ profertur, ut *spondeo spopondi sposponderam.* Septimus est qui resolvitur in formam passivorum, ut *audeo ausus sum, es, est: ausus eram, eras, erat.*

Secundæ coniugationis verba indicativo modo specie inchoativa adiecta ad imperativum modum *bam* syllaba, manente productione terminantur, ut *vide videbam, moneo monebam.*

Secundæ coniugationis, verba indicativo modo, tempore futuro adiecta ad imperativū modum, *bo* syllaba, manente productione terminantur, ut *vide videbo, mone monebo.*

De Tertia coniugatione correpta.

TErtiæ coniugationis correptæ verba indicativo modo, tempore præsenti, persona prima, aut O litera nulla alia vocali præcedente terminantur: ut *lego legis, peto petis,* aut *rapio rapis, facio facis:* aut *uo*, ut *induo, irruo.*

Tertiæ coniugationis correptæ verba, quæ indicativo modo, tempore præsenti, persona prima, O litera nulla præcedente vocali terminantur, eadem imperativo modo, tempore prę-senti, persona secunda E correpta, præcedente cōsonante primę positionis terminātur, ut *lego lege, peto pete.* Quæ V & O, ea imperativo modo V & E retinebunt, ut *induo indue, irruo irrue.*

Tertiæ coniugationis correpta verba infinitivi modi, adiecta ad imperativum modum *re* syllaba, manente correptione terminantur, ut *lege legere, pete petere.*

Tertiæ coniugationis verba quæ indicativo modo, tempore præsenti, persona prima, I, O literis terminantur: ea præteritum perfectum & plusquamperfectum sex modis enunciant.

Primus est, qui tertiæ coniugationis productæ integram regulam sequitur, hic est qui imperativi modi regulam in productionem vertit, & in absoluta specie assumit *vi* syllabam, & in exacta *veram*, ut *cupio, pivi, veram.* Hæc eadem tamen interdum sublata V litera in absoluta specie, & geminata I: in exacta verò correptè eadem pronunciatur, ut *cupij cupieram.* Secundus modus est qui primæ positionis verbo O literam deponit, & præeuntem syllabam, seu mutata vocali, seu perseverante producit, ut *facio feci, fugeo fugi.* In exacta verò specie I deposita, & in E mutata, *ram* syllabam assumit, ut *feceram, fugeram.* Tertius modus est, cùm I & O in V & I convertuntur, ut *eliceo elicui elicueram.* Quartus, depositis I, O, literis, & præeunte consonante per S geminum enunciatur, ut *percutio percussi percusseram.* Quintus, qui per X, ut *aspicio aspexi aspexeram.* Sextus, qui per geminationem syllabæ enunciatur, ut *pario peperi pepereram.*

Tertiæ coniugationis correptæ verba, quæ indicativo modo, tempore præsenti, persona prima, O litera terminantur, ea præterito & absoluto & exacto duobus modis enunciantur. Et est primus cùm primæ positionis verba O in I commutant, ut *induo indui indueram.* Secundus, qui per X pronunciatur, ut *instruo instruxi instruxeram.* Tertiæ correptæ verba, quæ indicativo modo, tempore præsenti, persona prima, O litera nulla alia vocali præcedente terminantur, ea indicativo modo, tempore præ-

© Biblioteca Nacional de España

terito specie absoluta & exacta duodecim modis declinantur. & est primus qui tertiæ coniugationis productæ integram formam sequitur, ut supra ostendimus. In his verbis, quæ tertiæ coniugationis correptæ, indicativo modo, tempore præsenti, persona prima, I, O literis termiuantur, ut enim est *cupio cupivi cupiveram*, sic *peto petivi petiveram*: hæc quoq; V literam interdum subtrahunt, & I geminant, ut *petij petieram*. Secundus est cùm O in I convertitur, qui primæ positionis verbi O literam in I commutat, & præeuntem syllabam seu mutata vocali, seu perseverante producit: deposita etiam consonante, si fuerit media, in quam, prima vocalis desinat, ut *ago egi egeram, lego legi legeram*. Eorum autem quæ in consonantem * exeunt, exempla sunt hæc, *frango fregi fregeram, fundo fudi fuderam*. Quartus est, qui mediam consonantem deponit, & præeuntem vocalem corripit, ut *findo fidi fideram, scindo scidi scideram*. Quintus, O litera deposita V & I assumit, ut *molo molui molueram, colo colui colueram*. Sextus qui deposita O S & I assumit, ut *carpo carpsi, carpseram: scribo, scripsi, scripseram*. Septimus, qui O deposita & præeunte consonante, per S geminum pronunciatur, ut *meto, messui, messueram*. Octavus, qui simili correptione per unum S, præeunte vocali producta declinatur, ut *trudo, trusi, truseram*. Nonus qui per X pronunciatur, ut *expungo, expunxi, expunxerã, ungo unxi, unxeram*. Decimus qui per geminationem primæ syllabæ profertur, ut *pungo, pupugi, pupugerã: curro, cucurri, cucurreram*. Vndecimus qui verborum compositorum ultimam syllabam geminat, ut *trado, tradidi, tradideram: reddo, reddidi, reddideram*. Duodecimus, qui in formam passivorum resolvitur, ut *fido fisus sum, es, est: fisus eram, eras, erat*.

al. desinunt

Hæc omnia tertiæ coniugationis correptæ verba indicativo modo, tempore preterito, specie inchoativa, adiecta ad imperativum modum *bam* syllaba, præcedente consonante primæ positionis vocali E adiecta, productione terminantur, ut *lege, legebam: pete, petebam*: exceptis his, quæ I ante O habuerint in prima positione: ea enim adiecta I litera ad imperativum modum, & adiecta *bam* syllaba, producta E terminantur, ut *rapio, rape, rapiebam*.

Tertiæ coniugationis correptæ verba indicativo modo, tempore futuro sublata E litera, & adiecta *am* syllaba terminantur, ut *lege, legam: pete, petam: indue, induam*: exceptis his, quæ I ante O habuerint in prima positione: ea enim E in I convertunt, & assumpta *am* syllaba, faciunt futurum, ut *rapio, rape, rapiam: facio, face, faciam*.

De producta tertiæ.

TErtiæ coniugationis productæ verba indicativo modo, tempore præsenti, personæ primæ, aut *EO* literis terminantur, ut *adeo, adis: prodeo, prodis*. aut *IO*, *audio, audis: nutrio, nutris*.

Tertiæ coniugationis productæ verba imperativo modo, tempore præsenti, in secunda persona I producta terminantur, ut *adeo adi: prodeo prodi: audio audi: nutrio nutri*. Hæc infinitivo modo adiecta ad imperativum modum *Re* syllaba, manente productione terminantur, ut *adi, adire: prodi, prodire*.

Tertiæ coniugationis verba, quæ indicativo modo, tempore præsenti, persona prima, *EO* literis terminantur, ea modo indicativo tempore præterito specie absoluta, adiecta ad imperativum modum *vi* syllaba terminantur, ut *adeo, adivi*. Exacta autem verba, *veram*, ut *adiveram*: sed consuetudo sæpe brevitatem appetens, V literam subtrahit, & absoluta ingeminat I, ut, *adij, prodij, adieram, prodieram*. Inchoativa quoque specie adiecta ad imperativum modum, *bam* syllaba terminantur, ut *adibam, prodibam*.

Quæ verò indicativo modo, tempore præsenti, persona prima, *IO* literis terminantur, ea tempore præterito absoluta specie, & exacta forma, quinque modis enunciantur, & est primus modus similis superiori, ut *nutrio, nutrivi, nutriveram, nutrij, nutrieram*, & *audi, audiveram*, ut apud Virgilium: *Audieras & fama fuit* —. Specie tantùm inchoativa distant. Omnia enim tertiæ coniugationis producta verba, quæ indicativo modo, tempore præsenti, persona prima, *io* literis terminantur, ea eodem modo tempore præterito specie inchoativa E producta manente, novissimæ syllabæ adijciunt *Bam*, ut *audiebam, veniebam, operiebam*: quanquam hæc veteres sine E litera pronunciabant, ut Virgil.

*Nutriebat * Tyrusq; pater, cui regia parent* al. Tirrhusq;
Armenta —.

Secundus modus est, cùm O amissa præcedens syllaba producitur, ut *venio, veni, veneram*. Tertius, cùm I & O in V & I mittunt, ut *operio, operui, operueram*. Quartus qui depositis I & O præcedentem consonantem in S convertit, *sartio, sarsi, sarseram*. Quintus qui per X enunciatur, ut *vincio, vinxi, vinxeram*.

Tertiæ coniugationis productæ verba, quæ indicativo modo, tempore præsenti *eo* literis terminantur, ea tempore fututo eodem modo *Bo* syllaba adiecta ad imperativum modum terminantur, ut *adeo, adi, adibo: prodeo, prodi, prodibo*. Quæ verò *io* adiecta ad imperativum modum *Am* syllaba terminantur, ut *audio, audi, audiam: nutrio, nutri, nutriam*: quanvis Terentius protulerit per *Bo*, inde apparet geminam esse pronunciationem. Dixit enim: *Iam scibo ubi sset*.

Indicativo modo tempore præsenti eorũ quę *eo* literis terminantur, sunt verba quæ à diverso præsenti præteritum simile habẽt, ut *luceo* & *lugeo: luxi* enim facit. Item *cernit* & *crescit, crevi* facit. Sunt alia quæ una verbi positione duas coniugationes teneant, ut *pando, mando*: faciunt enim *pandas* & *pandis, mandas* & *mandis*.

Verba casibus iungũtur interdũ singulis ita: genitivo, ut *misereor tui*: dativo, ut *suadeo tibi*: accusa-

© Biblioteca Nacional de España

cusatiuo, vt *moneo te*: ablatiuo, vt *vtor illo*. Interdũ duobus, vt ablatiuo & accusatiuo, vt *fungor hanc rem*, & *illa re* Hæc satis ad exempla Analogiæ dixisse sufficiat. Quæ enim his formis conspecta fuerint non teneri, pro certo anomala iudicanda, quæ strictim † exigueque memorabo, vt contra rationẽ etiam vsum † quendam vsurpasse deregamus, aut etiam contra regulam defecisse.

† exiguaq; al. quædam.

De Anomalis.

CVm nominatiuo singulari, *reus* & *deus* similia sint: quare plurali *hi rei* dicuntur, & vsus dicit *hi dij* contra regulam, cum dici tãtum *dei* deberet, præsertim cum genitiuus nominatiuo suo duabus syllabis non debeat longior inueniri? quod hic eueniet: si dicamus deorum. Cur *Thoas* & *Aeas* cum similia sint, *Thoantis* & *Aeantis* faciant: Aeneas non faciat *Aeneantis*, sed *Aeneæ*? Cur cum hic *biceps* & *triceps* dicamus, genitiuus duabus contra regulam syllabis crescat, & *bicipitis* & *tricipitis* dicamus? non *bicipis* aut *tricipis*? Vnde venit, vt *aliger*, *frugifer*, *accipiter* habeant omnes casus, *Iupiter* duos habeat? Cum *sanctus*, *pius*, *bonus*, similia sunt, cur dicimus *sanctior*, & *pior* non dicimus? Deinde *sanctior*, *sanctissimus*: *bonior*, *bonissimus* non dicamus? Cum dicat *Virgilius*: *Fandi atque nefandi*. Cum à *nefando* dicatur *nefarius*, à *fando*, *farius* non dicitur? Quare *seiunctus* amissa præpositione dicitur *iunctus*: *securus* & *sedulus* eadem perdita nõ valeãt memorari? Cum dicamus, *singuli viri*, *singulæ mulieres*, *singula scrinia*? quare non dicimus, *singulus vir*, *singula mulier*, *singulum scrinium*? Cum *venor*, *piscor*, *aucupor*, similia sint: cur *venator*, & *piscator* dicitur, & *aucupator* non dicitur, sed *auceps*? Cur *Volo* non habet imperatiuum? Cur *fare* primam verbi personã non habet? Quare *soleo* præteritum perfectum non habet? Cum *canta* & *laua* similia sint, cur *cantaui* faciat, & *lauaui* non faciat? Item *coruſco* & *tono*, *coruſcaui* facit, *tonaui* non facit? Quid quod *ego* vnum casum recipit? Cum *calciatus*, *armatus*, *togatus*, *penulatus* paria videantur, quare *calceo* & *armo* dicimus: *togo* & *penulo* non admittitur? Nominatiuus singularis in Vs exiens in omnibus positiuis, E productam habet in aduerbijs, vt *doctus*, *doctè*, *auarus*, *auarè*, *parcus*, *parcè*. *Bonus* & *malus* cur corripit in aduerbio E, *benè* & *malè*? Cum *habilis habiliter* dicamus: cur *facilis faciliter* nõ dicimus? Item cum *difficulter* dicamus, cur *faculter* dici non poterit? Cum *audax audacter* dicatur: cur *verax veracter* non dicimus, sed *veraciter*? Cur *singulatim* dicimus: *binatim*, *ternatimque* non dicimus? & alia huiusmodi quæ possem in numera memorare ni ad cætera properarem.

Hæc cum Grammatice velut rerum exordium instauratura dixisset, propter superi senatus Iouisque fastidium, Minerua talibus interuenit. Ni fallor octo partes orationis velut incunabula repetitura intimare disponis. Adijciens solœcismorum causas, barbarasque formas, tum alia loquendi vitia, quæ apud vates inclytos plurimum celebrata, quæ nunc Tropos, nunc Metaplasmos, nunc Schemata, figuras, ex eodemque cuncta vitia velut decoris fonte manantia, quæ attestantur aut nescientis errorem, aut affectatam † doctoribus venustatem. Quæ si ab scholaribus inchoamentis in senatum † cælitum ducis, decursæ peritiæ gratiam † deformabis. Nam si rhythmicum quid metricumque, sicut inter Cirrhatos audes, assumpseris, profecto Musices impetu, cuius præuertis officium, discerpseris. Formam igitur prædictæ præceptionis absolueris: si præcipuis memoratis iam te ab inchoamentorum vulgarium vilitatibus vindicaris. His germanæ verbis cum sponso Delius annuebant, & Grammaticen ad Virginis transire obsequia compulerunt. At tunc aliam fœminarum pari sponsalium munere conferendam Clarius intromisit.

† al. doctioribus. † al. cælitem. † al. deflorabis.

Finis Tertij Libri.

MARTIANI CAPELLAE DE DIALECTICA, LIBER IIII.

HAEC quoq; contortis stringens effamina nodis.
Quasi sine nil sequitur, nilq; repugnat item.
In cœtum superum veniens primordia fandi
Aduenit, & * scolicum præstruit Axioma.
Ambiguis memoraps vocem consistere * versus
Nil normale putans, ni fuat associum.
Sed licet ipse modos demum bis quinq; profatus.
Pallens afflictim verset Aristoteles.
Stoica † circuerant ludantq; Sophismata sensus.
Perdita † nec vnquam cornua fronte ferant.
Chrysippus cumulet proprium consumat aceruum
Carneadesq; parem vim gerat helleboro.
Nullus apex tot prole virum par accidit vnquam.
Nec tibi tam felix † fortis honos cecidit,
Inter templa deum fas est Dialectica fari:
Et Ioue conspecto iure docentis agis.

al. excolicum
al. verbis.
† al. circũeant
al. ne qui.
† al. sortis.

© Biblioteca Nacional de España

QVÆ igitur introgressa est Delio conuocante pallidior paululum fœmina, sed acri admodum visu, & vibrantibus continua mobilitate luminibus, cui crines tortuosi decentique inflexione crispati, & nexiles videbantur. Qui tamen deducti per quosdã consequentes gradus, ita formã totius capitis circulabant, vt nihil deesse cerneres, nihil superfluum detineres. Cui quidem pallium, Athenarumque vestitus, sed gestamen in manibus fuerat inopinum, ac prorsus gymnasijs omnibus inexpertum. In leua quippe serpens gyris immanibus inuolutus. In dextera formulæ quædam florentibus discolorã venustate ceris sollerter effigiatæ latentis hami nexu interitus tenebantur. Sed quoniam eius leua sub pallio occulebat insidias viperinas, cunctis dextera præbebatur. Deniq; ex illis formulis siquis aliquã percepisset, mox apprehensus hamo ad latentis anguis virosos circulos trahebatur. Qui tamen mox emergẽs, primo spinosorum dentium acumine venenato, assiduis hominem morsibus affligebat. Dehinc ambitu multiplici circumactum, ad conditiones propositas coartabat. Si autem quamlibet formulam nullus vellet assumere, quibusdã obuijs interrogatiunculis occupabat, aut latenter in eos anguem serpere stimulabat, donec nexilis complexio circumuentos ad interrogãtis arbitrium strangularet. Ipsa autem fœmina contractioris videbatur corporis, habitusque furui. Verùm dumalibus hirta setis nescio quid vulgo inexplanabile loquebatur. Nam vniuersalem dedicatiuam particulari abdicatiuæ obliquam, † licet ambas posse vertier asserebat, vniuocis equiuoca connectendo, ac solam se discernere verùm quid falsumue sit, velut quadam diuinãtis fiducia loquebatur. Hæc se educatam dicebat Aegyptiorũ rupe atq; Parmenidis, exinde Gymnasium atque Atticam demeasse: illicque versipellis studij calumniante proposito, etiam Socretis sibi Platonisque amplitudinem mancipasse. Hanc igitur fraudulenta semper argumentatione versutam, ac de circumuentis pluribus gloriantẽ, cum Cyllenius Ciryceo geminus anguis assurgens allambere fœminam crebris linguarum micatibus attentaret, tuncque etiã Tritonida Gorgo cognoscentis, quoniam gaudio sibilaret: Nimirum inquit Bromius, qui facetior est deorum, eamque penitus nesciebat. Hæc autem ex harenis Libiæ anhelantis adducitur, quòd & capillicium implexum docet, & amicitia venenorum, aut fidendum forma copulam esse Marsicæ nationis. Ita nanque agnitione viperea, & blanda anguium adulatione diligitur. Quod ni est, ex illius hami fraude colligitur, quòd circulatrix bellacissima & metarum Marsicarum incola comprobat. Quo dicto, cum cõplures deorum, quantum decuerat, arriderent: Pallas aliquanto concussior, Iocum emergentis inhibuit, memorãs hanc admodum sobriam (quod quibusdã diuis penitus denegatum est) etiam in ter germanas quæ probãdæ sunt acriores à nullo posse cum asserta protulerit deridẽri. Illa autem quæ in argumentum verosæ assertionis acrimoniæque detulerat, tradere eam iubet, ac se ad insinuandæ sollertiæ habitum comparare. Tunc lubrici anguis circulatos orbes & hiatus, cum Grammatice, quę insinuatione per acta † prope astabat accipere formidaret, ipsi diuæ, quæ etiam Medusæos crines edomuit, cum figuris illicibus & hamatis illis formulis cõmittuntur. Ita crinali decore mera Cecropis, atque Attica comprobatur. Maximeque quòd eam Palliatorum populus & Graiæ iuuentutis electio sequebatur: prudentiã fœminæ ingeniumque mirata. Iupiter autem iudicandis implendisque virtutibus posteram Romuleis virtutibus Graiam æstimans leuitatem, quicquid nosset illa latiali promere cepit facultate. Ac mox Dialectica, quanquam parum digne Latinè loqui posse crederetur, tamẽ promptiore fiducia, † restrictisque quadam obtutus vibratione luminib. etiã ante verba formidabilis, sic exorsa.

NI Varronis mei inter † Latiales glorias celebrati mihi eruditio industriaque suppeteret, possem fœmina Doricæ nationis apud Romuleę vocis examina, aut admodum rudis, aut satis barbara reperiri. Quippe post Platonis aureum flumen, atq; Aristotelicam facultatem, M. Terentij prima me in Latinam vocem pellexit industria, ac fandi posibilitatem per scholas Ausonias comparauit. † His igitur præceptis parere colluctans nec Graios deseram ordine differendi, nec Laurentis assertionis effamina remorabor. Ac prius illud compertum volo, mihi Romanos Togatamque gẽtem vocabulum nondum nouare potuisse, ac Dialecticen, sicut Athenis sum solita nuncupari, meique prorsus iuris esse quicquid artes cæteræ proloquuntur. Nam neque ipsam, quam aures vestræ probauere Grammaticam, neque alteram opimioris ire cluen facultate, vel illam formarum diuersa radio ac puluere liniantem sine meis posse rationibus explicari quis dubitet? Quippe in ditione mea iureque consistunt sex normæ quîs constant cæteræ disciplinæ. Nam prima est de loquendo: Secunda de eloquendo. Tertia de proloquẽdo. Quarta de proloquiorum summa. Quinta de iudicando, quę pertinet ad iudicationem poetarum & carminum. Sexta quæ dicenda Rhetoribus commodata est.

In prima autem parte quæritur, quid sit genus, quid forma, quid differentia, quid accidẽs, quid verò proprium, quid definitio, quid totũ, quid pars, qui in diuidendo modus, qui in partiendo, quid sit æquiuocum, quid vniuocum, quid, vt ita dicam, pluriuocum. Debetis quippe insolentiam perferre sermonis, qui Graiam dissertare Latialiter compulistis. Quæ ergo rebus verba sua sint, quæ aliena, & quot modis aliena sint, qui sit substantia, quid qualitas, quid quantitas, quid relatiuum, quid loci, quid temporis, quid

al. sed

al. propter.

al. restinctiu que.

al. Latiares.

al. Hinc.

© Biblioteca Nacional de España

quid ſitus, quid habitus, quid facere, quid pati, proloquia: & quot modis ſibi opponantur, hæc in prima noſtri parte cenſentur.

In ſecunda verò, quam de eloquendo diximus, quæritur quid ſit nomen, quid verbum, quid ex his iunctum, quæ ex his ſubiectiua pars ſententiæ ſit, quæ declaratiua, qui ſubiectiuæ modus ſit, qui declaratiuæ, quatenus nomen accipiatur, quatenus verbum, quatenus ſit perfecta ſententia, vt poſsit eſſe proloquium.

Excipit hanc pars tertia de proloquendo. In eâ quæritur quantum ad propoſitum hodiernę ſufficiat breuitatis, quæ ſint differentiæ proloquiorum in quantitate, quæ in qualitate, quid vniuerſale ſit, quid particulare, quid indefinitũ, quæ ſint aientia, quæ negantia, quam vim habeant ſingula, quemadmodum inter ſe affecta ſint. Hinc progreditur ad quartam partem, quam eſſe diximus proloquiorum ſummam. In ea quæritur quid ſit ſumptum, quid illatio, quid ſyllogiſmus, quid ſymperaſma, quid prædicatiuus ſyllogiſmus, quid conditionalis, & quid interſit, quot formæ ſint prædicatiui generis, & quæ ſint, vtrum huiuſmodi certum ordinem teneant, & ſi tenent quid ſit eiuſdem ordinis ratio, quot modis habeant ſingulæ: & vtrum hi modi certum ordinem teneant. & ſi ita eſt, quæ ſit eiuſdem ordinis ratio.

Deinde conditionalis ſyllogiſmi quot primi modi ac neceſſarij ſint, qui etiam iſtorum ordo ſit, quid inter ſe differant. Hæc ſunt quæ præſenti arbitror cognitioni, aſſerendisque ſufficere. Quid ergo genus ſit, exordia repetens, quo vniuerſa diſcurram, ptimitus intimabo.

De Genere.

GEnus eſt multarum formarum per vnũm nomen complexio, vt *animal*: forma eius, vt *homo*, ſeu *equus*, & cætera. Sed nonnunquam aliquæ formæ ita generi ſubijciuntur, vt etiam ipſæ alijs ſub ſe poſitis genus eſſe poſsint, vt *hominum genus*, quod animali forma eſt, Barbaris & Romanis genus, & vſque eo genus eſſe poteſt: donec eius formulas diuidens ad indiuiduum aliquod venias, Vt ſi *homines* diuidas in maſculos & fœminas. Item *maſculos* in pueros adoleſcentes, & ſenes. Item *pueros* in infantes & loquentes. Item *puerum* ſi velis diuidere, in catamitum, aut alium quempiã certæ perſonę puerum, non eſt genus, quod iam ad indiuiduum peruenit. Vti autem eo genere debemus quod eſt præſenti negocio proximum, vt ſi de homine quæratur, eius genus animal debemus aſſumere, quod ei proximum eſt. Nam ſi ſubſtantiam dixerimus, quantum ad rationem pertinet verum eſt: quantum ad neceſsitatem ſuperfluum.

De Formis.

FOrmas eaſdem dicimus, quas & ſpecies. Formæ ergo ſunt, quæ ſubditæ generi tenent definitionem eius & nomen, vt *homo*, *equus*, *leo*, quoniam formæ ſunt *animalis*, poteſt & *homo* & *equus* & *leo animal* dici. Et corpus anima participans nomen, quæ definitio generis eſſe cognoſcitur.

De Differentia.

DIfferentia eſt ſufficiens ad id quod ſuſceperis diſcretio, vt ſi quæratur, quid inter hominem interſit & equum, ſufficit vt dicamus, quòd homo bipes eſt, equus quadrupes. Animaduertere autem debemus, quod quia multæ ſunt in rebus ſingulis differentiæ, vnamquamque rem diſsimiliter nos poſſe diuidere, quotiens in ea poterimus alias atque alias differentias inuenire. Nam ſi *animal* voluerimus diuidere, poſſumus in ſexus, quòd alia ſunt *maſculina*, & alia *fœminina*. Poſſumus in ætates quòd alia ſunt *ortiua*, alia *iuuentutis*, alia *ſenilia*. Poſſumus in quantitates, quòd alia ſunt *parua*, alia *magna*, alia *media*. Poſſumus in varietatem motus, quòd alia ſunt *gradientia*, alia *ſerpentia*, alia *natantia*, alia *volantia*. Poſſumus in habitaculorum diuerſitates, quòd alia ſunt *aquatilia*, alia *terrena*, alia *aeria*, alia, vt nonnulli dicunt, *ignea*. Poſſumus in linguæ ſonum, quod alia ſunt *loquentia*, alia *gementia*, alia *latrantia*, alia *vlulantia*. Sciamus tamẽ & ſingulas perfectas eſſe diuiſiones, & omnes in ſingulis inueniri. Nam maſculina animalia poſſunt & ab ortu recentia, & parua, & gradientia, & terreſtria, & bipedalia, & loquentia eſſe. Ergo quãuis vti licet omnibus, ea tamen debes, quæ eſt apta ſuſcepto negocio. Nam ſi tibi ſit de *hominum* laude dicendum, in *rationabilia* & *ſtolida* diuidere oportebit, vt eò facile poſsit intelligi, inter omnia animalia rerum natura, quanti homines habuerit, quibus ſolis ad ſe cognoſcendum ratiocinari permiſit.

De Accidente.

ACcidens eſt, quod non niſi eidem formæ, ſed non ſemper euenit, vt Rhetorica non niſi homini accidit, ſed ei poteſt non accidere, vt quamuis ſit aliquis homo, non ſit tamẽ orator.

De Proprio.

PRoprium eſt, quod & eidem formæ, & ita ſemper accidit, vt vnamquamque rem ab omnium communione diſcriminet, vt *in homine riſus*. Nam nec ridere quiſquam niſi homo poteſt, nec homo, cum voluerit, quantum in eius natura eſt ridere non poteſt. Et differentia proprio eò diſtat, quòd differentia vnãquamque rem ab eo tantum diſtinguit vnde quæſtio eſt: proprium verò ab omnibus. Nam cum *hominem à leone* per † violentiam volentes diſcernere dixerimus, quòd *leo ferus* eſt, *homo* autem *mitis*, id ſolum videmur diſcernere, quòd ad ſuſceptum negocium pertinet. Dicendo enim leo ferus eſt, homo mitis, nec hominem ab alijs mitibus animalibus, nec leonem à cæteris beſtijs ſeiunximus. Dum verò hominem riſibile animal dixerimus, eò à cæterorum animantium generalitate diſcreuimus.

al. differentiam.

© Biblioteca Nacional de España

De diffinitione.

DIffinitio est, cum inuoluta vniuscuiusque rei notitia apertè ac breuiter explicatur. In hac tria vitanda sunt: ne quid falsum, ne quid plus, ne quid minus significetur. Falsum est hoc modo, *homo est animal immortale aut irrationale.* Quamuis enim homo esse animal verum sit: falsum tamen est, immortalem, aut irrationalem esse. Plus est hoc modo, *Homo est animal mortale.* Ex hoc enim quamuis breuiter dictum sit, plus tamen est quòd ad omnia animalia pertinet. Minus significatur hoc modo: *homo est animal grammaticum.* Quamuis enim non sit nisi homo animal grammaticum, non tamen omnis homo grammaticus. Diffinitio plena est hoc modo, *homo est animal rationale, mortale.* Addendo enim *mortale*, separauimus à dijs: addendo *rationale*, separauimus à feris.

De Toto.

TOtum est, quod duabus pluribusúe in se partibus positis non semper nomen, diffinitionem tamen nunquam accommodat. Et hoc non nisi in diuiduis inuenitur, vt si hominem designemus & eius partes singula membra faciamus. Intelligimus id ipsum *totum* esse, quia certum hominem constituimus, & diffinitionem & nomen ipsius totius non posse in partes cadere. Non enim aut brachium solum, aut caput, hominem dicere poterimus, aut ipsius diffinitionem singula membra recipiunt. Sed animaduertendum est, quòd aliquãdo *omne* pro *toto* dicere possumus, sed alio quodam intellectu. Nam *totum* etiam in singulis, & *omne* in multis agnoscitur. Nam cum dicimus *homo Cicero*, quia vnus est in eo, *totus* intelligitur. Homo autem, quia imperitus & artifex, & vir & mulier esse potest, *omne* melius accipimus.

omne & totum quo differant.

De Parte.

PArtes sunt, quæ in *toto* esse intelliguntur, & ex quibus *totum* constat.

Qui in diuidendo modus:

DIuidere vsque eo debemus, donec ad indiuiduum veniatur: & hoc fit, cum per differentias ad paucitatem genera redigimus, & eis ita formas subijcimus, vt & ipsæ singulæ alijs sub se positis etiam genera esse possint: vt *animal* si breuiter primo diuidere voluerimus, per differentias possumus: quòd alia sunt *gradientia*, alia *serpentia*, alia *natantia*, alia *volantia*. Hinc item, id est, de singulis formis possumus genera facere, vt si dicamus, *animalia gradientia* genus esse, & ei formas subijcimus, quòd alia sunt *humana*, alia *ferina*. Et ex his possunt esse aliæ formæ, per quas, si necesse fuerit, ad indiuiduum poterit perueniri. Sed hoc non in omni assertione facere oportet, sed in subtili quadam disputatione. Tunc autem in oratione hoc modo possumus diuidere cum id exigit obscuritas causæ: quòd si causa non sit obscura, diuisionis quidem ratio inesse & tractari debet, sed multum apparere non debet.

Qui in partiendo modus.

PArtiendi differentiæ non frequenter occurrunt, atque ita sine his infinita potest esse partitio, si vsq; ad indiuiduum voluerimus peruenire. Nam si *certum hominem pro toto* dicamus, & eius partes breuiter colligere voluerimus, differentiæ non suppetunt partium, & certarum partium nominibus vti cogemur, vt dicamus *caput & pedes*, & reliqua, quæ sic complecti breuiter voluerimus, quoniam differentiæ desunt, non possumus singula colligere, quia multa sunt, & aut impossibile erit, aut longum.

Quid intersit inter diuisionem & partitionem.

INterest autem inter diuisionem & partitionem, quòd in *diuisione* per formas currimus, in *partitione* per partes. Formæ autem sunt quæ generi subijciuntur, & eius diffinitionem tenere possunt & nomen. Partes sunt quæ in toto sunt, & diffinitionem nunquam, nomen interdum totius recipere possunt. Possumus tamẽ vnam eandemque rem & pro toto & pro genere accipere, sed alia quadam vi, vt est homo: quẽ si in adolescentem, senem & puerum diuidere voluerimus, genus est & formæ eius. Quem si in caput & pedes & manus partiri voluerimus, totum est & partes eius: quia adolescens, senex & puer, quas formas esse diximus, & nomen hominis recipiunt & diffinitionem, vt & *senex* dicatur homo animal rationale, mortale: & puer, & adolescens. Caput verò & pedes quas partes dicimus, neque diffinitionem hominis, neque nomen accipere possunt, quia nec caput potest dici homo animal risibile, nec pedes, nec manus.

Quid sit Æquiuocum.

AEquiuocum est quando multarum rerum vnum est nomen, sed non eadem diffinitio, vt *leo*. Nam quantum ad nomen pertinet, verus, & pictus, & cælestis leo dicitur. Quãtum ad diffinitionem, aliter verus diffinitur, aliter pictus, & aliter cælestis.

Quid sit Vniuocum.

VNniuocum est quando duarum aut pluriũ rerum vnum nomen est & diffinitio, vt *vestis*. Nam & birrus & tunica nomen vestis habent, & diffinitionem possunt accipere. Ergo hoc vniuocũ in generis serie intelligitur, quòd & nomen & diffinitionem dat formis suis.

Quid Pluriuocum.

PLuriuocum est, quãdo multis nominibus vna res dicitur, vt *gladius*: nam & ensis & mucro idem significant.

Quæ rebus verba sua sint.

REbus verba sua sunt, quæ naturalia atque etiam propria dicimus, vt *lapis lignum*, & cætera.

Quæ

© Biblioteca Nacional de España

Quæ Aliena.

ALiena sunt quæ ratione aliqua mutantur, vel propter necessitatem, vel propter decorem, vt dicimus *vites gemmare*, & *lætas segetes*. Hic enim quoniam proprium deficit, alieno vsi sumus. Neque enim aut vites aliud quàm gemmare, aut segetes aliud quàm lætas possumus dicere.

Propter decorem autem dicimus *fluctuare segetes*. Possumus enim aliud *moueri* dicere, sed quoniam ornatum non est, alieno vtimur.

Quot modis sunt aliena.

ALiena verba tribus modis fiunt: aut per similitudinem, aut per contrarium, aut per differentiam. Per similitudinem, vt sunt, quæ in Grammaticę tropis numerantur, vt hoc ipsum quod dixi *fluctuare segetes*.

Ex hoc genere sunt etiam illa, quę ex toto partem, aut ex parte totum significant: in hunc modum, vt decenter verborum habeant propinquitatem. Hæc enim similitudinis genere placuit includi.

Per contrarium verba dicuntur, quando contra quod dicimus, accipiuntur, vt *Parcas* dicimus Fata, cum non parcant: & *lucum*, cum nõ luceat. Hoc Grammatici κατ' ἀντίφρασιν vocant.

Per differentiam aliena verba sunt, cum sine vlla ratione ex alijs assumuntur, vt sibi hominem neque corpore durum, neque ingenio stolidum *lapidem* dicamus: sed his vti non conuenit. Stultum est enim aut nihil significantia verba, aut nimis aliena proferre. Proprijs autem & similibus & contrarijs vti fas est.

Quid sit substantia.

ANtequam de hac dicam, quædam docenda sunt. Omne quicquid dicimus aut subiectum est, aut de subiecto, aut in subiecto est. Subiectum est prima substantia, quod ipsum nulli accidit alij inseparabiliter: ei tamen alia accidunt, vt Cicero est non nomẽ, sed quod eo nomine significatur.

De subiecto est, quod de ipso subiecto dicitur, & dat ei & diffinitionem suam, & nomen, vt *homo*. Nam & homo Cicero est, & animal rationale mortale. Ita & nomen & diffinitio quæ est de subiecto, eidem subiecto accessit: ideoq; hoc, quod de subiecto dicitur, in generibus vel in formis inuenitur.

In subiecto est, quod neque nomen neq; diffinitionem dat subiecto, sed in ipso subiecto ita esse intelligitur, vt sine eo esse non possit, vt *Rhetorica*. Nam nec nomen eius potest subiectum recipere, nec diffinitionem. Neque enim aut Rhetorica Cicero, aut benedicendi scientia Cicero, sed in eo esse intelligitur, cum id ipse vocari non possit.

Aliud est de subiecto, aliud in subiecto. Et in subiecto est, vt *disciplina*. Nam eadem Rhetorica de subiecto est, Ciceroni in subiecto. Prima ergo substantia subiectum est. Secunda, quæ de ipsa prima dicitur, vt si Cicero prima substantia: homo & animal secũda: Iam in subiecto omnes consequentes prædicationes esse intelliguntur: itaque de singulis videamus.

Quid Qualitas.

QValitas est secũdum quam dicimus quale est, vt *candor*. Et ex hoc intelligi licet, & qualitatem in subiecto esse, cum candor necessario in aliquo sit, sine quo esse non possit: vtique ipsum aliquid in quo est, subiectum est.

Quid Quantitas.

QVantitas est secundum quam dicimus quantum est, vt *bipedale*. Etiam ista in subiecto intelligi necesse est.

Quid Relatiuum.

RElatiuum est, quod ad aliquid vocant, vt *pater, frater*. Et hæc vtique ita in subiecto sunt: nam necesse est, vt hæc omnia ad aliquid sint: & nonnulla sunt, de quibus dicantur. Illa quæ dicuntur, inanima videbuntur.

Quid loci? id est, quod dicimus Romę, Romã substantia est, ipsi Romæ hoc accidit.

Quid temporis? vt *heri, nuper, vesperi*. Quorum motu tempus intelligitur; substantiæ sunt, vt *sol*, cuius cursu tempus intelligimus: & quæ aliquam intelligentiam morulæ in nobis faciunt.

Quid situs? vt puta *iacet, sedet*.

Quid habitus? vt *calciatus, armatus*. Substantia est homo: & hæc illi accidunt.

Quid facere? vt *secare, vrere*.

Quid pati? vt *secari, vri*.

Quid substantia prima.

SVbstantia est, quę nec in subiecto est inseparabiliter, neq; de vllo subiecto p̃dicatur. Inseparabiliter autẽ ad hoc diffinitioni adiectũ est, quòd omnis prima substãtia q̃uis in loco aliquo sit, tamẽ ab eo separari & migrare potest, vt Cicero ita in curia esse intelligitur, vt inde possit aliquò discedere. Et pars primæ substãtiæ, q̃uis in toto sit, nõ tamen inseparabiliter. Nã siue reipsa, siue cogitatione separari à corpe nostro brachiũ põt. At verò Rhetorica ita est in animo Ciceronis, vt etiam si aliquo casu esse destiterit, non tamen intelligatur migrare: quoniam nec cum esse cœperit, intelligitur aduenisse.

Quid secunda substantia.

SEcũda substãtia est q̃ de prima, vt dictũ est, p̃dicatur, vt *homo de Cicerone, & animal de homine & Cicerone*. Et quicquid genus est primæ substãtię, secũda substãtia esse intelligitur. Ita ergo substãtijs omnib. cõmune est nõ esse in subiecto. Primo verò, nec de subiecto est substantia, nec intẽdi nec remitti potest, id est, recipe magis & minus. Siquidẽ nemo homine alio magis homo est, & nec ipse vnus homo magis cras erit homo q̃ hodie fuit, & in diuersis, non magis equus equus est, q̃ homo, homo. Hoc autẽ obseruandũ est in substãtijs inter cõsortes suas, id est, vt primã primę cõpares, secũdã secũdę. Nã si secũdã primę cõpares, magis substãtia est prima q̃ secũda. Prima enim rem magis declarat: Secunda verò habet quandã communionũ ambiguitatem. Nã cũ dico Cicero, iam quiddam indiuiduũ certũq; significo. Cũ dico homo, quoniã cuncti sumus huic appellationi subditi, incertũ est quẽ significẽ. Ita ergo fit, vt magis sit substantia prima

© Biblioteca Nacional de España

quàm secunda; quia rem certius ostendit. Magis ergo & minus substantia non recipit inter consortes suas.

Item substantia contrarium nihil habet. Nam nihil homini aut equo contrarium. Sed siquis dixerit, Clodium Ciceroni fuisse contrarium, intelligit non ipsas substantias fuisse contrarias, sed qualitates, quæ in ipsis erant, vt malitiam bonitati, aut vitium virtuti, aut iniustitiam iustitiæ.

Videtur autem substantiæ proprium, quòd vna eademque capax est contrariorum quadam sui permutatione, vt lapis, cum idem sit, potest nunc albus esse, nunc niger: idem tamen lapis esse non desinit. Et Cicero primo stultus, postea sapiens, idem tamen Cicero esse nõ desinit.

De Qualitate.

QValitatem esse diximus, secũdum quam dicimus *quale est*. Qualitatum forma vna est, in qua dispositio quædam & habitus mentis esse intelligitur, vt in omnibus perceptis artibus, *Sapientia, Grammatica, Rhetorica*, cæterisque, quæ ita hærent animo vt difficile amitti possint.

Sed in his aliqua perfecta sunt, aliqua imperfecta: vt si quis Grammaticæ arti operam dederit, in plerisque tamen fallatur. nondum potest dici habitus, sed tamen dicitur dispositio. Ita nõ omnis dispositio habitus, omnis autem habitus dispositio esse intelligitur.

Secunda species est earum qualitatum, quas rectè passibiles dixerimus, vt *dulce* atque *amarum, calidum* vel *frigidum*. Non quòd ex his eædem substantiæ aliquid patiantur, sed quòd sensus nostros aliquid pati cogant. Cogit enim aliquid pati, vt tangentem calor, & dulcedo gustantem. Item quæ nobis ex aliqua passione naturæ inoleuerint, secundum quas *pallidus* quisque, vel *ruber* dicitur, non tamen ita, vt quis aliqua repentina causa vel paller vel rubet. Nam ipsæ *passiones* rectius non *qualitates* appellantur. Siquidem secundum has non dicimur quales. Non enim sequitur, vt qui pallet, sit pallidus, aut qui amat sit amator: aut qui est ebrius ebrio sus. Illæ igitur passiones sunt, & non qualitates.

Tertia species est earum qualitatum quę non ex eo quod iam quisque est, sed ex eo quod esse potest, intelliguntur, vt dicimus *fragile lignum*, non quòd iam fractum sit, sed quòd frangi possit. Nam & *palæstricum corpus*, duobus modis dicimus, & id quod palæstra compositum est, & id quod natura ita formatum vt huic arti accommodatum sit, quamuis ea non sit imbutum: illud tamen à palæstra rectè dicitur palæstricum, quod ipsius artis habet effectum. Non autem inuenitur ipsius qualitatis nomen vnde sit denominatum & deriuatum palæstricum illud, quod nondum est, sed esse potest. Quare cognoscendum est, dici quasdam substantias ex qualitatibus, quarum nomina non inueniuntur. Nam vt bonum dicimus à bonitate, non ita optimum ab optimitate. Ita ergo palæstricum, quod intelligimus ex eo quod percipere possit palæstram, non habet certum qualitatis nomẽ, ex quo dictum videtur, constat tamen à qualitate esse dictum.

Quarta species earum qualitatum, secundum quas formas figurasque intelligimus, vt *quadrũ, rotundum, pulchrum, deforme* & similia.

Recipit qualitas magis & minus: nec tamen omnis. Nihil enim quadrum magis altero quadro quadrum est. Magis autem aliquid candido candidum dici potest. Et quæstio est in plerisque, vtrũ ne magis iustus altero dici possit. Plerique autem subtiliter videntur attendisse, qui qualitates ipsas non dicunt recipere magis & minus, sed ea quæ ab his denominantur: vt iusticia sit ipsa vna quędam perfecta notio, vt non dici possit magis hæc iusticia, quàm illa est. Dici tamen potest magis hic iustus quàm ille est. Item dici non potest magis hæc sanitas quàm illa est: dici tamen potest magis sanus hic quàm ille est. Ex quo fit, vt substantia non recipiat magis & minus: qualitates quidem per ipsas substãtias possint recipere.

Item contrarium qualitas habet, nec tamen omnis. Nam sanitati cum sit imbecillitas contraria, nihil est quadro rotundóue contrarium.

Videndum est autem, quoniam quicquid contrarium qualitati est, qualitas sit necesse est. Dulcedo autem qualitas, qualitas igitur amaritudo, & similia.

De Quantitate.

QVantitas bipartita est, quòd alia discreta est, alia continua. Discreta, vt *numeri & orationes*. Continua, vt *lineæ, ac tempus*.

Item alia quantitatis diuisio est, quòd alia situm quendam partium habet, alia non habet. Nam linea situ quodam partium intelligitur. Siquidem dici potest quæ pars eius quo loco sit, dextramque ac sinistram videtur habere. At verò numerus aut oratio aut tempus nihil horum habent, quamuis ordinem habere possint, vt sit in his aliquid primum & secundũ & vltimum & medium, nihil tamen quod in loco intelligatur habent.

Quantitas omnis caret cõtrario. Quid enim bipedali tripedaliúe contrarium? Et si quis dixerit contraria esse magis & minus, quæ videntur esse verba quantitatis, sciat non esse diffinitam quantitatem. Itaque si dicat aliquid maius esse, videtur esse ei contrarium quod minus est. Si certum quæsiuero, quo maius est? & responderit quod tripedali: apparet nihil esse cõtrarium. Ipsa autem quæ sibi dicuntur maiora & minora, relatiuè dici manifestum est. Quodlibet enim minori comparatum maius est, idemque maiori comparatum minus est. Si igitur maius & minus cõtraria sunt, cogimur confiteri quod valde absurdum est, posse alicui rei vno tempore simul euenire contraria. Rursus aliud absurdum cogimur intelligere, vnam eandemq; rem

sibimet

© Biblioteca Nacional de España

ſibimet eſſe cõtrariam. Siquidem res vna diuerſis quantitatibus comparata, poteſt eodem tempore maior & minor eſſe.

Quantitas non recipit maius & minus. Non enim quinque magis quinque ſunt, quàm duo duo: aut item duo magis alijs duobus duo ſunt, aut magis cras duo erunt, quàm hodie ſunt.

Eſt autem proprium quantitatis, quod ſecundum hanc dicimus par & impar: vt qualitatis proprium eſt, quod ſecundum hanc dicimus ſimile atque diſsimile, quamuis diuerſis rebus vtrumque liceat abuſiuè vſurpari.

Quid Relatiuum.

RElatiuum eſt quod hoc ipſum quod dicitur alicuius eſt, vel ad aliquid quolibet modo referri poteſt, vt filius non ſine patre vel matre, & ſeruus non ſine domino poteſt intelligi, neque ſine his illi viciſsim.

Dicuntur autem relatiua tribus modis: aut alicuius, vt *filius*: aut alicui, vt *vicinus*: aut ad aliquid, vt *duplum*, quoniam duplum ad aliquid ſimplum eſt. Omnia relatiua his ad quę referuntur vice mutua reſpondent. Nam quemadmodum filius patris filius eſt: ſic pater, filij alicuius pater eſt. Et reſpondent ita, vt aliqua ijſdem caſibus reſpondeant, aliqua caſus mutent. Nam quod de filio dixi, idem de ſeruo dicere poſſumus. Quoniam ſeruus domini ſeruus eſt, & dominus ſerui dominus. Hæc ita ſibi reſpondent vt eoſdem caſus in conuerſione cuſtodiant. Ita quoque duplum ad ſimplum eſt, ita maior minore aliquo maior eſt, & minor maiore aliquo minor eſt. Manifeſtum eſt ergo ita caſus in conuerſione ſeruare. At verò ſcientia cum ſit relatiua (alicuius enim rei ſcibilis ſcientia eſt) in conuerſione ad id quod refertur caſum mutat. Nam quod dicimus ſcientia ſcibilis rei eſt, non poſſumus dicere ſcibilis res ſcientiæ eſt, ſed ſcibilis res ſcientia ſcibilis eſt. Item ſenſus alicuius rei ſenſibilis ſenſus eſt: Contrà ſenſibilis res, ſenſu ſenſibilis eſt. Hæc ergo nõ vt q̃ ſupradicta ſunt, ſeruatis hiſdem caſib. ſed mutatis cõuertũtur.

Quædam relatiua his ad quæ referuntur & in tempore concordant, eaq̃ue ſimul eſſe incipiunt ſimul deſinunt, vt ſeruus eſſe non poteſt, niſi cum eſſe cœperit dominus. Et cum dominus cum ſeruum nõ habuerit, dominus dici nõ poteſt. At verò noſcibilis res prior eſt natura quàm notio. Nam ſi noſcibilia tollas, notio non erit. At verò ſi notionem tollas, poteſt aliquid eſſe noſcibile, quamuis deſit ille qui nouit.

Relatiua poſſunt habere contraria, ſed non omnia. Namque inſcientiæ ſcientia contraria, inimicitiæ amicitia. At verò duplo nihil contrarium, neq; maiori vel minori: quia quiſquis iſta contraria putauerit, cogitur confiteri vnam eãdemq̃ue rem vno atque eodem tempore poſſe ſibi eſſe contrariam: ſiquidem maior minori comparatus maior eſt. Item q̃ue maiori comparatus minor eſt vno atque eodem tempore, quod contrarijs euenire nullo modo poteſt. Nam quo tempore homo ſtultus non eodẽ tempore ſapiens eſſe poteſt. Neque quo tempore albus eſt, eodem tempore niger eſſe poteſt. Quod quia euenire non poſſe in maiore & minore oſtendimus, fateamur neceſſe eſt maius & minus non eſſe contrarium. Ita duplum ſimplo non eſſe contrarium, quoniam hoc idem duplum poteſt eſſe ad aliquid ſimplum. Non igitur omnia relatiua poſſunt habere contrarium.

Item maius & minus quædam recipiunt, quędam non. Nam magis hic amicus illo eſt, hoc magis duplum illo duplo eſſe non poteſt: propterea quia ſi duplum eſt, ita duplum eſt, vt plus aliquid minuſue ſi fuerit, non ſit duplum.

Quęritur vtrum aliqua ſubſtantia dici poſsit relatiuè, ſed de prima ſubſtantia dici nõ poſſe relatiuè, nulla quęſtio eſt. Non enim Cicero alicuius dici poteſt, aut ad aliquid referri. Item equus iá quis equus, vt Rhœbus nõ alicuius eſt hoc ipſo quòd Rhœbus eſt, ſed quòd iumentum eſt, alicuius iumentum eſt. Non ergo prima ſubſtãtia relatiuè dici poteſt, neq; pars eius quælibet, quæ ſine dubio ipſa prima ſubſtantia eſt. Nam quemadmodũ Cicero prima ſubſtantia eſt, ita manus eius: manus verò non eius, ſed ſpecialiter manus.

Secundæ etiam ſubſtantiæ relatiuè dici non poſſunt. Non enim ſua conuerſione reſpondẽt, vt ſi dicamus, Manus Ciceronis, nõ Cicero manu Cicero eſt, neque ipſa manus ob hoc manus quia Ciceronis eſt, ſed quia ita affecta eſt manus dicitur, non quòd alicuius ſit. Non ergo vt diximus, prima ſubſtantia neque partes eius relatiuè dici poſſunt. Quæritur ergo de partibus ſecundæ ſubſtantiæ. Nam de ipſa ſubſtantia nulla quæſtio eſt. Non enim homo alicuius homo, ſed manus ſpecialiter alicuius hominis manus eſt. Et vt mutata conuerſione reſpondeat, alicuius manuati manus eſt, poſſumus ità conuertere, quia & manuatum aliquid manu manuatum eſt. Item vngula non primæ ſubſtantiæ vngula, ſed alicuius vngulati vngula, quia & vngulatum aliquid vngula vngulatum, vt mutuã poſsit habere conuerſionem, quod relatiuis eſſe diximus proprium. Si ergo maneat illa relatiuorum diffinitio, vt relatiuum ſit quicquid alicuius dici poteſt, difficile reſiſtimus: dici partes ſecundarum ſubſtantiarum relatiuè. Si verò illa diffinitio eſt mutata, ita vt relatiua ſint ea quæ ad aliquid referũtur, excepto eo quod in aliquo ſunt, nulla incidit in hanc diffinitionem ſubſtãtia. Quemadmodum ſeruitus, excepto eo quòd in eodẽ ſeruo eſt, id eſt, in aliquo homine refertur ad dominum. At verò penna ita pennati alicuius penna eſt, vt excepto eo qd' in aliquo pennato eſt, ad nihil referri poſsit.

Sanè admonendi ſumus, ne nos pudeat verba noua facere, ꝓ neceſsitate conuerſionis. Nam ſi mutua cõuerſio non reſpondeat, non relatiuè nunciamus hoc modo: Cum dico pennã, volẽs eam oſtendere relatiuã, nõ me pudeat pennatũ aliquid, ꝓpter conuerſionẽ dicere. Eſt enim pẽnatũ ita vſitatũ, vt aures non offendat. Si de pe-

© Biblioteca Nacional de España

de agatur, non pudeat simili deriuatione fingere notum conuersioni verbum. Item scire oportet eum qui relatiuũ aliquid, ad quid referatur, ignorat: nec omnino vtrũ ad aliquid referri possit id quod dicit scire posse, hoc modo: cum dicis, hoc duplum est, nosti simplum eius, id est, ad quod duplum sit. Aut si illud ignoras nec omnino vtrum duplum sit scire potes.

Quid Facere & Pati.

FAcere & pati possunt habere contrarium, vt *calefacere, refrigerare, & calefieri refrigerari.* Habent etiã magis & minus, vt *magis & minus vrere, magis & minus vri.*

Quid Situs.

SItus omnis denominatiuè dicitur, vt sedere à sessione, stare ab statione. Et quamuis non nunquam nomina deficiant, ex quibus situs denominatur, ratio tamen non deficit.

De tribus, quæ restant, id est, Quando, Vbi, & Habere.

DE illis tribus quę restant supradicta exempla sufficiunt. Quando enim dicimus, vt *heri, cras*: Vbi, vt *Romæ, Athenis*: Habitum, vt *calciatum, armatum.* Quid horum recipiat magis & minus, cum in sermone inciderit, facile apparet.

Istæ sunt decem prædicationes, ex quibus aliquid necessario singulatim enunciamus. Nam quicquid omnino dixerimus, quod aliquid significet: nondum tamen intelligi posit an verum an falsum sit: Vnum est de his decem, exceptis duntaxat illis verborum quodammodo articulis. Sunt enim pleraque à Grammaticis in orationis partibus enunciata, quæ omnino per se nihil valent, aut aliquid significant plenum, nisi cum fuerint verbis adiuncta, vt coniunctiones & præpositiones, & quicquid tale illi docent.

De Oppositis.

REstat vt de oppositis dicamus. Sunt autẽ opposita, quæ sibi veluti ex aduerso videntur obsistere, vt contraria: nec tamen omnia quæ opponuntur, sibi contraria sunt, sed omnia contraria opposita sunt. Opponuntur autem sibi ita, vt aut relatiuo opponantur, vt *magnum paruo, & dimidium duplo.* Aut vt contraria, vt *stulticia sapientiæ.* Aut vt habitus orbationi, vt *cernentia cæcitati.* Aut vt aientia negationi, vt *Cicero disputat, Cicero non disputat.* Hæc autem inter se nonnihil differunt. Nam relatiuum relatiuo ita opponitur, vt hoc ipsum quod opponitur eius sit cui opponitur, aut ad id quocunque modo referatur. Nam dimidiũ opponitur duplo, & eiusdem dupli dimidium est. Ita ergo illi opponitur, vt eius sit. Et paruum opponitur magno, vt eius sit: ita vt ipsum paruum ad hoc magnũ cui opponitur, paruum sit.

Contraria verò ita sibi opponuntur, vt nõ eorum sint quibus opponuntur, sed ad ea quocunque modo referantur. Siquidem stultitiæ sapientia ita contraria est, vt non eiusdem sapientiæ stultitia sit, sed vt ad illam sit stultitia.

Sciendum est tamen quædam contraria medium habere, quædam non habere. Nanq; sunt alia, quæ ita vt in ea re, in qua esse possunt, alterutra vice necessario insint, & medio careant, vt *sanitas & imbecillitas.* Hæc duo contraria natura insunt corporibus animalium, atque ita vice alterutra necessario insunt vt diximus, vt in quo animalis corpore sanitas non est, necessario imbecillitas sit. Et in quo imbecillitas non est, necessario sanitas sit. At verò candidum & nigrum cum sint contraria, & naturaliter in corporibus inueniantur, propterea medio non carent: quia non est necesse corpus aliquod candidum esse, aut nigrum. Potest enim ita deesse cãdidum, vt non insit nigrum, atque hoc modo ex alia parte. Ergo color aliquis medius inueniri potest, vt luteus vel viridis. Habitus & orbatio ita sibi opponuntur, vt in ea re cui euenire possunt, alterum eorum necessario insit: ex illo duntaxat tempore quo ea natura esse permittit, vt dẽtatum eum dicimus, qui dentes habet. Edentulum verò nõ illum dicimus qui dentes non habet, sed cui natura inest, vt habeat ex illo tempore quo natura permittit vt habeat. Nam neque lapidem rectè dicimus edentulum, qui nunquã dentes habet. neq; infantem, qui quamuis aliquando habere posit: nondum tamẽ illo tempore vt habeat natura permittit. Hoc ergo tertium genus oppositorum differt à primo relatiuorum, eo quòd cernentia ita opponitur cęcitati, vt eiusdem cęcitatis non sit, aut ad eam quodammodo referatur.

A secundo genere, id est, contrariorum illud differt ab his duntaxat contrarijs quæ habent mediũ, quod cernentia & cæcitas intelliguntur erga oculos, vt alterũ eorũ necessariò insit. Ergo hoc differunt ab his cõtrarijs quæ habẽt medium, quia illorum alterum non necessario inest substantiæ: horum autem medium necessario. Ab his verò contrarijs quæ medio carent, hæc ipsa opposita differunt, quod illa rei cui natura insunt omni tempore alterutra vice accidant necesse est, vt *corpori animalis sanitas & imbecillitas.* Alterum eorum semper est in corpore animalis. Hæc autem possunt aliquo tempore ei rei cui natura inesse possunt vtraque deesse aliquando, vt infans dum nõdum tempus est quo dentes habere posit, neque dentatus neque edentulus dicitur. Et oculi alicuius animantis nondum adueniente tempore quo videre possent, neque cæci neque videntes dicuntur: & tamen aliquid medium non habent. Igitur oppositorum, quæ medio carent, duæ species sunt, id est, eorum quæ alterutra vice accidunt rei in qua esse possunt, nullo medio intercedente, vt *sanitas & imbecillitas.* Et eorum quæ simul deesse possunt substantiæ, in qua non simul esse possunt, & tamen cum simul desunt nihil medium intercedit, vt *cernentia & cæcitas*, vel *habitus & orbitas.*

Quartum genus oppositorũ est: aientia & negantia, vt *Cicero disputat, Cicero non disputat.* Hæc à supe-

© Biblioteca Nacional de España

superioribus differunt, quòd illa singulatim dici possunt, hæc non nisi connexè dicuntur. A relatiuis hoc differunt, quòd illa etiam relatiuè dicuntur: hæc autem non relatiuè Non enim disputans, ad non disputantem refertur. A contrarijs hoc differunt, quòd illa si connexè dicantur, tamdiu aut vera aut falsa sunt, quamdiu est illud in quo inesse possunt. Cum autem hoc esse destiterit, neque vera neque falsa sunt, vt *stultus est ille, & sapiens est ille quamdiu viuit.* Horum alterum verum est: cum ipse esse destiterit, vtraque falsa sunt, quia ille qui non est neq; stultus neque sapiens esse potest. At verò, *Cicero disputat, & Cicero non disputat*: ita sibi opponuntur, vt & dum viuit Cicero, alterum verò eorum necessario sit: & ipso mortuo, falsum est quidem quod disputat: verum tamen est quòd Cicero non disputat. Hoc modo discernuntur hæc ab habitu atque orbatione. Nam qui non est, neque cæcus est, neq; videns. Nec sanè mouea quod videmur iam de ploquijs aliquid dixisse, de quibus postea dicendum est: Hoc namq; factum est occasione oppositorum.

SECVNDA PARS DE Eloquendo.

Quid sit Nomen.

NOmen est quod quamlibet rem significat, & per casus flecti potest. Vel est, quod tam corpus quàm rem significat.

Quid sit Verbum.

VErbum est quod aliquid significat, & per tempora flecti potest, vt *Cicero* nomen, *disputat* verbum. Hæc ab inuicem separata, non nihil quidem significant: Veruntamen vel falsum dici non possunt. Cum autem fuerint coniuncta, iam possunt & affirmari & negari, vt *Cicero disputat*, iam dici potest, *Cicero non disputat*. Esse autem debet nominatiuus casus nominis & tertia verbi persona. Prima persona significat aliquid, quod iam negari vel affirmari possit: & in hominem tantum cadit. In ea autem intelligitur nomen: etiam si non dicatur, vt *disputo* totũ plenum est: etiam si non dicas *ego*. Item secunda persona, & ipsa iam veritati aut falsitati obnoxia est. Sed etiam ipsa in hominem cadit, & ei nec rectè dicimus disputas, qui nec audire nec intelligere quod dicitur potest. Ergo & hoc cũ dicatur sine nomine, tamen ibi nomen intelligitur. Aliter figuratè vtimur siue prima, siue secunda persona, vt aut loquentem eum inducas qui loqui non potest, aut ad eum conuertamus orationem, qui neque audire neque intelligere potest. Tertia verò persona non hominis tantum est, sed aliarum etiam rerum, & simul ac dicta fuerit non continuo intelligitur, nisi fortè de eo dicatur aliquid quod de eo solo potest intelligi, vt cum dicimus *pluit*: iam potest esse verum aut falsum, cum non addamus nomen, quia notum est quod pluat. Cum verò dicimus disputat, cũ aliquid iam significet, non tamen verum aut falsum dici potest, si nomen non addatur. Et quamuis de homine hoc tantum possit intelligi, quia non de vno dici potest, necessario subdẽdum est nomen. Et *resistit* cum dicimus, tertia verbi persona est, Exigit enim nomen non hominis tantum, sed cuiu liber quod resistere potest. Prima igitur & secunda persona, & de homine tantum possunt intelligi, & solæ dictæ possunt aut verè aut falsè dici, quia cum his etiam nomina intelliguntur. Tertia verò & non omnis sola dici potest, & non de solo homine intelligitur. Quod ergo fuerit ex nominatiuo casu nominis & tertia verbi persona coniunctum, proloquiũ dicitur, ita vt etiam necessariò aut verum sit aut falsum aut dubium. Namque homo animal est, omnes iudicamus verum esse: & omne animal homo est, omne iudicamus falsum. *Ille disputat*, quamuis necessario aut disputet, aut non disputet: nobis tamen dubium est alterum: Nihil horum intelligimus necessarium esse, sed quid horum sit nescimus. Vbi verò illa verba sunt, quæ impersonalia dicuntur, nõ ex nominatiuo casu impletur sententia, sed alios casus recipit, vt *disputatur* cum dicitur, plena sentẽtia est si ablatiuum adiungas, hoc est à *Cicerone*. Et *pœnitet* cum dicitur, plena sententia est, si accusatiuum adiũgas, id est, *Ciceronem*, & sunt multa alia. Illud tamen constat personalia verba non implere sententiam, nisi cum nominatiuo casu, & tertia verbi persona. Sunt etiam sententiæ quæ quamuis constent ex nomine & verbo, affirmari tamen aut negari non possunt: quæ non proloquia, sed eloquia dici nonnullis placuit, vt est modus imperatiuus. Cum dicimus *Aiax curre*, iam plena sententia est. Nam nec solum intelligi, sed etiam fieri potest, quod dicis, tamen negari non potest. Non enim hoc negat qui dixerit, *noli currere*. Hoc enim non est aduersum ei, quod dictum est *curre*, vt hoc sit verum, illud falsum, vt possit nasci quæstio. Nam de aientia & negatione quæstio sine dubio nascitur, vt *ille currit, ille non currit*. Quæstio est, vtrum currat an non. *Curre* autem, & *noli currere*, non facit quæstionem vtrum currat. Nulla quidem quæstio hic potest intelligi, vtrum currere debeat an non. Hoc enim ex aientia & negatione natum est, vt currere debet, & currere non debet: hoc facit & optatiuus modus. Cum enim plena sit sentẽtia, cum dicimus, *vtinam scribam, & vtinam non scribam*, non potest hinc nasci quæstio, vtrum scribam an non: sed pleraque talia sunt, hæc ad exemplum sufficiãt. Quod ergo fuerit iunctum ex nomine & verbo, si plenum nomen & plenum verbum sit, necessario facit sententiam, sed non necessario facit proloquium. Si enim est, quod iam est, affirmari & negari potest. Et supra diximus multa dici plena sententia, quæ tamen affirmari non possunt, & negari non possint. Plenum igitur proloquium est, *Omnis homo animal est*. Et quamuis natura illud exigat, vt primo nomen & postea verbum dicatur, vt dictum est, non desinit

© Biblioteca Nacional de España

verum esse proloquium etiam si dicas, *animal est omnis homo.* Quicquid accesserit huic sententiæ, cui parti accedat, diligenter videndum est.

Quid sit Declaratiuè, & quid Subiectiuè.

NAm sunt proloquij partes duæ, quæ in nomine vna subiectiua dicitur, quæ in verbo altera declaratiua. Subijcitur enim quid sit, & declaratur quid de illo possit intelligi. Cum ergo dicimus, *Cicero disputat*: Si accedat huic sententiæ *in Tusculano*, declaratiuè accessit. Si accedat *Romanus*, subiectiuè. Item si accedat *prudenter & copiosè*, declaratiuè. Item, si dicitur *cum Catone*, declaratiuè accessit. Quicquid igitur nominatiuo casui accedit, subiectiuè accedit. Quicquid declaratiuè accedit, varijs casibus & modis accedit. Nam subiectiuè non possunt alij casus accedere: declaratiuè non nisi varij, excepto nominatiuo.

Quatenus nomen accipiatur, quatenus verbum.

ILlud tamen sciendum est posse fieri vt verbum sit in subiectiua, nomen in declaratiua: sed ita verbum in subiectiua, vt aliquod pronomen secum vice nominis teneat. Ita etiam nomen est in declaratiua, vt teneat secum aliquod verbum ex quo eius vicem impleat. Velut si dicamus, Qui disputat Cicero est, *qui disputat*, subiectiua est: *Cicero* est declaratiua: sed illam subiectiuam pronomen facit, hanc declaratiuam verbum.

Quatenus perfecta sententia possit esse proloquium.

IN hac igitur parte dicimus, quemadmodum iuncta sunt, nec tamen possunt plenam facere sententiam: & si faciunt, quemadmodum veritati & falsitati non sint obnoxiæ sententiæ, quamuis sint plenæ: & quemadmodũ ad id perueniatur, vt iam non solum plena sententia sit, sed etiam necessario vera, aut falsa.

Quid sit Proloquium.

TErtia pars sequitur, in qua dicendum iam est de ipsis proloquijs, ad quorum intellectum in superiori parte peruenimus. Proloquia igitur differentias habent binas, in quantitate & qualitate. Quantitatis differentia est, quòd alia sunt vniuersalia, alia particularia, alia indefinita. Vniuersale est, vt *Omnis homo animal est.* Particulare, vt *quidam homo ambulat.* Indefinitum, vt *homo ambulat.* Quod igitur indefinitè dicimus, necessariò particulariter accipimus, non necessariò vniuersaliter. Quoniam id potissimum enumerandum, quod securum habet intellectum: indefinitum ꝑ particulari accipitur. Erunt ergo duæ differentiæ in quantitate, quòd aliud est vniuersale proloquium, aliud particulare. In qualitate item duæ, quarũ altera dedicatiua, altera abdicatiua. Dedicatiuũ est, vt *Omnis voluptas bonum.* Abdicatiuum, *Omnis voluptas non bonum.*

Quomodo conuertantur.

VNiuersale igitur dedicatiuum non necessariò sequitur conuersio. *Non* enim, *Si omnis homo animal est, Omne animal homo est.* Vniuersale autem abdicatiuum necessario sequitur conuersio. Si enim *Omnis voluptas bonum non est, Omne bonum non est voluptas.* Et *Si omnis homo non est animal mutum, Omne animal mutum nõ est homo.* Particulare autem dedicatiuũ habet necessario conuersionem. Nam *Si quidam homo animal est, Quoddam animal homo est.* Particulare verò abdicatiuum non habet necessariam conuersionẽ. *Non* enim, *Si quoddã animal non est rationale, quoddã rationale non est animal.* Vniuersalis ergo dedicatiua & particularis abdicatiua nõ necessario recurrunt. Vniuersalis autẽ abdicatiua & particularis dedicatiua necessario cõuertũtur. Ita tũ, vt facta conuersiõe, in dedicatiua particula negatio maneat. Nam vtiq; conuersio ita fit, vt quę particula fuit declaratiua, eadem subiectiua sit. Ergo cum dico, *Omnis voluptas bonum non est, omnis voluptas* subiectiua *bonum non est*, declaratiua. Si conuertam, *Omne bonum voluptas non est*, facta est quidem subiectiua quæ fuit declaratiua, negatio tamen hãc particulam tenet, quæ facta est declaratiua. Et si velim sic dicere, *Nulla voluptas bonum est*, conuertendum est sic, *nullum bonum voluptas* est. Sed ꝑpter duo proloquia, quæ diximus non necessario conuerti, debemus † intelligere omnia quæ proloquijs attribuuntur, per quæ rectè aut non rectè proponi possunt, vt verum aut falsum possint ostendere. Hæc autem quinque sunt iam superius demõstrata, Genus, Species, Differentia, Accidens, Proprium. Ex his duo sunt q̃ faciunt illa proloquia recurrere, alia tria nullo modo. Namque, vt *Omnis homo animal est rationale mortale, ita omne animal rationale mortale homo est.* Et quemadmodum, *Omnis homo risibilis est, ita omne risibile homo est.* Rursum in particulari abdicatiua videndum est, quid sit proprium non esse: Vt enim proprium est hominis esse risibile, ita proprium est risibile non esse præter hominem. Ergo si particulare abdicatiuum proponamus sic, *Quiddam risibile non est præter hominem*, recurrit sine dubio, *Quiddam præter hominem non esse risibile.* Item *Quiddam inanimum, irrationale, immortale, immortale non est homo, quiddam homo non est inanimũ irrationale, immortale.*

Item sunt aliæ cõuersiones q̃ faciunt easdem proloquiorũ particulas indefinitas esse negatione scilicet de loco migrãte. Nã particulæ indefinitę fiũt hoc modo, *homo nõ homo, animal non animal.* Et ideo indefinitũ est, qa negas tantum hoc esse, nõ dicis qd sit. Cũ ergo dico, *omnis homo animal est*; si velim rectè cõuertere, adhibeo negationes, vt fiãt particulę indefinitę. Si.n. verũ est, *omnis homo est animal*; & verũ est, *omne non animal non homo.* Hac conuersione vsus est in Rhetoricis Cicero. *Deinde si constitutio; & ipsa & pars eius quælibet intentionis depulsio est: quæ intentionis depulsio*

† al. intendat

© Biblioteca Nacional de España

depulsio non est, ea nec constitutio est nec pars constitutionis.

Item particularis abdicatiua potest hoc modo conuerti: *Si enim, quoddam animal homo non est, quoddã non homo animal est.* Et in hac cõuersione obseruandum est, vbi non est negatio cum directo proponimus, ibi fit dum conuertimus. Hãc vicissim conuersionem recipiunt duo proloquia, quæ illam primam † non recipiebant. Solum vniuersale abdicatiuum non aliam recipit. Vocetur ergo docendi causa illa prima conuersio: hæc secunda. Hæc autem proloquia quemadmodum inter se affecta sint, hoc modo manifestius apparebit.

d. non necessario.

De Affectis inter se proloquijs.

QVatuor lineis quadrata formula exprimatur. In primo angulo superioris lineæ scribatur, Vniuersalis dedicatiua: & in alio eiusdem angulo, Vniuersalis abdicatiua. Item infra ad primum angulum inferioris lineæ particularis dedicatiua: ad angulum reliquum, particularis abdicatiua. Deinde ducantur angulares lineæ ab vniuersali dedicatiua ad particularem abdicatiuam, & ab vniuersali abdicatiua ad particularem dedicatiuam.

Simul affirmari non possunt.
Vniuersalis dedicatiua
Omnis voluptas bonum est.

Omnis voluptas bonum est.
Simul affirmari possunt.

Omnis voluptas bonum est.
Nec simul affirmari.

Simul negari possunt.
Vniuersalis abdicatiua.
Omnis voluptas bonum non est.

Simul affirmari possunt.
Omnis voluptas bonum non est.

Omnis voluptas bonum non est.
Nec simul negari.

Quædam voluptas bonum est.
Simul negari non possunt.

Quædam voluptas bonum est.
Nec simul affirmari possunt.

Quædam voluptas bonum est.
Nec simul negari possunt.

Simul negari non possunt.
Quædam voluptas bonum non est.

Simul negari non possunt.
Particularis dedicatiua.
Quædam voluptas bonum est.

Simul confirmari possunt.
Particularis abdicatiua.
Quædam voluptas bonum non est.

Duæ igitur superiores simul confirmari non possunt, simul negari possunt. Nam non potest simul verum esse, *omnis voluptas bonum est, & omnis voluptas non est bonum.* Possunt autem simul esse, *non omnis voluptas bonum est, non omnis voluptas non est bonum.*

Duæ verò inferiores vicissim simul negari non possunt, simul confirmari possunt. Nam nõ vtique potest simul negari, *non quædam voluptas bonum esse:* & *non quædam voluptas non bonum esse.* At verò potest & *quædam voluptas bonum esse*, & *quædam voluptas bonum non esse.*

Angulares autem neque simul affirmari, neque simul negari possunt. Nam si verum est, *omnis voluptas bonum est*: falsum est, *quædam voluptas non est bonum.* Item si falsum est, *omnis voluptas non est bonum*: verum est, *quædam voluptas est bonum.*

Hoc item contingit, si particularem vicissim nomines. Nam si verum est, *quædam voluptas non est bonum*, falsum est, *omnis voluptas bonum est.* Item si verum est, *quædam voluptas bonum est.* falsum est, *omnis voluptas non est bonum.*

Item vniuersalis dedicatiua confirmata, particularem suam necessario confirmat, negata non necessario eam negat. Nam si verum est, *omnis voluptas bonum est*, necessario verum est, *quædam voluptas bonum est.* At verò si superiorem

© Biblioteca Nacional de España

negem, hoc modo, *non omnis voluptas est bonum*, potest fieri, vt *quædam voluptas bonum sit*. Particularis item dedicatiua confirmata non necessario vniuersalem suam confirmat: negata necessario illam negat. Nam si verum est, *quædam voluptas bonum est*, non sequitur, vt *omnis etiam voluptas bonum sit*. Si verò *quædam voluptas bonum non est*, falsum est, *omnis voluptas bonum est*. In duabus reliquis hoc obseruabis.

Quid sit Sumptum, & quid Illatio.

PLenam sententiã cum proposuerimus, aliquid ex ea volentes efficere, & cum concessa fuerit, *Sumptum* dicitur. Huic etiam vni sententiæ alia certa ratione debet innecti, & vtique propter id quod inferre volumus concedenda. Et hæc cum concessa fuerit, *sumptum* dicitur. Ex duobus sumptis ratione sibimet nexis, conficitur *Illatio*. Quæ illatio *sumptum* propter ea dici non potest, quia non expectas vt hoc etiam tibi aduersarius concedat, sed eo inuito sequitur, si modo ratione seruata fuerit illatum. Et vt hoc planum fiat exemplo, putemus quæstionem esse: *Vtrum voluptas vtilis sit*. Si proponamus ita, *omnis voluptas bonum est*, plena quidem sententia est, & *sumptum* efficitur, si hoc aduersarius concedat: quo concesso, adiungenda est alia sententia, *omne autem bonum vtile est*. Si etiam hoc concesserit, efficitur *sumptum*. Ex quibus duobus sumptis etiam inuito eo sequitur, *omnis igitur voluptas vtilis est*.

Quid sit Syllogismus.

HOc totum quod constat ex duobus sumptis & illatione, *ratiocinatio* à nobis, à Græcis συλλογισμὸς appellatur. Est ergo ratiocinatio ex duobus pluribusue concessis, ad id quod non conceditur necessaria peruentio. Possunt ergo plura esse sumpta, sed minus à duobus esse non possunt. Etenim est integra ratiocinatio, si ad illud quod volumus ostendere, *vtile esse voluptatem*, tribus etiam sumptis peruenire velimus, vt *omnis voluptas secundum naturam est: omne quod secundum naturam est, bonum est: omne bonum vtile est: omnis igitur voluptas vtilis est*. Ex hoc apparet plura etiam licere addere, si oportuerit.

Nonnunquam etiam concludimus inferentes non quidem id quod conficitur, sed quod ex ipso quod inferre debemus, necessario conficitur, hoc modo: *Omnis virtus bonum est, omne bonum vtile est, omnis igitur virtus non nocet*. Inferendum erat, *omnis igitur virtus vtilis est*. Et ex eo necessario sequitur *non nocere*. *Quod enim vtile est, nunquam nocet*. Hoc à Græcis συμπέρασμα dicitur, à nobis dici potest *confinis conclusio*. Ratiocinatio igitur siue propriam & suam, siue confinem habens conclusionem, diuiditur in duo genera, in prędicatiuum & conditionale.

Quid sit prædicatiuus syllogismus.

PRędicatiuus est, in quo sumpta ita sibi innexa sunt, vt aliquo extrinsecùs addito suppleantur, vt hoc quod supradictum est, *omnis voluptas bonum est, omne bonum vtile est*. Videmus itaq; non totum quod supra positum est dictum, sed vnam inde partem sumptã declaratiuã, quæ secũdo proloquio facta est subiectiua: quod proloquium secundũ, vt impleret sententiam, aliquid petiuit extrinsecùs, id est, *vtile est*. Huius illatio conficitur ex eo quod accessit extrinsecùs, & ex eo quod nõ est repetitũ, id est, *omnis igitur voluptas vtilis est*. Huius generis tres formæ sunt.

Prima est, in qua declaratiua particula superioris sumpti, sequentis efficitur subiectiua: aut subiectiua superioris declaratiua sequentis. Declaratiua superioris fit subiectiua sequentis, vt in superiori proposito exemplo. Subiectiua superioris fit declaratiua sequẽtis, si hoc modo velis conuertere: *Omne bonum vtile est, omnis voluptas bonũ est, omnis igitur voluptas vtilis est*.

Secũda forma est, in qua declaratiua superioris sumpti, eadem est etiã declaratiua sequentis, vt *omnis virtus bonũ est, & omnis voluptas non est bonum, omnis igitur voluptas non est virtus*.

Tertia forma est in qua subiectiua superioris sumpti, eadem est etiam subiectiua sequentis, vt *Quoddam bonum voluptas est, omne bonum vtile est, quoddam igitur vtile est voluptas*.

In prima forma & vniuersaliter & particulariter & dedicatiuè & abdicatiuè cõcludi potest: In secunda forma vniuersaliter nisi per contrariũ concludi non potest. In tertia forma particulariter tantũ concluditur. Quapropter non frustra hic ordo est seruatus. Nam meritò prima dicitur, in qua omni modo concludi potest. Secũda autẽ rectè, in qua potest concludi vniuersaliter, quamuis per contrariũ. Tertia autem rectè, quia in quantitate minor est, in qua nisi particulariter concludi non potest. Nunc dicendũ est, singulæ formę quot modos recipiant. Nam recipiunt intra se certum numerũ: extra quos modos quicquid conclusum fuerit, non est temerè concedendum. Recipit autem prima nouẽ modos, secunda quatuor, tertia sex.

Primus modus.

PRimæ formæ primus modus est, in quo cõficitur ex duobus vniuersalibus dedicatiuis, vniuersale dedicatiuum directim, vt est, *Omne iustum honestum, omne honestum bonum, omne igitur iustum bonum*. Si reflexim inferas, *omne igitur bonum iustum* non sequitur, sed particulariter potest inferri, *quoddam igitur bonum iustũ*, & efficitur quintus modus.

Secundus modus est, in quo conficitur ex vniuersali dedicatiuo & vniuersali abdicatiuo vniuersale abdicatiuum directim, vt est, *Omne iustum honestum, nullum honestum turpe, nullum igitur iustum turpe*. Si reflectas, *nullum igitur turpe iustum*, efficitur sextus modus. Diximus enim supra, vniuersale abdicatiuum posse conuerti.

Tertius

© Biblioteca Nacional de España

Tertius modus est, in quo conficitur ex parcula dedicativo & universali dedicativo particulare dedicativum directim, ut est, *Quoddam iustum honestum, Omne honestum utile, quoddam igitur iustum utile.* At si reflectas, efficitur septimus modus, *quoddam igitur utile iustum*: quoniam suprà dictum est, particulare dedicativum posse converti.

Quartus modus est, in quo cõficitur ex particulari dedicativo & universali abdicativo, particulare abdicativum directim, ut est, *Quoddam iustum honestum, nullum honestum turpe, quoddam igitur iustum non est turpe*: reflecti non potest. Diximus enim supra, particulare abdicativum non posse converti.

Octavus modus est, in quo conficitur ex universali abdicativo & universali dedicativo, particulare abdicativum reflexim, ut est: *nullum turpe honestum, omne honestum iustum, quoddam igitur iustum non est turpe.*

Nonus modus est, in quo conficitur ex universali abdicativo, & particulari dedicativo, particulare abdicativum reflexim; ut est, *Nullũ turpe honestum, Quoddam honestum iustum, Quoddam igitur iustum non est turpe.*

De secundæ formæ primo modo.

SEcundæ formæ primus modus est, in quo conficitur ex universali dedicativo, & universali abdicativo, vniversale abdicativum directim, ut est: *Omne iustũ honestum, Nullum turpe honestum, Nullum igitur iustum turpe.* Hîc reflexione si utaris, alius modus nõ efficitur, quoniam de utrisque subiectivis fit illatio.

Secundus modus est, in quo conficitur ex universali abdicativo & universali dedicativo, universale abdicativum directim, ut est, *Nullum turpe honestum, Omne iustum honestum, Nullum igitur turpe iustum.*

Tertius modus est, in quo conficitur ex particulari dedicativo & universali abdicativo, particulare abdicativum directim, ut est: *Quoddam iustum honestum, Nullũ turpe honestum, Quoddam igitur iustum non est turpe.*

Quartus modus est in quo conficitur ex particulari abdicativo & universali dedicativo, particulare abdicativum directim, ut est: *Quoddam iustum non est turpe, Omne malum turpe, Quoddam igitur iustum non est malum.*

De primo modo tertiæ formæ.

TErtię formę primus modus est in quo conficitur ex duabus universalibus dedicativis, particulare dedicativum directim, ut est, *Omne iustũ honestum, Omne iustũ bonum, Quoddam igitur honestum bonum.*

Secundus modus est in quo conficitur ex particulari dedicativo & universali dedicativo, particulare dedicativum directim, ut est: *Quoddam iustũ honestum, Omne iustum bonum, Quoddam igitur honestum bonum.*

Tertius modus est in quo conficitur ex universali dedicativo & particulari dedicativo, particulare dedicativum directim, ut est, *Omne honestum iustum, Quoddam honestum bonum, Quoddam igitur iustum bonum.*

Quartus modus est, in quo cõficitur ex universali dedicativo & universali abdicativo particulare abdicativum directim, ut est, *Omne iustum honestum, Nullum iustũ malum, Quoddam igitur honestum non est malum.*

Quintus modus est in quo cõficitur ex particulari dedicativo & universali abdicativo, particulare abdicativum directim, ut est: *Quoddam iustum honestum, Nullum iustum malũ, Quoddam igitur honestum non est malum.*

Sextus modus est in quo conficitur ex universali dedicativo & particulari abdicativo, particulare abdicativum directim, ut est: *Omne iustum honestum, Quoddam iustum non est malum, Quoddam igitur honestum non est malum.* Omnes igitur modi certum ordinem tenent, eiusdémque ordinis ratio est, quę in ipsis formis demonstrata est.

Quid sit conditionalis Syllogismus.

COnditionalis syllogismus est cuius propositio & plenum argumentum, & plenũ id de quo quæstio est continet: ita ut assumpto argumento iam certum inferri possit de quo quæstio erat, ad hunc modum. Ponamus quæstionem esse, *Vtrum sit utilis Rhetorica*, & volentes utilem probare, argumentũ ab huius diffinitione capiamus, quod est *bene dicendi scientia.* Ex huius argumento & illa quæstione, conditionalis syllogismus ponitur sic: *Si Rhetorica est bene dicendi scientia, utilis est.* Assumimus argumentum ita: *Est autem Rhetorica, bene dicendi scientia.* Hæc duo qui concesserit, etiam invitus concedat necesse est, *utilem esse Rhetoricam*: quod erat dubium antequã propositio & assumptio concederetur. Nihil tamen in assumptione accessit extrinsecùs, quod est proprium prædicativi syllogismi. Hic primus modus à dialecticis appellatur, qui est ab antecedẽtibus: propterea quoniam argumentum quemadmodum positum est, ita & assumptum: hoc tantùm modo differens, quod cum conditione positum est, & sine conditione assumptum.

Secundus modus est, qui appellatur à consequẽtibus, in quo ipsum argumẽtum quæstionẽ sequitur, non quęstio argumentum, hoc modo: *Si est Rhetorica utilis, est bene dicendi scientia.* Assumitur argumentum à contrario, id est, per negationem sic: *Non est autem bene dicendi scientia: non est utilis igitur.*

Tertius modus est qui appellatur à repugnantibus, in quo demõstratur, non posse simul hoc esse, & illud non esse. In quo cùm fuerit assumptum unum, aliud necessariò tollitur, id est cùm fuerit assumptum esse, non esse tollatur, hoc modo: *Non est benedicendi scientia Rhetorica,*

© Biblioteca Nacional de España

& non est utilis. Est autem bene dicendi scientia, utilis est igitur. Confectum est utilem esse, sublato eo quod non esse utile positum erat.

Hi tres modi ex uno argumento possunt conficiri, & unam rem omnes probare possunt. Nec interest in propositione, quam partè primò ponas, utrum argumenti, utrum quæstionis, dum modò conditionis ratio conservetur. Cum dixeris: *Si Rhetorica est bene dicendi scientia, utilis est.* Potest & sic poni, *Utilis est Rhetorica, si bene dicendi scientia est.* Hoc etiam in duobus alijs experiri licet.

Quartus modus est qui per disiunctionem efficitur, ita ut uno assumpto, aliud necessariò negatum sit, hoc modo: *Aut sanus est, aut imbecillis, Sanus est autem, Non est igitur imbecillis.*

Quintus modus est, qui etiam per disiunctionem efficitur, ita ut uno negato, aliud necessariò sit, hoc modo: *Aut sanus est, aut imbecillis: non est autem sanus, igitur imbecillis est.*

Additi sunt alij duo modi, qui per argumentum horum duorum fieri possunt: non tamen per disiunctionem, sed per negationem.

Est ergo sextus modus, in quo demonstratur non posse simul & hoc esse & illud. Assumitur per unius cõfirmationem, concluditur per alterius infirmationem, hoc modo: *Non est sanus & imbecillis: Sanus est autem, Non igitur imbecillis.*

Septimus modus proponitur sic, & in eo assumitur ut in quinto, atque ita concluditur.

Ad rem facilius intelligendam, his quædam formæ coniunguntur, ita ut rebus ipsis non dictis ratiocinandi vis intelligatur. Est primi modi forma hæc: *Si primum, secundum: primum autem, secundum igitur.* Secundi hæc: *Si non primum, non secundum: Secundum autem, & primum igitur.* Tertij hæc: *Non & primum & non secundum: primum autem, igitur & secundum.* Quarti hæc: *Aut primum aut secundum: primum autem: non igitur secundum.* Quinti hæc: *Aut primum aut secundum, Non autem primum, igitur secundum.* Sexti hæc: *Non & primum & secundum: primum autem: non igitur secundum.* Septimi hæc: *Non & primum & secundum: non primum autem: igitur secundum.*

Sciendum tamen est ex uno argumento posse fieri tres superiores modos, & ex uno argumento alios quatuor. Huius autem ordinis ratio est, ut primus modus fiat qui appellatur *ab antecedentibus*, quia utique quod antecedit prius est. Secundus *a consequentibus* eadem ratione, ut ipse nomine suo primum ille debere sequi, etiam in ordine videatur obtinere. Reliqui tertius in eodem argumẽto *a repugnantibus*. Non enim possumus ad disiunctionem transilire, quæ iam non potest ex eodem argumento fieri.

Erit ergo quartus modus quasi ad aliud argumentum primus. Et ibi utique antecedere debet, in quo per confirmationem assumitur: prior enim est confirmatio negatione.

Quintus debet esse idem, sed per disiunctionem. Sed post eum propterea, quia in eo per confirmationem, in hoc autem per negationem assumitur. Hoc in duobus reliquis licet intelligi.

Miscentur autem sibi multis modis syllogismi, ut in una ratiocinatione & prædicativi generis & conditionalis formas agnoscas hoc modo. Si quæstio sit, *utrum utilis sit ipsa Dialectica*, proponendum est, *Si bene disputare utile est, utilis est bene disputandi scientia: At bene disputare utile est: utilis est igitur Dialectica.* Sanè videndum est in prædicativo syllogismo, quod de propositione sibi assumptionem vindicet. Nam extrinsecus aliquid iam accipere manifestum est. In eo autem, quod sibi, ut diximus, de propositione vindicat, attendendum est utrum rectè vindicet propter servatas memoratasque formas. Efficitur enim, ut quod in propositione ad declarativam partem pertinere videbatur, in assumptione ostendatur ad subiectivam pertinere. Et item si aliter assumas, hoc ipsum pertinebit ad declarativam hoc modo. Notum est in prima forma ita assumi, ut aut declarativa propositionis subiectiva sit assumptionis, aut subiectiva propositionis eadem & declarativa sit assumptionis, ut si proposueris sic: *Omnis ars frequenti exercitatione meditanda est, Dictio autem exercitatio est Rhetoricæ: Rhetorica igitur frequenti dictione meditanda est.* In propositione *exercitatio* ad declarativam partem pertinere videbatur, in assumptione *ipsa exercitatio* ita ad declarativam pertinet. Quomodo ergo forma servata est, scilicet, quia relictum est aliquid in declarativa propositionis, quod non venerit in declarativa assumptionis, unde possit fieri conclusio, hoc est, *meditanda est.* Nam si vellem sic assumere, *Rhetorica autem ars est*, totum servabitur ad conclusionem, *Rhetorica igitur frequenti exercitatione meditanda est.* Ex hoc apparet multa esse communia, quæ possunt vel subiectivè vel declarativè adiungi, prout se habuerit assumptio.

Talibus insistente Dialectica, & ad quædam non minus inextricabilia quàm caliginosa properante, Pallas nutu Maiugenæ festinantis intervenit.

Perita fandi iam progressum comprime:
Ne inflexa tortos stringat intimatio:
Et multinodos perpetui anfractus diu
Hymen recuset, editum est compendio
Quicquid decenter docta disputatio
Multo altruendum contulit volumine.
*Sat est profundæ *frons decens scientiæ,* *diffini*
Quæ abstrusa promit nil morosum differens
Præter volando, nilq; ignotum deferens.
Nam quæ sunt fraude multa consita
Quis falsa captos circuit deceptio:
Dum ambage ficta præstruis sophismata
Captendulis ve ludis illigantibus
Tellaæ foritas cumq; sensim congeris:
Formis ve mendas comprobat quas veritas:
Nefas tonantis garriat sub auribus
Fastinus dirum, quippe summi cœlites

Odere

© Biblioteca Nacional de España

Nam si revolvas, quid cavilla sæviust
Dudum locuta circulatrix indecens
Fies profectò decipula, si astruxeris.
Facessat ergo versilis profunditas:
Reliquumq; tempus liqueris sororibus.

His auditis Dialectica cunctabunda paululum, tamen divæ præceptis paritura respondit:

Venerandos mihi fatus reverendosq; secuta
Referam iussa pedem, atq; ilicet exorsa silebunt.
Licet unam decuit iussæ permittere culpam
Vt honoris precio cederet inferre relatus.
Populum Cecropidarum bene quæ palliatarum:
Bromius conciperet contumiai nosse audere.
Mage quàm crediderat viperam nasceré posset.
*Et iners Marsica dudum * fuerat prælistigatrix* al. fuerit
Neq; me conspiceret somnificam vel temulentam
Loca passim blaterantem iovialibus suberis
Tamen uni famulandum est tibi Virgo, reticemus.

Hæc dicens velut repressa conticuit: complures que eam divorum qui inter initia deriserant, horruerunt.

EINIS QVARTI LIBRI.

MARTIANI CAPELLAE DE RHETORICA, LIBER V.

INterea sonuêre tubæ, raucusque per æthram
Cantus, & ignoto cælum clangore remugit.
Turbati expavêre Dei, vulguq; minorum
Cœlicolûm trepidat, causarum et nescia corda
Hærent, & veteris renovantur crimina phlegræ.
Tunc amnes, faunique pales Ephialta Napeæ
Respectant proceres, nulloq; assurgere motu
Cernunt attoniti, vicibusq; alterna profantes:
Mirantur placidam per pectora sacra quietem.
Tunc primùm posita Sylvanus fortè cupressò
Percitus ac trepidans dextram tendebat inermem:
*Bellaq; * composcens arcus atq; Herculis arma:* * compescēs
Portuni trifidam suspirans flagitat hastam:
Gradivi frameam non ausus poscere falcem.
Saturni bello suetus disquirit agresti.
Diffidensq; sui respectat tela tonantis.

SEd dum talibus perturbatur multa terrestrium plebs deorũ, ecce quędam sublimissimi corporis ac fiduciæ grandioris, vultus etiam decorn lucnlenta, fœmina insignis ingreditur, cui galeatus vertex, ac regali caput maiestate sertatum, arma in manibus, quibus se vel communire solita, vel adversarios vulnerare fulminea quadam coruscatione † renitebant. Subarmalis autem vestis illi peplo quodam circa humeros involuto latialiter tegebatur, quod omnium figurarũ lumine variatum, cunctorum schemata perferebat. Pectus autē exquisitissimis gemmarum coloribus baleatũ. Hęc quum in progressu arma concusserat, velut *fulgurę nubis fragore collisò bombis dissultātibus, fracta diceres crepitare tonitrua. Deniq; creditũ quod instar Iovis eadem posset etiam fulmina iaculari. Nam † renidebāt * fulgore

veluti impotens rerum omnium regina & impellere quo vellet & unde vellet deducere & in lachrymas flectere, & in rabiem concitare, & in alios etiam vultus sensusque convertere tam urbes quàm exercitus præliantes & quæcunque poterat agmina populorum. Hæc etiam Senatũ, rostra, iudicia domuisse in gente Romulea: Athenis verò curiam, gymnasia, theatraque pro arbitrio reflexisse, ac totam fundituś Græciam instituisse ferebatur. Hac verò loquente, qui vultus vocisve sonus, quantaque excellentia celsitudoque sermonis audire operæpreciũm etiam superis fuit: tantæ inventionis ingenium: tam facundæ ubertatis eloquium: tam capacis memoriæ recordationisque thesaurum. qualis disponendi ordo, quàm pronunciandi congruens modulatio? qui gestus in motu: quæ profunditas in conceptu? Denique exilis in modicis: in mediocribus facilis: in elatione flammatrix: reddebatque cunctos in ambiguis dociles: in persuasione cedentes: in collisione discordes: in laudibus arrogantes. At verò cùm quid commotum publici nominis attestatione clamaverat, fluctuare, permisceri, ardere omnia videbantur. Hanc igitur fœminam auratę vocis, & quasdã diadematum gemmas regnorumque fundentem, ingens illustrium virorum sequebatur agmen. Inter quos proximi eidem duo diverso habitu nationeque prēnitentes: quorum unus erat pallio circumactus, alterque trabeatus. Diversus utrique oris sonus, licet alius etiam Athenis se diceret Graia didicisse, ac * promptus gymnasiorum studijs & reluctantibus semper Academiæ altercationibus haberetur. Ambo tamen novi protectique paupertatis sinu. Et cùm alterum Quirinalis eques, alium fabrilis procrearet industria: ita præclues linguæ excellentia floruerit, ut post curiarum * facta, immeritasque * proiinus * fata

© Biblioteca Nacional de España

mortes virtute astra conscenderent, immortalitate gloriæ secula superarent. De uno tamen quem Athenarum populus ac palliata agmina sequebantur, hæc fama convenerat, quod acerrimus idem & procellis indignantis Oceani fremituque violentior. Deinq; de illo versus huiusmodi ferebatur:

In quodam exempl. manuscripta legitur,

Δεινὸς ἀνὴρ τάχιστον καὶ αἱμαίπου αἱπόωτο.

Δεινὸς ἀνὴρ τάχιστον καὶ αἱμαίπου αἱπόωτο.

Alter verò, quem consularis purpura & coniurationis extinctæ laurea redimibat, mox ingressus curiam superùm, & in Iovis gratulatus est se venisse conspectum, clamare igitur cœpit: *O nos beatos, ô rempubl. fortunatam, ô præclaram laudem consulatus mei.* Post hos tamen in diversis agminibus oratores emeriti, ac præ se ferentes insignium culmen meritaque linguarum Æschinem, Isocratem, Lysiamque conspiceres. Tum in togatis agminibus Sosantios, Gracchos, Regulum, Plinium, Frontonemque. Verùm ante cunctos atque ipsam ducem omnium fœminam, senex quidam signum ac præviam virgam gestans, lictoris Romulei præcedebat usu, atque in eiusdem virgæ culmine, Corax oris aurati venientis fœminæ auspicio prævolabat. Ille autem qui gestabat virgulam, Tisias dictus, cunctisque vetustior atque elatior videbatur. Nam & suos minores cæteros ipsam illa ducem respectans, superpositum corvum commune pignus filiamque memorabat. Quo argumento commoti quamplures deorum eam quidem nobilissimam fœminam primam, sed aut Apollinis credidêre cognatam, si Graia est: aut si Romulea de gente, Corvini. Cui ænigmati illud adiectũ, quod intrepida fiduciæ promptioris, tam Palladis quàm ipsius Cyllenij deosculata pectus cuiusdam propinquæ familiaritatis indicia patefecit. Denique nonnulli superùm cùm in trepidationem buccinæ præcinentis, & admirationem amicitię superorum incerti, diutius divinatorem Phœbum cuperent scisciscitari, nondum Iove maximo disquirente, tumultuariè quæ esset inquirunt. At tunc illa respectans superos universos, aliquanto commotior sic cœpit: Patrem maximum Iovem cœterosque cœlites, quos in causis pluribus sæpe sum deprecata, atque ipsum conventum superæ confessionis attestor, nihil magis mihi inconsentaneum atque indecens æstimari, quàm ut quæ semper in foro iudicijsque quampluribus accusaverim multos, aliosque defenderim, & viribus gloriam delectationis annixa, mihi de discriminum fatis * promeriti eventus præconia compararim. Nunc apud vos superi quis placere immortalitatis instar ac precium videbatur, invita compellor scholarium iuvenilium monitus, & exilia decantatæ artis præcepta memorare. Neq; enim hoc nobis asscribit inopia, cùm redundantes turmæ suppetant consequentium. Nam absque his qui perturbantes pectora sensusque cunctorum cognoscentum quoq; perfregere subsellia, etiam alios habeam qui minutias præceptorum & artis intimę comenta perscripserint. Inter utrunque verò * culmen sectatorum præniteat Tullius meus, qui non solùm in foro, senatu, rostrisque grandiloquę facultatis maiestate tonuerit: verùm etiam ipsius artis pręcepta commentus, libros quamplures seculorum usibus consecrarit. Quod cùm ita sit, emeritæ granditatis pudor & celebrati quantũ puto nominis gloria, hæc inchoamentorum primordia detrectaret excurrere, ni & hoc ad immortalitatis præmium proficeret, quod iubetis, ac fiducia perennitatis accendat exequi, vel * primora: tamen Iove cum superis imperante accingar: igitur hæc aridiora percurrere, minus quidem quàm publicitus soleo placitura, quanquam si Pallados aures atq; Arcadiam ratione benivolæ maiestatis participarit assensionem. Nunc quidem apud vos maximi cœlites displicebo: quippe sum ipsa Rhetorica alij * artem, virtutẽ alij dixêre, alteri disciplinam. Artem verò iccirco quia doceor, licet Plato huic vocabulo refragetur. Virtutem autem dicunt, qui mihi bene dicendi scientiam inesse compererunt. Qui edisci verò dicendi intimam rationem & percipi posse non nesciunt, fidenter me asserunt disciplinam.

** pro meritis*

** columen*

** primordia*

** Artem*

De officio & fine Rhetoricæ.

OFficium verò meum est dicere appositè ad persuadendum. Finis persuadendi id quod est propositum dictione. Quæ quidem verba mei Cicer. attestor, cuius etiam exemplis me per omnes insinuo præceptionis ductus consequenter usuram.

Vbi & Vnde.

MAteries autem duplex est mihi. *Vbi & unde* fiat oratio. *Vbi*, ut cùm ipsius membra aggredior quæstionis. *Vnde* cùm res inventæ, verbaque sociantur.

Quæstio Rhetoricæ, aut Finita aut Infinita.

QVæstio ipsa aut finita est, aut infinita. Finita est, cùm nascitur de certo facto, demonstratque personam, ut in Rosciana quæritur Ciceronis, *Vtrum interfecerit patrem Roscius.* Infinita est, quæ generaliter quærit utrum sit aliquid appetendum, ut *an philosophandum sit:* in Hortensio disputatur. In superiore autem crebrò assidueque colluctor, atque eam Græcis placuit ὑποθέσεν nominari. Infinita verò universitatis astruendæ sibi fiduciam vindicante, tum potius versor, cùm ocium ac disputationes aggredior: licet plerumque etiam pars ipsa quæ Thesis dicitur, in causis mihi elatius anhelanti amentatas hastas crebrò & pila plurimum valentia ministrarit. An aliud in Scauriana succurrit, cùm interposita disputatione tractatur, *Ex quibus causis mors eveniat repentina.* Ac pro Milone similiter, *An mundus prudetia gubernetur?* Denique è meis sectatoribus quidam acri admodum

© Biblioteca Nacional de España

modum ac subtilissima ratione commoti, nullam esse attestantur hypothesim quæstionem: cuncta quæ in defensione pro reis contraq; eos in accusationibus retractantur, ad generales quæstiones poterunt applicari.

Quæ sunt partes officij Rhetoricæ.

IAm verò partes officij mei quinque esse non dubium est. Nam est Inventio, Dispositio, Elocutio, Memoria, Pronunciatio. Iudicatio enim quæ à nonnullis dicitur, partibus cunctis asscribitur. Iccircoque ipsa pars non poterit ritè censeri: licet quid dicendum, quidve silendum sit, dispensatio iudicationis examinet.

Inventio est quæstionum argumentorumq; sagax investigatrixque comprehensio.

Dispositio est quæ ordinem rebus attribuit.

Eloquutio quæ arripit verba vel propria vel translata, quæque uova facit, veteraque componit.

Memoria firma rerum verborumque custodia est.

Pronunciatio vocis motus gestusq; pro rerum & verborum dignitate moderatio. Sed ex his Inventionem certum est esse potissimam, cuius opus est causæ quęstiones excutere, & argumenta probatu idonea reperire.

De quæstionibus principalibus & incidentibus.

QVæstionum verò duplex species est. Aliæ sunt enim principales, alię incidẽtes.

Principales sunt status, ex quibus nascitur causa, quas Tullius constitutiones appellat.

Incidentes verò, quæ dum tractatur causa, nascuntur, dum argumenta vel scripta refutando, in plures causa deducitur quæstiones: ut sic principalis, *utrum Clodium iure occiderit Milo.* Incidens, *uter utri insidias compararit.*

De Statibus, & unde nascantur.

PRincipales igitur status sunt numero tres: *An sit, quid sit, Quale sit.*

An sit, coniectura est, ut *an patrem Roscius occiderit. Quid sit*, finis: *An maiestatem minuerit Cornelius. Quale sit*, qualitas, ut: *An Saturninus iure necatus sit.* Sed ne forsan moveat, quod prætereo quartum statum, quem Hermagoras invenit, subtilor ratio est eum non statum, sed partem dicere qualitatis, quòd in eius expositione monstrabo.

Nunc dicendum est quomodo status inveniantur in causa. Inveniuntur igitur per intentionem & depulsionem.

Intentio est obiectio eius facti quod in iudicium venit.

Depulsio quædam resistens intentioni negatio, ut si dicatur, *Occidisti patrem, non occidi.*

Ex his duabus inter se concurrentibus vocibus, nascitur quæstio, quæ dicitur *status*, quòd ibi quasi ad pugnandum actionum acies ordinata cõsistat. Sed facile est videre, quid obiecto crimini respondeatur. Illud facile non est quid debeat intendi, utrum factum, ut *hominem occidisti*: an nomen facti, ut *homicidium fecisti.* Et licet videatur idem esse, tamen in superiori obiectione si negabitur, coniectura erit: cùm dixerit, *non occidi*. In hoc ubi rei nomen intenditur, potest & finis videri, ut si dicat, *non feci homicidium*. An cùm quicunque homo, ancum innocens occiditur. Quòd si non factum obijcias, sed criminis nomen negatione diversæ partis: non erit manifestum qui status existat. Nescies enim quid negat, qui ita neget, *non feci homicidium*: utrum quia nullum hominem iugularit, an quia tyranni interfectio homicidium non vocetur. Est igitur intendendum ipsum illud quod factum est, ut si id negaverit adversarius, habeas coniecturam. Si eo concesso nomen criminis excluserit, intelligas finem. Quòd si concesso facto factique vocabulo, licuisse sibi vel oportuisse facere dixerit: *qualitas* in causa versatur: quæ aut de re, aut de actione congregitur. De re, ut *Miloni facere licuisset.* De actione. *An servo vel addicto Tribunos liceat appellare: an habere ignominioso liceat concionem.* Quę species qualitatis, Translatio nominatur. Item cavere debemus ne intendamus auditoris officium, & sola status qualitas fiat. Nam qui causam cognoscit, propositum habet efficere aliquid, id est, aut damnare aliquem, aut absolvere.

De generibus auditorum & causarum.

AVditoris autem sunt tria genera. Vnum eius, qui secundũ æquitatem aliquid statuit, & is est perpensè *Iudex.* Aliud eius, qui honestate vel utilitate incerta dubius alienæ sententię persuasionem inexplicabilis *deliberator* expectat. Tertium genus eius est, qui facti honestatem vel turpitudinem libera æstimatione perpendit. Hunc *æstimatorem* convenit nominari. Hæc igitur sunt tria causarum genera, quæ hypothesi continentur, id est, Iudiciali, Deliberativa & Demonstrativa.

Iudex. *Deliberator.* *Aestimator.*

Sed cùm omnes prædictarum rerum audidotos dubitatio sui deducat officij, quærendum discrimen est & proprietas singulorum. Nam & iudex, cuius officium est damnare reum, vel absolvere: possessionem dare vel auferre, priusquam cognoverit causam, dubitat quo modo utatur officio. Et qui deliberat, ambiguamentis opinione differtur. Et laudationis arbiter, an ritè quis laudetur estimãti contemplatione dispensat. Sed cùm in diversum hæc distrahãtur officia, tunc illud maximè discrimen attendimus: quemadmodũ temporibus varientur. Nam deliberatio futuri tantùm temporis continet quæstionem, ut si deliberet Cato: *An se debeat, ne victorem aspiciat Cæsarem, trucidare.* At verò iudiciale genus tam præteriti quàm futu-

© Biblioteca Nacional de España

nonnunquam temporis invenitur. Sed in præterito tantùm facto coniectura: ex futuro qualitas frequeeter innascitur, ut suo loco promptius asseretur. Laudativum etiam genus in præteritis factis omne consistit, sed à iudiciali genere fine discernitur. Nam aliud est absolvere innocentem æquitatis imperio: aliud laudibus prosequi gloriosum, insignium contemplatione meritorum. Accedit quod in iudiciali genere ambigit cognitor in rebus alienis: In Deliberativo verò quisq; tam de suis quàm etiam de rebus externis: In laudativo æstimator auscultat vera congruaque quæ memorentur, licet novella etiam id contulerint blandimenta, ut suæ prædicationis fiat arbiter qui laudatur. Ergo oportet attentius intueri, ne ea quæ auditoris officium habuerit, intēdamus, ut si Verri quòd damnandus sit edicatur. Ille quippe se damnandum non esse respondit, & utrum damnandus sit, sola qualitas apparebit. Igitur à facti obiectione nascitur intentio, ut si eidem dicas: *Siciliam spoliasti*: responsuro, *non feci*, coniectura componitur. Stultum quippe est id quoo in arbitrio manet iudicis, aut * certè facti nomen non ipsum crimen intendere. Cavendum æquè, ne cùm lex ulla vel scriptura in causa tractatur, intentio sumatur ex lege, ut si dicas, *Lex te murum vetabat ascendere peregrinum*: Sed illud potius dicendum: *Murum ascendisti*, ut si negaverit, non sit pugna de lege, sed de facto, cui accedit lex. Si confessus ex facto, tunc contra legem fecisse videatur. Cæterùm si negato facto fuerit lex, vel quævis scriptura recitata, superflua videbitur contentio: quando non iuris, sed veritatis altercatio contineat quęstionem. Hoc vitio plerique falsi sunt.

* certi

Sed & præter illos treis quos status asserui, alios quatuor vel quinque descripti qualitate manantes esse dixerunt: qui licet suas in divisione causæ partes obtineant, tamen nunquam principali loco nascuntur: quia nisi fuerit quod probetur, nemo ad probandam recitat legem vel aliquam scripti formam. Id autem quod probatur, status est: qui ex primo conflictu semper existit. Cæteræ quæstiones controversiæ vel incidentes sunt perhibendæ.

Quomodo status facilè inveniatur.

SIc igitur inveniendi Status facilis erit ratio, cùm neque nomen admissi, neque auditoris officium, neque legem aut scriptum aliquod intentionis loco poterit objici, Itaque talis est intentio, *Hominem non occidisti*. Depulsio, *non occidi*. Quæstio ex his oritur, *an occiderit*, in quo statu erit coniectura.

Sed cùm intētioni ius facti opposuerit reus, fit qualitas, ut à Milone non factum negatur, sed de facti iure contentio est, *occidisse enim se fatebatur Clodium, sed iure fecisse*. Huic depulsioni subijcitur ratio, quæ non una simplexve sit. Nam potest unum atque idem factum propter varias causas videri probabile, ut hoc idem, quòd *insidiatorem occiderat Milo*, una ratio fuit. Alia, *Quòd hostem Reipubl. & tyrannidis affectione succensum*, se interemisse memorabat. In quibus assertis fit quidem qualitas, sed diversæ species eius erumpunt. Nam prima relativa, altera comparativa qualitas fulget. Quòd si intentioni non ius facti, sed negatio nominis, ut: *Adulterium non feci*, opponatur: quanvis negatio depulsionis vice dicatur, tamen non faciet coniecturam, quia non factum, sed nomen facti destruitur, ut in hoc adulterij actio sit: *Cum repudiata uxore stupratorem qui repudiaverat maritus invenit, accusat adulterij: Reus cōtradicit, nec factum negat, sed adulterij nomen excludit*. Et quæritur quid sit adulterium, quod est diffinitivæ controversiæ. Igitur coniectura ipsius facti negatio est finis non admissi, sed nominis. Iccircoque etiam depulsio ingesti criminis, quia cum facto aliud nomen imponitur, imminens obiecto crimini periculum denegatur, ut in hoc obiectu: *Pocula templi è sacerdotis domo furatus es, sacrilegiū fecisti*. Repellit. *pocula quidē abstuli: sed quia de domo non de templo, furtum, non sacrilegium nuncupandū*. In quo etiam facti * alia quædam videtur esse negatio, non enim hoc ad deorum iniuriam spectat admissum, sed ad dispendium sacerdotis, cùm de domo pocula subtrahantur. * Hic utraque factum diffinitione tractandum, id est, & quid sit sacrilegium, & quid furtum.

* alia

al. In utrq

Qualitas est cùm qualis sit quæritur.

NVnc de qualitate dicendum, cuius multiplex natura: Divisionem partium primò desiderat, ut ea decursa singularum proprietas explicetur. Qualitas igitur aut de re, aut de actione est. De re, cùm eius facti quod in iudicium venit ratio causáve tractatur: vel cùm quid fieri oporteat disceptatur, ut *An iure Clodium Milo iugulaverit*, vel *An domus Tullio restituenda fuerit*. De actione autem cùm quæritur, an admittenda sit actio & iudicium faciendum: quæ pars, quoniam iuris æquitate perpenditur, rectè eam in species qualitatis subtilius aggregamus. Aliam autem quam Harmagoras quasi constitutionem nouam, aut qualitatem distinguere, & translationem vel perscriptionem vocare maluerat. Sed hæc * posterius, qualitas, ut futuri temporis æstimata, ita & præteriti Iuridicialis: futuri negocialis, qualitas in utroque iuris assertio est. In iuridiciali naturæ, in negociali legis aut cōsuetudinis asserta versantur. Iuridicialis autem dividitur in absolutam & assumptivam. Absoluta est, quæ factum ipsum sui natura & iure defendit. Assumptiva, quæ cùm in facto ipso nihil probabile reperiat, confugit ad ipsam causam, eamque iustam ut facere deberet allegat. Vt *cùm Milo non potest dicere hominem licuisse iugulari, causam occidendi astruxit insidias Clodianas*. Illic assumptivè nomen accepit: quia cùm absolutè factum tueri non possit, confugit ad causas.

* posteriu

Hæc

© Biblioteca Nacional de España

Hęc igitur assumptiva partes habet quatuor: Relationem, Remotionem, Comparationem, Concessionem.

Relatio est, cùm de facto confesso culpam in eum qui pertulit refert, ut, *in Clodium Milo, Orestes in matrem, Horatius in sororem*: qui iccirco à se perhibuit iugulatam, quia eius provocatus iniuria, in facinus sit coactus.

Remotio est, cùm obiectũ crimen in alterũ, vel in aliud ab eo qui percellitur removetur: In alium, ut *Tiberius Gracchus in Mancinũ, qui auctor faciendi fœderis fuit, quod tam senatus quã populus improbarat*. Itẽ in tali causa: *Legatus nisi intra triginta dies profectus erit, capite puniatur. Quæstor sumptum legato non dedit, tempus emensum est*. Accusatus contradicit, *& crimen obiectum removet in Quæstorem*. In aliud autem removet: *Si morbo tardatus, in infortunium suum causam removeat tarditatis*. Removetur verò aut ipsum factum: *Si ad alterius attinuisse dicitur potestatem*: aut causa, *Si alterius vitio quid accidisse dicatur*.

Comparatio est, quam compensationem novi à posterioribus perhiberi. Non cum crimini beneficium alterius temporis subrogatur: sed cùm factum iure defenditur, ut ex eo aliquid commodi sequeretur: nam si meritum alterius temporis, velut in compẽsationis gratiam memoratur, ad deprecativam potius admovendum est qualitatem, quæ veniali specie continetur: hęc verò ritè se fecisse contendit, ut Veris illa responsio: *Magno, inquit, decuntas vendidi*: quod factum compensat utilitate beneficij. In hac quippe parte facti confessio est, sed immanitatem obiectionis excludit * allegatio promerendi. At in illa criminis factique una confessio est: sed aut ab animo separatur, aut purgatione cessante ad humanitatis miseranda respirat.

Verùm hæc qualitas venialis in bina asserta discernitur. In purgationem & deprecationem. Nam purgatio est, cum confesso facinore animum voluntatemque purgamus. Cuius modos tres esse non dubium est, imprudentiam, casum, necessitatem. Imprudentia est, cùm à voto, scientiaque nostra aliquid dimovemus, *Quidam in venando iaculum intorsit in beluam, & hominem delitescentem retibus interemit*: quæ pars Error dicitur, atque ei subduntur: Ignoratio, vinolentia, oblivio, fatuitas, dementia, cæteraque quæ errorem admittentis excusant. Casus verò culpam eventus exonerat: ut, *Qui cum victimis ad diem sacrum non occurrerit fluminis incrementis*. Scelus autem necessitate commisit, *qui præcepto ducis insontem hominem iugulavit*. Inter quos modos hoc interest, quod imprudentia fallit, casus prohibet: necessitas cogit. Deprecatio autem nihil causationis associat, sed in exorandi humilitatem precesque suspirat. Cæteras quæstiones, quas Status dicunt incidentes, advertant, qui talium didicerunt: sicut interius demonstrationem formet primæ vocis ingestio. Plerumque enim secunda vim intẽtionis incutiet, ut in hoc, *Viro forti præmium, quod volet, qui fortiter fecit*: petit præmium nuptias vxoris alienæ: In quo qui petit præmium, quia nullum putat ẽ diverso, nihil intendit, sed maritus contradictor intendit: licet secundo loco videatur assurgere, cui per depulsionem vir fortis obstabit: tanquam petitionem præmij, quod popposcerat * accusati præmium iustum esse contendens, tanquam si factum aliquod iure tueretur.

Item quæstiones legales, quas tanquam Status causis incidere memoravi; principalium quęstionum intentione vel depulsione non eadem regula percensentur: quippe quæ in secunda conflictione prorumpunt. Nam prima qua itati tribuitur. Igitur illa intentionis ac depulsionis regula in qualitatis prædicta parte turbatur.

De Examinatione, id est, Iudiciali genere.

NVnc τὸ κρινόμενον, quod Græci dicunt, consequenter assumam. Nam cùm intentio & depulsio statum constitutionemque signaret, si coniectura fuerit, Iudicationi præbebit pariter rationem. Neque enim est quòd possit ponderari iudicio, nisi ipsa negatio. In qualitate verò, vel sine alio loco quàm status apparet, necesse est confessa depulsio facti habeat rationem: quam item accusator infirmet, & velut secundaria quæstio procreatur per confirmationem impugnationemque rationis. Hic illud iudicabile posse versari: idque esse quod ęstimator iusti ratione perpendat, posse in quavis causa & omnes status existere. Et multæ rationes, infirmationesque numerosæ, perindeque iudicationum semina copiosa: cùm vnum videlicet factum multiplici ratione defenditur, ut Tullius pro Milone: *Quòd insidiatorem, & quòd hostem publicæ quietis occiderit*. In his igitur ille status potius apparebit, quem orator pro utilitate defensionis sumpserit. Illa etiam ratio ex oratoris plerunque astructione colligitur. Tuncque velut rationes alij status emergent, ac sic ad * probationes scriptura profertur.

Hinc Iudicatio legalis orietur, cuius species sunt quinque. Vna est, cùm scripto aliquod, pluráve ambigua continentur: quæ à Græcis ἀμφιβολογία memoratur, ut excommunione nominis res plerunque confunditur, ut est istud: *Quidam taurum legavit*, quo nomine servum habuerat admodum preciosum. Verùm illi hæres *taurum*, hoc est, bovem dedit, quia fecit nomen amphibolum quæstionem. Item ex nominum distinctione per syllabam, ut qui habuerit propinquos duos: unum *Lesium* nomine, aliumque *Milesium*, hæredemque constituens sic locutus est *Hæres esto mi Lesi*. Qua distinctionis ambage certamen exortum, dum hæres *esto mi*, distinguit, qui *Lesius* dicebatur.

* alligatio

* accusanti

* approbationis

© Biblioteca Nacional de España

Alius verò continua nominis iugitate *Milesium* dicit hærede m.

Sunt item modi quos dialectica comprehendit astructio. Item species scriptionalis est quæstionis: quæ ex verbis & sententia scriptionis emergit, vt in hoc: *Peregrinus murum ne ascendat.* Quidam obsessa ciuitate conscendit, hostemq; deiecit. Arguitur hic reus legis sententia, verbis nititur accusator.

Tertium quæstionis est genus, cum contrariæ leges vtrinq; secus colliduntur, vt in illo: *Mas templum Cereris ne ingrediatur.* Itē, *qui parentibus opem non tulerit puniatur.* In templo Cereris vapulanti matri ingressus opem filius tulit. Accusatur. Facit hic conflictum diuersitas legum, quarum interpretatio colliditur, vt cui potius auscultandum fuisset appareat.

al. descriptionalis.

Quarta de * scripto quæstio est, quæ dicitur syllogismus, cum ex eo quod scriptum est, aliud quoq; quod non scriptum est argumentatione colligimus. vt in hoc. *Exulem intra fines deprehensum liceat occidere.* Quidam inuentum exulē verberauit: accusatur, à defensore colligitur, quod minus permisso sit fieri debuisse.

al. forte, verberasse.

Huic insunt modi quatuor. A simili, à consequenti, à maiore adminus, à contrario. A simili ita, vt *quia patris interfector culleo insuitur, hæc pœna manere debeat matricidam* A consequenti sic: *Tyrannicidæ præmium. Qui suasit tyranno deponere dominatum, præmium petit. Colligit par esse meritum, quia reddidit libertatē.* A maiore ad minus: Supra dixi enim. *Si exulem permittitur iugulare, licet etiam verberare.* A contrario, *Si vir fortis meretur præmium, desertor dignus est pœna.* Finitiua superest quæstio de scripti ambiguitate demanans, cum aliquod verbum in lege vel testamento dubiū est, & diffinitione clarescit: vt *nocte cum telo deprehensum liceat occidere: quendam cū fuste nocte deprehensum magistratus occidit, reus est cædis: lege se quidē tuetur, sed telum quid sit inquiritur.* Quod quæstionis genus hoc à principalibus differt statibus, quia nō de facto, vnde orta causatio est, sed descripti tātùm diffinitiōe disquiritur. Discutitur igitur ab his legalibus status principales esse discretos & hos incidentes dici. Illos autem à quibus causa nascitur, vel constitutiones vel status certius appellari.

De genere deliberatiuo.

IAm nunc decursis constitutionibus controuersiarū, deliberatiui & demonstratiui generis statum videamus. Nam & causarū tria genera esse dubium non est, & in omni causa statum debere versari, licet in deliberatiuo quandam qualitatem negocialem cōsistere, quod de futuro deliberat, existimarint. Tamen ita qualitas plerunq; censenda est, vt alij quoq; status huic gener posse accidere non negentur. Nunc status in talibus ita reperiri posse firmamus, vt nō ex intentionis depulsione, quemadmodum in conflictibus monstratum est, regulā teneamus. Quid enim aut quis intendet vel ordine soluto persuasor dissuasorúe confligent, cum alterum deligere inastructionibus non vetemur. Sed tamē accusatoris partes dissuasor videtur arripere. Qui enim inhonestum vel inutile illud quod dissuadet ostendit, procerto ipsum videtur accusare negocium. Persuasor verò partes arripit defensoris, & negocij tractatum qualibet obiectione contrarietatis absoluit. Ex quo & persuasor intendere, & dissuasor depellere memorandi. Ac sic conflictione partium facta, status poterit apparere, vt in tali causa *Crebro ad muros exercitu confugiente, deliberat imperator vtrum diruat muros* Muros excindi cum dicit, nonne videtur si fecerit accusare? Deinde grauiter & seditiose id exercitum perpessurum. In quo coniectura fiet de commotionis euentu. Ac mox si dicat *Victoriam non vocandam, si præsidium ciuitatis exscinditur.* Finis accessit. Diffiniendum quippe *qualis status mœnium victoriam faciat celebrari.* Tunc si dissuasor addat *Sine consilio senatus id fieri non debere:* Præscriptio etiam videtur accedere. Certum est igitur & intentionem dissuasori iure signari, & deliberatiui cunctos status promptius apparere. Sciendum tamen, ne dissuasor velut sentētiam dicens, prohibeat tanquàm iudex, cum eius officium hoc sit, ne faciat persuadere inhonestę rei, velut inutilis ratione monstrata.

De Genere Demonstratiuo.

IAm nunc in Demonstratiuo, quemadmodū status emergat non est facilè memoratu. Iccirco quia non statim laudē vituperatio consectatur, vt quisquis laudabilis non est, vituperabilis habeatur vel contra. Qui vituperatione caruerit, laudibus fastigetur, vt *Si laudabilis ex eo quis dicatur, quia homicidium non commisit.* Est ergo medium nomen, quod priuationem placuit memorari, propterea quia laude priuatur, non confestim vituperationi permittitur, vel contra. Sic tamen status demonstratiui generis apparet, cum laudatorem vituperatoremq; constituens, & vituperatori accusatoris intentionem, laudatori defensoris partes adiunxeris. Aut illud subtilius conformatur, vt auditor inter laudem & vituperationem libratus velut aduersanti loco ponatur. Non enim antequam laudandum quenquam laudabilem demonstraris, non illi talis intentio est, vt laudabilem nondum credat. Aduersum quam intentionem laudatori certamen est vel vituperatori, licet insuperiori astructione quidam conflictus euidens approbetur, vt cum alius quempiam laudat, & alter accusat, vt *Catonem Tullius laudans, & duobus voluminibus Cæsar accusans.* Ex quo colligitur omnium causarum genera statibus percensenda.

Hoc reperto, naturam causæ discutieb, quæ aut simplici, aut duplici quæstione, aut multipli ci continetur. Simplex est, cum vnum quid in tota actione disquiritur, vt *Clodium Mi-*

lone

© Biblioteca Nacional de España

lone iure necaverit. Illud verò quod per indicationem posteriore loco disquiritur, *uter utri insidias compararit*, non est singulare, sed iunctum ex duplici coniectura, & quam Græci αἰτικαλογίαν nominant. Sed incidens quæstio, genus causæ facere non potest. Duplex tum ex rebus fit, ut pro Cælio, *de auro & veneno*. Tum collatione, ut pro Roscio, *Filiús ne patrem, an inimici iugulaverint?* Multiplex verò ex pluribus quæstionibus causa consistit, ut repetundarum omnes Verrinæ: & pro Scauro, *de Bostaris nece*. De Arinis uxore, & decimis tribus exquiritur.

Causæ ductus. Dehinc ductus causæ inspiciendus est. Ductus autem est agendi per totam causam tenor sub aliqua figura servatus. Sunt autem ductus quinque: Simplex, subtilis, figuratus, obliquus, mixtus. Simplex, cùm non aliud est in agentis consilio, aliud in verbis, vt, *Si bene meritum laudes ac noxium accuses*. Subtilis, cùm aliud vult animus, aliud agit oratio, ut, *Quidam abdicat filium, quòd amicos non habeat: hic non verè abdicat, sed ut amicos habeat, terret*. Figuratus est, cùm apertè quid dicere prohibet verecundia propter obscœna, & significatione alia atque integumentis vestita monstratur. Obliquus est, cùm metus impedit aliquid dicere liberè, & per quosdam faciendi cuniculos obijcienda monstramus. Vt in hoc: *Tyrannus qui sub abolitione tyrannidem posuerat fortiter fecit, petit præmij nomine armorum arcisq; custodiam, Magistratus contradicunt.* Mixtus autem ex utroque componitur, cùm & pudor & metus impedit libertatem, ut, *Tyrannus qui duos filios habuit: quorum uni uxor iniqua infamis fuit, cuius maritus se suspendit. Cogit alterum filium eandem ducere contradicit.* Hic non est inceitum liberè, nec tyrannidem potest obijcere. Hi sunt ductus artificiosè tractandi, & per totam orationem subtiliter diffundendi: qui à colore hoc separantur, quòd color in una tantùm parte, ductus in tota causa servatur.

Ductus reperitur ex causativo litis, hoc est, ex re quæ controversiam facit, quæ aut præteriti temporis est, ut *An Aiacem Vlysses occiderit*, quæ ductum simplicem tenet. Aut si præsentis vel futuri temporis fuerit, omnes ductus admittit. Ergo ductus de consilio nascitur. Consilium ex causativo litis exoritur. Causativum litis est, quod facit dubitationem, ut in illo tyranni, Causativum litis est, quòd *tyrannus custodiam & arcis postulat & armorum.* Hunc ductũ servatum testatur prima Philippica, quæ mira subtilitate dominatum Antonij latenter insimulat, ut omnia dicens nil asperè dixisse videatur.

De Argumentis.

HIs omnibus cõquisitis argumenta videndia sunt, quibus ad quęstionis ambiguum fides valeat adhiberi. Fides autem tribus fit modus: Conciliando, docendo, permovendo. Illa prior ethica, sequens apodictica, tertia pathetica nominatur. Cõciliatione licet in tota causa uti conveniat, tamen in principijs uberius insistendum, & in commovendo maximè vigere debet epilogus: docere autem præ cæteris debet ipsa narratio: quanvis diluendis quæstionibus obijciendisque criminibus non dissimilis operetur astructio. Nunc de argumentis incipiamus.

De Argumentis iterum.

ARgumentum est ratio, quæ rei dubiæ fidem facit. Res dubia est intentio & depulsio, vel ratio & infirmatio rationis. Cùm enim obieceris, *occidisti*, ut doceas argumentatione & firmatione vis maximè cùm negatur etiam ipsum *non occidi*. exigit argumentum: licet ad faciendam fidem etiam illa quæ inartificialia nominantur, debeant adhiberi, ut tabulę testimonia, quęstiones, quę post discutienda servabo. Nunc argumenta tractentur, quę aut in negocio de quo agitur posita sunt, aut illud attingunt. In ipso tum totum, tum pars eius, tum nota, quam Græci ἐτυμολογίαν dicunt. Attingunt verò negocium, quæ ad id relativorum ratione dicuntur. Et sunt numero tredecim: à coniugato, à genere, à forma vel specie, à simili, à differenti, à contrario, à coniunctis, ab antecedentibus, à consequentibus, à repugnantibus, à causis, ab effectis, à comparatione. Cuius sunt partes tres, maiora, minora, paria. Apparet in omnibus relativam inesse rationem. Nam coniugatum alterum alteri nominatur, & genus & species ad se * relata fiunt. * relativa Ipsum etiam simile alicuius asimile est. Et omnes loci argumentorum non ex se, sed ex alio nomen accipiunt.

De Diffinitione.

IGitur totum quod dubium discutitur, diffiniri primitus oportebit, & sic argumenta tractare hoc modo. Sit res dubia, *Vtrum utilis eloquentia videatur. Eloquentia* totum est. In toto igitur diffiniendum est sic: *Eloquentia est bene dicendi scientia. Bene dicere autem utile est: utilis igitur eloquentia.* Cui loco tractando subsidio est Dialectica, quam nuper audistis per quam cognitum puto: quid sit genus, quid species, vel differentia, proprium, accidens, cæteraque quæ eius præcepta tenuerunt, tamen ut potero, hæc breviter, strictimque percurram.

De Genere.

GEnus est igitur ad multas species, differentiasq; notio pertinens, ut *animal* quod refertur ad hominem, pecudem, avem, piscem, cæteraque, quæ non tantùm numero, sed etiam specie disparantur: quòd alia aerea, alia aquatilia, terrenaque, alia rationabilia, alia rationis expertia, quę sub uno nomine collecta cùm fuerint, nomine generis appellantur.

© Biblioteca Nacional de España

De specie.

SPecies est, quæ à genere pendens alia continet numero tantummodo disgregata, ut *homo* continet & Demosthenem & Ciceronem, quibus una species est, sed numero distãt.

De Differentia.

DIfferentia verò est sufficiens quæstioni discretio, ut si quæratur inter hominem, leonemque quid intersit, respondeatur quòd *homo mitis, leo ferus sit*: quod quidem nec hominem à mitibus cæteris, nec leonem à feris alijs distinguit animalibus.

De Proprio.

PRoprium est, quod rem aliquam ab hominum communione discernit, ut *risus*. Hoc enim non est homini commune cum cæteris.

De Accidente.

ACcidens est, quod in aliquo positum nec pars eius est, nec separari ab eodẽ potest, ut per se posit existere; ut *color in corpore, in animo disciplina*.

Argumentum à parte.

A Parte verò argumentum, non ad totum probandum ducitur; sed ad aliam partem quæ continet quæstionem: Non enim probata pars totum probat; utpote si oculus videt, non ideo totum corpus videt, cùm refutetur totum videre corpus: sed dialecticus iste tractus est. Nunc quemadmodum argumentum à parte ad partem sumatur, ostendam: *Si pedes, si brachia tueri debemus, utique oculos diligentius asservare.* Cuius argumenti loco incurrere aliquando & aliud potest, qui à minore ad maius ducitur: Nec tamen ideo principalis argumenti ratio perturbatur, quia geminari aliquantum argumenta natura permittit. Hoc sæpe contingere & in figuris solet; de quibus postea nobis erit dicendum.

Fit nonnunquam & in hoc modo à partibus argumentum, cùm inducta partitione, & propositis partibus pluribus, cæteris refutatis, aliquam concludimus partem, in qua sit quæstio constituta, ut si dicas: *Equum hunc quem habes, aut emisti, aut dono accepisti, aut natus est domi, aut furatus es. Non autem emisti, nec dono tibi traditus est, neque natus est domi, furatus es igitur.*

A Nota vel Etymologia.

A Nota vel Etymologia, ut Græci dicunt, sumimus argumentum sic: *Si consul est, qui consulit reipublicæ, quid aliud Tullius fecit, cùm affecit supplicio coniuratos?* Quo in loco originem vocabuli tantùm oportet attendere.

De Negocio.

AB his verò quę negocium videntur attingere, argumenta ducuntur hoc modo. Primùm à coniugatis; quo uno nomine proposito principali, per eius derivationem casu aut tempore commutato aliquid approbamus, ut, *Si pietas virtus est, quod piè factum est, laudari oportet.* Constat enim laudabilem esse virtutem. Qui locus à superiore hoc differt, quia aliud est unde nomen impositum fuerit perscrutari: aliud per cognationem verbi ab alio deflexi argumenti vim sumere.

A Genere ad Speciem.

A Genere autem, cùm quod in toto valet ad speciem quoq; deducitur, ut, *Si varium & mutabile quiddam est fœmina, Dido etiam varia mutabilisque videatur, possitque ex amore in odium commutari.* Hac ratione illud Ciceronis astruitur. *Nam cùm omnium provinciarum sociorumq; rationem diligenter habere debeatis, tum præcipuè Siciliæ ô Iudices.* Hunc locum ille à toto videtur imitari: Sed interest illud, quod in illo à diffinitione, hic ab ipsa ratione, qua genus est, argumenta ducuntur. Et quod in genere totum est, quod totum divisione perit, genus manet etiam partibus distributum.

A Specie vel à Forma.

A Specie vel à forma ducitur argumentum, ut fidem generali faciant quæstioni, ut Cicero in Philip. *Est quædam actio lex. Actum enim genus est legis, quod à specie, id est, lege lata à Cæsare comprobatum est.* Quod item confirmat à similibus: *Quære acta Gracchi, leges Sempronia proferentur. Quære Syllæ, Cornelia.*

A Simili.

A Simili per se, *Vt Helena Troianis, sic * civilibus bellis semen tu fuisti.* Item, *ut sæpe homines ægri morbo gravi cum æstu febrique iactantur*, &c. Huic dissimilitudo contraria est, quæ à Cicerone differentia nominatur: quæ res inter se divisas non adversas ostendit: cuius Cicero ponit exemplum in Verrem: *Sed tu idem fecisse eris æstimandus, si eodem consilio fecisti.* Hoc & in personis ostenditur, & in rebus, & in tempore, & in locis, & in alijs quæ nunc memorare longissimum est.

* civib. bl

A Contrario.

A Contrario, ut vita & mors, ex quibus Terentius sic: *Nam si illum obiurges, vitæ qui auxilium tulit, qui facies illi, qui dederit damnum aut malum?* Cicero in tertio Philippicarum contra Antonium econtrario argumentatur dicens: *Si ille Consul fustuarium meruerit, legiones quid, quæ Consulem reliquerunt?*

A Cons

© Biblioteca Nacional de España

A Coniunctis.

A Coniūnctis autem fides petitur: cùm quę singula infirma sunt, ea coniuncta vim veritatis assumunt, ut si quid accedit, ut *tenuis anteà fuerit: quid si, ut avarus? quid si, ut audax? quid si, ut eius, qui occisus est inimicus?* singula hæc, quæ non sufficiunt: iccirco congregata ponuntur, ut ex multis iunctis res aliqua confirmetur.

Ab Antecedentibus.

A B antecedentibus sicut Cicero: *Cùm ille nō dubitaverit aperire quid cogitaverit: vos potestis dubitare quid fecerit?* Præcessit enim prædictio, ubi est argumentum: secutum est factum, unde est quæstio.

A Consequentibus.

A Consequentibus verò conversim, ut quęstio in antecedentibus sit, argumentum in sequentibus, hoc modo, ut si hoc secutum est, illud pręcesserit, ut, *Si peperit, cum viro concubuit.* Exemplum de Verrinis: *Si finem edicto prætoris afferunt Kalendæ Ianuariæ, cur non initium quoque nascitur à Kalendis Ianuarijs?*

A Repugnantibus.

A Repugnantibus argumentum est, cùm ostenditur duo sibi cohęrere nō posse. Verbi causa, *ut & parasitus quis sit, et ridiculus non sit*, quæ per negationem simul esse non posse, prædicantur hoc modo: *Non & parasitus est* *gnato, & ridiculus non est?* Eius loci exemplum est in re magis ipsa, quàm forma verborum, *Is igitur non modò à te periculo liberatus, sed etiam honore amplissimo ornatus, arguitur domi suæ te interficere voluisse.* Et in Cornelia prima, repugnare dicit, ut: *Divisores quos honoris sui ministros esse voluerat, lege ambitus vellet affligere.*

* gannio

A causis.

C Ausarum locus latè patet, & multa disputatione tractatur. Sed nunc formam eius satis fuerit demōstrare sub hoc exemplo: *Sed cum ob tua decreta, ob iudicia, ob imperia dabātur: non est ita quærendum cuius manu numerarentur, sed cuius iniuria cogerentur.* Sic & Virgil. *Me ne fugis? Octavio Ligure postuleret?* Virgilius:

Tu potes unanimes armare in prælia fratres.

Ex hoc utique probat, & alienos posse quod minus est. Terent. *Nam qui mentiri, aut fallere instituerit patrem aut matrem, tantò magis audebit & cæteros.*

A Minorum comparatione.

A Minorum comparatione, ut est: *Publ. Scipio Pontifex Maximus Tiberium Grac. mediocriter labefactantem statum Reipubl. privatus interfecit.* Deinde iungit quæstionem, ubi modus est quidam: *Catilinam orbem terræ cæde atque incendijs vastare cupientem, nos consules perferemus?* Ex hoc Teren. loco illud: *Hic parvæ consuetudinis causa huius mortem tam fert familiariter.*

A Parium comparatione.

A Parium comparatione. Cicer. *Et si non minus iucundi atque illustres sunt hi dies quibus nascimur.* Et in Pisonem: *Nihil interest utrum ipse consul improbis cōcionibus, perniciosis legibus rempubl. vexet, an alios vexare patiatur.*

H Is igitur breviter demonstratis, illa quæ non excogitantur ab Oratore, sed à causa aut à reis suggeruntur, in tribus (ut diximus) rebus posita sunt. In scriptura, ut *tabularum.* In auctoritate, ut *testium.* In necessitate, ut *tormentorum.*

A Scripto.

A Scripto argumentum petitur, cùm ad dubiæ rei probationem, vel chirographum vel testamentum transactionis, aut tabulæ recitantur, cæteraque huiusmodi: quæ ita nota sunt, ut exempla de oratione nō quærant.

Ab Auctoritate & Testimonio.

A B auctoritate verò, ut, *Africanum dixisse iure cæsum esse Tiberium Gracchum.* Aut cùm testimonium quo veritas nudetur affertur, ut *Gneum Pompeium demisso frumēto celeriter testem nobis orator inducit.* Auctoritas igitur, aut indicantis, aut testis est. Huic parti adiunguntur oracula, cæteraque id genus.

A Necessitate.

N Ecessitas verò dat fidem ex tormentis, aut somno, aut furore, aut vinolētia, quæ vocē alicuius rei extorquet invitis. Quæ omnia cùm ad coniecturam causa, persona, facto adducuntur, id est, ipso testimonio, vel confessione, vel scripto capiunt fidem vel amittūt. Nam nec causa dicentis attenditur, & persona tractatur: & ipsi scripturæ secum, aut cùm causa qualitas comparatur.

De Conciliatione animorum.

S Equitur, ut ad ea quæ conciliant, aut permovent auditores, intentionem suam fle-

© Biblioteca Nacional de España

ctat assertor, quoniam ad fidem faciendam hæc quoque pertinere prædiximus. Conciliantur igitur animi, tum personæ, tum rei dignitate. Personæ, aut auditoris, aut rei vel ipsius oratoris, aut adversarij. Auditoris sic: *Qualem te anteà publicæ rei præbuisti, cùm huic eidem quæstioni iudex præesses, talem te nobis & populo Romano hoc tempore impartias.* Rei verò, ut pro Deiotaro, *Quem ornare anteà cuncto cum senatu solebam pro perpetuis eius in nostram rempubl. meritis.* Oratoris verò cùm de se non superbè, sed moderatè loquitur: quale est illud: *Cùm Quæstor in Sicilia fuissem ô iudices, itaque ex ea provincia decessissem, ut Siculis omnibus*, &c. Sed hæc plenius in exordiorum præceptis edisseram. Ab adversarij verò persona conciliatio fit, dum illius iniquitate aut arrogantia demonstrata, nostra modestia commendatur. Sed hæc posterius & in principijs: quanquam nunc non orationis partes, sed dicendi formas & faciendæ fidei species numeramus: quo loco patheticæ quoque dictionis attendimus facultatem, cuius vis vel in epilogis maximè continetur. * Mea primordia quidem apud veteres hac animorum permotione cavere, quod tunc demonstrabitur, cùm ordiendi præcepta tractabimus. Interim generatim, quibus mentes affectibus incitentur, nulla partium diffinitione signabo.

al. Nec mea

De Commotione animorum.

COmmoventur igitur auditores, aut miseratione, aut odio, aut invidia, aut metu, aut spe, aut ira, cæterisq; similibus.

Miseratione, cùm calamitates alicuius magno dolore tractamus. Cùm iniquitatem temporis vel periculi magnitudinem memoramus, ut in septima Verrinarum: *Patres hi quos vidi*, &c.

Ab odio, cùm adversarij factum vel viris bonis vel iudicibus ostenditur execrandum; ut, *Cùm iudicum corruptio docetur à Verre iactari.* Item, *Cùm in avaritia, scelere, periurio vos sui similes esse arbitratur.*

Invidia est, quæ quodam livore inficit auditores: ut est, *Quod ad tuam ipsius amicitiam cæterorumque hominum magnorum atque nobilium, faciliorem aditum istius habet nequitia & audacia, quàm cuiusquam nostrûm virtus & integritas.* Item, *Istum rebus omnibus undique ereptis, impunè eludentem circumfluere & abundare.*

Potest quidem & illa res auditorum mentes incendere, ut si alicuius exaggeres tyrannicum spiritum, aut potentiam non ferendam.

Metum verò excitari vel proprijs vel communibus periculis. Proprijs, ut, *Hoc est iudicium, in quo vos de reo: P.R. de vobis iudicabit.* Communibus autem, ut est: *Videor mihi videre hanc urbem lucem orbis terrarum, arcem omnium gentium subitò uno incendio concidentem.*

Spe quoque animi perturbantur, cùm beneficia aut obsequia promittuntur, ut, *Cùm fidem Milonis Pompeio pollicetur, & Cælij in omni vita servitium obstrictum vobis ac liberis habebitis.*

Ita etiam vehementer animos turbat; ut cùm exaggerat & exclamat Tullius in curia sedere socios Catilinæ: *O dij immortales ubi nam gentium sumus? Quæ Respublica hîc habetur? In qua urbe vivimus? hic, hic*, &c.

Similes alij permiscentur affectus, qui cùm ad persuadendum plurimũ valeant, extra cautam tamen sunt, nec apparere in Oratore manifestius debent, ne insidijs iudicem capere non ratione deducere videatur.

De Dispositione.

HIs igitur ad fidem faciendam prudenter inventis, ordo rerum est sociandus: quæ pars dispositio vocitatur, qua quid dicendum; quóve loco; quid penitùs omittendum: quomodo etiam; & quando, & ubi; prudenter inspicimus. Duplex igitur huius partis est ratio. Aut enim naturalis est ordo, aut oratoris artificio comparatur. Naturalis cùm post principium, Narratio, Partitio, Propositio, Argumentatio, Conclusio, Epilogusque consequitur. Artificio oratoris, cùm per membra orationis quæ dicenda sunt digerimus. Et hoc ex causæ utilitate, non ex temporis serie coaptamus, ut pro Milone factum, cùm quæstiones quasdam ante narrationem, ut præiudicia refutaret, induxit, quod non ex ordine naturæ, sed ex causæ utilitate mutavit. Et pro Cornelio primo refutata sunt crimina quæ secuta sunt tribunatum. Post ad ipsum tribunatum recursus est factus. Quæ dispositio artificialis, ut diximus, nominatur. In Verrem autem, naturalem temporũ ordinem tenuit, ut primùm quæsturam, tum legationem: deinde duas ei præturas objiceret, servata temporum ratione: quam nisi causæ repugnet utilitas necessariò prosequemur. At ubi maiora quæque potissimum & invidiosiora purganda sunt, ab his sumitur refutationis exordium: pro Cluentio coniecturæ partibus expeditis ad præscriptionem legis accessit, ordine videlicet cõmutato, ne si Cluentium legis assertione non defenderet, fugere causam diffidentia videretur.

Dispositio naturalis.

Dispositio artificialis.

De Elocutione.

DVabus his officij partibus absolutis; Elocutionis cura est intimanda. Quæ cùm constet in singulorum animadversione verborum, hoc ab eloquentiæ nomine separatur: quòd illa totius operis oratorij virtus est: cuius Cicero duo quasi fundamenta, duo dicit esse fastigia. Fundamenta sunt Latinè loqui planéque dicere. Quorum unum Grammaticè loquẽte didicistis, cùm eius vobis insinuata est subtilitas. Fastigia verò sunt copiosè ornatéque dicere, quòd non ingenij, sed laboris est maximi, exercitatione etiam diuturna, qua non

© Biblioteca Nacional de España

non solùm uberior, sed illustrior quoque facultas exquiritur.

Huius rei duplex ratio est. Vna, qua in singulis verbis lumen appareat. Altera, vt dignitas eloquendi copulationis ipsius decore seruetur. In singulis verò, aut proprium, aut translatum † mutatumque conquiritur. Propria sunt vetusta præcipuè: nam tum, cum proceres vel nescirent hæc dicendi ornamenta, vel appetere non auderent, proprijs vtebantur. Sed quia verborum veterum iam exoleuit vsus, non sunt audacius vsurpanda illa quæ cum ætate mutata sunt. Itaque *hallucinari*, & *cerritum*, & *caperatum*, similiaque prætereuntes vtemur his, quæ consuetudo recipiet. Nec tamen sordidis, nisi cum rei sententiæque vis exigit, vt Cicero volens crudelitatis inuidiam facere ait: *Gurgulionibus † eiectis reliquerunt, & virgis plebem Romanam concidere.* Nec indecore Virgilius vitandę humilitatis aucupio *lychnos pro lucernis* ait.

l. mutuatiū-que.

Exoletum voces.

al. exactis.

Quod si sua res propria verba non habeat, nouanda sunt, aut alienis vtendum. Nouantur autem duobus modis verba, aut quadam fictione verborum, aut declinatione præsumpta, aut duorum quæ vsitata sunt coniunctione compo sita. Finguntur maximè, cum transferimus, vt *qui ποιότητα qualitatem* esse dixerunt. Quod nomẽ nunquam fuerat in Latinis, quo & auribus temperandum, & insolentia fugienda. Quam vitans Cicero *Soterem saluatorem* noluit nominare. Et ait, *Qui salutem dedit.* Illud enim nimis insolẽs videbatur.

Noua vocabula.

Deriuatione quoque fiunt verba, quæ Grammatici paragoga nominarunt, vt dicimus: *Florea rura*, & *campiq; virentes oßibus albent*, quod satis crispa inflexione Oratius *albitant* dixit. His plerunque Grammatice vtitur: licet Tullius *glandi feras possessiones* dicat, & *grandiloquos oratores.*

Huic diligentiæ subiungitur translatorum cura verborum, cum res aut sua non inuenit verba: aut cum volumus splendidius aliquid explicari. Ergo aut inopiæ, aut decoris causa transferuntur. Inopiæ, cum dicimus *gemmare vitem*, & *luxuriare segetes lætasq;* perhibemus: desunt enim propria, & commodantur ascita. Decoris verò, vt *bellum subitò exarsit*, cum potuerit dici, *extitit*. Et item possumus ab omnibus sensibus mutuari, vt ab oculis *lux libertatis*, & *odor legum*. Et *Silent leges inter arma.* Et à gustu: *O nomen dulce libertatis.* Verùm non debet hæc translatorum, alienorumque verborum affectatio sine moderatione captari. Nec longè petita debent esse translata, vt si dicas, *Luxuriosam Charybdim*. Vitandum quoque ne turpis sit similitudinis vsurpatio, vt si dicas, *Castratam Africam, mortuam rempublicam.* aut *Clodium stercus Senatus.* In hoc genere transferendi etiam allegoriam poetæ præcipuè nexuerunt. Et Cicero, cum dicit, *Senatum à gubernaculis deiecisses: populum Romanum è naui exturbasses. Ipse archipirata grege prædonum impurissimorum plenissimis velis nauigares.* Et in Pisonem: Vt *qui in maximis tempestatibus, ac fluctibus Reipublicæ nauim gubernassem, saluamque in portu collocassem; frontis tuæ nubeculam; & collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem.* Vsurpatis ergo his similiter pluribus verbis elocutus est, quæ suis fortasse angustius aut humilius diceret. Item translata quodammodo sunt, quæ aut ex parte totum, aut ex toto partem, aut ex vno plures monstrant, aut ex pluribus singula. Ex parte totum, vt *in puppim ferit vnda.* Aut *me ijsdem parietibus tuto esse tecum*, pro *eadem domo.* Hunc Tropum Metonymiam Grammatici memorauerunt, Catachresin etiam Græci, quam nos abusionem dicimus, vt cum perhibemus *naturam deorũ* pro *substantia.*

In coniunctis verò verbis orationisque contextu seruanda sunt hæc, vt constructio † coaugmentata, & conclusio perfecta proueniat, & quodam schemate dictio venustetur.

al. coagmentata.

Iam compositionis præcepta percurram, cuius vitium maximum est, hiulcas & asperas voces, frenos etiam iotacismos, metacismos, labdacismos, homœoproferon, dysproferon & polygsigma non vitare, vel cuiuslibet literæ assiduitatem in odium, in peritiã, vt *Sale saxa sonabant*: Et *Casus Cassandra canebat.*

Metacismus est cum verborum coniunctio M literæ assiduitate colliditur, vt si dicas *Mammam ipsam amabam: quasi meam animam.*

Labdacismus est, vbi L plurimum dissonat, vt si dicas, *Sol & luna luce lucent alba leui lactea.* Iotacismus, vt si dicas, *Iunio Iuno Iouis iure irascitur.*

Polysigma, vbi S litera crebrius geminatur: *Sosia in solario soleas sarciebat suas.*

Homœoproferon est, cum dicitur: *O Tite tute Tati tibi tanta tyranne tulisti.*

Dyspropheron, vt si quis dicat, *persuasi trices, præstrigiatrices atque inductrices tygres.*

Asperæ inter penultimam vltimamque verborum maximè vitandæ, cuius exemplum est, vt si dicas, *Phaleras ablatas grátis*, aut si *iuret auriga per lora, per flagella, per frena.*

Hiulcæ sunt, cum in ea parte quam diximus, similes vocales ac similiter longæ collisam hiantemque structuram faciant, vt si quis dicat, *Suscepisse se liberos secundo omine.* Et vt Tullius pro Milone ait, *Auctoritate publica armare.* Quod quidem artem dissimulans plerunque appetit voluntate.

Vitandum similiter ne in eodem loco tres aut quatuor longas breuesque continuè ponamus, neue in notissimos versus, & maximè heroicos structura fundatur, Iambicosque versus quamuis eos Cicero non euitet, cum dicit: *Senatus hæc intelligit, consul videt.* Et heroici versus finem vel initium non declinet: cum dicit: *O miserum cui peccare licebat.* Et in Academicis: *Latent ista omnia Varro magis obscurata & circumfusa tenebris:* Et in Verrinis plenum versum vna quidem syllaba mutilũ fudit, cum dicit:

© Biblioteca Nacional de España

Cum loquerer tanti fletus, gemitusq; fiebant. Nec finem vitauit elegiaci sicut ait: *Oderat ille bonos.* Incurrit etiam in hendecasyllabi phaleucij petulantiam dum dicit: *Successit tibi Lucius Metellus.* Hic tamen vir & longo opere & ipsa sui maiestate defenditur. Cæterùm in clausulis vitiosissimum reperitur. Animaduertendum autem ne cum similitudinem versus effugimus, bonā clausulam transeamus, vt si timeas dicere, *strepitumq; plagarum*, cum *pla*, longa sit, & bonam clausulam fecerit.

Vitandum etiam in eodem loco cacophaton vel interpositione, vel commutatione verborū. Inhonesta enim exēpla sunt, vt *Arrige aures Pamphile.* Atque, *erepta virginis ira.* In his enim sordescit oratio. Vitandi etiam freni, qui fiūt ex asperrimis literis in vnum concurrētibus, vt est illud Terentij in Hecyra. *Perpol quàm raucos reperies meretricib. fideles euenire amatores Syras?* Et ab ijsdem literis incipientia, vt est: *Non fuit istud iudicium iudicij simile iudices.* Et in eadem desinentia, vt *fortissimorum, proximorum, fidelissimorumq; sociorum*, in eodem vitio habentur. Item penitus fugiendū breues syllabas continuare quamplures, vt est illud Sereni: *Perit auipedis animula leporis.*

De Pedibus.

HIs breuiter intimatis pedes sunt asserēdi, quibus clausulæ decenter aptentur: quos quidem Cicero quadam permixta confusione perturbat, dum dicit, Modo ditrochęo ionicum concludēdum, modo peonem primum probat incipientibus: modo finientibus, modo dochimum, qui constat ex breui, duabus longis, breui & longa: cuius exemplum posuit: *Amicos tenes.* Item amphimacrum pedem, & rursus dactylicum numerum laudat: modo anapæsticum: modo † deuteriambum laudat, nec tamen certa † scientia est. Ego tamen compendiosiora percurrā, vt in hac sylua quibusdam videar prēire tramitibus.

al. dytirambum. al. sententia.

De Monosyllabis.

IN monosyllabis inspiciendum est, vtrum finalis longa breuisne sit. Si enim longa est, præire debet trochæus, vt est illud Ciceronis: *Non scripta, sed nata lex.* Aut debet esse legum in republica prima vox, quæ tamen pendente sensui apta cōclusio. At verò si breuis fuerit monosyllaba, iambus aut anapestus antecedat, vt ait Sallustius: *Tota autem insula modica & cultibus inanis est.* Breuem verò breuis, aut longam longa, non sine vituperatione sectatur, vt si dicas, *Ista res mea est*: aut contrà: Quod Cicero pro Ligario: *Non tu eum patria priuare qua caret: sed vita vis.* Quod voluntate orator non errore composuit. Verùm hoc de monosyllabo superius præceptum in Colo melius collocamus aut comma te, non in fine sententiæ.

De Dissyllabis.

DIssyllaba verò iambico numero non iure clauduntur, sed si penultimus spondæus, mox iambus aptetur, vt si dicas, *Tenui seruos meos.* Aut pyrrhichius pro iambo, vt *Consul videt.* At bona clausula est ex Iambo & spondæo, vel vltimo trochæo, vt si quis dicat: *Patria continet bonos ciues*, vel *asserit caput legis.* Cauendum est autem, ne aut duo iambi, aut iambus & pyrrichius in fine ponantur, vt si quis dicat, *pugnare iuuenes* † *pro parentibus suis.* Cauendum etiam, ne pyrrichius post pyrrichium veniat, & quatuor breues faciat, vt si quis dicat, *perdidi bona mea.* Aut post pyrrichium trochæus, spondæusue, vt si dicas: *Conqueritur sua fata*: aut *imputat sibi demens.* Sed & trochæus & iambus, vel pro iambo post trochęum pyrrichius, malam clausulam faciunt. Hunc enim finem elegiaci pentametri turpiter reddit. Quid enim interest, vtrum dicas, *omnia nempe vides*, an verò dicas, *Aspice facta meas?* Bene autē ponuntur, vel trochæi vel trochæus & spondæus in fine clausulæ, vt si quis dicat: *Hæc est bonorum ciuium magna cura.* aut *hæc sunt, quæ maximi principes sola curant.*

al. propera tibus suis parentibus.

De Trisyllabis.

TRisyllabis clausulam terminātibus lex est. Si modo eā velis leniter fluere, vt trochæo præcedente penultimam Molossus subsequatur, siue longam habeat nouissimam syllabam, siue breuem iure metrico, vt illud est Tullij: *Mare fluctuantibus littus eiectus.* Fit autem pessima clausula, si pro trochæo penultimo spondæum prælocaueris, vt si dicas, *Mare fluctuantibus rupes eiectus.* Item pessima, si pro trochæo pyrrichium præmiseris, vt si dicas, *Mare fluctuantibus,* † *apis eiectis.* Item vitiosa est conclusio, si nouissimi molossi prima syllaba breuis fiat, quamuis trochæo ritè præmisso. Tunc enim heroicū comma nascitur, vt si quis dicat *littus amicis.* Item bona clausula fit, si pro nouissimo molosso ionicus minor ponatur post trochæum, vt si dicas, *Mare fluctuantibus littus agitanti.* Sed in hac clausula cauendū, ne pro trochæo penultimo spondæus ponatur: nam tunc si solueris tertiam molossi, in vitium cadis, in quale incidit Cicero, cū dicit, *Si te semel ad meas capsas admisero.* Si autem penultimo trochæo mediam molossi solueris, pulchram clausulam feceris, vt si dicas: *Littus Emiliæ.* Item trochæo penultimo. pulchrè etiam tertia molossi resoluitur, vt si dicas, *Littus æquabile.* Item si trochæi penultimi longam solueris, & primam molossi vltimi, fit elegans clausula, vt est, *curas regere animorum.*

al. apex.

Sententiarum autem figuræ hæ sunt.

IRonia est simulatio, in qua aliud verbis significamus, aliud re ipsa sentimus, vt est principium pro Ligario. *Nouum crimen C. Cæsar.*

Paralepsis est præteritio, cum prætermittentes quædam, nihilominus dicimus.

Apostrophe est in aliquem districta conuersio, frequens apud Ciceronem ac nobilis figura. Hæc est, cum in aliquem sic conuertimus actionem, vt ex ea iudices doceamus.

Diapo-

© Biblioteca Nacional de España

Diaporesis est addubitatio: qua figura vtimur, cum veluti dubitantes ab ipsis iudicib. inchoamenti consilium postulamus, vt pro Cluentio. *Equidem quo me vertam iudices nescio.* Et pro Cornelio: *Pugnem contra nobilissimorum hominum studia, consilia, rationesq; eorum aperiam, &c.*

Erotema est interrogatio, qua figura vtimur cum interrogando aliquid coaceruamus, & exaggeramus eius inuidiam.

Pysma est quæsitum, quæ figura à superiore eò differt, quòd interroganti vna voce tantum responderi potest: quæstio autem nisi pluribus responderi non potest, vt cum dicimus, *qua igitur ratione bellum geremus? quæ auxilia nobis parata erunt? Quis erit, qui subuenire velit, cum tam acerbè socios tractauerimus?*

Diatyposis est descriptio vel deformatio, cum rebus personisque subiectis, & formas ipsas & habitus exprimimus, vt Tullius pro Milone. *Si hæc tunc gesta audistis, facta videretis, & Milonem in rheda sedentem penulatum cum vxore: item Clodium cum equo & delectis villa egredientem, &c.*

Antisagoge contraria inductio. Hæc figura est, cum aliquid difficile est, & contrarium conferimus, vt Cicero de rege Ptolemæo. *Difficilis ratio belli gerendi, at plena fidei, plena pietatis.*

Diasysmos est eleuatio vel impressio. In hac laudantes, quæ dicuntur ab aduersarijs dissoluimus: qualis est in Mureniana totus ille in Sulpicium locus de iure ciuili.

Methathesis est transmotio quędam, hoc est, cum rem à nobis aliò transmouemus, sed non ita ibi totam causam constituamus, alioquin status incipit esse, non figura.

Quot modis fiat elocutio.

HActenus de sententiarum figuris, nunc ad elocutionum figuras transeamus. Sed volo breuiter memorare, quot genera sint elocutionis: quotque modis ea vtendum sit. Est igitur familiaris omnis narrationis generi, quã Græci ἐπίμονον λέξιν appellant: quæ ita connectitur, vt superiorem elocutionem semper proxima sequatur: & historiæ conuenit & narrationi, & non conuersum neque circumscriptum eloquendi genus desiderat, sed diffusum atq; continuum, vt illa sunt in Miloniana: *Occidi occidi non spurium Melium, quòd annonæ leuandæ iacturis, &c.* cætera.

al. cõsequan tur.

Est alia quam Græci περίοδον appellant, quæ sententiam quadam circumscriptione definit atquè determinat. Quale est in Cecinniana: *Si quãtum in agris, locisq; desertis audacia potest: tantum in foro iudicijsq; impudentia valeret, non minus nunc Aulus Cecinna cederet Sexti Ebuci impudentiæ, quantum in vi faciunda cessit audaciæ.* Quæ multis constat ex membris, quæ κῶλα Græci dicunt: & ex cęsis quæ κόμματα appellant.

al. Ibuti.

Membrum est pars orationis ex pluribus verbis absolutè aliquid significans hoc modo: *Et si vereor iudices, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere intipientem timere.*

Cæsum autem est pars orationis ex duobus aut pluribus verbis, dum quicquam absolutè significamus: quanquam cæsam orationem dicamus, cum singula verba quoduis significantia proferuntur, vt est, *Quis est Lolli qui sine ferro ne nunc quidem tecum est? Quis est iste Lollius, armiger Catilinæ, stipator tui corporis, concitator tabernariorũ, percussor, lapidator curiæ?* Et in Verrinis: *Comites illi delecti manus erant tuæ: Accensi, medici, aruspices, scribæ, tuæ erant manus.* Verùm superior Periodus cõstat ex duobus mẽbris, & ex tribus & ex quatuor, interdum & sex. Quamuis ex vno mẽbro putent nonnulli posse compleri, quem μονόκωλον περίοδον appellant, cum sit colon potius. Optima igitur oratio fiet: si nunc ex ambitu periodico, nunc ex illa cõtinuatione perpetuę elocutionis aptetur. Nonnullisq; cæsis interrupta cum fuerit, aliquando colo consociet.

al. consentiet

Differt autem figura locutionis à figura sententiæ, hoc, quòd sententiæ figura immutato verborum ordine manere potest: at verò figura elocutionis ipso verborum mutato ordine manere non poterit, quamuis plerunque fieri potest, vt sententiæ figuræ coniungantur cum elocutionis figura, vt in Ironia, quæ figura est sententiæ; Epanaphora perinisceturr, quæ est elocutionis.

De figuris Elocutionis.

SVnt igitur figuræ elocutionis, alię ad ornandum tantũ, & quasi ad pingendam orationẽ commodatæ: aliæ verò ad significationis vim intimandam, quibus nunc vtimur.

Anthiteton, id est, compositũ ex contrarijs, cum verba repugnantia inter se paribus vocibus colliduntur, vel paria paribus opponuntur, vt est, *Ciceronis domus tibi deerat, at habebas. Pecunia superabat, at egebas.* Aut si dicas, *In pace ad vexandos ciues acerrimus: in bello ad expugnandum hostes inertissimus.*

ἰσόκωλον est æquatũ membris: quod fit non in pugnantibus inter se verbis, sed paribus exęquatis, vt si dicas: *Classem speciosissimam & robustissimã extruxit. Exercitũ pulcherrimũ & fortissimũ legit. Sociorum maximam & fidelissimã manum comparauit.*

Parison propriè æquatũ. Hæc figura differt à superiore, quòd ibi omnia membrorum genera paria sunt numero, hic vno vel altero addito in quouis loco cætera excurrunt.

Homœopteleuton simile casibus. Nam ex eo nomen accepit, quòd cola omnia in eosdẽ casus cadũt, vt est: *Huic socios vestros criminanti, et ad bellũ vos cohortantur, et omnib. modis,* vt in tumultũ essetis volenti.

Homœoteleuton, simili modo determinatũ: differt à superiore, quod illud & casũ & sono simili postrema verba determinat, hoc verò soni tantum similitudine, sub quacunq; verbi enunciatione componitur.

Paronomasia, leuis immutatio verbi ac nominis, id est, cum syllaba aut litera mutata, diuersa significat, vt si dicas, *prætor est vel potius prædo.*

Ploce, id est, copulatio, in qua idem verbum aut nomẽ continuò positum, diuersa significat,

© Biblioteca Nacional de España

vt est: *Sed tamen ad illam diem Memmius, Memmius ad illud tempus, Memmius in alio.*

Palillogiam iteratio. Hæc figura repetito verbo aut nomine, non diuersa vult intelligi, sed vehementius repetita significat, vt est: *Nos nos, dico apertè, nos consules desumus.*

Epanalepsis est repetitio, hęc figura à superiore distat, quòd illa eadem parte orationis repetita coniungitur, aut vno alteróue verbo interposito: at hæc non vna parte interposita orationis, sed prout libuerit sociatis verbis, vt est: *Non potest, iam non potest hæc libera ciuitas esse.*

Anadiplosis est replicatio optima, cum ea quæ in priore membro postrema ponuntur: in posteriore prima repetuntur, vt est illud Terem. *Negat hanc sibi cognatam Demipho. Hanc Demipho negat esse cognatam.*

Proapodosis redditio orationis, id est, cum nomen in postrema parte membri, aut eadem, quæcunque pars orationis redditur, ex quo idē membrum cœpit, vt si dicas, *publicas tibi calamitates imputare debet respublica.*

Epanaphora relatio, quotiens per singula membra eadem pars orationis repetitur, hoc modo: *Verres calumniatores opponebat, Verres de causa cognoscebat: Verres pronunciabat.*

Antistrophe conuersio, hęc figura hoc differt à superiore, quòd illa ab eadem parte orationis sæpius incipit: hæc in eadem terminatur, vt est pro Fonteio: *Maximus numerus è Gallia peditatus, amplissimæ copiæ è Gallia, equites numero plurimi è Gallia.*

Symploce connexio: nam & incipit sæpius ab vna parte orationis, & totiens in vnam atq; eādem desinit, vt est: *Quis legem tulit? Rullus. Quis decemuiros quos voluit creauit? Idem Rullus.*

Polyptoton ex pluribus casibus, cum sæpius initium ab eadem parte orationis fiat, illa ipsa pars declinationibus aut numeris immutatur per casus, vt est, *senatus iussit, senatui placuit, senatū certum est præcepisse, à senatu delectus est.*

Synonymia est communio nominis, quotiens vno verbo non satis dignitatem rei aut magnitudinem demonstramus, ideoq; ad eandem significationem plura conferimus.

Tautalogia est eadem pluribus verbis significatio. Hoc differt à superiore, quòd ibi singulis verbis eadem res, in hac plurimis significatur.

Climax est ascensus, vt est Ciceronis pro Milone, *Neq; verò se populo solum, sed etiam senatui commisit. Neq; senatui modo, sed etiam publicis socijs & armis. Neq; his tantum, verum etiam eius potestati, cui senatus totam rempublicam commiserat.*

Asynthethon est solutum, vt ademptis coniunctionibus quibus verba aut nomina connectuntur, singulatim vnumquodq; nunciamus, vt est: *Expecto vim edicti, seueritatem prætoris, faueo oratori, cupio supplicio octuplo damnari Aphronium.*

Diezeugmenon disiunctum appellamus, cū diuersis redditionibus verborum cola disiungimus, siue duo, siue plura, hoc modo: *Capuam colonis deductis occupabunt, Attellam præsidio communiet, Nuceriam cum hac multitudine suorum obtinebunt, cætera opida præsidijs deuincient.*

Antizeugmenon iniunctum. Hæc figura à superiore hoc differt, quòd ibi singulis membris singula diuersa redduntur: hic plura in vno coniungimus, vt est: *quorum ordo ab humili fortuna, sordida, turpi ratione abhorret.* Hoc enim postremum, *abhorret* prædicta coniunxit.

Pleonasmos est plus necessarium, cum verba quædam dicimus, non enunciandæ rei necessaria, sed magnitudinis cumuládę, vt si dicas: † *Antonius ille*, cum suffecerit nomen dixisse, ad amplitudinem adijcimus, *ille.* † al. Cato.

Eclipsis est detrectatio, contraria superiori figuræ, cum verbo aliquo minus dicto, rem sentiendam potius præterimus, ipsa celeritate gratissimi. Hæ sunt elocutionis figuræ, quas quidem non oportet velut studiosè copulatas in vnius conceptionis sententiam conglobari.

De Memoria.

NVnc ordo præcepta memoriæ subministrat: quam quidem constat esse naturalem, sed & arte adiuuari posse non dubiū est. Hæc autem ars breuibus præceptis, sed magna exercitatiōe formatur. Cuius artis hoc munus est, vt non tantum firma, verum etiam celeri comprehensione res verbaq; percipiātur. Tenenda verò sunt non ea tantum quæ à nobis inuenta sunt, sed etiam quæ ab aduersario in agendo tractata sunt. Simonides huius rei præcepta inuenisse perhibetur, poeta idemq; philosophꝰ. Cū enim conuiuij locus subitò corruisset, nec possent propinqui obtritos internoscere, discūbentiū ordinem nominaq; memoria recordante suggessit. Quo admonitus intellexit ordinem esse, qui memoriæ præcepta conferret. Is verò in locis illustribus meditandus est: in quibus species rerum, sententiarumq; imagines collocandæ sunt, veluti, *nuptiarum, velatam flammeo nubentem*, aut *homicidæ, gladium, vel arma detineas.* Quas species locis tāquam depositas memoria reddat. Nam sicut id quod conscribitur cæra cōtinetur & literis: sic quod memoriæ commendatur in locis tanquam in cæra paginaq; signatur. Imaginibus verò quasi literis rerum recordatio continetur, sed vt diximus, magnam exercitationē res laborēq; cōquirit. In qua illud obseruari cōpertum est solere, vt scribamus ipsi, quæ facile volumus retinere: deinde vt si lōgiora fuerint sunt ediscenda, diuisa per partes facilius inhærescūt. Tum apponere notas rebus singulis oportebit, his, quas volumus maximè retinere. Nec voce magna legenda sunt: sed murmure potius meditanda, & nocte magis quàm interdiu maturius excitari memoriam manifestum est: cum & latè silētium iuuat, nec foras à sensibus vocatur intentio. Est quidē memoria rerū atq; verborū: sed non semper ediscenda sunt verba, nisi spacium meditandi tempus indulserit. Sat erit cui res ipsa animo tenuisse, præsertim, si nihil eius munere naturali prouenerit.

De Pro-

© Biblioteca Nacional de España

De Pronunciatione.

ACtionem apud veteres appellabam, quam nunc pronunciationem vulgo dici non nescio. Ea præstat oratio, vt concilietur audi tor, vt ad fidem persuasione ducatur, vt animorum motibus incalescat. Eius partes sunt tres, vox, vultus, gestus. His, vt plerique putant, cultus vel habitus oris accedit. Vox & natura constat, & quadam scientia modificata seruatur. In natura qualitas vocis & quantitas dispensatur. Scientia verò quomodo ea vtaris assequitur, & quid oporteat obseruare. Bonitas vocis constat claritate, firmitate, suauitate: quæ omnia nutriuntur, cibi, potus, coitus obseruantia, præcipue que, vt corpus deambulando moueatur, intra breue spacium reditu maturato: qui motus cũ digestionem facilem præstat, sine dubio purgat. Et vocem nimia excursio vel longa deambulatio extenuat ac fatigat. Post hanc deambulationem statim nos ad studia conferamus, priusque quàm sit dicendum, vocem lectione coloremus. Nec ab initio clamandum, sed tenui murmure inchoãdum: quo in similem vocem possis efferre. Ad curandam autem vocem plerique pertinere dixerunt, vt sedentes paucissimos versus lenta & graui proferant voce. Deinde per gradus paulatim erigant sonum; per eosdemque gradus recolligatur oratio, quæ sine damno ad murmur vsque perueniat. Vultus verò pro sententiæ dignitate mutandi sunt, sed non ita, vt histrionibus mos est: qui ora torquendo ridiculos motus spectantibus præstant. Significãda enim non spectanda sunt ista, quæ actio vultusque commendat: sed oculorum in hac parte magna moderatio est, qui tum hilaritate, tum intentione, tum minaci mouentur aspectu. Nec nimium grauioribus supercilijs premendi, aut petentibus frontem nudandi sunt oculi: quod in Pisone Tullius amare vituperat. Nec mollius agitandi sunt gestus, aut muliebriter latera deducẽda sunt: nec iactanda deformiter ceruix, ne in illas Hortensij deducatur illecebras: quibus & si venustè, tamen nõ videbatur vti viriliter. Ad summam non is gestus oratori tenendus est, quo scœnæ placere videntur actores. Manus in contentionibus fusa porrectius: in sermocinatione vel narratione contracta, præcipueque in hac parte præstandum est, vt deceant cuncta, quòd prudentia magis quàm vlla preceptionis huius arte seruattur.

De partibus Orationis.

IAm nũc ordo admonet promissorum, vt partes orationis excurram: quas quidam subtilius duas, alij quinque, nonnulli plures esse dixerunt. Qui autem duas asserunt: vnam, qua docemus iudices: aliam, qua mouemus, aduertunt & in docendo, tam narrationem, quàm cõfirmationem partes ascribunt. In mouendo autem procemium & epilogum nexuerunt: quia & initio præparandus est & commouendus sententiam prolaturus auditor. Qui verò quinque dixere partes, rationalem ordinem persequuntur. Nam est, exordium, narratio, propositio, argumentatio, peroratio.

De Exordio.

EXordium est oratio noscendæ causæ præparans auditorem: eius virtutes sunt tres, vt attentum, vt docilem, vt beniuolum faciat auditorem. Attentum facimus, si magnam rem geri, si nouam, si publicam aut plurimam dicimus. Docilem, si de causa aliquid strictim quo instruamus iudicem proferatur. Beniuolũ, aut à re, aut à persona facimus. A persona autem, aut à nostra, aut iudicum, aut aduersariorum. A nostra, si quod fauorabile gessimus, † commemoramus. Aut si quid obest causæ diluimus, vel extenuamus. A iudicum, si eos nobis vel ex causæ ipsius blandimẽtis, vel extrinsecùs cõciliamus. Ab aduersariorum autem persona trib. modis, si eos in odium, in inuidiam, in contemptum ducimus. In odiũ, si scelestos crudelesue doceamus. In inuidiã, si eos impotentes esse monstremus. In contemptum verò, si humiles.

al. commendamus.

Cæterùm exordiorum genera sunt duo, principium & insinuatio. Principium est, quo statim simpliciter, palamque conciliamus nobis auditores. Insinuatio, cum insidioso exordio iudicem circũscribimus, in quo modi sunt quatuor. Primus, cum res ipsa mala est. Alter, cum aduersum nos iudex aliquid cõtraria opinatione præsumpsit, aut fatigatus est, aut acclamatio vel irrisio vlla interuenit.

Ante cuncta discutiendũ, quæ sit forma materiæ. Nam sunt quinq; honesta, turpis, dubia, humilis, obscura. Si honesta est, aut principio non vtendum, aut amplificatione exordium cõcludendum. Si turpis, insinuatione vtendum. Si dubia, beneuolus faciendus auditor. Si humilis, attentus. Si obscura, docilis.

Insinuatio verò quatuor modis explicatur. Cum aut personam rei subiectione mutamus, aut rem persona, aut rem re, aut personam persona. Nam si in causa meretricis agendum est: rem potius iudicibus spectandam esse dicimus. Aut si libertus alicuius, aut cliens agat personã patroni: non huius considerandam personam esse admoneamus, atque ita cætera.

Vitia verò exordiorum ista sunt: Vulgare, quod in omnes causas cadere potest. Commune, quo etiam aduersarius vti potest. Contrarium, quo melius aduersarius vteretur. Affectatum, quod aut verbis inusitatis, aut rebus externis profertur. Superuacuum quod neque attentum, neque docilem, neque beniuolum facit auditorem. Fugiendum præterea ne satis longum & obscurum sit.

© Biblioteca Nacional de España

De Narratione.

NArrationum genera ſunt quatuor, hiſtoria, fabula, argumẽtum, negocialis vel iudicialis aſſertio. Hiſtoria eſt, vt Liuij. Fabula neque vera eſt, neque veriſimilis, vt *Daphnim in arborem verſam.* Argumẽtum eſt, quod nõ facta, ſed quæ fieri potuerunt, continet, vt *in comedijs patrem timeri, & amari meretricem.* Iudicialis autem narratio eſt rerum geſtarum, aut veriſimilium expoſitio.

Narrationis autem laudes tres ſunt, vt lucida ſit, vt veriſimilis, vt breuis. Et his contraria vitia vocantur. Lucida eſt narratio, ſi non confuſa, ſi vſitatis ſignificationibus, ſi non longo circuitu rem monſtremus. Veriſimilis, ſi nihil affectatè, & quaſi ex natura exponere videantur. Breuis, ſi non vltra quàm res exigit, & prolixè fundatur aſſertio.

Narrationum, aliæ ſunt ipſius cauſæ & negocij, aliæ incidentes. Ipſius cauſæ ſunt, ſine quibus res, quę agitur, intelligi non poteſt. Incidentes, quæ aut probationis gratia, aut exempli agẽdi, aut inuidiæ, aut voluptatis extrinſecùs afferuntur.

Nonnulli quinque ſpecies narrationis eſſe dixerũt, vt Theodorus Byzãtius Græcè diſcernit, προδιήγησιν, ὑποδιήγησιν, παραδιήγησιν, καταδιήγησιν.

Narratationis etiam elementa ſunt ſex, perſona, cauſa, locus, tempus, materia, res.

Item narrationum, aliæ continuæ, aliæ partiles vocantur. Continuæ, quæ perpetuò contextu ſine vlla interruptione dicuntur. Partiles, quibus, vel argumentum, vel digreſsio aliqua interponitur. Narramus autem modis ſex: aut augentes aliquid, aut tenuantes, prætereuntes, aut † mouentes, docentes, gratiam vel inuidiam comparantes.

al. monentes

Poſt narrationem quidem digreſsionem, quã Græci παρένθεσιν vocant, oportet adiungere: quo vel incitamus iudices, vel delinimus. Sed quoniam pars orationis non eſt, & non ſemper arripienda eſt, eam placuit præterire.

De Propoſitione.

PRopoſitio aut noſtra eſt, aut aduerſariorũ, aut communis. Noſtra, vt *Cædem obijcio.* Aduerſariorum, *cædem me feciſſe dicit.* Communis, *vter noſtrum cædem admiſerit quæritur.*

Propoſitiones autem principalium quæſtionum ſunt, aut incidentium, aut ſimplices, aut coniunctæ. Simplex, vt *Luxurialis es, meretricem amas.* Coniunctæ autem per partitionem maximè proponuntur, quæ dupliciter fiunt. Aut enim ſimpliciter quid dicturi ſumus oſtẽdimus, aut antè, quid nobis cum aduerſario conueniat quid in dubium vocetur, edicimus.

Propoſitiones, aut nudæ ſunt, aut rationi ſubiectæ. Nudæ, vt *affectaſti tyrannidem.* Rationi ſubiectæ, *Affectaſti tyrannidem: arma enim domi habes.* Omnes autem ſumũtur, aut ſimpliciter, aut per inductionem. Simpliciter, vt ſi dicam, *docebo proditorem.* Per inductionem, vt ſi ſuperioris meminimus, & ſequentem introducimus, vt ſi dicas: *quoniam docui iniuſtam legem, docebo inutilem.* Proponimus autem, per conceſsionem, aut per prętteritionem. Per conceſsionem, cum gratiam facientes eius quod diximus prius, aliquid introducimus, vt ſi dicas. *Concedo interim occiſum: ſed ab hoc interemptum nego.* Per præteritionem, cum ita tranſimus ad alteram propoſitionem, ne ſuperiorem interim concedamus, vt ſi dicas. *Nunc quoniam docui ignominioſo actionem de priuatis rebus tantum negari: docebo de proditionis crimine non negari.*

De Partitione.

PArtitio eſt, quæ ordinem totius diuiſionis breuiter comprehendit, vt eſt pro Quintio: *Negamus te bona Publij Quintij poſſediſſe ex edicto prætoris.* Et primo ſic incipit: *Nullam cauſam fuiſſe poſtulandæ proſcriptionis.* Huic ſubijcit: *nec ex edicto poſſideri potuiſſe, ad extremum, nec poſſeſſa eſſe. Hæc* inquit *tria cum docuero, perorabo.* Animaduertis corpus totius orationis per hęc tria liniamẽta digeſtum eſſe. Talis autem debet eſſe partitio, vt ſingulæ partes eius pluri mas quæſtiones in ſe contineant. Nam ſi fuerit per incidentes quæſtiunculas deriuata, onerabitur ipſa partitio: & ex hoc rebuntur iudices rerum copiam fugiendam. Ideo & Tullius in eadem Quintiana ſic partitus eſt, vt ſingula capita plures quæſtionum articulos continerent. Etenim primũ illud *non fuiſſe cauſam poſtulandæ proſcriptionis.* Vide quanta contineat, *quod pecunia debita Sexto Nenio non fuerit, & aliter agi oportuerit, quòd Quintius vadimonium non deſeruerit.* ſecundum, *quòd ex edicto poſſidere non potuerit, quòd & procuratorem habuerit: & abſens defenſus ſit, & non latitauerit, & cæteri creditores Quintij ſint.* Et *quòd ante miſſum ſit, vt fundo communi expelleretur, quàm proſcriptio eius imperaretur. Et quia vi † deiectus ſit contra quàm prætor iuſſerit.* His igitur manifeſtum eſt, intra partitionem quæſtiones eſſe ponendas, quæ in executione ſint deuulgandę, vt iudex & nobis attentus fiat, & promiſſorum copia non grauetur. Illud etiã inſpiciendum, quæ nobis cum diuerſa parte cõueniant: quæ in controuerſiam deuocentur: & ea quæ conueniunt, tunc numeranda ſi nobis proſunt, vt Cicero pro M. Rullo ait: *Damnum paſſum eſſe M. Rullum, conuenit mihi cum aduerſario, vt hominibus armatis rem geſtam eſſe non inficiantur. A familia Publij Fabij commiſſam negare non audent. an dolo malo factum ſit, ambigitur.* Vides ergo hoc in partitione à conceſsis duxiſſe, quod ſibi proderat.

al. Vi de vita ſit eiectus.

De Argumentatione.

ARgumentatio eſt elocutio, qua argumenta ipſa verbis exequimur: Argumenta verò, quibus cauſa probatur. Argumentatio diuiditur in duas partes: in confirmationem & reprehenſionem.

Argumentorum genera duo ſunt: artificiale & inartificiale. Sed artificiale locos habet quatuor:

© Biblioteca Nacional de España

tuor: ante rem, in re, circa rem, post rem. Ante rẽ verò diuiditur in locos septem. A persona, à re, à causa, à tempore, à loco, à modo, à materia. In re autẽ loci sunt duodecim, à toto, à parte, à genere, à specie, à differentia, per septẽ circũstantias. Qui locus recipit in se etiã à maiore ad minus, & à minore ad maius, à proprio, à diffinitione, à nomine, à multiplici appellatiõe, ab initio ad progressionem vel profectum, à profectione, ab initio vel consummatione.

Circa rem loci sunt decẽ: A simili, cuius species sunt quatuor: exemplũ, similitudo, fabula, imago, id est, verisimile, quod de comœdia sumitur. Addunt quidam & apologos, vt sunt Æsopi. Ergo circa rem locos exequar: qui sunt à simili, à pari, à contrario, per propositionem & negationem, ad aliquid, quod figuratur casibus quatuor: genitiuo, datiuo, accusatiuo, ablatiuo. Ab inter se collidentibus per † habitationẽ & amissionem, à maiore ad minus, à minore ad maius, à præcedenti, ab eo quod simile est, vel à coniunctis, à consequentibus.

† habitum.

Post rem loci sunt duo: ab euentu, & à iudicato. Sunt alij loci ἀπὸ τῆς συζυγίας, id est, à coniugatione, siue à coniugatis, quod quasi iunctum est personæ qualitati, vt *eum qui hostilia sentiat hostem esse dicamus*. Item à qualitate, vt *si iracundè fecit, sine ratione fecerit*. A quantitate, vt *si seruus est: eodem modo factum sit*. A coniunctis, id est, ἀπὸ τῶν πλήσεων & Συνθέτων, vt *fasces & toga, Sella curulis, magistratuũ ornamenta sunt*. Item à partitiõe, id est, ἀπὸ τῆς διαιρέσεως. Per omnes circunstantias, id est, cum partimur personas, tempora, &c. quæ varietas grata discriminat.

Inartificialia diuiduntur in præiudicia, in rumores, in tormẽta, in tabulas, in iusiurãdũ, in testes: quę similiter quemadmodũ & artificilia tractat orator. In argumentis autẽ cauendũ est, ne in aliqua parte nobis noceant, ne inter se discrepent, ne vulgaria sint, ne cum aduersario cõmunia, ne altè repetita, aut supra dignitatem causę, aut infra dignitatẽ. De confirmatione breuiter memoraui, nunc reprehensionis pręcepta videamus. Reprehenditur enim actio aduersarij, aut † redarguendo, cum aut totum argumentũ, aut partes eius contrafacere monstrabimus. Aut repugnando, cum docemus falsa esse pro veris assumpta, vel ex his non effici. Aut cõpensando, si contra argumentum, quod aduersum nos est, aliud opponamus.

al. rem ar. guendo.

De Quæstionibus.

QVæstionum duo sunt genera. Dicitur enim προηγούμενος, quę à nobis inducitur vt confirmet. Ab aduersarijs autem, quę infertur & repellenda est, igitur dicitur ἐναντία. Verùm superior, quæ à nobis quæstio infertur, modis fit duobus, vt aut singulatim separatæ inducantur, aut plures coniunctim. Ducimus autẽ eas variè, aut per simplicem propositionem, aut per partitionẽ, aut per figuras quas διάνοιας dicũt: qui locus multiformis est. Nã penè tot sunt occasiones inducendæ quæstionis in hoc genere quot sunt figuræ sententiarum. Fit enim & per resolutionem, id est, κατὰ ἀνάλυσιν, aut per præteritionem, aut per concessionẽ, aut per reprehensionem, aut per seiunctionem, aut per adiectionem, id est ἀφόρισμον, aut per admonitionem, aut per dissimulatam propositionem, aut per repetitam, aut per instructam, aut per partitã, aut per similitudinem superioris quæstionis aut responsionis, aut per inuersionem, id est, cum primam illam quæstionem tractamus, quæ secunda est, † deinc primam. Et eam quęstionem, quam aduersarij intulerunt: ijsdem modis refutare possumus, & adijcere solemus, cum aliquid aut obscurè aduersarius posuerat: aut agendi potius causa dixerit quàm probãdi, aut cum per hypophoram gradum facimus nostræ propositionis, aut cum aduersarij propositionem in nostram partem conuertimus, quam peristrophẽ vocamus. Aut cum secunda proposita quęstione, primam tractamus. Et hoc faciẽdum, vel cum elegantiã varietatis affectamus, vel cum prima quęstio aduersus nos valde facit, & non est in primo loco ponenda. In hypophora cauendum est, ne plenè & copiosè ponatur, quanquam aliquando irridendi aduersarij causa, de quo nulla quęstio est, exaggeranda à nobis est, vt quid discrepet, ostẽdamus.

† deinde primam. al. denique prima.

Hypophoræ tribus modis imminuũtur, adiectione verborũ, immutatione, detractatione.

Hypophora autem est intentio aduersæ partis: antipophora est responsio eius.

Anacephalęosis est veluti à capite causæ breuis repetitio quæstionum. Anacephalęosi non semper vtendum est, sed quando aut partitionẽ fecimus, aut quando in multas quæstiones causa processerit: ita tamẽ, vt summã cuiusq; rei nõ partes partiũ retexamus, qua quidẽ vtemur etiã in alia parte oratiõis, cũ iudicis memoria fortasse succũberet: q̃ res tũc Epimerismos vocatur. Anacephalęosis tamen nulla pars orationis est, sed epilogi quædam portio.

Epilogus.n. tres habet partes, enumerationẽ prędictã, indignationẽ, qui δέινωσιν dicimus, miserationẽ, quã οἰκτειρμὸν vel ἔλεον memoramus, sed dinosis ex locis argumentorũ. Nã his nõ tãtum res ꝓbamus: verũ etiã augemus. Sed cõquestio, id est, miseratio his locis argumentorũ sumitur, quib. & indignatio. Peroratione tamẽ nõ in fine tantũ orationis vtendũ, sed vbi materia permiserit, id est, in digressione principiorũ, aut narrationis assiduę, sed & quæstionũ nonnunq̃. In Epilogo generaliter obseruandũ, vt breuis sit. Siquidẽ cõmotus iudex statim admittendus est ad sententiam proferendã, dum aut aduersarijs irascitur, aut tuis miseretur lachrymis, aut rerũ afflictione commotus est.

Sic adhuc asserenti, innuit ipse Cyllenius, vt ad Germanarũ cœtum nubentisq; transiret obsequiũ. Quo conspecto, asserta determinans, ad Philologiæ consessum fiducia promptiore perrexit: eiusque verticem deosculata cum sonitu: nihil enim silens, ac si cuperet, faciebat, soro-

© Biblioteca Nacional de España

rum se consortio, societatiq́ue permiscuerit.

Tandem loquacis terminata paginæ.
Asserta cursim, quæ tamen voluminis
Vix vmbilicum multa opertum fascia
Turgore pinguis insuit rubellulum
Qui si probatur & caret fastidio
Nonnulla promet quæ nouella texuit,
Deditaq́; fient quæ vetustas præterit.
Sin sanna typhæ naris imum torseris:
Pigebit arma horruisse Cælites:
Formidinisq́; tunc locus mouebitur
Syluane falcem cum petis Saturniam.
At tu reclamans Rhetorum sacrum tuba
Clangore verso Tulliana percrepant
In castra abibis, quo nec osor inuidens
Nec liuor ater te sequatur præcluem.

MARTIANI CAPELLAE DE GEOMETRIA, LIBER VI.

IRGO *armata decens rerum sapientia Pallas*
Aetherius fomes mens & sollertia Fati
Ingenium mundi, prudentia sacra tonantis:
Ardor doctificus, nostræq́; industria sortis:
Quæ facis arbitrium sapientis præuia curæ:
Ac rationis apex, diuũmq́; hominumq́; sacer rẽs
Vltra terga means rapidi ac splendentis Olympi
Celsior vna Ioue, flammantis circulus æthræ
Ἑπτὰς in numeris, prior igni tertia luna
Quam docto assimilãt habitu, qui agalmata firmãt.
Hinc nam ter geminæ rutilant de vertice cristæ:
Quod dux sanguineo præsulq́; corusca duello:
Vel tibi quod fulget rapiturq́; triangulus ignis
Hinc tibi dant clypeum, sapientia quòd regat orbem:
Vel rationis opem quod spumea prælia poscant.
Hasta etiam vibrans penetrabile monstrat acumen:
Lymphaseum magis est, & scutum circulus ambit.
al. nam. *Hinc* iam vernicomæ frondent tibi munera oliuæ:*
Artes cura vigil per te quod discat oliuo.
Glaucam dant volucrẽ quòd lumine concolor igni es:
Tuq́; ignis flos es, cluis & γλαυκῶπις ἀθήνη.
An mage noctiuidæ tibi traditur alitis vsus:
Quod vigil insomnes ducat sollertia curas.
Pectore saxificam dicunt horrere Medusam
Quod pauidum stupidet sapiens sollertia vulgus.
al. sacrarunt *Arcibus vrbanis veteres tibi templa* dicarunt:*
al. illa. *Quod ratio amplificet, quodq́; † est elatior vrbes.*
Hinc de patre ferunt sine matris fœdere natam
Prouida consilium quod nescit curia matrum.
Consultisq́; virum præsis, hinc dicta virago.
O sacra doctarum prudentia fontigenarum
Sola nouem complens musis mens omnibus vna,
Deprecor ad proprium dignata illabere munus,
Inspirans nobis Graias latialiter artes.

GO tibi habeoq́ue diua, persoluesq́; perpetes debeo grates, quæ optatis fulcida dignaris annuere. Nosco venerorq́;, quod vidi. Patẽt deniq; iam ingressuræ artes obsequio lectissimæ fœminarum, quæ decentẽ quãdam atque hyalini pulueris respersione coloratam, velut mensulam gestitantes, ad medium superi senatus locum fiducia promptiore procedunt: Sed quæ istæ sunt, quidũe gestitent, gerendorum inscius non aduerto. Hic vt lepidula est, & quæ totam Fabellam ab inchoamentorum motu limineq́ue susceperit Satyra iocabunda, Ni fallor inquit, Felix meus plurimum affatimq́ue oliui quantumque palæstras perluere, vel sponsi ipsius posset superfluo perdidisti, dispendiaq́ue lini perflagrata cassum deuorante Mulcibero, qui tot gymnasiorum ac tantorum heroum matrem philosophiam non agnoscis, saltem cum per eam Iupiter dudum cælestis consultum senatus tabulamq́ue vulgaret: cumq́ue ad Philologiæ concilianda consortia Procum affatim connubialiter allegaret, ne tunc eam noscere potuisti? Sed quia nunc Arcadicum ac Medinum sapis, præsertimq́ue ex illo quo desudatio curaq́ue districtior tibi forensis fabulationis partibus alligata aciem industriæ melioris obtudit, amisisse mihi videris & huius matronæ memoriam, etiam eiusdem germanam voluisse nescire. Illa nanque parili quam accinctam cernis officio παιδεία vocitatur, fœmina admodum locuples, & quę illas Crœsias Dariasq́ue præ suis opes gazasq́ue despiciat. Hæc vtpote talentorum conscia in omnium rara congressus: nec cuiquam facilè primores saltem vultus superba committens, plerunque tamen adhæsit arrisitq́ue pauperibus, magisq́ue illis, quos aut pedibus nudos, aut intonso crine hispidos, aut sordenti conspexit pallio semitectos. Denique si Marcum Terentium, paucosq́ue Romuleos excipias consulares, nullus prorsus erit, cuius ista limen intrarit

Vides igitur vtriq; fœminię quàm insit fastuosa censura, tamen vtræq; Mercurialis ministræ, quæ veniet officio, præparatur. Illud quippe quod gerulæ detulerunt, Abacus nuncupatur, res depingendis designandisq́ue oportuna formis. Quippe ibi vel lineares ductus, vel circulares flexus, vel triangulares abraduntur anfractus. Hic totum potis est ambitum & circos formare

© Biblioteca Nacional de España

mare mundi, elementorum facies, ipsamq; profunditatem adumbrare telluris. Videbis istic depingi quicquid verbis visum non valeas explicare: nimirũ inquam ista, quæ veniet, Apellẽ, Polycletumq; transcendit. Ita quippe memoratur posse omnia effigiare, vt Labyrintheus Dędalus eam credẽdus sit genuisse. Et cum dicto prospicio quandã fœminã luculẽtam, radium dextra, altera sphærã solidam gestitantẽ, amictamq; leuorsum peplo, in quo syderũ magnitudines & meatus circulorũ mensuræ, connexionesq; vel formæ, vmbra etiã telluris. In cælũ quoq; peruenies, vel lunæ orbes, ac solis auratos caliganti murice decolorãs inter sydera videbatur. Ipsum verò vernantis æthræ colore refulgebat. Deniq; etiã in vsum germanæ ipsius Astronomiæ crebrius cõmodatũ. Reliqua verò versis illitum diuersitatib. numerorũ, Gnomonumq; stilis, interstitiorũ, ponderũ, mensurarumq; formis, diuersitate colorũ variata renidebat. Crepidas peragrandæ telluris causa, easdemq; permenso orbe contritas, viatrix infatigata gestabat. Quę quidẽ ingressa Senatũ deũm, licet quot stadia è terris in cælum, quotq; vlnas, quot deniq; digitos per mensa sit, instanter absoluere: tamen Iouiali cęlestiumq; maiestate contracta, ad illam Abaci renudati mẽsulã circunspectãs, camerę exterioris ornatum, & laqueata syderib. palatia ꝓperabat.

Constitit attonito spectans stellantia visu
Et decuit crines puluereiq; pedes.
Ipsa etiam leua sphæra fulgebat honora
Assimilis mundo syderibusq; fuit.
Nam globus & circi, zonæq; ac fulgida signa
Nexa recurrebant, arte locata pari.
Tellus, quæ rapidum consistens suscipit orbem:
Puncti instar medio hæserat vno loco.
Hanc tener & vitreis circunuolatibilis auris
Aer complectens imbrificabat aquis.
Quæ tamen immenso, quo cingitur illa profundo:
Interriuata marmore tellus erat.
Texerat exterior qui fulget circulus orbis
Aetheris astrifico lumina multa peplo.
Hinc nitidus rutilum titan succenderat orbem:
Moxq; imitata pium lactea luna diem.
Hic igitur furuæ oculos splendescere noctis
Cernas ex auro, vt sacra flamma micat.
Sic Cypris oceani perfuso sydere lymphis
Lucifero annuerat lumina tota suo.
Omnia compar habet paribus sub legibus ordo:
Nec minus hæc mirabilis est quàm domus alta deũm.
Hanc mundo assimilem stupuit Trinacria tellus
Archimedæa astrificante manu.
O felix cura, & mentis prudentia maior
Corpore sub nostro æquiparasse Iouem.

Tandem igitur reglutinatis ab æthrę interuibrantis admiratione luminibus decenti collustrans diuos conspectansq; censura, cum omnibus reuerenda venerabili dignitate, & magistra cæterarum quæ notæ diuis sunt artibus dicere-
60 tur, exquisitum est eruditionis arcanum, vt ab ipsis pręceptionis cunabulis auspicata deprome-
ret. Tum illa remoto paululum obstaculo, † cõtracti crinis à facie orisq; luculenta maiestate re splendens; atq; abaci sui superfusum puluerem mouens, sic exorsa: Licet Archimedem meũ inter philosophos conspicata, Euclidemq; doctissimum in astruendæ præceptionis excursus potuerim subrogare, ne impolitum quicquam subsisteret assertorum, aut profunditas caligaret: tamen cõgruentius ipsa vobiscum, quia Cylleniũ excudit o nomen: Illi etiam Hel adica tantũmodo facultate nihil effantes, latialiter atticissant. Quæ etiam ipsos edocui, quod nũquam ferè accidit, Romuleis, vt potero, vocibus intimabo. ac prius vocabuli mei promenda ratio est, ne inde center & squallentior peragratrix cælicolarum auratam curiam, & interstinctum cylindris gẽmantibus pau mentum rurali respersura puluere credar intrasse. *al. contorti.*

GEOMETRIA dicor, quòd permeatã crebrò admensamque tellurem eiusque figuram, magnitudinem, locum, partis, & stadia possim cũ suis rationibus explicare, neque vlla sit in totius terræ diuersitate partitio, quam non memoris cursu descriptionis absoluam. Quo dicto, quoniam fuerant in deorum senatu quamplures, qui neq; toti in terris essent, neque ipsi vnquam dicerent se calcasse tellurem. Ipse etiam Iupiter curiosius totius terræ latebras vellet exquirere, credo necubi decẽtes puellas isto quoque secu-
30 lo is versiformis cupitor audiret. Hoc igitur pro mere Geometria primum iubetur, ac demum cætera astruendæ præcepta artis aperire. Tum illa: Formam totius terræ non planam, vt æstimant, positioni, qui eam disci diffusioris assimilant, neque concauam, vt alij, qui descendere imbrem dixêre Telluris in gremium, sed rotũdam, globosam etiam sicut secundus Dicæarchus asseuerat. Nanque ortus obitusque syderum, non diuersus pro terræ elatione vel inclinationibus
40 haberetur: si per plana diffusis mundanæ constitutionis operibus vno eodemq; tempore supra terras & ęquora nituissent. Aut item si emersi solis exortus concauis subductioris terrę latebris abderetur. Sed quoniam posterior assertio mage despicabilis opinationis cassæ vilitate tenuatur, illam priorem cui etiã physicus Anaxagoras accessit, præstat exigere: quamuis non vllas credatur astruere rationes: Quippe dicit planã terram ortu occasuúe solis aut lunæ perspicuè cõ-
50 probari: qui mox, vt primi luminis fulgor emersit, cõfestim ad obtutus nostros directis lineis diriguntur. Quod magis † indubitabilis probamenti fiet, si in littore cõsistentes obstacula mõtium relinquamus: Quod si ita esset, cunctis supra terras degentibus, eodem tempore emergẽtia viderentur, occasusq; vno obitu condita cũctas valerent tenebrare terras, ac falsa Romulei Vatis exploderetur assertio, qua docet: *al. iudicabilis.*

Nosq; vbi primus equis oriens afflauit anhelis:
Illic sera rubens accendit lumina vesper.

Quin etiam cunctæ noctes ac dies similibus interstitijs horisque semper paribus conuenie-

Geometria.

© Biblioteca Nacional de España

rent: nulliq; parti telluris vel apparerent certa, vel alia sydera negarentur. At cum Arctoa conuersio supra verticem voluatur Hesperiæ apud Troglodytas, Aegyptiumque confine ignoto occultoque penitus sydere nescitur: cum Canopum ac Berenices crinem stellas admodum prænitentes Scythiæ Galliæq;, atque ipsa prorsus non cernat Italia, cum illæ antarcticis terris conspicuæ ac prænitentes, & velut perpendiculatæ capitibus suspectentur. In Alexandria etiam Canopos quarta parte interstitij signilis vltra terras emineat, Trionesque geminos, & deuexa non cernat. Cum in Arabia Nouembri mense sub noctis auspicio Helice non conspecta secunda vigilia prospectetur. In Meroe solstitiō tantum exiguaque breuitate conspicitur: vbi circa ortum Arcturi cum die nascitur. Quæ item in India Patauitano portu prima tantum parte noctis aspicitur, in qua etiam in Maleo monte quindecim tantum diebus annuis videtur. Quis igitur dubitet, globi deuexioris oppositu, alia in conspicua fieri, atque alia velut sphæræ curuationibus eminere? Additur ad fidem globi rotundioris ambigentibus asserendum, quòd solis lunæque deliquia in occasu facta, orientis incolæ non viderunt. Itemque in ortu si accidant, à tota Britannia atque occasus regionibus ignorātur. Etiam in medijs plerunque regionibus, horarum diuersitatibus variantur: sicut in Magni Alexandri victoria lunā noctis secunda hora defecisse Seruius nobilis in Arabia nunciauit: quod in Sicilia in exortus primi splendore conspectum, Alpiano & Fonteio Coss. vndecimo Kalen. Maij defectus solis fuit: qui in Campania hora diei septima visus in Armenia eiusdē diei vndecima comprobatur. Quod factum est vtique sphærę circuitu moras per inflexus rotunditatis subinde variante. Denique ipsa vasa quæ Horoscopa vel horologica memorantur, pro locorū diuersitatibus immutata componūtur. Alioq; Gnomone vltra quingēta stadia discernuntur, vmbris pro locorum aut elationibus celsis, aut inclinationibus infimatis. Hinc est, quòd in Meroe lōgissimus dies duodecim æquinoctiales horas, & alterius bissem secatur. Alexandriæ quatuordecim. In Italia quindecim: in Britannia decem & septē. Sol stitiali verò tempore, cum cæli verticem sol inuectus subiectas leuorsum terras ppetui diei cōtinuatione collustrat. Itemq; brumali descensu semiannuam facit * horrere noctem, quod in insula Tile compertum Pytheas Massiliensis asseruit. His temporum diuersitatibus assertum (ni fallor) globosam rotūditatis flexibus habendā esse tellurem. Sequitur, vt quem mundi locum quamūe granditatē sortita sit, approbemus. Circulum quidē terrę ducentis quinquaginta duobus millibus stadiorū, vt ab Heratosthene doctissimo Gnomonica supputatione discussum. Quippe Scaphia dicuntur rotunda ex ære vasa, quæ horarū ductus stili in medio fundo sui proceritate discrimināt. qui stilus Gnomon appellatur: cuius vmbræ prolixitas æquinoctio centri sui extimatione dimensa, vigies quater cōplicata, circuli duplicis modū reddit. Heratosthenes verò à Syene ad Meroen per mensores regios Ptolomæi, certus de stadiorū numero redditus, quotaque portio telluris esset aduertens, multiplicansque pro partium ratione circulū, mensuramq; terræ incunctanter, quot millibus stadiorum ambiretur, absoluit.

al. oriri.

Scaphia qd sint.

De Positione Terræ.

COmperta est terræ breuitate rationabili magnitudo: locus eiusdēm, ac positio doceatur: quam in medio imoq; mundi immobilem stare multiplicibus monstratur assertis, quæ sibi ante constitutionem mundi in eodem loco fuerit, ex quo moueri non potuit. Ac dehinc diuulsis à confusione primæ cōmixtionis † elementis, vndarum immensa & volubilis latitudo, aerisq; halitus vndiq; secus circa terrę stationem diffusus arctarit mediumq; fecerit, quod teres ac volubilis circūclusit, siue quòd in sphæra efficitur imum omne quod medium est, dum paribus ab extimæ rotunditatis ambitu lineis quicquid eas sustinet constipatur. Imum verò iam necesse est sui extremitate consistere, quia inferius, quo decidat, non est. Omnia etiā pondera in eam desuper cadunt, vt imber, grando, nix, fulgura atq; ipse qui in eius penita præcipitatur Oceanus, & fluenta latentia quæ fundo voluuntur in imo. Vides igitur eam quæ vndas, cunctaq; sustentat, arctatam ex omnibus nihil subijcere quo secedat. Medio igitur credenda est, quia postrema, quòd præsertim æquinoctialis temporis interstitia manifestant. Nam pares horarum metas tam ante meridialium, quā etiā postremarum, & tam diei quàm noctis horologia manifestant. Quo documento clarum est, tantundem vndiq; secus ab terris abesse cęlum: quod idem duobus circulis edocetur, solstitiali & brumali. Nam vtiq; quantum interstitij dies habet, cum cæli crimina sol elatus illustrat, tantum spacij longior nox, cum sol in brumam decidens repræsentat. Itemque quicquid singula signa zodiaci intercapedine loci contulerint, tantundem sole econtrario rutilante vmbris noctis ignoscūt. Quod vtiq; vndiq; versum probat tantundem circulos syderaque distare, mediamque tellurem esse. Quod vtique, si cōgruè videtur assertum, iam partes eius, quas ipsa permensa sum perhibebo.

al. alimenti.

De quinq; Zonis Terræ.

ORbis terrę in quinq; zonas, siue melius fasceas dico, pro rerum diuersitate discernitur, quarum tres intemperies multa à contrariorum nimietate relegauit. Nam duæ, quæ axi vtrique confines, algore immenso & frigoribus occupatæ, desertionis causas pruinis † mergentibus prębuēre, media verò flammis atque anhelis ardoribus torridata, propinquātes animan-

al. ingruentibus.

© Biblioteca Nacional de España

animantum imbŭrit acceſſus. Aliæ autem duæ vitalis auræ halitu temperatæ, habitationem animalibus induſerunt: quæ quidem per totius rotunditatem telluris incuruæ, tam ſupernum hemiſphęrium quàm inferius ambierunt. Nam vtique terra duas ſibi partes hemicycliorũ quadam diuerſitate deſpicit, id eſt, vnã habet ſupernatem, quã nos habitamus, & ambit Oceanus: & aliam infernatem. Sed hæc ſuperior initium habet, à ſolari ortu, illa inchoat à ſolis occaſu quem circulum Græci ὁρίζοντα perhibent. Verũm quia illæ zonæ volubilitatem vtriuſq; partis includunt, decem vtrinque circulo ſuo faciunt regiones, è quibus hæc quæ à nobis habitatur, eſt vna, atque ad aquilonem verſus & ſeptẽtriones aſcendit. Altera, quæ è contrario ad meridiem atque auſtrum fertur, quam habitare illi æſtimantur, qui vocantur ἀντοίκοι. Similiter ex infernatibus duæ, ſed hi qui nobis obuerſi, Antipodes memorantur, qui cõtra illos, quos ἀντοίκους dicimus, Antichthones appellantur. Sed nos cum illis diuerſitas temporum velut quadã contrarietate diſcriminat. Nam cum æſtate torremur, illi frigore contrahũtur. Nam cum hic ver pubeſcit florentibus pratis, illic edomita æſtas temporibus autumneſcit. Hic bruma, ſolſtitium illic apparet. Nobis arctoa lumina ſpectare permiſſum, illis penitus denegatum. Antipodes autem noſtri vnum nobiſcum tractum perferunt hyemis, & flagrantiam cõmunis æſtatis, ſed noctem diuerſam, dieſque contrarios: licet æſtate grandes dies, prolixaſq; hyeme noctes nobiſq; ſepptentrio conſpicabilis, illos lateat ſine fine. Ita & his qui ἀντοίκοι vocãtur, Antipodes ſui quatuor anni tempora nouere communia, ac polũ qui eſt ad auſtrum: Antipodibus ſuis nobisque penitus ignoratum ſoli ſuſpiciunt. Qui autem in media faſcea ſunt, his quotidie ortus occaſuſque mutantur. Et ſupra quos ſol eſt his citius exoritur, tardiusq; merſatur. Aequinoctiali autem tempore, & oriens & occidens ſimiliter apparebit: neq; vlla aſtra ſunt quæ illorum obtutibus denegentur, & quæ vnã illis oriuntur ſimul veniunt in occaſum. Hi dies cunctos pares ſuis noctibus intuentur, nec vllas meridiano die metiũtur vmbras: eorũq; Antipodes dies noctesq; ſub eadem longitudine patiuntur. Cum autem ſolſtitij properantia peragendi, per eoſdem tranſeat, & iam brumã itidem ſol reuertens ſimiliter per illos iter ducat, & procul ab his vtrinq; † ſecedat, dubium non eſt quin bis hyemem, & ſecũdò patiantur æſtatem. Quibus cum ortus ſolis eſt, eorum Antipodibus apparet occaſus. Verũ illæ duæ regiones quas faſceas item dixi, quarũ vna vicinantis plauſtri algore cruſtatur: altera tranſauſtrini halitus deſertione contrahitur, Antipodas proprios non habent, ſed ipſæ ſibi inuicem contraria fiunt habitatione Antipodæ nullosq; ortus ſyderũ abſq; planetis vtrinq; nouerunt: quæ quidem illis nõ ſupra caput eunt, ſed de medio lateris oriuntur. Stellę etiam fixæ cęli ſex eis videntur menſibus, ſex itidem non apparent, † ortibusq; circulus æquinoctialis illis eſt, ſenaq; ex zodiaco ſigna conſpiciunt. Denique ſex menſibus, dieſque noctesque patiuntur, vt vtriſq; poli axiſque termini ſupra verticem videantur: Sed hæc prior ſeptentrionis: altera Canopi ſtella illuſtratã fulgore, cætera non nouerunt.

al. ſuccedat.

al. arcticusq;

De circuitu Terræ.

QVarum regionum habitus prodidit doctiſsimus Pythagoras, ſed ego ipſa peragraui, ne qua mihi ignota videretur portio ſupereſſe telluris, cuius terræ totius † ambitus omnis plenusq; circuitus, vt Romanorũ dimenſione percenſeam, quicquid ſtadiorum ſupputatione memoraui, eſt in millibus paſſuũ trecenties & quindeciescentenis: quo loco nõ puto tranſeundã opinationẽ Ptolemæi in Geographico opere memoratã. Idẽ quippe zodiaci tractum omnemq; cõplexũ trecentis 60. cæli partibus ſecãt: quas ſingulas in telluris centrum ita æſtimat prouenire, vt vnius partis latitudo iſtic quingentorũ ſtadiorum menſura tendatur. Singula verò ſtadia centum vigintiquinq; paſsibus explicata, quæ octo millenos paſſus abſoluunt. Vnde quingenta ſtadia quæ ſunt partis vnius, millia paſſuum colligunt ſexaginta duo, paſſusque quingẽtos. Verũm illa ſtadia quingẽta trecentis ſexageſies complicata, faciunt ſemel millies octingentiesq; ſexcẽtena. Ex quibus millia paſſuum partitione prædicta collecta, faciunt ducenties vicies quinquies centena. Hoc de totius terræ globo oportuit intimari.

al. habitus.

De longitudine Terræ.

CÆterum eius longitudo ab ortu ad occaſum, hoc eſt ab ipſius Indiæ extremitate, vſque ad Herculis columnas Gadibus ſacratas, octuagies quinquies centena ſeptuaginta octo millia ſunt, ſicut etiam Artemidorus auctor aſſeruit. Nã *Iſidorus* nonagies octies dicit, & decẽ & octo millia. Verum Artemidorus dimenſioni prædictæ adijcit quicquid à Gadibus procurrit. Nam per † Sphenis frontem circuitu ſacri promontorij, ad aliud finale promõtorium, quod † Artabrum nominatur, procedere dicit terram in nongenta nonaginta vnum millia.

al. Spinam Syenis.

al. Cantabrũ

Alia dimenſio Terræ.

QVæ dimenſio item fieri compendioſior poteſt, ſi per maria quis vectus excurrat. Nam à Gange fluuio oſtioque eius, quo ſe in Eoum effundit Oceanum, per Indiam Parthienemque ad Myriandrum vrbem Syrię in Iſſico ſinu poſitam, quinquagies bis quindecim millia. Inde proxima nauigatione Cyprum inſulam, Pateram Lyciæ, Rhodum, Aſtypaleam in Carpatio mari. Item in inſula Tenarum Laconicæ, vnde Lilibæum Sicilię, & Calarim Sardiniæ, tricies quater quinquaginta millia. Inde

© Biblioteca Nacional de España

al. quingēta Gadibus quadragies bis † quinquaginta millia. Quæ mensura vniuersa ab eo mari efficit octogies quinquies septuaginta octo millia.

Item alia Terræ, Mariq; dimensio.

POtest item aliud terra mariq́ue iter duci per Gangem Euphratemq; fluuium, Cappadociam, Phrygiam, per Ægeum pelagus, & Laconicum mare. Itemq́ue per sinus alios vsque Pelopōnesum, Leucadem, Corcyram, Acroceraunium, Brundusium, Romā, Alpes & Galliam. Per Pyreneos etiam montes in Oceanūm vespertinum Hispaniæ oram, traiectumq́ue per Gades, & omnis mensura, attestante Artemidoro assertionibus meis, habet millia octoagies sexties centena octoginta quinq;. Habetis longitudinem multipliciter memoratam.

De latitudine Terræ.

LAtitudo autem eius à Meridiano situ in septentrionis caput plurimū minor est. Nā vtrinque intemperati aeris nimietate contrahitur. Eò accedit, quòd à septentrionis plaga, Sarmatarum gens, copiosaq́ue Barbaries, ac cessum indagandæ dimensionis excludit. Attamē quicquid intrepida permeare quiuit excursio, competenter admensum est, repertaq́ue latitudo habitabilis terræ penè dimidio minor, quàm dicta est collegisse longitudo. Nam colligitur in quinquagies quater centena sexaginta duo millia. Quippe à littore Aethiopici oceani, qua habitabilis primum est ad Meroen, inde Alexandriam, Rhodum, Gnidum, Coum, Samū, Chium, Mytilenem, Tenedum, Sigæumq; promontorium, os Ponti, Carabim promōtorium, os Mæotidis, ostium Tanais prædicta dimensio comprobatur. Qui quidem cursus, si per maria transeatur, in compendium ducit millia sexcenta septuaginta octo. Nunc vsque compertum progressum Artemidorus asseuerat. Sed *Isidorus* adiecit duodecies centena quinquaginta millia vsque ad Tilen vltimam tendi: quæ quidem opinatio mihi videtur incerta. Nam ipsi tātundem latitudinis inesse dico, quantū longitudinis cōprehensum. Neque enim cum rotundum telluris orbem astructio superior ratioq́ue monstrarit, impar latus globo poterit prouenire, sed supradicti scriptores habitabilem dixêre tellurem.

De rotunditate Terræ.

ROtunditatis autem ipsius extima, circunfusus ambit Oceanus, sicut nauigatus vndique comprobatur. Nam à Gadibus per Hispaniæ Galliarumq́ue flexum, occidentalis plaga omnis hodieq́ue nauigatur. Dum autem Diuus Augustus classe Germaniam circuiret, septentrionalem totum permeauit Oceanum. Nam primum in Cimbricum promontorium veniens magno dehinc permensō mari, ad Scythicam plagam ac rigentes vndas vsque penetrauit. De confinio item ab orientis principio & Indico mari, pars quæ pergit in Caspium mare à Macedonum classibus remigata: dum Seleucus & Antiochus regnauissent. Palus verò Mæotica eiusdem sinus habetur oceani. Item leui lateris circumflua memorentur. Ab ipsis itaque columnis Herculis, quæ in Gaditano sunt littore consecratæ, vsque in Arabicum sinum meridianus omnis permeatur oceanus, sicut plurimis asseueratur exemplis. Nam eius maximam partem magni Alexandri sulcauêre victoriæ. In eodem Arabico sinu constituto C. Cæsare Augusti filio, Hispanicarū nauium naufragio, & eiectæ fragmentorum reliquiæ paruerunt. Item Hanno dum Punicum floreret imperium, Mauritaniæ circuitu, ac dehinc meridiani flexus excursu, in Arabiæ terminos prolixa admodum nauigatione peruenit. Cornelius auctor affirmat, quendam Eudoxum fugientem regis insidias ex Arabia in Gaditana peruenisse refugia. Cælius Antipater se hominem vidisse cōfirmat, qui nauigationis ardore in Aethiopiā ex Hispania nauigasset. Idem Cornelius post captos Indos per Germaniam nauigauit.

De diuisione Terræ.

OStensum puto ambitum superioris terræ permenso in circulum mari vndique secus nauigatum. Nunc ipsius diuisionem terræ quantum patitur succincta insinuatio memorabo. Circulus omnis superę habitabilisq́ue telluris, sicut plerique testantur, in tres partes est distributus: Europam, Asiam, Africamq́ue: quarum primam atque vltimam interruptio diseat oceani. Nam Athlantici profundi ex Gaditano freto vis intersecans profunda telluris, Lybicum Ibero latus abscidit, & confestim se in propinqui maris fluenta diffudit. Quippe à Gaditano ostio in ingressum interioris maris per longitudinem cursus vix quindecim passuum millia numerantur. Latitudo verò vbi angustior quinq;, vbi diffusa septem, vbi prolixior decem millibus explicatur. Hinc defluxêre per diuersos sinus, subsidentesq́ue campos tot maria, tot fragores, & quantum per diuersa æquora tumescit. Vndarum verò illa proruptio interfluentis oceani leua Europam facit, Lybiamq́ue dextra, & montibus vtrinque concluditur. Nam ab Europa, Calpe: Africa, † Abyla monte despicitur: qui vtrinque prominentes dici Columnæ Herculis meruerunt, quòd testimonio vetustatis, laboris Herculei limes in illis sit consecratus: siquidem vltra eum progredi consumptæ telluris inuia prohibebant. Denique etiam hoc de eius sacræ virtutis posibilitate persuasum: quod eum antea natura terris maria dispararet, ac tanto cingi circuitu firmaret oceani, montium prædictorum effossis radicibus, diuulsoq́ue confinio camporum, de-

al. ab Athena.

uexis

© Biblioteca Nacional de España

deuexis lacunisq; terrarum improuisum pelagus in vsum * immortalitatis admisit: permutans orbis faciem naturæq; discrimina. Hoc igitur freto leuorsum Europa distenditur, vsq; in Tanais fluminis gurgitē, à quo inchoans Asia, Nili itidem alueo limitatur. Qui quidem Nilus eandem Africamq; disrumpens, telluris complexum intersecat multitudine fluuiorum, Europam tamen terminari Propontidis faucibus dixere quamplurimi. Quæ Propontis per angustum descendens ad Mæotidem quoq; * pertertur. Europæ tamen principium inchoamentiq; limen, Hispaniæ contributum, fertili frugū opimæq; prouinciæ, metallorum auriq; fœtura, minij, marmoris, gemmarumq; muneribus prędicandæ. Quæ quidē, quòd Iberi fluminis interriuata tractu amnis sui meruit cognomentum, cuius illa portio, quæ Athlantico confinis oceano, in Gaditani freti littus excurrit; Bethica perhibetur, etiam ipsa vocabulum proprij fluminis nuncupatione sortita; quæ ab Vrcitano fine, qua citerior meat, Terraconensis dicitur à Terraconensi vrbe, quam Scipiones condiderunt. Nam Pœni fundauēre Carthaginem, conditas vbicunq; vrbes amico sibi nomine prędignantes. Sed prædictum latus à Pyrenæi iugis in aliam prouinciam dissecatur: siquidem Bethicę à septentrionali cōfinio Lusitania sociatur, cui nomen fabula à lusu Liberi patris, vel cum eo Bacchantium, sociauit. Hęc quoq; cognominis sui fluuio permeatur, licet eam Tagus quoq; arenis illustret auratis. Olissipone illic opidum ab Vlysse conditum ferunt, ex cuius nomine promōtorium, quod maria terrasq; distinguit. Nam ab eius ambitu inchoat mare Gallicum, & facies septentrionalis oceani. Athlanticus verò & occiduus terminatur oceanus, qui tum Hispaniæ limitatur excursibus. In eius quoq; confinio equarum fœtura ventis maritantibus inolescit. Volucres proli cursus, ipso spirante fauonio. Verum Bethica cunctas vbertate fœcunditatis prouincias anteuenit, quæ quidem habet iuridicos conuentus duos, Gaditanum, Cordubensem. Opida centum septuaginta quinq;, habitantium multitudine frequentata. Eadem verò longitudinis dimensione distenditur à Castulonis oppidi fine, in Gaditanum oppidum ducentis quinquaginta millibus amplior æstimatur. Latitudo quoq; in ducenta viginti quatuor millia excurrit. At vniuersa prouincia habet conuentus septem, Carthaginensem, Tarraconensem, Cæsaraugustanum, Cluniensem. Asturum, * Lucensem Bracarum. Ciuitates verò in Hispania præter insulas, atque alias contributas, ducentas nonaginta quatuor tota complexione dinumerat. Tenditur autem per longitudinem quantum *Agrippa* dinumerat, millibus quadringētis septuaginta quinq;, latitudine ducentis vigintiquatuor: cum fines Carthaginem vsq; protenderet, quæ opinio Agrippæ non exiguum admittit errorem. Nam Hispania omnis citerior à Pyræneo in Castulonis finem per sexcenta * septuaginta millia longitudine protrahit: cuius ora paulò amplior æstimatur. Latitudo autem à Terracone ad littus * Iarsonis trecentis septem millibus inuenitur: à radicibus Pyrenæi, vbi vtriusq; maris propinquitate concluditur, nam paulatim diffusior adiacet in latitudinis excrementum.

impigræ italia- *proferr-* *al. lucrēnen sem.* *al. septem.* *al. Gersonis.*

De monte Pyrenæo & prouincia Narbonensi.

IDem igitur Pyrenæus ex alio latere Galliarum finibus admouetur, à cuius radicibus quicquid interiacet vsq; Rhenum, & itē inter oceanum & montes Gebennam & Iuram, Gallicis regionibus attributum. Narbonensis autem prouincia appellatur, quæ interno mari alluitur. Hæc Brachata antea dicebatur, quę ab Italia iugis alpium atq; amne Varo discernitur, cuius longitudo sicuti Agrippa dimensus est, trecenta septuaginta millia passuum: Latitudo autem ducenta quadraginta octo continet. In hac prouincia Rhodanus fluuius ex alpibus veniens, per Lemannum lacum meat, & causas fertilitatis importat terræ germinibus ac fœcundis, cuius ora diuersis nominibus appellata. Nā Hispaniense unum: alterum * Metapinum: tertium quo plenior meat, Massalioticum nuncupatur, prouincia viris, * opibus, frugibus memoranda: vnoq; transcurrenda piaculo, quod illic fas fuerat hostias humani generis immolare.

al. Alpinū. *al. opidis.*

De Italia.

SEd post alpium montes, qua facies prominentis naturæ ortuum solis illuminatione profunditur, inchoat, atq; descendit Italia sola longè ante alias omnes laudibus veterum in vrbis Romæ gratia prædicanda: cuius principium Ligures tenent. Dehinc, quæ vbertate Soli sacrata occupauit, Hetruria regio tam indigetis Aeneæ fœdere, quàm remediorum origine atq; ipsius Tagetis exaratione celebrata. Vmbri mox Latiumque, atque Ostia Tyberina. Dehincq; ipsa caput gentium Roma armis, viris sacrisq; quandiu viguit cæliferis laudibus conferenda. Hæc à mari sexdecim passuum millibus disparatur. Dehinc littus in Volscorum nomen sortemq; concessit. Mox Campania, Picentesq;, ac Lucanum littus Brutiumq; coniungitur: cuius promōtorium in meridiē austrumq; respectans, in mare procurrit. Leuaq; * alia interioris sinus fluenta complectitur, vt si à primis alpibus dextrum latus & prolixi montis brachium contempleris, prominentias vtrinq; componens, theatrum quoddam spectare videaris vndarum. Lunata quippe & quodam hemicyclio in promontorium memoratū circumfertur Italia: denique ab ipsis Gadibus, qua se fauces freti interfluentis aperiunt, in Brutium sinum, qui est primus Europæ, emissa maria conquiescunt. Interior verò tellus, quæ in superum mare Boreamque profertur, Græciæ ora Salentinis, Pediculis, Apulis,

al. ala.

© Biblioteca Nacional de España

Pelignis, Istris, Liburnis, & cæteris populis obscurioribus habitatur. Levorsum quoque se flectit, & item duobus promontorijs peltæ Amazonicæ formam reddit. Dextro cornu Leucopetram tendens, levo Lacinium. Vnde cùm longa sit ab alpibus prætoriæ Augustæ, per urbem Capuam & Rhegium oppidum absque recurvo flexu decies centena & viginti millia passuum, nusquam verò trecenta latitudo eius excedit. A solo igitur Italico, Liburnia, Istria què discretæ sunt centenis millibus passibus, quod distat ab Epiro & Illyrico quinquaginta millia. Ab Africa intra ducenta millia, ut Varro commemorat: Ab Sardinia centum viginti: à Sicilia mille quingentis: à * Corsica minus septuaginta: ab Issa quinquaginta. Verùm omnis Italiæ circuitus tenditur vigies centena quadraginta novem millia. Eius umbilicus in agro dicitur Reatino, angustior plurimum est ad portum, quem Hannibalis castra dicunt. Nam vix ibi * viginti millia passuum lata est. Verùm Italia etiam Pado flumine memoranda: quem Græcia dixit Eridanum. Hunc amnem mons Vesulus inter montes alpium elatior gignit fonte mirabili, qui in Ligurum finibus flumen creat, ac dehinc fluvius mersus in Penita telluris in parte agri. * Vibienis emergit; canis ortu diffusior. Nam solutis alpium nivibus, flagrantia Solis æstivi exuberat ultra gurgitis ripas. Nulliq; gloriæ nobilium amnium cedens, triginta receptis fluminibus, Adriaticum mare magna opimus granditate perfundit. Cætera Italiæ memoranda, nec poetæ tacent, ut * Scyllæum oppidum cum Cratęide flumine, qui Scyllæ * pater fuit. Carybdisque voraginem ac vertiginem tortuosam Pestana rosaria, scopulos Syrenarũ. † In Campaniæ amœnis antiquitùs † nemora Phlegræi, dehinc campi habitatioque Circeia, Terracina prius insula nunc iuncta: * Rhegium, quæ ab Sicilia continenti separata, atq; in compensationem conexæ telluris in insulam religata. Formiæ etiam Læstrigonum habitatione famosæ.

*Sorcyra minus octoginta.

CXXX millibus

al. Vibonẽsis

* Siletum

al. mater

† numeria

* regioni

De Conditoribus urbium.

HOc loco possem etiam urbium percurrere conditores, ut à Iano Ianiculum, à Saturno Latium, à Dane Ardeam, ab Hercule Herculanium ad radicem Vesuvij, à quo haud procul Pompeios: cùm boum pompam duceret Iberorum, ex cuius laboribus in Liguria campi lapidarij sunt appellati, quòd eodem dimicante saxis ferunt pluisse cœlũ. Idem etiam Ioniæ nomen dedit. Nam Ionem * Naulochi filiam obsidentẽ vias, latrocinaliter interemit. Iapygas Iapyx Dędali filius cõdidit, Coram Dardanus: * Agyllam Pelasgi: Tybur Catillus præfectus classis Evandriæ. Parthenope dicta ab Syrenis sepulchro hoc nomine vocitata, quæ nunc Neapolis appellatur. Præneste ab Vlyssis nepote Præneste, licet alij velint Cæculum conditorem, quem pignus asserunt fuisse flammarum. Arpos & Beneventum Diomedes: Patavium, Antenor: Pilij Metapontum condidêre, sed nil mea interest origines urbium perscrutari.

* Autocli

* Angillinã

De insulis Tyrrheni maris.

NVnc quoniam continentis terræ limes interfluentis freti coercione distinguitur, non alienum est inter fluenta emergentes terras, quæ quòd in salo sint, insulæ vocitantur, præsertimque nobiles commonere. Neq; enim morosa debet esse percursio. Transeo itaque Pityusas à sylva Pinea memoratas, quæ nunc Ebusus appellatur. In confinio Carthaginis novæ, Baleares etiam duas, Colubrariã, & quas gymnasias Græci dicunt. Vel capraria iam náufragalem. In Galliæ quoque ora, in Rhodani ostio Metina, quæ * Blascorum vocatur: & tres Stoecades, quarum hæc sunt nomina singularum: prima Themista: secunda Pomponiana: tertia Hypæa, cæteras quæ exiguas adversum Antipolim. In Ligustico autem mari est Corsica, quam Græci Cyrnon appellavére, longa cẽtum quinquaginta millibus passuum, lata quinquaginta. Circuitus eius omnis distenditur millibus trecentis viginti quinque. Habet civitates triginta tres. Stipa autem citra est, * Oglasa infra in sexagesimo Corsicę, Planasia fallax navigantium, mentiensque propinquitas. Vrgo item & Capraria, quam Ægilion Græci dixerunt. Item Igilium Dianium. Item columbaria Veneria. Item ultra Tyberina ostia, in Antianõ palmaria, Sinonia. Et in Firmiano pontiæ, Pandataria, Prochyta, Abæneria. Inarime à Græcis dicta Pithecusa, & Megaris etiam in Neapolitano, à Surrento. In octavo miliario Capreæ Senaria dicta, & Telentea. Item Leucothea iam Africum mare spectans à Corsica.

al. Evasloriũ

al. Ochysa

De Sardinia.

IN octavo Sardinia est, in quo angusto freto sunt parvæ insulæ, quæ cunicularię perhibentur. Item Pinton & Fossæ. Verùm Sardinia à Sardo filio Herculis appellata: habet formam humanæ plantæ. Denique Sandaliotes est appellata, & * Signosa, quòd utrinq; vestigij formam signat. Verùm ab oriente centum octoginta octo millibus patet. Ab occidente centum septuaginta quinque à meridie septuaginta septem, à septentrione centum viginti quinque millia habet. A Gorditano promõtorio insulas duas, quæ Herculis memorantur. A Sulcensi Enusin, à Caralitano Ficariam Galatámque. Quidam item non longè Balaridas dicunt, & Callode, & Heras Lutra. Contra Pestanum, Leucasia est, à Syrene ibi sepulta nominata. Contra Veliam Oenotrides. Contra Vibonem Itacesię ab Vlyssis specula dictæ.

al. Ichnusa

De Sis

© Biblioteca Nacional de España

De Sicilia.

HInc Sicilia memoranda quæ a Thucydide Sicania, à multis Trinacria perhibetur. Sicania à Sicano rege; qui cum Hiberica manu in eandem terram ante bella Troiana peruenit. Dehinc Siculus Neptuni filius, à quo nomẽ eidem commutatum. Nam Trinacria, quòd tribus promontorijs triangula censeatur: quippe vnum, quod à Pachyno in Peloponesum in Meridiem versum spectat; quadringentis quadraginta millibus à Græcia disparatur. Pelorus autem occasum Italiamq; inspicit, quæ freto mille quingentis passibus separatur. Lilybæum Africæ fines videt in centum octoginta millibus. Ipsa autem promontoria inter se terreno itinere disparantur. Sic à Peloro Pachynum millia centum septuaginta sex. Inde Lilybæum ducenta. Inde Pelorum centum quadraginta tria: Colonię in Sicilia quinq;, vrbes sexaginta tres, fluuij, fontesq; quamplures, ac montis Aethnæ miracula noctibus totis vomentis incendia: cuius crater stadijs viginti patens, fauillam Tauromi-nium, Catinamq; respergit, magno strepitu mugiens, & immensos fragores intonans oblucta-tione flammarum.

De insulis Siculi freti.

IN Siculo etiam freto insulas esse non dubiũ est, Africam versus, Gaulos, Melita à Camarina octoginta quatuor millibus passuum, à Lilybæo centum tredecim: Cossura, Hieronesos, Cœne, Lopadusa, Aethusa, quam alij Aegusam dixêre, & cæteræ sunt aliæ citra Siciliam. Ex aduerso Metauri amnis in viginti quinq; mil. ab Italia septem, Aeoliæ, appellatæ à nostris Vulcaniæ, cum diuersis nominibus, prima dicitur Lipara, secunda Therasia, tertia Stryngole, in qua Aeolus regnasse fertur, & à flamma in proximũ prorumpente vel eius fumo; qui vẽtus flaturus esset intellexisse, quod hodie quoq; eius loci incolas certum est præsentire. Quarta verò insula est Didyme, quinta Ericusa, sexta Phœnicusa, vltima Euonymos.

De primo sinu Europæ.

HIc primus Europæ sinus Ausonij maris patet nonaginta sex milibus. Quiq; tres sinus habet, Italiæ frons incipit, quæ magna Græcia appellata est, vbi amnium & oppidorum copia: ac tunc portus, qui Hannibalis castra dicuntur: vbi latitudo Italiæ * viginti solis millibus æstimatur. *al. quadraginta.*

De secundo sinu.

DEhinc à Lacinio promontorio secundus incipit sinus Europæ magno ambitu flexus, & Acroceraunio Epiri terminatus promontorio, à quo abest octoginta quinq; millibus oppidum * Croto. Ex hinc propter oppida sinusq; quamplures in mare Italia plurimum pergẽs in Hydruntum vrbẽ venit: vbi superum inferumq; mare decẽ & * quatuor millibus disparatur. Vnde in Græciam breuissimus transitus. Ac dehinc Italia per populos, sinus, vrbes, fluuios, montes, barbarosq; quamplures dicitur infines Illyrici, cuius à flumine Arsia, ad flumen Drinium, longitudo pergit * octingenta millia: à Drinio ad promontoriũ Acroceraunium centum septuaginta * duo millia. Ora Illyrici habet insulas vltra mille. *Croton.* *al. nouem.* *al. Dr.* *al. quinque.*

De tertio sinu Europæ.

TErtius autẽ Europæ sinus ab Acroceraunijs inchoans montibus, Hellesponto terminatur, ac sinus habet decẽ & nouẽ, prouinciasq; quamplures. Nam ibi sunt Epirus, Acarnania, Aetolia, Phocis, Locris, Achaia, Messenia, Lycaonia, Argolis, Megaris, Attica, Bœotia. Itẽ a alio latere, aliq;q; mari Phocis & Locris, Doris, Phthiotis, Thessalia, Magnesia, Macedonia, Thracia, Græcia omnis. Epirus autẽ incipit Acroceraunijs mõtibus, in qua primi Chaones, à quibus dicta Chaonia. Deinde mons Pindus, Driopes, Molossiq;, Dodonæi Iouis fano inclyto celebrati, A tergo inter cæteros populos Ponto iunguntur Mesia ac Media Thraces vsque ad Pontum. Rodope mox & Hemi videtur excelsitas. Tũc colonia Butrorũ. Ambracius sinus faucibus angustis æquor accipiẽs, in quo defertur amnis Acheron infernæ fabulæ errore famosus. Post aliquot gentes etiã Actium colonia cũ Apollinis templo, ex quo ipsi quoq; deo additum cognomentũ, ciuitasq; Nicopolitana. Egressos sinu Ambracio in Ioniũ excipit diuersitas populorum, & obliquè apud quos inter cæteras vrbes oppidum in confinio maris, nomine Calydon; Diomedis Tidæiq; prognatione notissimum. Dehinc influens sinus Aetoliam ac Peloponnesum diuidit. Mox in Acarnania Aracyntus. In Aetolia Ozolei, apud quos oppidum Oeanthe, in quo portus Apollinis. Tunc deinde in Phocidis campis, oppidum Cirra, portus Caleon, à quo in septẽ millibus passuum introrsus oppidum Delphos sub monte Parnaso, clarum oraculis Apollinis. Fons ibi Castalius. Deinde in intimo sinu angulus Bœotiæ, montem Heliconem iuxta Peloponnesum peninsula inter duo maria Aegeum & Ionium, angulosos recessus obducens: in circuitu habens quingenta sexaginta tria millia passuum. Et per sinus penè tãtundem angustiæ vnde procedit, Isthmos appellatur. In quinq; millibus passuum diuersa maria vtrinq; collidunt, ac latera meatus * abradunt. In medio hoc interuallo quod Isthmon appellaui, colonia est Corinthus, sexagenis ab vtroq; litore stadijs à Pisa summa arce quæ dicitur Acrocorinthos, vtrunq; mare prospectans. Ab Isthmo autem Achaiæ prouinciæ nomen incipit, quæ ante Egialos vocabatur, propter vrbes in littore per ordinem constitutas. Ibi quamplures sinus, portus, montes, vrbes, *al. arradũt.*

© Biblioteca Nacional de España

& populi. Ab ipsius Isthmos angustijs Hellas incipit, à nostris Græcia dicta. In ea prima Atticæ antiquitùs Acte vocitata, contingit Isthmũ sui parte Megaris dicta. In ora autẽ portus, cui nomen Scyronia saxa viginti sex longitudine: latitudine quinq; millibus passuum à Myrthoo recedentibus Athenæ atq; Atticæ. Fontes ibi multi, inter quos Callirhoe prædicatur. Nec Athenis cedunt Bœotię, in quibus Epicrene, Arethusa, Hyppocrene, Aganippe, * Gargaphie. 10 post oppida montes populiq; quamplures.

al. Gargani.

De Thessalia.

SEquitur Aemonia, cuius à tergo mons Oeta, eaq; etiam Thessalia nuncupatur. Ibi natus rex nomine Gręcus, à quo Gręcia dicta. Ibi Helles à quo Hellenes appellati. In Thessalia montes notissimi Olympus, Pierius, Ossa: cuius ex aduerso Pindus & Othris Laphitarũ 20 sedes, occasum verticibus intuentes. Nam Pelios ortum videt. Hi omnes montes theatrali more curuantur, ante quos septuaginta quinq; vrbes sunt memorandæ. Thessaliæ vicina Magnesia, cuius fons est Libetris, poetici haustus nomine celebratus. Longitudo Thessaliæ habet millia quadringenta * octoginta: latitudo ducenta nonaginta septem.

al. nonaginta.

De Macedonia.

MAcedonia postea centum quinquaginta populorũ maximis regibus inclyta, præsertimq; Alexandro, qui Philippo cũ natus crederetur, eius mater Olympias dracone eum conceptum esse memorabat, victor orbis: nam easdem peragrationis & victoriæ metas habuit, quas liber & Hercules. Hæc tamen Macedonia populos, qui Edonij dicebãtur, totamq; Migdoniam, Pieriam, Emathiamque recepit in 40 nomen. Hæc in Thracium limitem terminum ducit. A meridie Epirotis habitatur. A vespera, à Dardanis & Illyrijs: à septentrione Paphlagonia ac Pæonia. Inter ipsam & Thraciam amnis Strimon pro limite est, ab Hemi montis vertice defluens. In ea Rhodope, quem Mygdonium asserunt montem. & Athos abscissus à continenti, Xerxe viribus vtente Persarum. Et Horestidem terram ab Horestis & Hermionis filio quã vocitari non dubium est. Ibi Phlegra nunc ciuitas, tunc gigantũm præliorumq; immanium temeritate famosa: quæ sola etiam diluuio mundi asseritur nõ operta, quod vtiq; præstitit montium celsitudo.

De Thracia.

SEquitur Thracia, cuius incolæ Bardi, appetitum habent maximum mortis. Et quia dextra parte Strimonis degũt Bessi, & Denselatæ, Nestusque amnis, qui Pangæum ambit. 60 Nam Hebrum Odrysiæ niues complent, qui inter diuersos barbaros fluens etiã Ciconas perluit: quorum confinio Hemus sex millibus passuum cacumen extollens, vicinia perflatur austrorum. Cuius item terga diuersę gentes tenẽt, inter quas gẽtes Sarmatæ Scythæ; Dein pontũ Sithonia gens habet, quæ gloriam Orphęi progeniti vatis perfectione sortita est. Nã in Spartio promontorio ille vitam, aut sacris, vt aiunt, impendit, aut fidibus. Mox regio Mauronea ac Tyrida oppidum, in quo equi Diomedæi stabulati. Circa eum Abdera, cui constructæ Diomedis soror suum nomen ascripsit: quod oppidum Democriti physici ortu potius decoratum. Eandem Thraciam Polydori sepulchro signatã, nec poetæ prætereunt. Illic promontorium Ceraschryseon, Byzantio oppido celebratum, quod à Dyrrachio septingentis vndecim millibus distat. eo enim interstitio à se vttaq; maria recesserunt, id est, Adrias & Propontis. Illic Hellespontus angustior est, per stadia septem ab Europa Asiam diuidit. Hic quoq; duæ ciuitates, quarũ vna, id est Sestos Europę est: Abydos, Asiæ. Deinde promontoria contraria Cherronesi, in quo terminatur Europæ sinus tertius. & Asiæ Aegeum, in quo Cynosema dicitur locus Hecubę sepulchro tumulatus. In confinio insula Tenedos, à qua vsq; in Chium diffusior sinus interiacet: cuius dexterior Antandros exiguitas insularum, deniq; nauigantibus capræ similitudine diuulgatur, ab eaque Aegeum pelagus appellatur, sed in Corcyræ Phalario promontorio 30 effigiem nauis scopulus imitatur: in quẽ Vlyxis nauim versam fabulosa confixit auctoritas. Nã Creta centum vrbibus opulentã in ortum occasumq; porrigitur, cui nomen suum Hesperidis filia Nympharum pulchra concessit. aut Curetum rex Cretes, à quo Creta primo: mox Curetis nuncupata. Deinde propter cæli temperiem Macaronesos est appellata. Hæc in longitudinẽ tenditur millibus ducentis septuaginta. Latitudo quinquaginta millia non excedit. Circuitus omnis quingentis octoginta, octo millibus patet, montibus Idæo & Dictinæo sublimibus. Euboea verò à Bœotiæ continenti modico, atque ita exiguo mari interfluente discernitur, vt plerunq; ponte iungatur, Duobus promontorijs ad Atticam versus Gerasto & ad Hellespontum Caphareo decoratur. Huius latitudo vltra secundum milliarium intra quadragesimum contrahitur. Longitudo totius Bœotiæ ab Attica 50 vsq; Thessaliam cẽtum quinquaginta millibus numeratur. Circũferentia verò trecentis sexaginta quinq; millibus explicata. Huius oppidũ Calcida ex aduerso Aulis & Caristos marmoreis fluctibus concolora. In Myrthoo autem mari Cyclades, quarum notiores Delos & Antandros: quæ nomina à circulata ordinatione sortitæ. Item Strophades, quarum Naxo Homeri sepulchro * veneranda, aliæq; quamplures per septuaginta longitudinem, & per ducenta latitudinem ducunt. Inter Cherronesum & Samothracen, quædam loca vasta, nunc Barbarica.

al. memoranda.

De

© Biblioteca Nacional de España

De quarta sinu Europæ.

QVartus verò & magnus Europę sinus ab Hellesponto incipiens, Mæotis ostio terminatur. Nam arctũ mare inter Europã & Asiam, in angustias septem stadiorum interfluens coarctatur: quas angustias Hellespõtum dicunt, vbi Xerxes Persidis rex aggregatis nauibus, ponteq; constructo exercitum duxit. Verũ hæc angustiora quadã interriuatione per octoginta sex millia distenduntur, ac rursum diffunditur mare latissimum: iterumq; contrahitur: sed maris illa diffusio Propontis dicitur, secundæq; angustiæ Bosphoros appellãtur, quæ quingentis passibus patent. Item hac Darius Xerxis pater copias ponte trãsmisit: cuius ab Hellespõto longitudo ducẽtis triginta nouem millibus inuenitur. Deinde Scythicus diffusi maris sinus, in quo medio Meotis ostio iungitur lacus Cimmerius, Bosphorus idẽ vocatur: is duobus millibus & quingentis passibus inter quos Bosphoros id est, Cimmerium & Thracium latus interpatent millia quingenta. Circuitus verò totius Ponti, vicies semel quinquaginta millibus, vt Varro quoq; non reticet: quia dicit Europæ totius longitudinem habere sexagies ter triginta septem millia, passusq; quingentos. Hister fluuius ortus in Germania de cacumine montis ad nouem sexaginta amnes assumens etiam Danubius vocitatur. Dehinc littus Scythicũ confertum multiplici diuersitate Barbarica. Nam illic Getæ, Daci, Sarmatæ, Amaxobij, Trogloditæ, Alani. Germanięq; omnis tractus Ab Histro ad Oceanum bis decies cẽtum millium passuũ est, in latitudine millibus quadringentis vsque ad Armeniæ solitudines. Nec procul fluuius, Lacus oppidum, sub vno cũcta nomine Borysthenes, propter Achillis insulam eius sepulchro celebratam. Introrsus degũt Auchetæ, apud quos Hispanis nascitur, & * Neutræ, apud quos Borysthenes, Geloni, Agathirsi, Antropophagi. Et à tergo eorum Arimaspi. Tunc Riphæi mõtes, & regio caligantibus tenebris inumbrata. Post eosdem montes trãs Aquilonem Hyperborei, apud quos mundi axis continua motione torquetur, gens moribus, prolixitate vitæ, deorum cultu, aeris clementia, semestri die fine etiam habitationis humanæ prædicanda. Verum Sarmatiæ Scytiæ, Tauricæ tractus in longitudinẽ habet millia nongẽta octoginta, latitudine * septingẽta decẽ. Iã nil in Europa estimo memorandũ: quoniam & Hiperboreos sibi Asia vindicauit.

al. Neutri.

al. octoginta.

Alia dimensio Europæ à Septentrione.

SI autem leuorsum post Riphęos montes redeas per Oceani septentrionalis tractus, te denuo per Germanię, Galliarumq;, & Hiberos populos in Gaditanum ostium reuocabis. Ariphæi quippe iam in Asia constituti parilem Hyperboreis vitam degunt, cunctis gentibus venerandi, vt ad eos velut ad quoddã asylũ confugiãt metuentes. Vltra hos Cimeri & Amazones ad Caspium mare quod in confinio ortum est, ibi Scyticum perrumpit Oceanũ. Post prolixa terrarum & Hyrcania reperitur. Cæterùm in Athlanticũ littus Oceani remeantes, per Aquitaniam extremam, extremaque Europæ in Britanniam reuertuntur: quæ insula iacet inter septentrionem & occasum, lõga millibus octingentis, lata trecentis. Circuitus tricies octies vigintiquinq; millia tenet. In vltimo eius sylua Calidonia, insulæque quamplures, inter quas Orchades quadraginta penè coniunctæ. Item Electrides, in quibus Electrũ gignitur. Sed vltima omnium Tyle, in qua solstitiali tempore continuus dies, brumaliq; nox perennis exigitur, Vltra quam nauigatione vnius diei, mare concretum est: sed infra cõfinis est Gallię, Hispaniæq;, quibus nisi oceani Athlantici prohiberet irruptio, Africa misceretur. Nam Velonensis Bethicæ ciuitas triginta tribus millibus à Tingi opido disparatur, quæ colonia est Mauritaniæ Cæsariensis. Huius auctor opidi Antæus dicitur.

De Africa.

AFrica verò ac Libya dicta ab Afro Libe Herculis filio. In confinio est Elissos colonia, in qua * Regia Antęi luctamenq; cum Hercule celebratur, & Hesperidum horti, illic estuarium flexuosum, quem draconem vigilem rumor vetustatis allusit. Nec longè mons Athlas de gremio cacumen proferens arenarum. Hunc incolæ Adirim vocant, is usq; in confinia lunaris circuli euectus vltra nubium potestatẽ, qui ab occasus parte littora prospectat Oceani, nemorosus, fontibus scatens, sed rupibus infœcundus. Qua verò Africam spectat, opimus omnis. Arbores præterea gignit cupresso similes, odore graues, quę lanam obducunt instar seriei preciosam. Per diem silet, nocte & ignibus micat & tibijs, fistula, cymbalis, tympanisq; percrepat, Satyris, Aegipanisq; bacchantibus. Vltra ipsum ad occasum littus per quadringenta nonaginta sex millia saltus feris Lybicis occupati. Nec plurimum distant septem montes, qui à pãrilitate cacuminis fratres sunt appellati, sed elephantorum pleni sunt, ac vltra prouinciam Tingitanam, cuius longitudo centum septuaginta millium est. Item Siga oppidum est è regione Malacam vrbem Hispaniæ contemplatur. In littore quoq; * Carcenna maiusq; oppidum Cæsarea. Item Icosium æquè coloniam. Item Rusconię & Ruscurius, Saldæ etiam, cæteræq; ciuitates, atq; Igilgili & Rusarus. Flumen verò Ampsaga abest à Cęsarea trecẽtis viginti duob. millib.

al. regia.

al. Carnenna.

De duabus Mauritanijs.

VTriusq; Mauritaniæ lõgitudo decies quadraginta trium millium, latitudo quadringentorum sexaginta septem. Ab Ampsaga Numidia est nomine celebrata Numidę: Nomades dicti, cuius in mediterraneis colonia Cirta, & interius Sicca, atq; Bulla regia. In ora vero littoris Hipporegius ac Tabrachia. Interius Zeugitana regio, quæ propriè vocatur Africa, habet

© Biblioteca Nacional de España

hæc tria promontoria, Apollinis aduersum Sardiniam, Mercurij respectans Siciliam, quæ in altum procurrentia duos efficiunt sinus ab Hippone Diarrytho. Deinde promontorium Apollinis, & in alio sinu Vtica Catonis morte memoranda. Flumen * Bragada, ac propinqua Carthago, inclyta pridem armis, nunc felicitate reuerenda. Demũ Maxula, Carpi, Messua, Clypeaq; in promõtorio Mercurij. Itẽ Curubis, Neapolis.

al. Bagrada.

De secundo Sinu Africæ.

MOx alia distinctio Lybiæ, Phœnices vocantur, qui Byzantinum incolũt, quæ regio ducentis quinquaginta millibus passuum circuitur, cuius satio cẽtesimo messis incremẽto fœneratur. Hic oppida Puppup, Adrumetus, Leptis, Ruspæ, Tapsus, Thenæ Macomades, Tacape. Sabrata contingens Syrtim minorem, ad quam Numidiæ & Africæ ab Ampsaga, longitudo sunt millia quingenta octoginta: latitudo ducenta.

De tertio Sinu.

TErtius sinus diuiditur in geminos duarũ Syrtium recessus, vadoso ac reciproco mari, sed minor Syrtis à Carthagine abest trecentis millibus, ad maiorẽ verò per deserta pergitur: quæ serpentibus diuersis ac feris habitantur. Post hæc Garamantes, super hos fuêre Psilij. In deflexu ciuitas Ocensis & Leptis magna. Inde Syrtis maior, circuitus sexcentorum viginti quinq; millium. Tunc Cyrenaica regio, eadẽ est Pentapolitana Ammonis oraculo memorata, quòd à Cyrenis abest cccc. millibus passuũ, Vrbes maximæ ibi quinq;, Berenice, Arsinoe, Ptolemaida, Apollonia, ipsaq; Cyrene. Berenice autem in extremo Syrtis cornu, vbi Hesperidum horti fluuius Lethon: Lucus sacer abest à Lepti trecẽtis septuaginta quinq; millibus. Ab eo Arsinoe quadraginta tribus, & deinceps Ptolomais viginti duobus, proculq; Catabathmon & Marmarides. Et in ora Syrtis Nasamones. Deinde Mareotis Maretonium. Inde Apis Aegypti locus, à quo Parethonium in sexaginta duobus millibus. Inde Alexandrina ducẽta millia. Totius autem Africæ à mari Athlantico longitudo cum inferiore Aegypto, tricies quadringenta millia. Ab oceano ad Carthaginẽ magnã, vndecies millies. Ab ea ad Canopum Nili proximum ostium, sexdecies millies octuaginta octo millia.

De interiori Africa.

INterior autẽ Africa ad meridiẽ versus interuenientibus desertis, habet Leucas Aethiopes, Nigritas, & cæteros monstruosę nouitatis. Post quos solitudines fugiendæ ad orientẽ versus. Fluuius Niger, eius cuius Nilus naturæ est prorsus. Inter solitudines degũt Athlantes, qui neq; vlla inter se nomina habent, & soli imprecantur, quòd eos cum messibus semper amburat. Hi nunquàm somniare videntur. Troglodytæ in specubus manent, vescunturq; serpentibus, striduntq; potius quàm loquuntur. Garamãtes vulgo fœminis sine matrimonio sociantur. Augilę inferos colunt. * Camphasantes nudi & imbelles, externis nunquàm miscentur. Blemiæ sine capite sunt, atque os & oculos in pectore gerunt. Satyri, hominum nihil habent nisi faciẽ. Aegipanes quales pinguntur existũt. Himantopodes debilitate pedum serpunt potius quàm incedunt. Pharusi, comites Herculis fuêre, post hos finis est Africæ.

al. Campasantes.

De Aegypto quæ est Asiæ caput.

AEgyptus dehinc, hoc est Asiæ caput: quæ vna ab ostio Canopi ad ostium Ponti habet vicies sexies centũ * quadraginta tria millia passuum. Ab ore autem Ponti ad os Mæotis sexdecies centena septuagintaquinque millia passuum. Verũ Aegyptus introrsum ad meridiem tendit, donec à tergo Aethiopes obuersentur, cuius inferiorem situm Nilus dextra leuaq; diuisus amplectitur, vt Aegyptum Nili possis insulam vocitare. Nam ab ambitu circũfluentis amnis, etiam Delta literæ figuram creditur detinere: sed à principio fissuræ ipsius fluuialis ad Canopicum ostium millia centum quadraginta sex. Summa autem eius pars contermina Aethiopiæ opidorũ multas præfecturas habet, quas Nomos vocant, inter quas Menala, itẽ Ala, item Alexandriæ regionem. Item Lybiæ Mareotim. Heracleopolis autem insula Nili est, in qua oppida Herculis Arsinoita & Memphita, quæ ad summum Delta perueniunt. Nilus autem ipse incertis ortus fontibus creditur, cum Iuba rex eum à monte inferioris Mauritaniæ de lacu Hilide oriri significet, quòd animalibus hisdem, & * argumentis fœturæ parilis approbatur. In omni autem Delta Nili oppida ducenta quinquaginta fuisse, Artemidorus attestatur. In littore tamẽ Aegyptij maris prestantior vrbium Alexandria constituta, ab Alexandro magno condita, à Canopico ostio in duodecim millibus passuum iuxta Mareotim lacum, qui complures insulas habet, traiectusq; quadringentos, cuius tam longitudo quàm etiã latitudo cẽtena quinquagena millia passuum tenent. Vnde vltra Pelusiacum ostium Arabia est, ad rubrum pertingens mare, quod Erithræum ab Erithra rege Persæ & Andromedæ filio vocitatum, à colore etiam dictum rubrũ. Nam fons est in littore, quem cum greges biberint, in rubrum colorem incipiunt mutare lanas. Huius maris oppidum Arsinoe.

al. triginta octo.

* fortè, armentis.

De Arabia & Syra.

VErum Arabia tenditur vsq; ad odoriferam ac diuitem terram, sed iuxta est Syria multis distincta nominibus. Nam & Palestina est, quæ cõtingit Arabiã, & Iudæa & Phœnicia, &

© Biblioteca Nacional de España

& quantum interior habetur, Damascene, in Meridiem vergens Babylonia. ex eadem, Mesopotamia inter Eufraten & Tygrin. Quà verò transit Taurum montem Sophene, citra verò etiam Comagene: & vltra Armeniam Adiabene, Assiria antè dicta. Et vbi Ciliciam attingit, Antiochia. Longitudo eius inter Ciliciâ & Arabiam quadringẽtorum septuaginta Mil. pas. est. Latitudo autem à Seleucia ad oppidum Eufratis Zeuma * quingenta viginti quinq; mi. passuum Ostracinæ Arabia finitur, à Pelusio sexaginta sex millibus passuum, Apollonia Palestinæ per centum octuaginta octo millia passuum procedens, supra Idumæam & Samariâ Iudæa longè lateq; funditur. Pars eius Syriæ iuncta Galilæa vocatur; à cæteris eius partibus Iordane amne discreta: qui fluuius oritur de fonte Paneade. Secunda elatio Iudææ ab Hyerosolymis; in quo latere est fons Callirhoe, ab occidente Esseni: qui sine concubitu & cunctis cupiditatibus viuunt. Hinc aliquando interius Masada castellum, in quo Iudææ finis est. Iungitur Decapolis, dicta à numero ciuitatum Redeuntibus ad oram Phenicie, colonia Ptolomais: à tergo Libanus & Antilibanus montes. Et interiacentibus campis Bargilus item mons sedet. Item Syria desinente inter oppida Phœniciæ Antiochia, quæ Orõte amne diuiditur. Super eâ mõs nomine Casius: cuius altitudo quarta vigilia solem per tenebras videt.

XV.M

De Euphratæ magno fluuio.

IN Syria fluuius Eufrates nascitur à monte qui vocatur Capodes, ibi quoq; Marsias alius amnis inter Syriam & Parthiam oppidũ Palmira: moxq; Eufrates fluuius cuius decẽ dierum nauigatione in ipsam Seleuciam Parthorũ vrbẽ maximâ peruenitur. Sed scissus Eufrates leuorsum in Mesopotamiam vadit, & Tygridi infunditur. Dextro autem meatu Babyloniam petit, quæ Caldææ caput est. Sed redeundũ ad oram Syriæ, cui cõfinis est Cilicia, in qua oppidum Veneris & Cypros insula fluuiusq; Paradysus. Ciliciæ Pamphilia sociatur, cuius vltima Phaselis: dehincq; Lycaonia in Asiaticâ iurisdictionẽ versa: quæ ab illa parte, qua Galatiæ contermina est, habet ciuitates quatuordecim. Verum Pamphiliæ iuncta Lycia, à qua incipit mõs Taurus, penè mediterrus orbis * conscius, quẽ peragraret nisi maria restitissent. Qui aliquãdo flexuosus euadit & in Riphæorum montũ iuga sub nominum diuersitate protenditur. Nam inter cætera nomina idẽ Nyphates est; Caucasus & Sarpedon. Portarum etiâ nomine censetur, & alibi Armeniæ, alibi Caspiæ, & idem Hyrcanius, Coraxicus, Scythicus, Ceraunius appellatur. In Lycia alius mons Chimæra; noctibus flagrans. Hæc habuit oppida septuaginta; nunc triginta sex sunt. Telmesus oppidũ dicitur, quo finitur. hinc Asiaticum siue Carpatium mare, & quæ propriè vocatur Asia, cui ab oriente Phrygia & Lycaonia, à septẽtrione Paphlagonia est.

constituta.

Huius longitudo quadringẽtis septuaginta milibus passuũ. latitudo trecẽtis. Armenia altera ab oriente, à septentrionẽ pontica. In proximo Caria est, mox Ionia: vltra eam * Aeolis, media Doride. In Phrygia Celeneantea, in Apamæam cõmutata. Illic Marsyas & natus, & occidit, & fluuio nomen dedit, & cum Apolline decertauit. Denique pars eius Aulocrene vocitatur, vnde Meander amnis exoritur.

al. Calis.

De Phrygia prouincia.

PHrygia Troadi imminet, ab Aquilone Galacia est, à Meridie Lycaonia & Pisydiæ Mygdoniæ confinis est, ab oriente Lyciæ, à septentrione Misiæ & Cariæ. Dehinc Tmolus loco florens, amnisq; Pactolus. Ioniæ, Miletos caput Ibi etiâ Colophon, oraculo Clarij Apollinis celebratâ. Meoniæ principium Sipylus. Smyrna etiam Homero notissima, quam circũfluit Meles fluuius. Nam Smyrneos cãpos Hermus intersecat, qui ortus Dorilao, Phrygiam Cariamq; * dispartit. Iuxta Illũ sepulchrũ Memnonis iacet. Supra Troadem in mediterraneo Teutrania est: quæ regio Mysorum fuit. Ciuitas verò Teutrania Caico flumine alluitur. Ibi inter omnes Asiæ ciuitates Pergamum clarius. Nam Bithynia initium Ponti est, & ab ortu Thraciæ aduersa à Sagari flumine primos habitatores habet; qui fluuius alij fluuio Gallo miscetur, à quo Galli dicuntur ministri matris deum. Hęc & Bebricia & Mygdonia dicta est. A Bithyno rege Bithynia. In ea ciuitas Prusias: quam Hylas inundat lacus: quo puer eiusdem nominis dicitur interceptus. Ibi Libyssa locus Nicomediæ proximus, in eo sepulchrum Hannibalis memoratur. Dehinc Ponti ora, fauces Bosphori, & amnem Rhesum, Sagarimque sinus Mariandini, in quo Heraclea ciuitas, portus Acone, vbi herba veneni aconitũ procreatur. Specus Acherusius, qui mergitur in profunda telluris. Inde Paphlagonia, vbi à tergo Galatia est: sed hic Henetosa etiã ciuitas, à cuius ciuibus in Italia ortos Venetos asserunt. Ibi promontorium Carambis, quod à Ponti ostio abest millibus passuum ducentis viginti, tantundem à Cimmerio. Ibi etiam mons Cytorus & ciuitas Eupatoria, quam Mitridates fecerat: sed eo victo Pompeiopolis appellata.

al. dissecat.

De Cappadociâ.

CAppadocia autẽ introuersus recedit, quæ leuorsum ambas Armenias, Comagenẽq; transcurrit, dextrorsum plurimos Asiæ populos ambiẽs: Ad iuga Tauri succrescit in ortu: Præterit Lycaoniam, Pysidiam, Ciliciam super tractum Syriæ means, Antiochiæ partẽ in Scythiam pertendens. Ab Armenia maiore diuiditur Eufrate fluuio, quæ Armenia inchoat à montibus * Pariedris. In Cappadocia multæ vrbes eximiæ, inter quas Melita, quam Semiramis condidit, & Mazaca, quam dicunt vrbium matrem: cui Argæus mons imminet, qui niues ver-

al. Panedrysin.

© Biblioteca Nacional de España

tieis albicãtis ne æstiuis quidem solibus superfundit. In hac Cappadocia longitudo Asiæ vndecies centena quadraginta millia.

De Assyria.

ASsyrij ab Adiabene incipiunt, quos excipit Media in prospectu Caspij maris, quæ Caucaseis montibus cingitur: sed Caucasus portas habet, quas Caspias dicunt, cautium precisiones etiam ferreis trabibus obseratas, ad externorum transitum cohibendum: quamuis verno etiam serpentibus occludantur, à quibus ad Pontum ducenta millia passuum esse non dubium est. In Ponto autem sunt insulæ Symplegades, mox regio Mattianæ, sola in eo tractu vitifera: inclusa montibus stadiorum mille quingentorum. Difficilis aditu propter solitudines arenosas, quæ sunt per cẽtum viginti millia passuum. Regionis prædictæ amœnitatem Alexander magnus delegerat, & ibi primo nominis sui condiderat ciuitatem, quæ excisa est, & ab Antiocho Seleuci filio reparata cum nomine patris eiusdem: cuius circuitus habet stadia septuaginta quinq;. Inde * Oaxus amnis, qui circa Bactram eius oppidũ nominis, fluuioq; vltra Panda oppidum Sogdianorum, vbi Alexander tertiam Alexandriam condidit ad contestandã itinerisprolixitatẽ: quippe emẽsi à Libero, dehinc ab Hercule: aræ sunt cõstitutæ in testimonium laboris immensi. Illam terrarũ partem * Iaxartes fluuius secat, qui Tanais putabatur: quẽ Dæmodamas dux transcendit: aliumq; esse perdocuit: & ultra Dydimæo Apollini aras extruxit.

al. Oxus.

al. Iaxates.

De Perside.

HIc Persicus limes Scythis iũgitur, sed Scythico Oceano & Caspio mari. Qua in oceanum Eoum cursus est, profundæ in exordio niues, dehincq; lõga desertio. Postquã Anthropophagi excursus inuios reddidẽre, post quos Seres, qui vndis aspergunt arbores suas, vt lanugo, quæ sericũ creat, possit admitti. Hi aliarũ gentiũ homines aspernãtur, & appositionẽ mercium. Sine colloquio gaudent implere contractũ. Hinc * Attacorus sinus, Hyperboreis beatitate consimilis, quo incolæ gratulantur, qui circuitu valliũ auras nesciũt pestilẽtes.

al. Attacenus.

De India.

DEhinc India, nã Ciconas in medio error astruxit, sed à Medijs montibus inchoat India. Nam in Eoum mare à meridiano porrecta, salubris Fauonij vegetabilibus flabris, secunda æstate annis singulis vegetatur, bisque frugẽ metit. Pro hyeme Etesias perfert. Quinq; millia habuit oppidorum, & mundi pars tertia credebatur. Liber, primus ingressus Indiam triumphauit. In ea maximi fluuiorũ Indus & Ganges, sed ab Scythicis mõtibus Ganges venit. Et Hypanis ibi amnis immodicus, qui Alexandri magni iter inclusit: sicut in eius ripa locatæ testantur aræ. Latitudo Gangis vbi diffusior, viginti mil. passuum: vbi angustus octo, profundus pedibus centum * millia. Ibi reges gentiũq; diuersitas, tam exercitibus quàm elephantis copiosa. Vltra Palibotram vrbem mõs Maleus, in quo hyeme in septentriones vmbræ: in austros æstate cadunt, senis alternatæ mensibus. In eo loco per annũ quindecim diebus tantũ septentriones apparẽt. Homines fusciores: nã Pygmæi montibus habitant, & qui confines Oceano sine regibus degunt. Pandeam gentẽ fœminæ tenent: cui prior regina Herculis filia. In eo tractu etiam Nysam vrbẽ esse Libero patri sacrã, montemq; Merum Ioui. Vnde fabula est, eum Iouis semine procreatum. Ibi etiam insulas duas auri, argentiq; metallis, ac fœtura prædicandas, etiã vocabulis approbatur: nam vna Chrysea, Argyrea altera nuncupatur. Omnes Indi comarũ fuco decorantur. Alij cæruleis, alij crocinis fulgoribus tincti, gemmis comuntur. * Funerationes negligunt, elephantisq; vehi eximium putant: sed in Taprobane insula maiores elephanti quàm Indici. Ampliores etiam Margaritæ sunt, quæ patet in longitudine stadiorũ septem millibus, in latitudine quinq; millibus. Scinditur fluuio interfluente, atque Indiæ prætenta est: in quã septem dierũ iter, vt Romanis nauibus approbatũ. Illic & illud mare absq; canalibus profundis senum passuum altitudine deprimitur. Ibi septentriones nõ apparẽt: Vergiliq; nunquã Luna ab octaua in sedecimã tantũ supra terras videt. Ibi sidus clarissimũ Canopos. Sol ortiuus in leua conspicitur. In nauigãdo nullũ sidus obseruant: auium quas vehunt, volatus sequũtur. Quaternis per annos mensibus nauigãt. Homines ibi corpore grandiores vltra hominũ mensurã, rutilis comis cæruleis oculis, trucioris soni. Nullo linguæ cõmercio genti alteri sociantur. Cum negociatoribus alijs in ripa fluminis merces apponunt, ac vix complacitas mutant. Aetas illi vltra humanam fragilitatem prolixa, vt immaturè pereat, qui centenarius moritur. Nulli per diem somnus. Anona eodem semper tenore. ædificia humilia, paruaq;. Vitem nesciunt. Redundant pomis: Herculem colunt. Regẽ eum qui mitior, grauior, ac sine prole fuerit, eligũt. Et si in regno prolẽ susceperit, remouẽt: hæreditarium formidantes imperium. Cũ quo tamen alij triginta cognoscunt. Et si fuerit prouocatũ septuaginta iudices fiunt. Rex Liberi patris cultu componitur. Et si peccauerit, interdicto omni usu & colloquio, iugulatur. Culturas & venatus amant: verum tygridum aut elephantorum piscationibus delectantur, præsertim testudinum, quarum superficie domos familiarũ capaces operiunt. Dehinc habitant Ichthyophagi, quos Alexander vesci piscib⁹ vetuit, nec lõgè insula solis quæ dicitur, & nympharũ cubile rubens. In qua omne animal vi feruoris absumitur. Mox, Hypanis Carmaniæ fluuius, à quo primum aspici septentriones incipiunt. Deinde tres insulæ, in quibus hydri marini

al. deest.

al. funerationes.

© Biblioteca Nacional de España

rini vigenũ ſunt cubitorũ. In his rubrũ mare lit
Cortinius. toribus ſinu gemino diſparatur. Verũ * orticus
Perſicus dicitur propter habitationẽ Perſarum,
qui ſinus vicies & ſexaginta millia circuitu pa-
tet. Ex aduerſo alter Arabicus vocatur. Carma
nia quoq; Perſis adiũgitur, quę ab inſula Aphro
diſia inchoat, quę tráslata eſt in Parthicũ nomẽ.
Littore quoq; occaſui obiacet, millium eſt quin
gentorum quinquaginta. Oppidum ibi nobile
Suſa, in quo templum Dianæ. Suſæ iuxta Tarbi 15
le, ſiue Babitace in centum triginta millibus: in
qua ſunt homines, qui aurum in profunda defo
diut, necui ſit in vſu. Parthici verò regni nongẽ-
ta quadraginta quatuor millium paſſuum. Ve-
rum omnis Media, Parthia & Perſida ab oriente
flumine Indo, ab occidente Tygri, à ſeptentrio-
ne Tauro Caucaſio, à meridie rubro mari termi
nantur. Quæ omnes per longitudinem patent
terdecies viginti millia paſſuum, per latitudinẽ
octingenta triginta. 20

De Babylonia.

SEd Caldæę gentis Babylonia caput eſt. De-
niq; Aſſyria & Meſopotamia propter illius
claritatẽ Babylonia vocatur. Vrbs ipſa ſexa-
ginta mil. paſſuum muris amplectitur, qui du-
centis pedibus alti, quinquagenis lati ſunt: niſi
quid amplius. Nam terni digiti ſingulis menſu-
ræ noſtræ pedibus applicantur. Hæc interlui-
tur Eufrate. Ibi Iouis Beli templum, qui inuen-
tor fuit diſciplinæ ſyderalis. Hæc nunc ad ſolitu
dinem redijt exhauſtæ Seleuciæ. Item in hunc
vſum etiam Teſiphontẽ tertio ab ea lapide con-
didêre Parthi, ac nunc caput regnorum eſt. Ha-
bitantur etiam abdita Aethiopiæ, & aduſta Tro
gloditarum & Ichthyophagorum gẽtibus. Sed
al. Gorgades. primi feras curſu prætereunt: alteri nando ma-
rinas beluas vincunt. Sunt & * Gorgones inſu-
læ, obuerſæ promontorio quod vocatur Heſpe-
rionceras. Has incoluiſſe Gorgonas ferunt, in
quas à continenti biduo nauigatur. Vltra has
Heſperidum inſulæ, quæ intimo admodum ma
ri ſunt. Fortunatas autem inſulas in leua Mauri
taniæ conſtitutas inter meridiem, occaſumque
al. Membriona. nõ dubiũ eſt: quarũ prima * Vmbriona dicitur:
ſecunda Iunonia: terra Theode: quarta Capra-
ria: alia Niuaria, quæ aere nebuloſo & concreto
eſt. Mox Caparia, canibus immenſæ magnitudi
nis plena, omnes auibus plenæ, nemoroſæ, pal-
miferæ: nuce pinea, mellis copia, amnibus ac ſy-
luris piſcibus abundantes.

Item breuis repetitio.

PErcurſus breuiter terrarũ ſitus, licet igno-
bilia quæq; præteruolans immorari nõ po
tuerim, tamen vt orbem terræ mariaq; ad-
menſa cognoſcar, menſuram omnem breuiter
intimabo. A Gaditano freto per longitudinẽ di-
al. quater triginta. al. deeſt. recto curſu ad os Mæotis, tricies & * ter viginti 60
ſeptem millia * quingenta paſſuum. Vniuerſus
autẽ circuitus ab eodẽ exordio per ſinus dictos
intra Męotin lacum, centũ quinquaginta ſeptẽ.
Cum ipſa verò Mæotide centies * octies, bis al. octuagies bis XC milia.
nongenta. Europæ ſolius menſura octogies bis
* nongenta quatuor: Africæ longitudo tricies al. XCIIII M.
ſepties * nongenta quatuor. Latitudo in Cyre- al. XCIIII.
naicam eius partem nongenta & decem, Aſiæ
verò longitudo ſexagies ter ſeptingenta quin-
quaginta. Latitudo ab Aethiopico mari ad Alex
andriam iuxta Nilum ſitam per Mœroen & Sye
nem, decies * octies viginti quinq; millia. Expo- al. ſepties.
ſita eſt terræ, quam ipſa peragraui, æquorumq;
menſura. Nunc ad artis præcepta, vt iuſſum eſt,
veniemus.

Dixerat at Paphiæ paulò contractior ore
Mora intricante læditur.
Nixaq; mox famulis marcentia terga reclinat,
Magis quod laſſa pulchrior.
Hic dudum roſeas inter reſoluta puellas
Voluptas inquit anxia.
Vnde hæc tam duris immitis ruſtica membris
Peregit orbis circulum,
Et tantos montes, fluuios, freta, compita currens* al. competa.
Delere venit tædia?
Hanc ego credideriim ſentis ſpineſcere inembris.
Neq; hirta crura vellere.
Nanq; ita pulucrea eſt agreſti & robore fortis
Iure vt putetur maſcula.

Quo dicto iocus miniſtris Venerls ſuſcita
30 tur ipſiq; Cythereæ: cui de proximo ſuſurratim
decenter arriſit. Quã Arcas nutu hilaro, & quo
eã ſolitus intueri, propter diuum reprehenſio-
nes circũſpectus, inhibuit. Verũ pronuba pro-
pter aſsidens, nihil mirum, inquit, ſi properè
Venus cum delicijs famulitioq; tã comi appul-
ſa eſt laſciuire: nã & nuptialiter læta eſt: & blan-
da ſemper arridente Cyllenio. Et cũ dicto Geo-
metria præcipitur ad pimiſſa properare: ſed ita,
vt ſumma quęq; perſtringẽs, faſtidiũ nõ ſuſcitet
40 tarditate. Tunc illa: Omnis mea quæ in infini-
tũ * peragratur aſſertio, numeris lineisq; diſcer al. propagatur.
nitur, quæ nunc corporea, tũ incorporea com-
probantur. Nã vnũ eſt, quod animi ſola cõtem-
platione cõſpicimus. Aliud, quod etiã oculis in-
tuemur. Verũ prior pars, quæ numerorũ regu-
lis rationibusq; cõcipitur, germanæ meæ Arith
meticę deputatur. Alia eſt linearis, atq; apodicti
ca huius pulueris erudita cognitio, quę quidem
ab incorporeis procreata, ac ſenſim in multipli-
50 ces formas effigiata, tenui ac vix intellectuali
principio in cœlũ quoq; ſubuehitur. Quod qui-
dẽ incorporeum inuiſibileq; primordiũ, cõmu-
ne mihi cũ Arithmetica reperitur. Nã monas e-
iuſdẽ inſecabilis procreatio numerorũ eſt, mi-
hiq; ſignũ vocatur. Quod vtpote incõprehenſi-
bile, parte nulla diſcernitur. Apud illã dias lineã
facit, mihi linea in lõgitudinẽ ducta latitudinis
nil prorſus acquirit. Superficies itẽ mihi tã lon-
gẽ lateq; diffuſa, ſine profunditate cenſetur. Illi
60 numerus, qui cũctis accedere ſpecieb. gregatim,
ſigillatimq; poteſt, niſi reb. accidat, incorporeus
inuenitur. Ergo incorporea vtriuſq; principia.

© Biblioteca Nacional de España

De Planis figuris.

VErum primę apud me formandorum schematum partes duæ sunt, vna quæ dicitur Planaris, quam ἐπίπεδον Gręcè soleo memorare. Alia Solida, quam στερεὸν dicimus. Et prioris principium σημεῖον, quod punctum vel signum lataliter appellatur. Cōsequentis superficies, quę ἐπιφανεία dicitur. Punctum verò est, cuius pars nihil est: quæ si duo fuerint, linea inreriacente iunguntur.

De lineis.

LInea verò est, quā γραμμὴν vocamus, sine latitudine longitudo. Linearū aliæ directæ sunt, quas εὐθείας dico. Aliæ in gyrū reflexæ quas, κυκλικὰς. Nonnullas etiam, ἑλικοειδεῖς. Alias καμπύλας pro obliquitate discrimino. Quæ tamē lineæ punctis vtrinq; secus includuntur, sicuti ipsæ quoq; superficiem circūcingunt.

Superficies est, quæ lōgitudinē & latitudinē tantū habet, profunditate deseritur, vt est color in corpore. Hanc ἐπιφανείαν Græci dixére: & vt dixi eius termini sunt lineæ, siue planæ siue sinuosæ.

De plano angulo.

PLanus autem angulus fit in planicie duabus lineis se inuicem tangentibus, & non vnam facientibus ad alterutrū inclinationem. Quando autem æquè intra se tenent angulum lineæ, & directæ fuerint, directilineus dicitur angulus, vt Gręce εὐθύγραμμος. Quando autē directa super directam iacentem stans, dextra leuaq; angulos æquales fecerit, directus vterque est angulus: & illa superstans perpendicularis dicitur. sed Græcè κάθετος.

Angulus maior directo, obtusus dicitur. Minor directo, acutus.

Diffinitio est res quæ alicuius est terminus.

Forma, est res quæ ex aliquo vel aliquibus terminus continetur.

Circulus, est planaris figura, quæ vna linea continetur. Hæc linea περιφέρεια appellatur: ad quam ex vna nota intra circulum posita, omnes directæ ductæ lineæ, æquales sunt.

Punctum autē circuli est, circuli media nota.

Diametros, est directa linea quædā, per punctum supradictum ducta, quę orbem ęqualibus partibus diuidit.

Hemicyclium est figura quæ Diametro & Peripheria media, quā eadē diametros distinguit, continetur. Lineæ tres directæ, diuersa positione faciunt trigonum, quatuor tetragonum, multæ polygonum. Et hæ planæ figuræ dicuntur: quarum sunt genera tria. Quorum vnum directis lineis clauditur, quod Græci εὐθύγραμμον vocant. Aliud, quod inflexis, quod καμπύλογραμμον dicunt. Tertium, quod directis simul curuisq; lineis aptatur, quod μικτὸν dicunt.

Εὐθύγραμμος igitur & τρίπλευρος & τετράπλευρος & πολύπλευρος dicitur. τρίπλευρος tres habet formas: nā trigonus est. Aut ἰσόπλευρος, qd Latinè æquilaterum dicitur, quod tribus paribus lineis lateribusq; concurrit. Aut ἰσοσκελὴς quod ex tribus lineis duas æquales habet, quibus quasi cruribus insistit. Deniq; æquicrurium vocitatur. Aut σκαληνὸς; quod omnes tres lineas inter se inæquales habent.

ἰσθύγραμμος item τετράπλευρος quinque species habet. Primam, quæ quatuor æqualibus lineis & directis angulis sustentatur, quod schema tetragonum dicitur. Secunda species, quæ directi angula est, non æquilatera: & dicitur ἑτερομήκης. Tertia, æquilatera est, non tamē directiangula, & dicitur ῥόμβος. Item quæ ex aduerso: sibi latere æqualia & contrarios angulos inuicem sibi æquales habet, & neq; omnia latera inuicem sibi æqualia, neq; angulos directos, & dicitur ῥομβοειδής. Item quæ nec latera sibi inuicem æqualia, nec angulos directos, sed acutos & obtusos & & dicitur ἀμφίπλευρος. Extra has formas quicquid quadrilaterum est τραπέζιον vocatur.

Parallelæ sunt directæ lineæ, quæ in eadem planicie constitutæ, atq; productæ in infinitum nulla parte in se incidunt.

Dictum de Tetrapleuris: quorum similitudo Polypleura schemata potest docere. In his autē Pentagona, hexagona, & cætera eutygrammi generis continentur.

De genere schematis secundo.

SEquitur secundum Schematū genus, quod curuis lineis informatur, quod καμπυλόγραμμον appellatur: cuius species duæ sunt. Vna quæ integri circuli rationes tenet. Nam integer est, cum ad eius circumferentiam ab vno cētrali lineæ protentæ vndiq; æquales sibi sunt. Alia, quæ obducti circuli diuersitates ostendit. Tertium genus est planorum schematum, quod μικτὸν vocant, quod partim curuis lineis partim directis includitur, vt est semicirculus: cuius, ut suprà dixi, gyrum curua linea facit. Et alia directa, quæ est linea, sicut dixi διάμετρος dicitur: latinè distermina: quę si in circulo pleno sit, per cētrum eius ad vtrāq; circumferentiam peruenit.

De Ergasticis schematibus.

IN his generibus planorum, alia schemata dicuntur Ergastica, alia Apodictica. Ergastica sunt, quæ faciendæ cuiuslibet formæ præcepta continent. Apodictica, quæ probandi, quod asseuerant, afferunt documenta. Verum Græcis nominibus sic appellantur: Primus ὑπαγωγικὸς Secundus, ἀποδεικτικὸς. Tertius, ἀνάγραφος, Quartus ἔγγραφος. Quintus, περίγραφος. Sextus, παρεμβολικὸς. Septimus, προσδιορστικός.

ὑπαγωγικὸς est, qui docet quibus argumentis lineas præcidamus ad imperatum modum.

ἀποδεικτικὸς dicitur, quo docetur, quibus argumētis propositæ lineæ adiungi & scribi possint.

ἀνάγραφος dicitur, quo docetur quomodo concludendum sit reliquum schema, quod imperatum

© Biblioteca Nacional de España

tum est ἔγγραφος est, qui monstrat, quibus argumentis dato circulo verbi gratia, imperatum trigonum, vel quid aliud in medio possimus conuenienter ascribere.

Περίγραφος tropus est, qui docet, quemadmodum datum circulũ, verbi gratia, quadrato concludamus schemate.

Παρεμβολικὸς est, qui docet quemadmodũ, verbi gratia, dato tetragono immittamus datũ trigonum, vt tetragoni spacia crescant, non schema mutetur.

Προσδρετικὸς tropus est, qui docet, quemadmodum verbi gratia inter datas impares lineas inueniamus mediam, quæ tantum cædat maiori lineæ, quantum præcedit minorem. Hi sunt tropi generales Ergasticorum schematum.

Apodictici autem tropi ideo transeuntur, cũ mihi cum Dialectica, quam audistis, communes sint. Sed omnia schemata quoque partibus cõmunibus intexuntur, quæ à Græcis sic appellantur. Prima, πρόθεσις. Secunda, διόρισμος. Quarta, ἀπόδειξις. Quinta, συμπέρασμα. Latinè etiã sic possumus interpretari. Prima schematis propositum. Secunda determinatio quæstionis. Tertia dispositio argumentorum. Quarta demonstratio, cõprobatioq; sententiæ. Postrema * conclusio. Hoc de generibus planorum dictum sit. Ad thorematum membrã redeamus. Nam vtiq; membra sunt linea & Angulus.

Angulorũ natura triplex est. Nam aut iustus est aut angustus, aut latus. Iustus est, qui directus & semper idẽ. Angustus autem acutus est, & semper mobilis. Latus verò, obtusus mobilisq; similiter. Nam cum latior fuerit directo siue multum siue exiguum, obtusus tamẽ erit: & cum mouerit, in eadẽ forma permanebit. Quæ mobilitas in lineis consistit: cum maiores minoresq; formantur. Huius autem collationis quatuor sunt species. Prima dicitur ἰσότης. Secunda ὁμόλογος. Tertia ἀνάλογος. Quarta ἄλογος.

al. cõfirmis.

ἰσότης est, cum collata cõsentiunt: ὁμόλογος, cũ duæ lineæ pares, vni mediæ, duplo, pariliũe conferũtur: ἀνάλογος, cum linea ab alia duplo victa, aliam tãtundem superet: ἄλογος verò est, quæ neque æqualitate, vel media, tertiaũe parte, neque duplo, triploũe, alteri vllaũe parte consentit.

Omnis autẽ linea, aut ῥητὴ dicitur, aut ἄλογος. ῥητὴ autẽ illa est, quæ prior proponitur, aut quæ propositæ lineæ communi mensura confertur. ῥητὸν autem dicitur quicquid conuenit. Proposita autem linea, quamuis collata non sit: tamen quia adhuc non est ἄλογος alij collata: & habet quiddam, quod ex se sola perficiat, rationabiliter appellatur ῥητὴ. ἄλογος autẽ iam collata linea efficitur, si dissonare per omnia reperitur. Lineas autem quæ sibi consentiunt, συμμέτρους dicimus, quæ non consentiunt ἀσυμμέτρους. Et non mensura sola, sed & potentia συμμέτρους facit: & dicuntur δυνάμει σύμμετροι. In mensura autẽ pares, μεσοσύμμετροι appellantur. Ergo cum tã mensura quam potentia conferantur, omnes quæ vel potentia vel mensura discrepant, ἀσύμμετροι sunt. Ex his Alogæ tredecim fiunt, quarum prima dicitur μέση ἄλογος. Secunda ἐκ δύο μέσων ἄλογος. Huius species sunt sex, quarum prima dicitur πρώτη ἄλογος. Secunda similiter δευτέρα. Item τρίτη, & cæteræ deinceps. Item tertium genus dicitur ἐκ δύο μέσων πρώτη ἄλογος: & similiter vt supra.

Quartum, ἐκ δύο μέσων δευτέρα ἄλογος.
Quintum genus dicitur μικτὴ ἄλογος.
Sextum ἐκ δύο μέσων δυναμένη ἄλογος.
Septimum διὰ μέσα δυναμένη ἄλογος.
Octauum, ἀποτομὴ ἄλογος. Huius species sunt sex.
Prima, Secũda, Tertia. Et deinceps dicũtur. vt supra.
Nona μέση ἀποτόμη πρώτη ἄλογος.
Decima, ἀποτόμη δευτέρα ἄλογος.
Vndecima, ἐκ μέσων ἄλογος.
Duodecima, μετὰ ῥητῆς μέσων τὸ ὅλον ποιοῦσα ἄλογος.
Decimatertia, μετὰ μέσον ὅλον ποιοῦσα ἄλογος.

Hæ omnes mixtæ cæteris lineis, dum aut trahunt suas, aut alienas vires accipiunt, diuersis rationibus certos spatiorum modos, quos Græci χώρας appellant, demonstrant.

De solidis figuris.

HÆc de planis dixisse sufficiat, nunc de solidis, quæ στερεὰ dicimus, videamus στερεὸν schema, longitudine, latitudine, altitudine constat, cuius extremum superficies est, vt in planis linea. Subsistit autem solidum schema planorum schematũ superficie. Nam subiacenti trigono Pyramis imponitur, circulo conus aut chelindros, quadro cubus, & cætera similiter.

Sphæra sanè intrinsecus capax omnium circulis subsistit, in quos resoluitur. Soliditas verò efficit schemata generalia, quæ dicuntur à Græcis Pyrames. Item Prisma, id est, sectio, quæ instar schematis est. Item Cubus, item Conus, itẽ Chelindrus, item Sphæra. His adduntur nobilia schemata ex his composita Octaedros: item δωδεκαέδρος: item εἰκοσαέδρος: quæ cuncta vt ordine suo monstremus in puluere, hæc primitus concedenda fas sit. Ab omni signo ad omne signum directam lineam ducere: & terminatam directam, per continuum in directam emittere: & omni centro & interstitio circulum scribere: & omnes directos angulos inuicem æquales sibi esse, & omnem directam lineam terminatã, quantum videtur producere. Et si in duas directas lineas directa linea incidet, intus & eadem parte duos angulos duobus rectis minores faciat, ex illa parte qua sunt minores duabus rectis directas lineas conuenire.

Communes animi conceptiones sunt tres: Quę eidem æqualia sunt, & inuicem sibi æqualia sunt. Si æqualibus æqualia addas, tota æqualia esse. Et si æqualibus æqualia adimas, æqualia sunt reliqua.

Hæc cum permissa conspiceret, lineam in Abaco rectam ducẽs, sic ait: Quemadmodum potest super datam directam terminatam lineam Trigonum æquilaterum constitui. Quo dato

© Biblioteca Nacional de España

complures philosophi, qui vndique secum constipato agmine consistebant, primum Euclidis Theorema formare eam velle cognoscerẽt confestim acclamare Euclidi, plaudereq; cœperunt. Cuius laudibus etiam ipsa Geometria plurimũ gratulata, se per sectantis gloriã sublimari prouehiq; cognoscens, ab eodem libros eius, quos casu apportari cõspexerat, festina corripuit, atque in cæteræ astructionis doctrinæque documentum, Ioui ac senatui cælitum offerens intimauit. Quo facto & doctissima cunctarũ & benignissima comprobatur.

FINIS.

MARTIANI CAPELLAE DE ARITHMETICA, LIBER VII.

POSTQVAM conticuit prudes
permensio terræ:
Innuba sollertes caram quæ instigat in artes:
Sic Abacum perstare iubet, sic tegmine glauco
Pandere puluereum formarum ductibus æquor.
Altera tunc etiam gerularum accire iubetur
Germanam, doctæ mundum quæ admensa sororis.
Nec mora digreditur. Tunc rursus Dia Voluptas
Ipsius ætherea Cylleni immurmurat aure:
Cum doctas superis admirandasq; puellas
Approbat armipotens, tu optati lentus amoris
Gaudia longa trahis, captumq; eludis honorem?*
Seria marcentem stupidant commenta maritum.
Talia complacita spectat fastigia Virgo,
Nec te cura tori, nec te puer ambit herilis,
Nec mea mella rapis quæ nam hæchymeneia lex est?
In Veneris agro Pallas sibi vindicat vsum,
Quam melius thalamo dulcis petulentia feruet.
Casta maritalem reprimit Tritonia mentem,
Et nuptæ non æqua venit, poscenda Dione est,
Conueniensq; tibi potius celebrare Priapum.

al. captum quem laudis honore.

His Atlantiades auditis, licet risum inhibere vix posset, ne infacetus tamen & impar lepidulis haberetur, hilaro susurramine sic respondit:

Licet vrgeas Voluptas
Thalamos inire suadens,
Tamen exeret peritas
Breuis ambitus puellas:
Demumq; nec iugalis
Cessator intricatus
Tardabo fulcra lecti:
Et si quid illa nostræ
Veneris feret voluptas
Nec vobis abnegabo:
** Furtis modo allubescat:*
Vt clàm roseta paruæ:
Liliaq; det papillæ.
*Ne nunc * sexus iugalis*
Cura ferale morsum:
*Et vulsa * pellis acre*
Laceros trahat capillos.

al. furijs.
al. sensus.
al. fellis atro.

QVo dicto renidens & plus solito lætior Voluptas ad Venerem regressa, cuncta eius auribus intimauit, quæ delitiosa mollitie, & interrumpente genas rubore penè prodidit susurrata. Tuncq; marcidulis decẽter pẽta luminibus Maiugenam cõspicatur, & quodam aspectu promittentis illexit: quam Saturnia de propinquo, velut deprehendentis castigabat obtutibus. Quæ dum geruntur, Pædiaq; egressa dudum cum alia fœmina miri decoris ingreditur: cui quædam maiestas nobilissimæ vetustatis, & ipsius Tonãtis natalibus ortuq; precelsior vultus ipsius lumine renidebat, quæ etiã miraculis quibusdam capitis reuerenda videbatur. Nam primo à fronte vno, sed vix intelligibili radio candicabat. Ex quo item alter erumpẽs, quadã exprimo linea defluebat. Dehinc tertius & quartus, tumq; etiã nonus. Decuriatusq; primus, honorum reuerednũq; verticem duplis triplisq; varietatibus circulabant: sed innumerabili radios multitudine prorumpentes in vnũ denuo tenuatos, miris quibusdam defectibus contrahebat. Huius autẽ multiplicẽ pluri formẽq; vestem quoddã velamen, quo totius naturę opera tegebãtur, abdiderat: Digiti verò virginis secursantes, & quadam incomprehensæ mobilitatis scaturigine vermiculati. Quæ mox ingressa septingentos decẽ & septẽ numeros cõplicatis in eos digitis Iouẽ salutabunda subrexit. Tum philosophia, vt Tritonidẽ propter astabat: quid numero tali Arithmetica intulisset, exquirit. Cui Pallas, proprio inquit Iouẽ nomine salutabit. Ac tũc illi radius primus emerserat, qui colliniatæ lucis nitore porrecto, ipsius Iouis verticẽ luminauit. Quibus miraculis radiorum innumera repente multitudine prorumpente, nonnulli tellustres syluicolæq; diui Herculẽ cõspicati, opinantes eam hydreo germine pullulare. Ac tunc oborto terrigenis mussantibus murmure puer ille Piceus iussus admonere silentiũ. Verũ fœminã Pythagoras, vt inter sapiẽtes *astabat vsq; Abacũ cõsecutus, idẽq; iã artẽ promere cupienti, quandam lactei luminis facẽ officioso consi-

al. extabat.

© Biblioteca Nacional de España

consistés munere præferebat. Tum illa antequã iuberetur, quid oportet expromere sic exorsa:

Non ignota cælo, nec rebus mundanis ignorata, quas † genui adueni, super vestrũ quidẽ nihil dedignata conciliũ, quãuis singulos vos vniuersosq; recenseã ex meis ramalibus germinari, tuq; potissimum quem principalis ante cunctos procreauit emissio, tuæ singularis primigeneæq; naturæ fontem Iupiter recognosce. Nec despicabilem vestrum omnium matrem, Mercuriale quod habeo me faxit officium; cum prosapiam arcanæ artis, originisq; primordialem vobis studeam cõprobare. Quę cum in terris exerceor, astrorum populus recognoscat honorandam suæ multitudinis genitricem.

genuito.

De Monade.

PRę cunctis igitur † affata sacra monas esto: quam ante cuncta vibrantem sociati postmodum numeri principia docuerũt. Quæ si species est, accidens cuilibet extãtium. Primo priusque est, quod numerat, quàm illud numerandum, ritè eam ante ipsum, quem principem dixêre, venerantur. Nec dissimulabo, quòd monas retractantibus vnum solum ipsa esse ab ea atque cætera procreari, omniumque numerorum solam seminarium esse: solamq; mensurã, & incrementorum causam, statumque detrimentorum: Quę tamen vbique pars est, vbique totum, dum per cuncta perpetua. Neque enim quæ est ante extantia, & quæ post absumpta nõ † absconditur, potest non esse perpetua. Hanc igitur partem omnium Iouem ritè esse memoratum: quod quidem Idæalis illius intellectualisque speciei vis causatiuo testatur. Ad cuius exemplum vnum deum, vnum mundum, vnumq; solem, singularemque lunam: elementa etiã in quo extant singula memorari. Licet Aristoteles vnus è sectatoribus meis, ex eo quòd vnum solum ipsa sit, & se quęri semper velit, Cupidinem asserat nominatam, quòd se cupiat. Siquidem vltra habeat, & expers totius elationis aut copulæ in se proprios detorquet ardores. Hanc quoque alij concordiam, hanc pietatem amicitiamque dixêre, quod ita nectatur, vt non secetur in partes. Tamen rectius Iupiter nũcupatur, quòd sit idem caput ac pater deorum.

al fata.

al ascẽditur.

Monae Iupiter vocatur.

De Diade.

DEnique cum vnũ facta in quodcunq; defluxerint, licet eius linea insecabilis, ac sine latitudinis significatiõe fundatur, diadem tamen facit. Quæ dias, quod sit prima procreatio, à nonnullis Genesis dicta. quòd autem inter eam, ac monadem prima coniunctio est consortiumque consimile, Iuno perhibetur vel coniunx vel germana præcedentis. Est autem medietatis capax. Nam bona malaq; participat. Eadem discordia ex qua aduersa oriantur, vtpote quæ prima poterit ab adhærente separari. In bonis verò eadem iustitia, quòd duobus æquis gaudeat pariter ponderatis. Eademque societas, quòd vinculum, quo media connectãtur, habeatur vtrinque commune. Ab hac numerus auspicatur. Et est opinabilis corporatio, motusque primi probamentum. † Elementorum etiã mater; nam de diade quartus elementorum numerus procreatur: primaq; forma paritatis est.

Iuneni bina vius numerus sacer.

al. aliorum.

De Triade.

TRias verò princeps imparium numerus, perfectusque censendus. Nam prior initium, medium, finemque sortitur, & centrum medietatis ad initium finemque interstitiorum † æqualitate componit. Denique fata gratiarumque germanitas, & quædam Virgo, quam dicunt *Cælo, hereboq; potentem*, huic numero colligatur. Ex eo etiam perfectus, quòd perfectos gignit, senarium nouenariumque, cuius auspicio preces tertio ac libamina repetuntur. Tres symphonias continet Harmonia, id est, Diapason, Hemiolion, Diatessaron. In tria se spacia temporis cursus alternat, ideoque tribus diuinatio memoratur. Idem mundana † præfectio est. Nam monadem fabricatori deo, Diadem materiæ procreanti, Triadem idæalibus formis consequenter aptamus. Animam verò rationis & iracundiæ cupiditatisq; distribuere tricario.

al. æqualitãtem.

Dianae ternarius numerus sacer.

al. perfectio.

De Tesrade.

QVid Tetradẽ dicã? in qua soliditatis certa pfectio. Nam ex lõgitudine ac profunditate componitur. decasq; plena his quatuor numeris gradatim plicitis integratur, id est, vno, duobus, tribus, quatuor. Item Hecatontas à decade quaternario cumulatur, id est, 10. 20. 30. 40. qui sunt centum. Et item à centum quatuor numeri reddunt mille; id est, centum, ducenti, trecenti, quadringenti. Sic decem millia, cæteraque excrementa complentur. Quid quòd quatuor anni tempora, frontesque cœli, elementorumque principia esse non dubium est? Hominum etiam quatuor ætates, quatuor vitia, quatuorque virtutes. Hic numerus quadratus ipsi Cyllenio deputatur, quòd quadratus deus solus habeatur.

Mercurio quaternarius numerus sacer.

De Pentade.

SEquitur pentas, qui numerus mundo est attributus. Nam si ex quatuor elementis ipse sub alia forma est quintus, Pentade est ratio nabiliter insignitus: qui quidem permixtione naturali copulatur. Nam constat ex vtriusque sexus numero. Trias quippe virilis est, dias fœmineus existimatur. Etiam Apocatasticus dicitur. Et siue cum alijs imparibus, siue cum suo genere sociatus, se semper ostendit. Nam quinque per quinque, habes 25. Et quinquies terni, 15. Et quinquies septeni, trigies quinquies. Et quinquies noueni, quadragies quinquies. Item zonę

Mundo quinarius numerus sacer.

© Biblioteca Nacional de España

terræ quinque. In homine sensus quinque. Toti demque habitatores mundi generibus, vt homines, quadrupedesque, reptantes, natantes, volátes. Hũc numerum quis neget esse diametrum? Nam decadis perfectio, circulusq; huius hemisphærio dissecatur.

De Hexade.

SEnarium autem perfectum analogicumq; esse quis dubitet, cum suis partibus impleatur? Nam & sextã sui intra se continet, quod est vnus: & tertiam, quod duo: & medietatem, quod tria. Item naturalia officia sine quibus esse nihil potest, sunt sex, Magnitudo, Color, Figura, Interuallum, Status, Motus. Item motus totidem differentiæ sunt. nam mouemur prorsum, retrorsumue, dextra, leuaque, sursum, deorsumque. Nam ille æternus quidam motus est circuli. Hic autem numerus Veneri est attributus, quod ex vtriusque sexus commixtione conficitur, id est, ex triade: qui mas, quod impar est numerus, habetur, & diade, quæ fœmina, paritate. Nam bis terni, hexas fit. Solida etiam figura quadrati sex superficies habet. Totius harmoniæ toni sunt sex, id est, quinque toni, & duo hemitonia. Idem per primum motum hoc est, diadem, collatus, duodecim facit: inter quos duos numeros, duo medij inueniuntur, id est, octo & nouẽ. Quorum vnus ex meo nomine regulaque censetur. Nam Arithmeticus memoratur idem nouenarius. Eodẽ enim numero superatur à duodecim, quot numeris superat senarium, id est, tribus. Alius autem numerus, id est, octo musica ratione confertur. Ea enim parte superatur, à 12. qua ipse superat sextum, id est, tertia. Nam sexti tertia, duo sunt, duodecimi tertia quatuor: quod Geometrica ratiõe componitur. Ea enim possunt per collationem media, id est, octo per nouem, quæ extrema, id est, sex per duodecim. Nam vtræque faciunt septuaginta duo. Item in maioribus numeris, media extremorum rationibus componuntur, sub prædicta senaria ratione: nam sexies septuagesies dipondius facit quadringentos trigies dipondius. Similiter octies septuagesies dipondius quingentos septuaginta sex. Item nouies 72. faciunt sexcentos 48. Similiter duodecies, faciunt 864. Quæ media inter se multiplicata reddunt numeros extremorum inter se conuenientium. Hic primus numerus, id est, senarius harmonias ostẽditur genuisse. Quippe sex ad duodecim, est symphonia Diapason: sex ad nouem, hemiolos: sex ad octo, epitritos, id est, symphonia Diatesseran. Vnde Venus harmoniæ † mater perhibetur. Item hic senarius quadrato & solido quaternario sociatus, horas diei noctisque dimetitur: nam quater seni † viessis quadrusis faciunt.

Officia naturalia sex.

Veneris senarius numerus sacer.

al. maior.

al. vies quarties.

De Heptade.

QVid autem te Heptas veneranda commemorem? Quæ quod naturę opera sine fœcurarum contagione conformas, inter deos Tritoniæ virginis vocabulum possedisti? Nam cum omnes numeri intra decadem positi, aut gignant alios alijsq; gignantur aut procreentur, Hexas octas generantur tantummodo. Tetras autem & creat & creatur. At Heptas, quòd nihil gignit, eo par Virgini perhibetur. Sed quod à nullo nascitur, hic Minerua est. Et quod ex numeris tã masculinis, quàm fœmininis constet: Pallas Virago est appellata: nam ex tribus & quatuor septem fiunt. Qui numerus formam lunæ complectitur: nam primo est corniculata, quam μονοειδὴ Græci vocant. Deinde medilunia, quam dicunt διάτομον. Dehinc dimidiato maior, quæ dicitur ἀμφικυρτος. Mox plena, quæ dicitur παντείλην. Item tres formas prædictas deficiens repetit. hic numerus lunæ cursum significat. Nam vnum, 2. 3. 4. 5. 6. 7. 28 faciunt. Item septem sunt circuli, & tot planetæ, tot dies, totque transfusiones elementorum. Nam ex informi materie primus ignis, ex igni aer, ex aere aqua, ex aqua terra. Item fit ascensio, & ex terra aqua est, ex aqua aer, ex aere ignis, ex igni in materiem in comprehensam iam non poterit peruenirì. Quid, omniũ natura, nonne huic probatur numero deseruire? In principio septimani partus hominem absolutum perfectumq; dimittunt. Dehinc ideo homo septem meatus habet in capite sensibus præparatos, duos oculos, aresq;, & nares totidem, & vnum os. Dehinc mense septimo paruulis dentes emergunt, ac septimo anno mutantur. Item secunda hebdomas pubertatem mouet, gignendique possibilitatem. Tertia florem genarum. Quarta incrementa staturæ finiuntur. Quinta iuuenalis ætatis plena perfectio est. Septima etiam natura abstrusit membra vitalia, linguam, cor, pulmonem, lienem, iecur, & duos renes. Item septem corporis partes hominem perficiũt. Caput tenus imum collum, pectus, ventrem, duas manus, totidemque pedes. Totidemque stellæ in vertice axis cælestis.

Pallas cur Virago dicta.

De Octade.

AT octonarius numerus primus cubus est, & perfectus Vulcano dicatus. Nam ex primo motu, id est, diade, quæ luno est, constat. Nam dias per diadem facit tetradem. At bis ducta, facit octadem. Perfectus item, quòd à septenario tegitur. Omnis enim cubus sex superficies habet. Item ex imparibus consecutis impletur. Nam primus imparium trias, secundum pentas ambo octadem faciunt. Item cubũ, qui à triade venit, id est, 27. sequentes impares reddunt, id est, heptas, enneas, & 11. qui omnes faciunt 27. Item tertius cubus, qui à tetrade venit, id est, 64. Nã quater quaterni sunt sedecim.

Vulcano octonarius numerus sacer.

Hoc

© Biblioteca Nacional de España

Hoc quater, 64. fit, & hic ex imparibus quatuor, qui superiores sequuntur, id est, 13. 15. 17. 19 fiunt simul 64. Et sic omnes cubi per imparium incrementa inueniuntur, sui duntaxat numeri. Sanè hic octonarius cubus ita omnium cuborum primus est, vt monas omnium numerorum. Cubus autem omnis etiam matri deûm tribuitur. Nam ideo Cybele nominatur.

Octonarius cubus omnium cuborum primus dicatus.

De Enneade.

ENneas quoque perfecta est, & perfectior dicitur, quoniam ex triade perfecta forma eius multiplicata perficitur. Deinde, quòd primi versus finem tenet, & ideo Mars appellata, à quo finis omnium rerum. Quadratus quoque finis est eorum, quæ per collationem augentur. Nam & harmoniæ vltima pars est. Ad Enneadem enim ab octade collatio, percussionis sonus efficitur. Nõ minus nouem musas dixêre. In mundo etiam nouem sunt zonæ, id est, sphæræ, & deorum septem & terræ.

Enneas Mars dicitur.

De Decade.

DEcas verò vltra omnes habenda, quæ omnes numeros diuersę virtutis ac perfectionis intra se habet. Quæ licet primi versus finis sit, secundæ monadis implet auxilium. Hęc primi versus numerorum regulas, analogias, genera, species, differentias, perfectiones, & imperfecta concludit. Daturque Iano, quamuis eam plurimi Apocatastasim memorarint.

Decas Iano sacra.

Quid sit numerus.

DIctum breuiter, qui numerus primum versum facit, quos deorum contineat, quasque virtutes, iam nunc quid ipse numerus sit, quasûe inter se analogias seruet & formas, breuiter intimabo.

Numerus est congregatio monadum, vel à monade veniens multitudo, atq; in monadem desinens.

Sunt autem numeri simplicis regulæ quatuor. Prima est, quæ appellatur à paribus par. Secunda, à paribus impar. Tertia, ab imparibus par. Quarta, ab imparibus impar, quas inferius memorabo.

Sunt etiam qui primi numeri appellantur, qui à nullo numero diuidi possunt nisi à mona de tantum non diuidi sed componi videntur, vt puta 7. 11. 13. 17. & cætera similia: nullus enim eos diuidere vno ordine potest. Quapropter *primi* appellantur: quoniam à nullo exoriuntur, nec æquis portionibus discernuntur. A semet igitur nati alios ex se creant numeros. Quoniam ab imparibus paria fiunt, à paribus impar fieri nullo modo potest. Ergo & primi numeri necessario habendi, pulchriq; Sed omnes numeros primi versus sub his regulis retractemus. Monas quidem numerus nõ est. Dias par est. Trias, & ordine & virtute primus. Tetras, à parib. par. Pentas primus. Hexas, à paribus impar, & ab imparibus par. Vnde & perfectus nominatur. Heptas primus. Octas à paribus par. Enneas ab imparibus impar. Decas ab imparib. par. Sicut in primo versu, ita & sequentibus hæ regulæ colliguntur. Primus igitur versus est, à monade vsq; ad enneadem. Secundus, à Decade vsq; ad nonaginta. Tertius verò ab hecatontade vsq; ad nõgentos. Quartus, qui & vltimus à mille vsq; ad nouem millia, licet nonnulli Græci & μυρία adiecisse videâtur. Mihi verò solus numerus approbatur qui digitis coercetur.

Alias quædam brachiorum contorta saltatio fit, quæ fit, vt numeros Germanæ præcedentis formis ac lineis concinnamus. Nam mihi in primo versu monas, illi in signo principium quod non habet partes. In secundo versu à decem numeri velut linea discinduntur. In tertio versu quadrati ex centum, reliquisq; fiunt, quæ velut latitudo primæ longitudini sociatur. In quarto versu iam cubi sunt, ideo ex mille reliquisq; soliditas. Finis ergo vel limites mihi sunt monas, decas, hecatontas, & mille. Geometriæ verò nota, linea, figura, soliditas. Nam monas ita indiuidua est, vt nota. Decas verò in numeris, vt linea longitudinis solius Hecatontas quadratus qui est superficies, & in latitudinem diuiditur Item decas per decas fit centum quadratus. Hoc per decem fit cubus mille. Omnis impar progressus à monade p singulas positiones necessario quadratos efficit. Prima ipsa monas adde triadem fecit quatuor, primum quadratum: associas quinque, fecisti secundum quadratum nouem: iunge 7, implesti quadratum sedecim: adijcis item nonas, & perficis quadratum 25. Eodem modo progreditur ratio vsq; in infinitum. Sed ad superius diuisa regrediar. Omnem numerũ aut parem, aut imparem esse, aut vtroque finiri. Quicquid numero adijciatur finito, finitum adijcit: neque ex finitis finitum fieri posse.

De pari & impari, ex ijsq; compositis.

OMnis verò numerus, aut par aut impar est. Par est, qui in duas æquas partes diuiditur, vt 2. 4. 6. Impar, qui in duas æquas partes diuidi non potest, vt 3. 5. 7. Deinde ex imparibus, quidam ex imparibus tantum impares sunt, vt 3. 5. 7. Quidam etiam multitudine constant, vt 9. 15. 21. quos περισσάκις περισσοὺς Græci appellant. At in his qui pares sunt, plura discrimina sunt, at pares sunt, & diuidi possunt. Cæteri vel ex paribus pares, vel ex paribus impares, vel ex imparibus pares. Et illos Græci ἀρτιάκις ἄρτιους, vel περισσάκις ἄρτιους, vel ἀρτιάκις περισσοὺς nominant. Pares ex paribus sunt quatuor, quia ex bis binis octo, quia ex bis quaternis constat. Pares ex imparibus sunt, qui pares impari multiplicatione fiunt, vt bis terni sex, aut quinquies quaterni viginti. quod genus Græci περισσάκις ἄρτιους vocant. Et hi qui imparem numerorum multitudinem

© Biblioteca Nacional de España

pari multiplicatione consumant, vt cum bis ter in sex, & quater quini viginti fiunt, quod genus ἀρτιάκις περισσὸν Greci vocant. Qui numeri quamuis idem sunt, rationes tamen in crescendo diuersas recipiunt, atque ex his ipsis quidam in duas partes diuisi protinus in pares numeros recidunt. Quidam semel, sæpiusûe per pares replicati, cura singularitatem in impares resoluuntur. Nam duodecim & viginti semel per pares diuidi possunt. At 48. nimirum bis vicenos quaternos: inde bis duodenos, deinde senos omnes adhuc pares efficiunt, nouissimè in ternos impares decidunt. Itaque nemo longius procedere simili multiplicatione potest, quin vt duplicatione reuoluta ascenditur: sic per replicationes item in plures partes digeritur. Nam viginti & bis dena sunt, & quinque quaterna, & decies bina, & quater quina.

De quatuor speciebus numerorum.

QVatuor deinde species numeros excipiunt. Quidam enim sunt per se incompositi, quidam per se compositi. Quidam inter se incompositi, quidâ inter se compositi. Ex quibus duo priores primi numeri: duo sequentes secundi nominantur. Sed ea res, quo facilius addisci possit, planius indicanda est. Prima & minima omnis numeri mēsura singularitas est. Quia nullus numerus non in singula diuidi potest. Deinde eum etiam aliæ mensuræ excipiūt, vt duplicationes, quæ duplo: Triplicationes, quæ triplo increscunt. Cum hoc ita sit, quibusdam numeris in singularitate sola mensura est, qui nisi in singula digeri non possunt: quales tres sunt tres, quædā tantùm impares, quædam in impare 6. vt sunt 4. & 9. Nam bis bina quatuor: ter terna nouem sunt. Ita illa duplicatione, hæc triplicatione metimur. Ac sæpe vna quidem talis mensura numeros habet plures, siquidem octo metiri & quadruplicatione & duplicatione facile est. Cum & quater bina, & bis quaterna octo sint. Inter quæ euidens est quicquid aliqua multiplicatione metimur, metiri nos etiam singularitate posse. Sed nō vbicunque singularitatis mensura est, esse alicuius etiam multiplicationis. Ita singularitas omnibus mensura communis, quibusdam vnica est. Et cum hoc ita sit, *per se incompositi numeri* dicuntur, qui nullam mensuram habent, nisi singularitatis. *Per se verò compositi*, quos metiri non tantum singularitate, sed alia quoque multiplicatione, licet & hæc quidem singulorum numerorum æstimatio sit. Bini verò pluresûe iuncti *inter se incompositi* esse dicuntur, qui nullam communem mensuram nisi singularitatis habent, vt tres & quatuor dupli mensuram habeant cum eadem illa in tribus non sit. At *inter se compositi* sunt: quibus alia quoque quàm singularitatis mensura communis est, vt nouem & duodecim. Quorū vtrūque licet triplicatione metiri, cum ter terna nouem, ter quaterna duodecim fiāt. Cum verò alij numeri in singula tantum: alij etiam in aliquos solidos numeros diuidantur, vt re ipsa discreti sunt: sic etiam vocabulis discernam, ne qua inde legentibus confusio oriatur. Et cuiusque numeri membra nominabo *solidos numeros*, in quos is deduci poterit, vt in duodecimo fiunt. At singula, & siqui etiam solidi numeri immixti singulis inserentur, *partes* appellabo, vt in septem, vel totidem singula, vel etiam bis terna singulo adiecto.

De numeris perfectis & imperfectis, & plusquamfectis.

EX numeris quidam *perfecti* sunt, quidā *ampliores perfectis*, quidā *imperfecti*, τέλειος & ὑπερτέλειος & ὑποτέλειος Græci appellant. Perfecti sunt, qui partibus suis pares sunt. Ampliores perfectis, qui plus in partibus suis quàm in se ipsis habent. Imperfecti, in quorum partibus minus quàm in ipsis est. Exempli causa sumamus, sex. Hi & in singula diuidi possunt, & in bina, & in terna. Cum ex sexies singula, & ter bina, & bis terna fiant sex. Ergo partes eius sunt vnum, duo, tria. Nunc in vnum hæ conferuntur, fiant sex. Hoc est esse parem partibus suis, & hoc numeri genus in aliqua virtute est. Cætera in vitio, vel exuperante, vel ex deficiente, vtputa sumamus 12. & duodecies singula, & sexies bina, & ter quaterna. & bis sena 12. fiunt. Itaq; eius partes sunt, 1.2.3.4.6. Quæ iunctæ in vnū sexdecim efficiunt. Hic amplior perfecto numerus est. At 16. fiunt, iunctis singulis sedecies, octonis bis, binis octies, quater quaternis. Neque pariter has si facias vlla eius numeri mensura est. Collati autem in vnum: 1. 2. 4. 8. non vltra faciunt quàm 15. minus eo, ex quo orti sunt. Hic imperfectus numerus est.

De planis & solidis numeris.

ALij etiam plani numeri sunt, alij crassitudinem quoque in se habent. *Planum* numerum esse Græci dicunt, qui à duobus numeris continetur. Id eiusmodi est in ratione mēsurarum tantum de norma contineri, quantum à toto quadrangulo, cuius pars in ea norma sit, existimant. Item ad numeros plani referuntur, qui in duo latera ordinantur: Sic vt rectum angulum faciant & normæ similitudinem repræsentent. Igitur si in alterum latus quatuor, in alterum tria porriguntur, hi duo numeri lege eorum duodecim capiunt, planumque eum numerum nominant. † At crassitudinem aiunt, à tribus numeris. Sint in alterum puta latus quatuor, in alterum tria supra, deinde quatuor adijciuntur. His numeris altitudinem quoque super inferiorem normam impleri dicunt, includique 24. In quibus obscuritate & superuacuo quæsita euidentissimum est planum esse numerum. Sic singulis iunctis, nequid super alterum sit, crassitudinem fieri numeris super numerum impositis. Ipsa autem planicies varias formas habet,

al. Ad crassitudinem iunctam tres numeri sint: in alterum, &c

© Biblioteca Nacional de España

habet, numeris ad ſimilitudinem aliquarum figurarum ordinatis quas † incipiunt. Aliæ etiam vel triangulæ fiunt, atq; eæ, quæ quatuor angulos habent, vel quadratæ ſunt, vel altera parte longiores quas ἑτερομήκεις Græci appellant. Præterea plures quoque anguli poſſunt interdum & inæqualia numeri latera eſſe. Et cum deinde craſsitudinem inſurgat, figuraſque plures efficiat, teſſera perfectiſsima eſſe inter eas videtur. Eſt autem triangulus in pauciſsimis tribus, quadratum in pauciſsimis quatuor. Id autem quod imparia latera habet in pauciſsimis quinque, altera parte longius quadrangulum in pauciſsimis ſex. Craſsitudo item, quę teſſera in pauciſsimis octo. Nam duo ſimplicem ordinem faciunt, tres ſic componi poſſunt, vt totidem angulos habeant. Quatuor in quadrum poſiti, in omnē partem binos habent. Quinque ſic colliguntur, vt in altero latere duo, in altero tres ſint. Sex quadriangulum faciunt, quod in duobus lateribus binos, in duobus ternos habet. Ac ſi quatuor ponuntur, & craſsitudo oritur, & paria omnia latera in planiciem atque altitudinem ſunt, binis in omnem partem ordinatis. Similes autē plani numeri ſunt, quorum latera eandem rationem habent, vt ſex & DC. Cum illis in altero latere 2. & in altero 3. his in altero 200. altero in latere 300, ſint. Eodemque modo ſimiles etiam in craſsitudine numeri ſunt, quorum latera ſub eadem ratione ſunt, vt 24. & 96 Nam vt in illis alterum latus 4. & alterum 3. habet, quo fit, vt planicies 12. craſsitudo 24. capiat. Sed in his alterū latus octo, alterum 6. recipiat. Quo fit: vt planicies 47. craſsitudo 96. comprehendat. Quod eſt autem inter 2. & 3. hoc inter 200. & 300. ratio quæ eſt inter 3. & 4. hæc eſt inter ſex & octo, manifeſtum erit ſimul atque rationes, quæ inter numeros ſunt, ſubiacere. Omnis enim numerus pars eſt alicui numero maiori.

† al. incipiunt à lineis, tum vel, &c.

Quo modo fiat maior minore numerus.

MAior aut multiplicatione procedit, aut ratione membrorum, aut partiū, aut ſimul & multiplicatione & ratione membrorum vel partium. Ratio membrorum in vno membro pluribusúe. Ratio partium in vna parte pluribusúe eſt: minor verò numerus, aut replicatione minuitur, aut ratione membrorum vel partium. Interdum etiam ſimul replicatione & ratione aut membrorum aut partium. Neque vlla ratio numeri ad numerum, quę non intra hæc eſt. Græci multiplicatos numeros πολλαπλασίους, replicatos ὑποπλασίους: membro, mēbrisúe † antecedentibus ἐπιμερεῖς appellant. Binis deinde nominibus vtuntur, in his in quibus binæ rationes ſunt. Cum hoc ita ſit, numerus comparem rationem habet æqualitatis, quam ἰσότητα Græci vocant, vt 2. ad duos, 3. ad 3. Quæ ratio etiam perfecto numero ad ſuas partes eſt. Ideoque is numerus potior cæteris habetur. Quid enim æquo eſſe melius poteſt? At vbi alter numerus maior, alter minor eſt, protinus inter eos diſtantia eſt, quod in omnibus fit qui ratione membrorum, vel partium, aut antecedunt aut anteceduntur. Ideoque hi numeri priores ſunt, inter quos partesque eorum aliquid diſcrimen eſt. Sed vt diſtantia inter duos numeros maiorem minoremque eadem eſt: ſic ratio inter eoſdem contraria eſt. Tantundem enim diſtat inter 3. & quatuor, quantum inter quatuor & 3. At ratio inter hos ipſos diuerſa eſt: eaque quæ ſit, infra patebit.

† al. inferiores

De multiplici vel ſubmultiplici numero, & de ratione numerorum vel partium.

CVm poſuerim verò primas in multiplicatione rationes eſſe, multiplicationis ratio eſt ſenioni ad ternionem, octonario numero ad quaternarium. Contrà replicationis, ternioni ad ſenionem, quaternario numero ad octonarium. Membrorum verò ratione vincit is numerus, qui ſolido membro membrisúe antecedit, qualis eſt nouenarius ad ſenarium. Ternione enim vincit, quæ eadem vis in ſenarij numero inuenitur, Contraque membrorum ratione vincitur ſenarius à nouenario. At partium ratione vincit, qui in ſe & ipſum minorem numerum habet, & aliquam partem eius partēſue, vt ſi 7. cum quatuor conferantur: ſiquidem in ſeptenario numero, & quatuor ſunt, & horū tres partes. Contrà ergo partium ratione vincuntur, 4. à ſeptem. At idem numerus & multiplicatione, & membrorum ratione antecedit, vt puta, ſi octo iunguntur, & 3. nam octo & bis terna habent: & præterea membrum in duobus. Et multiplicatione verò, & partium ratione vincunt 5. ſi cōferantur cum duobus. Nam in quinta bis bina ſunt, & præterea duorum pars vna. Contrà his ipſis numeris, minores à maioribus ſimul, & replicatione vincuntur, & aut membrorum ratione, aut partium. Sed vt genera rationum inter numeros hæc ſunt, ſic ſpecies in ſingulis plures. Nam vt ad multiplicationem primum, replicationemque veniamus: inter hos, aut dupli ratio eſt, aut tripli, aut quadrupli. Ac procedere quoque vltra multiplicatio poteſt, per eoſdemque rurſus gradus idem numerus replicatur. Ergo rationem habent duplo maiorem 2. ad vnum, 4. ad duo, octo ad quatuor. Duplo minorem, vnum ad duos, duo ad quatuor, quatuor ad ſeptem. Item triplo maiorem, tres ad vnum, nouem ad tres. Triplo minorem, vnum ad tres, tres ad nouem. Quadruplo maiorem, quatuor ad vnum, ſexdecim ad quatuor. Quadruplo minorem, vnum ad quatuor, quatuor ad ſedecim. Eadēmque in vlterioribus multiplicationibus, & incrementi diminutionis ratio eſt.

© Biblioteca Nacional de España

De super particulari.

AT vbi inter maiores, minoresque numeros ratio membrorum est, maior aut super dimidio vincit, quem ἡμιόλιον, aut super tertio, quem ἐπίτριτον, aut super quarto, quem ἐπιτέταρτον Græci vocant. Et sic ad super quintum, super sextum, vlteriores que ratio procedit. Super dimidius est, qui ipsum aliquem numerum & dimidium eius habet. Serpertertius, qui ipsum aliquem & tertiam eius. Superquartus qui ipsum aliquem, & quartam eius. Eademque in vlterioribus ratio est. Contrà ex ijsdem numeris minor, maiori. Aut subdimidius est, quem ὑφημιόλιον. Aut supertertius, quem ὑποτέριτον. Aut subquartus, quem ὑποτέταρτον Græci appellant. Superdimidij rationem habent 3. ad duo. 300. ad 200, quorum supra facta est mentio. Contrà subdimidij duo ad tria, 200. ad 300. At supertertij 4. ad 3. octo ad sex, qui ipsi quoque supra posiri sunt. Subtertij, tria ad quatuor, sex ad octo, Superquarti, quinque ad quatuor, decem ad octo. Subquarti, quatuor ad quinque, octo ad decem.

De superpartiente.

PArtium verò ratio proxima in quibusdã numero supertertio est, in quibusdam superquarto: idque procedere vltra potest. Supertertio similis est, vbi maior numerus minorem ipsum & aliquas eius tertias partes comprehendit. Superquarto, vbi & illum ipsum, & quartas eius. Sumamus quinque ad tria, & decem ad sex. Antecedit quinarius ternionem, quod & illam ipsam & eius duas tertias habet. Item in decade sunt & sex, & de sex duæ tertiæ. At proxima superquarta ratio est inter septem & quatuor. Inter 14 & octo. In septem & ipsa quatuor sunt & eius tres quartæ. Atque vt ea ratione, quæ supertertiæ & superquartæ proxima est, maiores in his numerum vincunt, sic ratione proxima subtertiæ & subquartæ minores cum maioribus habent. Illo neminẽ decipi conuenit, vt aliquam partium rationem super dimidiæ similem putet. Nam si numerus aliquis, numerum aliquem & dimidium eius habet, superdimidius est. Si numerum aliquem & eius duo dimidia habet, pars est. Nam vt duæ quidem tertię rationẽ supertertio proximam habẽt, sic duę quartæ rationem super quarto proximam recipiunt. Nam si quis ipsum & eius duas quartas habet, superdimidius eius est: vt si sint sex ad quatuor. In sex enim & quatuor sunt, & eius duæ quartæ. Contrà verò, vt ea ratione quæ supertertiæ & superquartæ proxima est, maiores in his numeri vincunt: sic rationem proximã subtertiæ & subquartæ minores cum maioribus habent. Eademque ratio procedit, sicut superquintæ vlterioribusue similis est.

De multiplici superparticulari & superpartienti.

HInc rursus plura discrimina oriuntur: siquidẽ vnus numerus potest duplo generari, aut sup dimidio, aut super tertio, aut super quarto vlterioribusue & multiplicationũ & membrorum rationibus. Ponamus quatuor & decem. Ex his decem duplo & super dimidio aucti sunt. nam bis quaterna octo sunt: deinde dimidium quatuor, est in duobus. Apponamus quatuor & 14. Ex his 14. triplo & super dimidio aucti sunt. Nam ter quaterna 12. sunt: Deinde dimidiũ quatuor est in duobus. Progrediamur vltra vsque quatuor & 18. Ex his 18. quadruplo & super dimidio increuerunt. Nam quater quaterni sedecim sunt: deinde dimidiũ quatuor sunt in duobus. At si sint tria & septem: ex his septẽ duplo aucti sunt & supertertio. Nam bis terna sex sunt: deinde pars tertia triũ est in vno. Sint tria & decem, ex his decem triplo increuerunt, & supertertio. Nam ter terna nouem sunt, & deinde pars tertia trium est in vno. Ponantur 3. & 13. Ex his tredecim quadruplo aucti sunt & supertertio. Nam ter quaterna, duodecim sunt. Deinde pars tertia trium est in vno. Accipiamus nunc quatuor & nouem, ex his nouem & duplo plus habẽt, & superquarto. Nam bis quaterna octo sunt. Deinde quarta pars est in vno. Quatuor verò & 13. tripli, & super quarti ratio est. Item quatuor & 17. quadrupli, & super quarti ratio est. Idemque in vlterioribus numeris fit, per quæ numeri minores ex his, & replicationes alicuius & subdimidij vel subtertij, vel subquarti: vel alicuius vlterioris rationis cum maioribus habent. Vt apparere autem ex his potuit, multiplicatio à minima ratione incipit, & subinde ad maiores, maioresque transit ratio. Membrorum, vel partium replicatio à maxima ratione incipit, & subinde ad minores, minoresque transit. Maior ratio dicitur, quæ plus: minor, quæ minus adijcit. Ergo maior ratio tripli, quàm dupli: maior quadrupli, quàm tripli est. Contrà, minor dupli quàm tripli: minor tripli quàm quadrupli est. Incipit igitur multiplicatio à duplo: inde ad triplum, ad quadruplũ, semperque ad maiores rationes transit. At ratio membrorum incipit à superdimidio: deinde super tertium, super quartum, semperque ad minus & minus peruenit. Quæ omnes rationes inter duos, inter rationem membrorum & partium, vel inter duos numeros fines sunt: ita numeri sunt, vt puta dupli ratio est inter duo & vnum: tripli inter 3. & vnum: quadrupli inter 4. & vnum. Et sub ijsdem nominum rationibus fines minimi, suaque comparatione multo minores, vel sub duplo quàm duo & vnum, vel sub triplo quàm tria & vnum, vel sub quadruplo quàm 4. & vnum possunt super hos: deinde quãtumlibet ijsdem rationibus solius fines his numeris augentur. Ideoque † eas fines, quæ minimè eunt, Pythagoricus Thermacides nominat,

† al. idcar.

© Biblioteca Nacional de España

nat, quod vt vas super suum fundum, sic numeri rationis eiusdem super istos adiunguntur. Idemque etiam ratione membrorum: minimi enim fines sunt, superdimidij inter duos & 3. Supertertij inter tres & quatuor. Super 4. inter quatuor & quinque: tum deinde sub ijsdem rationibus numeri complentur. Neque alia conditio est, quæ ipsa incipit à tertia parte, sicut membrorum ratio de hemiolio: Deinde primum minimas fines comprehendit: tum ad maiores trā- 10 sit. Ex his autem verisimile est primam multiplicationem esse inuentam: deinde rationem membrorum, tum partium. Neque enim difficultas ad duplum, deinde triplum & quadruplum apparuit, tum ex duplo superdimidij facta conditio: ex triplo supertertij, ex quadruplo superquarti est. Idemq; in vlterioribus incidit. Nam qui duplum videbat, hoc ipso cœpit intelligere dimidium: quia vt duplum quatuor duorum sunt, sic dimidium quartæ rationis duo. Vt igi- 20 tur duobus duos adijciendo quatuor fecit: sic rursus quaternioni duos adijciendo, fecit super dimidium. Vtque ex duobus triplo sexis impleuit: sic senario numero duos adijciendo supertertium inuenit. Idemque in vlterioribus incidit. Deinde cum incurrerent numeri sine iudicij quidem rationibus positi: quęsitum est quot quot eæ partes alterius numeri in altero essent. Et his eò ventum est, ne cuius numeri non aliqua ratio ad aliū numerū exploratis vltima sit. 30

Item de pari & impari, & ex his compositis.

POst hæc non difficillima animaduersio gemina ratione in numeris fluxit, quoniā genera numerorum rationumque inter eos orientium exposui. Rursus ad ea singula reuertar, & quæ in quoque animaduersiones sint indicabo. Incipiam de paribus & imparibus. Par omni multiplicatione sic procedit, vt par maneat, duplo augentur, 2. 4. 8. 16. Triplo, 2. 6. 18. Quadruplo. 4. 16. & 64. & 256. Idemque in vlterioribus fiet. Impar pari multiplicatione protinus interit, & in numerum parem recidit. Impar impari multiplicatione increscere potest, vt impar maneat. Nam bis terna sex. Item bis quaterna octo fiunt. Eodemque modo quater terna 12. Quater quina 20. At ter terna nouem: & ter 9. 27. Item quinquies terna 15. Quinquies quina vigintiquinque. Idemque in omnibus multiplicationibus euenit, quo fit, vt siue par siue impar, parium numerorum multitudo est, id quod consummatum est par sit, vt, 2. 4. 6. 8. Quæ impar numerorum mulitudo est, fiunt, 20. 2. 4. 6. quæ impar numerorum multitudo est fiunt 12. Ambo numeri pares. Item pari imparium numerorum multitudo pares facit. Ergo tres & quinque fiunt octo, qui pares sunt. Impar tantum modo imparium multitudo impares seruat. Nam, 3. & quinque & septem fiunt quindecim. Illi quoque impares eadem de causa pares. quoties par numerus vel parem vel imparem multiplicat is qui efficitur, par est. Nam duplicatio siue multiplicatio, siue duo multiplicauit, fecit quatuor: Siue, 3. fecit sex, ambos pares. At impar numerus, si parem multiplicat, facit parem. Si imparem, tum demum imparem reddit. Nam triplicatio si duos multiplificat, efficit sex. Ipsos quoque pares, si tres, efficit nouem, qui impares sunt. Tum si pari par adijcitur, par manet, vt si duobus 4. adijciantur, sunt sex. Si impari impar adijcitur, fit par, vt si tribus 5. adijciantur, sunt octo. Vno autem modo impar numerus procedit, si numero numerus nō adijcitur eiusdem generis. Sed par impari, & par pari. Nam siue quatuor quis adiectis tribus auxerit, siue 3. adiectis 4. fient 7. qui impares sunt. Deinde numero pari quale demitur, tale superest. Numero impari contrarium est, ne quod demitur, supersit. Ergo si pari par demitur, id quod superest, par est. Vt si ex octo duo auferantur, supersint sex. Si numero impari impar demitur, id quod superest, par est: vt si ex 7. 3. auferantur, supersint quatuor. Si numero impari par demitur, id quod superest, impar est, vt si ex 7. duo auferantur, supersint quinq;. Par deinde ex paribus est numerus, quisquis dimidium par habet, vt est in 12. quorum dimidiū in senario est numero, ipso quoq; pari. Item par ex parib. est, quisquis à duobus duplo increuit, vt 4. 8. 16. Aut quisquis ab alijs sic increuit, vt recidere in parem possit. Quod euenit etiam quadruplo vel octuplo similibusque auctis. At quisquis numerus dimidium impar habet, par ex imparibus est, vt senio, cuius dimidium in trib. est. Si quis verò neque duobus per duplicationem increuit: nec dimidium impar habet: par quidem ex paribus est, oritur tamen ab eo qui par ex imparibus est, vt 12. Hic enim numerus, neq; per duplicationem à duobus ortus est, neque dimidium impar habet, sed à senario numero per duplicationem increuit. Ille autem par ex imparibus, id est, ternis est. 40 50 60

De incompositis numeris.

TRanseamus nunc ad numeros incompositos, quos etiam primos secundosq; nominare proposui. Incompositi per se numeri nulli pares sunt, exceptis, vt supra posui, duob. Cæteri quicunq; per se incōpositi sunt, omnes impares sunt, vt 3. 5. 7. 9. 13. 17. 19. similesque. Per se verò compositi numeri sunt omnes pares, qui vel ex paribus, vel ex imparibus sunt. Nam & quatuor atque octo duplicatione metimur: quorum alter numerus in binos, alter in quaternos replicatur. Et idem facere in sex aut decem facile est, cum ille in ternos, hic in quinos resoluatur. Præter hos multi impares per se compositi sunt, id est, qui cum impari numero multiplicātur. Nam siue ternio, siue quinarius numerus, siue quis alius impar impares numeros multiplicauit, qui sic effectus impar est, & per se com-

© Biblioteca Nacional de España

positus: Multiplicet ternio seipsum, fiunt ter terna nouem. Multiplicet quinarius numerus seipsum, fiunt quinquies quina, viginti quinque. At multiplicet, vel ternio quinarium numerum, vel quinarius numerus ternionem, fiunt quindecim. Omnesque hi numeri 9. 15. 25. per se compositi nulli sunt. Et quicunque impares partis eiusdem sunt, inter se verò incompositi nulli duo pares: siue ex paribus siue ex imparibus sunt. Quia nonnulli aliam quàm commu- 10 nem mensuram habent. Nam vt sumamus duos pares numeros: alterum ex paribus, alterum ex imparibus, id est, 4. & sex, tamen inter se compositi sunt, quia communis his duplicatio est, quia bis bina, quatuor: bis terna, sex sunt. At impares primum omnes qui per se incompositi sunt. Neque enim possunt aliquam communem mensuram præter singularitatem habere, qui ne propriam quidem vllam habent. Ergo 3. 5 7. similesque omnes vt per se, sic etiam inter se incom- 20 positi sunt. Et in eadem sorte is quoque numerus est, qui par sub eodem iure est, id est, duo. Nam ne hic quidem cum 3. aut 5. aut cum similibus componitur. Tum quisquis ex his numeris, qui per se incompositi sunt, iungitur cum altero numero, quamuis per se composito, efficit, vt hi duo numeri inter se incompositi sint, vt si 3. & 4. iungantur. Quid enim interest, si in alterius mensura aliqua pars & eadem singularitate sit, si alteri non est? Ac licet etiam duo plu- 30 resúe numeri, non per se tantum, sed etiam inter se compositi sint, incompositus efficit, vt omnes inter se incompositi sint. Quia quamuis aliqua mensura pluribus communis, nulla tamen omnibus præter singularitatem quid euenit, si quatuor, sex, octo, & quodlibet similes ponantur. Adijciantur deinde duo siue tres. Nam quãuis tres priores numeri inter se componi possint: tamen quatuor hi inter se non componuntur. Non tantum verò adiectiõ eius numeri, 40 qui per se incompositus est, efficit. vt plures numeri inter se non componantur. sed potest etiã euenire, vt qui per se compositi sunt, in vnum dati inter se incompositi sint, vbi quamuis aliquas mensuras, diuersas tamen recipiunt. idque euenit & inter impares duos numeros, & inter parem atque imparem. Sumamus nouem & quindecim. Horum vterque per se compositus est. Habet enim mensuram nouenarius numerus in ternione: habet vigintiquinque in 50 quinario numero. Inter se tamen ij non componuntur, quia neque nouem quinarij numeri mensuram, neque vigintiquinque terniones admittunt. Idem fit inter octo & nouem parem atq; imparem numerum. Nam neq; duplicatione aut quadruplicatione nouem, neq; ternione octo metiri possumus. Itaque per se etiam inter se incompositi sunt. qui per se componuntur, non protinus etiam inter se componi possunt. 60

De Compositis.

COmpositi verò inter se sunt omnes pares, vt apparere supra quoque potuit, quicunque vel ex paribus vel ex imparibus sunt. Deinde quidam impares, vt 9. & 15. cum vterque numerus in ternos recidunt. Tum quidam pares, & impares, vt nouem & duodecim. Siquidem his quoque triplicatio communis est, ter terna 9. ter quaterna 12. sunt. Illud animaduersione dignũ est, quòd cum impari numero nunquam is par componi potest, qui ex paribus sed qui ex imparibus ortus est. Adeo mutata quoq; sorte, iuris tamen aliqua societas superest. Ergo nouem neque cum quatuor, neq; cum octo, neque cum 16. neque cum vllo simili numero cõponi possunt. Componuntur verò cum 12. & 24 quæ à tribus initium sumpserunt. Ac ne cum omnibus quidẽ, qui pares ex imparibus sunt, cõponi potest. Omnis impar numerus, qui per se cõpositus est, quia potest non in eandem mẽsuram recidere, ergo 9. & 50. cõponi non possunt, uia quinquaginta nullam triplicationẽ recipiunt. quæ nouenario numero sola præter singularitatẽ mensura est. Euenit autem hoc, quia ne 25. quidẽ, quæ duplicata quinquaginta fecerũt, ternionem recipiebant. Ergo si quando impar numerus, ex quo par factus est, eandem mensuram quã alter impar tenet habuerit, tum demũ cum illo impari par qui ex hoc factus componi potest: vbi illud non antecessit, ne hoc quidem sequitur. Ideo nouem & quinquaginta inter se non componuntur. At nouem & triginta inter se componuntur. Orta enim sunt triginta duplicatis quindecim. Iam autem, nouem & quindecim inter se componi poterant: cum communis mensura his in terniones est. Et ex his cætera oriuntur, quæ ad hoc numerorum genus pertinent.

De duobus numeris inter se incompositis, & per se compositis.

EX duobus numeris inter se compositis, siue vterque siue alter per se compositus est, mensura alterius cum altero non componitur. Sint quatuor & nouem. Hi per se compositi sunt. Mensura autem quatuor in duobus, nouem in tribus est. Neq; duo verò cum nouem, neque 3. cum quatuor componuntur. At si sint quinque & quatuor, alter per se incompositus mensuram quaternio habet in 2. Duo autem & quinque non componuntur.

Si duo numeri inter se compositi sunt, & alter ex his seipsum multiplicabit: is qui sic effectus est, cum priore illo non componitur. Sint 3. & 4. hi inter se incõpositi sunt. Siue ternio se multiplicarit, 9. & 4. siue quaternio idem fecerit 16. & 3. inter se incompositi erunt.

Si duo numeri inter se cõpositi seipsos multiplicarint, qui ex his fiẽt, inter se incõpositi erũt, vt si

© Biblioteca Nacional de España

vt si eosdem 3.vel quatuor sumpserimus,& vterque se multiplicaris,nouem quoque & 16.inter se incompositi erunt.

Si duo numeri inter se incompositi sunt,& alter ex his se multiplicabit, effectusque sic numerus rursus ipse se multiplicabit: qui sic effectus est numerus cum altero illo non componitur. Sint 2. & 3, vterlibet numerus se multiplicet, fiunt bis bina 4.ter terna, nouem. Rursus hos numeros idem multiplicent,fiunt bis quaterna octo:ter nouem,27. Sumantur nunc duo & vigintiseptem,vel duo,& nouem,æquè inter se incompositi sunt.

Si duo numeri inter se incompositi sunt,& vterque se multiplicauerit,deinde effectum ex se rursus multiplicauerit, hi quoque qui sic effecti sunt,vt in his ipsis qui supra positi sunt.Nam ex duo octo,ex 3.vigintiseptem, sic facti inter se nõ componuntur.

Si duo numeri inter se incompositi sunt, & in vnum iunguntur, hic numerus qui sic effectus est componi cum alterutro ex prioribus non potest. Si 3.&5.in vnum iungantur,fiunt octo.Hi neq; cũ 5.neq; cũ trib.cõponi possunt.

Si numerus in duos inter se incompositos diuisus est, componi cum alterutro eorum non potest.Diuidantur 9.in 4. & 5.neq; cũ quatuor, neque cum 5 componi 9.possunt.

Si duo numeri cum tertio iuncti sic fuerint, vt omnes inter se incompositi sint : deinde ex duobus alter alterũ multiplicat, qui sic effectus erit vterq; cum eodem illo tertio componi non poterit.Sint duo numeri 4.& 8, adijciantur his 3.inter se incõpositi sunt: multiplicẽt duo priores alter alterum, quatuor, octo,aut octies quaterna fiunt,32.Hi & 3. inter se incompositi sunt.

De per se incompositis.

OMnis numerus qui per se incompositus est, & componi cum altero non potest, nisi cuius ipse mensura est.Ergo componuntur 3.ad 9: 5.ad 15: quia terna nouem, quinquies terna 15. sunt. In quo numero quod eius non habebunt,cum eo componi non poterunt.

Si duobus numeris positis, minor è maiore detrahatur, & is qui superest non est mensura eius,qui proximus, ante eum demptus est : hi numeri inter se incompositi sunt.Sint tres & octo. Tollantur ex maiore numero terni quoties possunt,supersunt duo : in his trium mensura non est. Ergo tres quoque & octo inter se incompositi sunt. Si 3. iuncti sunt & omnibus qui sub eadem ratione sunt: ex his 2. quilibet in vnum dati cum tertio non componuntur. Sint 3.numeri 9.12.16.Horum inseques semper priori supertertius est. Nec vlli tres minores duo iuncti reperientur,confundantur in vnum nouẽ & 12.fiunt 21.Hi cum 16. non componuntur.

Si impar numerus cum aliquo componi nõ potest:nec cum duplicato quidem eo componitur.Sint quinq; & octo : hi inter se incompositi sunt,duplicentur octo,fiunt 16:nec cum his quidem quoque componi possunt.

Si duo & alteri duo numeri ponuntur, sic vt neuter ex prioribus cum alterutro ex insequentibus componi possit: nec is quidẽ qui de duobus prioribus factus est, cõponi cum alterutro insequentium potest. Sint duo numeri quatuor & octo. itemque alij duo, 5. & 7. neuter ex prioribus componi cum alterutro insequentiũ potest. Confundãtur in vnum quatuor & octo, fiunt duodecim,ne hi quidem cum quinq; aut septem componuntur.

Minimi numeri ex his qui sub eadem ratione sunt,inter se incompositi sunt,vt in dupli rationẽ minimi sunt, duo & quatuor. In triplici, duo & sex.Hiq; inter se non componuntur. At quamuis magni numeri sumantur, qui inter se incompositi sunt, minimi sunt ex omnibus qui sub eadem ratione sunt.Sint vt in duo ad vnum 200.& 100.hi inter se non componuntur.Est autem inter eos partium ratio,quod 200.& 100.& vno dimidio,& 99.partibus antecedunt. Neq; id esse inter vllos minores numeros potest.

Cum verò mensuræ ratio efficiat, vt quidam per se incõpositi, compositiũe : quidam inter se compositi,incompositiũe sint, non alienum videtur documentis protinus subijcere. Omnis numerus aut per se incompositus est,aut si per se compositus est,in aliquo per se incõpõsito mensurã habet,vt 3. quiq; ab eo per triplicationẽ increscunt nouẽ in tribus. Itẽ 15. in 5. Sed eorũ qui pares ex parib. sunt,minima mẽsura in duob.est. Eorũ autẽ qui pares ex imparib. aut etiã impares sunt,potest minima mẽsura etiã in maiorib. numeris esse. Omnib.tũ imparib. vnius autẽ cõpositi mẽsura,vel minima,vel maxima facilè reperitur. Replicatio.n.numero proxima mẽsura maxima:vltima minima est:vt puta sint L. hi replicẽtur.Dimidia pars eorum 25. In his mẽsura maxima est.Rursus animaduertamus quas inferiores mensuras habeat. Sunt autẽ decies quina quinquaginta.Itẽ quinquies dena:Itẽ bis qna vicena.Nec vlla ex his minor est,ea q̃ ex duob.est. Hęc igitur minima mẽsura quinquagenarij est.

At si duo numeri inter se cõpositi sunt,maior & minor,quo modo reperiatur cõmunis,his maxima,minimaq; mẽsura quęri potest. Oportet autẽ maiori numero minorẽ detrahere quoties potest.Deinde quantũ ex priore superest,tãtundem demere ex minore quoties potest. Qui sic interierit numerus,is eorũ erit numerorũ mẽsura maxima. Sint.n.duo numeri,350. & 100.demãtur ex 350.quoties possunt cẽteni, id est, ter, reliqui sunt quinquaginta. Ex altero cẽtenario numero detrahãtur quinquaginta,supererũt ex eo quinquaginta.Hic numerus 350.& 100.communis mẽsura maxima est. Nã quinquagies bina,100.quinquagies septena,350. sunt. Ex hoc etiã illud apparet, quod q̃squis numerus minor maximũ in supradictis numeris metitur : minimã quoq; eorũ mensurã metietur.Minima autẽ mẽsura eorundem numerorũ sic inuenitur.Vbi maxima reperta est, illius ipsius minima quæritur. Eadem etiam priorib. numeris cõmunis

© Biblioteca Nacional de España

minima eſt. Vt hic quoque minima quinquagenum menſura in duobus eſt. Igitur eadem etiã priorum numerorum minima menſura eſt.

At trium numerorum, qui inter ſe compoſiti ſunt, maxima minimaque mẽſura ſic inuenitur. Duorum menſura maxima queritur, ſi ex tertio quoq; eorũ minimo cõmunis repertũ id quod deſideratum eſt. Si non eſt medij minimiq; maxima menſura eodem modo requiritur: eaque tribus omnibus communis eſt. Sint tres numeri 350.100.75. quę ſit menſura maxima cõmunis his qui 350. & his qui 100. ſunt. rerpertaq; ſit in quinquagenario numero. Cõſideremus an hic tertium illum, qui 75. habet, metiatur. Si metiretur, omnibus tribus communis eſſet. Non metitur autem: ergo iungamus 100. & 75. & horum maximam menſurã requiramus. Demo ex 100. 75. ſuperſunt 25. Hos quoties poſſum demo ex eo numero, qui 75. habet, id eſt, bis: Superſunt 25. hic numerus maxima mẽſura eſt communis his, qui 100. & his qui 75. ſunt. In his etiam omnium trium numerorum maxima menſura cõmunis eſt. Nam vicies quinquies terna, 75 ſunt: vicies quinquies quaterna, 100. Vicies quinquies quaterna dena, 350. Conſideremus nunc horum 25. quæ minima menſura ſit: ea peruenire neq; ad duos, neq; ad tres, neque ad quatuor poteſt, ſed eſt in quinario numero. Et hæc eadẽ menſura minima cõmunis omnib. trib. ſuperiorib. numeris reperitur. Nam ij, qui & 350. & 100. metiuntur, 75. non metiuntur: 3. qui 75. metiuntur, 350. & 100. nõ metiuntur 4. 100. metiuntur. Qui rurſus 350. & 75. non metiuntur. Quinque primum omnes illos metiri poſſunt, quia quinquies quina dena 75. quinquies vicena centum, quinquies ſeptuaginta 350 ſunt. Duobus verò numeris datis, quem minimum illi metiantur, ſic inuenitur. Sint dati numeri 2. & 3. hi inter ſe incompoſiti ſunt. Ex his alter alterum multiplicet. Bis terna, vel ter bina fiunt ſex. Hic minimus numerus eſt, quem illi duo metiuntur. Maximum, quem metiri poſsint, nemo dixerit, ſed omnem idem numeri metientur, quicunque ſenario numero multiplicato fiet. Addantur duo numeri inter ſe compoſiti nouem & duodecim. Simili multiplicatione eódem non peruenitur, quia poteſt etiam minor numerus, quàm qui ſic efficitur in his menſuram aliam habere. Alia igitur via reperiundum eſt. Videamus, qui minimi numeri ſub eadem ratione, qui hi ſint. Eſt autem in nouenario numero minimus rationis eiuſdem, in tribus: in duodenario, in duobus. Nunc multiplicet ex minoribus numeris vterlibet non ſuũ numerũ, ſed alienũ: id eſt, vel tria, 12, vel 2. 9. Ter duodena 36. bis nouena 18. Ex his conſideremus, an minor numerus, qui eſt 18. menſuram habeat, & in 9, & in 12. Habet autem in 9: & in 12. non habet. Dimittatur igitur, & maior apprehendatur, qui eſt 36. Hic minimus eſt, quem metiri & 9 & 12. poſsint. Nam & nouies quaterna, & duodecies terna triginta ſex ſunt. Eadem ratione omnem numerum qui cunque 36. multiplicatis fiet, idem illi duo numeri metiuntur.

Tribus autẽ numeris datis: numerus, quẽ minimũ illi metiantur, ſic inuenitur. Sint dati tres numeri 2. 3. 4. Summus is numerus, qui minimus & in duplicatione & in triplicatione mẽſuram habet, is eſt ſenarius numerus. Conſideremus an hic etiã tertium ex tribus, id eſt, quaternionem metiatur. Si metiretur, repertũ id eſſet, quod requiſitũ eſt, nũc nõ metitur. Aſpiciamus ergo, quẽ minimũ 4. & 3. metiãtur, is eſt 12. Ergo is eſt minimus, quem omnes illi tres metiri poſſunt. Nã & bis ſena, & ter quaterna, & quater terna, 12. fiunt. Et hic quoq; omnẽ numerũ, qui 12. multiplicatis fiet, idem illi numeri 3. metiantur.

Vbi duo numeri numerum aliquem metiuntur, qui minimus in illis duob. menſurã habet, eiuſdem illius numeri menſura eſt. Sint dati 12: hos & 2. & 3. metiuntur. Minimus autem numerus, quem illi duo metiuntur, ſenarius eſt. At qn ijſdem etiã 12. metitur. nam ſexies bina, 12. ſunt. Idem fit in eo numero quem tres aliqui metiuntur. Nam hic quoque metitur, qui minimus in illis tribus menſuram habet. Ponantur 24: hos & 2. & 3. & 4. metiuntur, minimus autem numerus qui eſt 12. in ijſdem illis tribus menſuram habet. At quin hic quoque eos qui 24. ſunt, metitur: nam duodecies bina, 24. ſunt.

Si binis numeris maiores minoresque ponuntur, ſic ut eadem ratio inter maiores minoresque ſit.

Quoties maior minorem, toties minor minorem metitur. Sint numeri duo & tres, deinde octo & 12. Eadem inter maiores, minoresq; numeros ratio eſt. Nam & 3. duobus & 12. his qui octo ſunt ſuperdimidij ſunt. Metiuntur autem 3. eos qui 12. ſunt quater. Nam ter quaterna duodecim ſunt. At qui duo quoq; eos qui octo ſunt, quater metiũtur. Nam quatuor bina octo ſunt.

Quoties ſingularitas aliquem numerũ metitur, toties alius numerus eam etiã metietur. Eueniet, vt quoties ſingularitas ex ſecundis vlteriorem numerum metietur, toties is, qui ante in ſingularitatis menſuram venerit, vlteriorẽ numerum metiatur. Sint, 1. & 5. & 6. & 30. Singularitas quinarium numerũ quinquies metitur. Idem facit ſenio in 30. Rurſus ipſos ſex ſingularitas ſexies metitur. At quinarius quoq; numerus ſexies metitur eos qui 30. ſunt.

Si duo numeri alter alterum multiplicant, eum verò numerum qui ſic effectus eſt aliquis, qui per ſe incompoſitus eſt metitur: idem neceſſe eſt etiam vtrunque ex prioribus metiatur. Multiplicet decas octonarium numerum, fiunt 80, hos 2. metiuntur. Nam bis quadragena, 80 ſunt. At quin idem octo quoque & decem metiuntur, cum bis quaterna octo, bis quina decem fiant.

Quotieſcunque numeri portionis eiuſdem, quam ἀναλογίαν Græci vocant, in ordinem ponũtur, primus ſi vltimum metitur: ſecundum quoque & deinceps omnes metietur. Si ſecundum metitur,

© Biblioteca Nacional de España

metitur, vltimum quoq; & medios metietur. Si quemlibet deniq; vnũ metietur, omnes metietur. Contrà si vltimũ non metitur, ne secũdum quidem, neq; quenq̃ alium. Si secundũ non metitur, ne vltimũ quidem aliúmue. Si quem medium non metitur: ne alium quidem. Sint 3. & 9. & 27. & 81. & 243. inter hos omnes tripli ratio est. Ternio autem metitur eos, qui 243. sunt. Ter octogena singula 243. sunt. Idẽ ergo metitur nouenarium numerũ, cum ter terna nouem sunt, & qui hunc metitur, etiam vltimum. Et quia vtrumlibet, etiam cæteros. Et quia medium quẽuis ex illis, & priores quoq; & vlteriores. At duo quia nõ metiuntur 243. ne 9. quidẽ, aut medios: quia 9. non metiuntur, ne 243. quidem, aut medios, quia nullum ex medijs metiuntur, ne vlteriores quidem.

Si quotlibet ab vno numero cõueniunt portionis eiusdem, quot per se incompositi numeri vltimum numerũ, totidem etiam eum qui ab vno proximus est, metientur. Sint numeri, qui duplo increscunt, 1. 2. 4. 8. 16. Ex his eo, qui 16, sunt. 2. & idem seipsos metiuntur. At sint duodecies CXLIIII. in MDCCXXVIII. Sunt per se incompositi numeri, 2. 3. quia bis octingenta, 64. in MDCLX. sunt. Itemq; ter quingenta, septuagena sena. At quin idem, 2. & 3. & 12 quoque, qui ab vno proximi sunt, metiuntur. Cum bis sena, & ter quaterna, duodecim sint.

Si quodlibet ab vno numeri portionis eiusdem sunt, minor numerus maiorem semper per aliquem aliorũ, qui sub eadem † portione sunt, metitur. Sint, 1. 2. 4. 8. 16. 32. 64. Ex his duo eos, qui 4. sunt: 4, eos qui octo sunt, & eę duplicatione metiuntur. At 2. eos, qui octo sunt, quadruplicatione metiuntur. Eadem eos, qui sedecim sunt, metiuntur 4. Itemq; octuplicatione metiuntur 2. eos qui 16. sunt: 4. eos qui 32. sunt: octo eos qui 64. sunt. Neq; inuenitur numerus, qui non & maiorem metiatur, & nulla alia mensura id facit, quàm quę in ijsdem numeris est.

al. ratione.

Si quodlibet ab vno numeri portionis eiusdem sunt: Et his, qui ab vno proximus est, per se incompositus est: maximus ex his in mẽsuram non veniet, nisi qui eiusdem proportionis erit. Sint, 1. 3. 9. 27. inter hos tripla proportio est, & vni ꝓximus numerus per se incompositus est. Igitur eos, qui 27 sunt, nullus numerus metiri potest, nisi aut 3. aut 9, quia sub eadem proportione sunt, quod non ita euenit, si quando ab vno ꝓximus numerus compositus est. Sint, 1. 4. 16. 64. ꝓximus ab vno numerus per se compositus est. Ergo vltimus qui est 64 alias quoque mensuras quàm quæ in hac serie sunt admittit, & 2. & 8. & 32. cum bis 32. octies octona bis, & tricies bina 64. faciant, quem minimum numerum, duo per se incõpositi metiuntur, eum nullus alius per se incõpositus metietur. Sumatur 5. & 7. nullum minorem numerum 35. metiuntur. Nam quinquies 7. & septies quina, 35. sunt. Atq; nullus alius numerus per se incompositus hunc metiri potest. Non, 2. non 3. non 11. non 13. non 17. multo verò minus vlteriores numeri.

Si quadratus numerus quadratum metitur, in latere quoque eius alterius mensura est. Sint duo quadrati numeri 4. & 16. metitur eos qui 16 sunt, quaternio. Quater enim quatuor 16. At qui in latere 4. 2. sunt, in latere eorum qui 16. sunt, 4 sunt, 2. metiuntur quaternionẽ. Bis enim bina, quatuor sunt. Ex hoc etiã illud apparet ex duobus quadratis numeris, si in alterius latere mensura est, in ipso quoq; quadrato numero alterius quadrati mensuram esse.

Si quadratus numerus quadratum non metitur, ne in latere quidem alterius est. Sint quadrati numeri, 4. & 9. Quaternio nouenariũ numerum non metitur. Ergo ne quidem qui in latere quadrati sunt, tres qui in latere nouenarij numeri sunt, metiuntur. Ex hoc etiam illud apparet ex duobus quadratis numeris, si in alterius latere alterius lateris mensura non est, ne in alio quidem quadrato numeri alterius quadrati mensuram esse. Si tessera tesseram metitur, in latere quoq; alterius lateris mensura est. Sint duæ tesseræ, octo & 64. Eos qui 64. sunt, octo metiuntur. Siquidem octies 8. 64. sunt. At quin si in latere eius tesseræ quę octo habet, duo sint, in latere eius tesseræ quæ 64. habet, quatuor sunt, duo quaternarij mensura sunt. Ex hoc etiam apparet, si ex duabus tesseris duo alterius latus, alterius mensura est lateris, eius quoq; tesseræ alia tessera mensura est. At qui si tesseram tessera nõ metietur, ne in latere quidem apparens lateris alterius mensura est. Sint duæ tesseræ, octo & 27, eos qui 27 sunt, octo non metiuntur. Ergo cum in latere eius tesseræ quæ octo habet duo sint, in eius quæ 27 habet 3 sint. Duo ternionẽ non metiuntur. Ex hoc etiã illud apparet, quòd si in latere tesseræ non est mensura: ne ea quidẽ tessera eam tesseram metitur.

In omni verò numero qui mensuram in aliquo numero habet, ex eodẽ & mensuræ nomẽ acquirit, qui mensuram facit. Sint nonem, hos ternio metitur, & est etiã nouenarij numeri tertia pars, in trib. sint 16: hos quaternio metitur. Et est quarta eorũ qui 16. sunt, quaternio. Idẽq; in cæteris omnib. numeris reperitur. Sequitur autem, vt si numero membrum sit, in eo numero mensurã is habeat, cui cum eo membro commune nomen sit, vt nouenarij numeri membrũ in ternione est, cumq̃ tres metiuntur.

Hos sat erit cursim numeros memorasse meliosq;
Cætera Cecropiæ æquum perhibere cathedræ
Si tamen vllus inest nostris super altus arcis,
Aut ritè in veterem cultum replicatur ebrietas,
Me spatium admonuit iam claudere festinus ipse.
Ne superum nostri capiant fastidia cœtus,
Et vetus astrigero pellar numeraria cælo,
Sic ait ac retinens propiori adiunxit ioco est.

© Biblioteca Nacional de España

MARTIANI CAPELLAE DE ASTRONOMIA

LIBER VIII.

QVÆ dum geruntur, & deorum ſacer Senatus illos numerorum concinnentium repugnãtiumq; admiratur anfractus, ipſamque fœminam quadã venerabilis excellentiæ celſitudine reuerendam, non caſſum parentem ſuperũm creditum recognoſcit. Multitudo etiam, quæ iuſſa conſtiterat, ſapientum, præſertimque Pythagoras cum ſectatoribus cunctis, Platoque Timæi ſui caligoſa diſcriminans, arcanis eam laudibus venerantur. Nupturamque Virginem ſæpius cõſpicabunda Pallas, quid ſuperdotalis eruditione fœminę comprobaret, exquirit, & ipſa nutũ admirantis aſſocians. Cyllenius autẽ nullius magis alũnæ ſplẽdore ac luculentia gloriatus, huius ſe fœminæ euehit granditate. Sic Phœbo diutulæ aliam dotalium intromittere remorante, ne prioris Profetæ admiratio laberetur: Sacrum paulum fuit reuerẽdúmque ſilentium. Silenus interea, vt Euan conſecutus ponè vietus atq; acclinis aſtabat, ſeu marcore confectus ætatis, ſiue anxia inter doctæ vocis miracula intentione comprehenſus, an aliàs poculis turgens. Tunc etiam nuptialis gratiæ nomine prolectatus, inundantis ſe temeti infuſione pluerat. Iam dum laxatus in ſomnos, forte repente blandum ſtertens ranæ ſonitum deſorbentis increpuit. Quo terrore & rapiduli ſonitus raucitate concuſsi, eódem ſe quamplures conuertẽre diui: ſenisq; proflãtis ſomnum atq; humentis crapulę exundatione conſpecta, riſus circumſtantiũ, eò maximè quo claudebatur excuſſus. Tunc quoniam credita iocos nuptialis licentia nõ vetare famulitium Veneris, vernaculæq; Bromiales tanto cachinnos cõncuſsis admodũ tulẽre ſingultib. vt quamplures alios cõniſos cohibere riſum, hoc maximè impetulãtis proruptionis ſonitum, effuſiq; cachinni * licentiam prouocarint. Deniq;, vt ſemper impatiens, atq; inuerecundus procax ac proteruus aſſultibus ad eum alacer Cupido atq; hilarus accurrit, atq; vt depile rubellumq; caluitium ſenex baculum acclinatus affixerat palmæ verbere percrepantis applofo: eoq; ſonitu reclamantis riſum velut etiam permiſſum penè omnibus ſuſcitauit.

al. libentiam

TVNC vix ſenex recluſis
Creperum videns ocellis
Circunſpicit ridentes,
Ictuq; ſuſcitante
Stupidum dolens tuetur,
Frictuq; palmulari
Madida detergit ora.
Tunc motus increpante
Baculum rapit Lyæo,
Ac dum mouere greſſum
Cupit aduocante Lyde,
Tandem recepta luce
Superũm videt ſenatum
Percellitur repente,
Silicerniumq; nutans
Tentat celerare curſum:
Tunc motibus negatis
Magis inuolutus aſtat,
† Ceſimq; formidantes
Abeunt pedes tremore,
Titubansq;, moliensq;,
Hæret, redit, recurrit.
Tunc victa palpitansq;
Turgens cadit ſenectus.
Fit maior inde riſus,
Neſcit modum voluptas,
Donec iubente Baccho
Satyrus rapit iacentem,
Scapuliſq; dat ſupinum,
Vuidumq; † lachi membrum
Colloq; complicatum,
Vtribus † parem reportat.

al. Ceſimq;

al. blandi membrem.
al. Daret.

Hac iocularis † licentiæ alacritate feruente Satyra illa, quæ meos curæ habuit informare ſenſus: ne tu ait infelix, vel Capella, vel quiſquis es, non minus ſenſus quàm nominis pecudalis huius incongrui riſus adiectione deſipere vel dementare cœpiſti? An tandem non diſpenſas in Iouiali cachinnos te mouiſſe concilio, verendumque eſſe ſub diuũm, Palladiãque cenſura aſsimulare quenquam vel cerritulum garrientem. A quo etiam tempore Cupido vel Satyrus petulantis auſus procacitate diſsiliunt. Nempe cum Virgo ſyderea, pulchriorque dotalium in iſtam venerabilem curiam, ac deorum ventura conſpectus. Apageſis nec † poſt ad hæc iugales auſus lege hymenæa & culpæ velamine licentis obnuberis. Saltem Prieniæ auſculta nihilum grauatè ſententiæ Μὴ ὄνος λύρας. κεφὸν γνάθω. Tam triſtibus aſperisque Satyræ alioquin lepidulæ verberibus † demulctatis, cum excuſamentis admiſsi velut procacis inuoluuntur. Tandem quæ puellarum intromittenda paratur, inquiro. Ac ſic illa nondum ſtomacho ſeneſcẽte, quo in me inuehebatur, exorſa.

al. lætitiæ.

al. poſt id hæc iugales.

al. demulgatis.

Aſtrigeræ

© Biblioteca Nacional de España

Astrigeræ iam sedis iter cursumq; polorum,
Et sacra multiuagos, qua tollunt sydera flexus,
Dicere tempus adest, video splendescere pulsu
Icta coruściferi subito laquearia cæli.
Illic bis septem solitus seruare Triones
al. Pastor. ** Plaustro Hyperborea resplendet luce Bootes.*
Hinc qua deuexo tellus subducitur axe,
Ignoto Canopos sese infert fulgidus astro.
Phœbeo pariter cursus rapidosq; meatus,
Et toties variæ flammantia cornua lunæ.
Quin etiam medios quos nectunt culmina circos,
Obliquæ & rutilis, quo se rapit orbita signis
Cernere iam videor, tu fingere ludicra præstas.
Viliaq; astriloquæ præfers commenta puellæ:

Talia adhuc canente Satyra, vetitus ille ac du risſime castigatus denuo me Risus inuasit. Euge inquã, Satyra me ante poetriam fecit colere. Cæpistine Parmesiaci gurgitis sitire fontes? Iamne fulgores præuides, & vultus deorum? Sed vbi illud repente discessit, quod irrisoria semper lepidaque versutia inter insana semper deridebas, Vatum rumores dicabulis cauillantibus saleq; contenta, nec minus poetarũ Rhetorumque cothurno inter lymphatica derelicto est: quod rabido feruebas cerebrosa motu, ac me Sileni somnum ridentem censorio clangore supercilioſior increpabas. Ergo nec figmenta di moueam, & nihil leporis iociq; permixti tædiũ auscultantium recreabit. Peligni de cætero iuuenis versiculo resipisce, & ni tragicum corrugaris: *Ride si sapis ô puella ride.* His me, satyraq; mea alterna diutile obiurgatione rixatis, aliam dotalium Virginũ Delius intromissurus egreditur. Et ecce globus quidam lucis æthereæ, & concaua perspicui ignis aggestio, vt apparebat intra se quandam virginem claudens miti vertigine sensim volutus illabitur. Quo candore luminis propinquantis plures irradiati refulsere Diui, fatalesq; maximè: quorum etiã habitus, motusque, & quicquid in his ignotum credebatur emicuit. Tunc & ipsa extimi cæli contextio eiusdem lucis fulgoribus reuibrauit. Quo miraculo stupefacti aerij terrestres marinique diui, & si quos clausa telluris operiunt: astreantemq; Vranien certè Libyssam apparuisse rati, locum confessionis honoratissimè præbuêre. Et ecce subitò prosilit quædã gemmata, nec minus totis artubus decenter oculea. Huic sydereus vertex, vibrantesq; crines. Verum alæ cum pennis hyalinis & volitandi per mundum remigia crebrius aurata crispantur. Gestabat in manu cubitalem fulgentemq; mensuram: in alia librum in quo prę metata diuũm itinera, & cursus recursusq; sydereis cum ipsis polorum cardinibus prænotati ex metallis diuersicoloribus apparebant. Quæ vbi in medium quam pluribus sibi dijs arridẽtibus venit, cæteris pulchritudinem splendoremque eius admirantibus, ita cœpit: Multæ admodum rationis nec eiusdem despicabilis temnendæq; contuitus: me si qua sunt industriæ nostræ opera conuenerat reticere. Hæc enim verecundæ arbitror probitatis motus, cursusq; proprios ipsis edisserere qui * mouentur, docereque deos velle, quod faciunt: tum etiam, quod per immensa spacia seculorum, ne profana loquacitate vulgarer Aegyptiorum clausa adytis occulebar. Quippe quadringenta fermè annorum millia illic reuerenti obseruatione delitui: atque vtinam post diluuialis consternationis excursum: * Athenarumq; vrbem longa intercapedine restitutam, nullæ me in Græcia terrestres illecebræ, nec iactantes crinitorum scopas pallio los non tegendam potius quàm diuulgandam cognouissent. Nunquàm profectò itineris rationes, reditusq; vestri in noticiam hominum, ac mortalium curarum illuuiem peruenirent. Sed quoniam vtcunq; in Graiam noticiam hominũ errabũda perueni, sufficere oportuit quicquid ab Erathostene, Ptolemæo, Hipparcho, cæterisq; vulgatum, ne me vltra loquendi necessitas ingrauaret. Tamen quia me alumnantis erudientisque Cyllenij reticere non permittit officium, nostriq; studij secreta discludere solertia quoque nubentis inuitat: apud vos superi cælestesque, qui vestra recensebitis * metacula, non tacebo.

al. nouerũt.

al. maternarumq;.

al. meatula id est, mea propria.

De Mundo.

MVndus igitur, ex quatuor elementis, ijsdemq; totis in sphæræ modum globatis, terram in medio imoq; defixam æternis cæli raptibus circumcurrens circulari quadam ratione discriminat. Quãquàm auscultare physicis in ipso astruendi limine non dedigner, qui subtilium corporum teneritudinem suis coactibus circunductam in quasdam sectas vias & circulorum intercapedines non æstimant disparari, sed suis fluctibus adhærentes, naturas vndiq; secus globoso ambitu orbibusque diffundi: Quarum circa medium, quod dixere centron, aquæ primum aerisque sequens: tertium ignis Cyma commemorat. Et nunc quinto quodam corporeæ substantiæ temperamento æthereos circumuolare fulgores. Quo loco solis lunæ ac syderum signiferique orbis se obliquitas circumducit, quod * Cido Foreticus Cyma gymnasia retulerunt: Cuius naturæ tranquillitas etiam illum extimum tenet ambitioremque cursum, qui ex eo quod nullis syderibus occulatur ἄνασσος perhibetur. Si igitur sui similis omnis circumagentium naturam ambitus reperitur, nulli possunt æthereum tractum circuli variare. Nos igitur circulos non ita dicemus, vt linquẽtes naturæ discrimina corpulenta fingamus, sed vt ascensus descensusque ad nos errantium demonstremus. Neq; enim vel axem, polosque, quos in sphæra ænea quæ Circite dicitur, ad intelligentiæ compendia affixere mortales: ego robori mundanæ rationis apponam, cum nihil solidius terra sit, quod eam valeat substinere. Deinde cũ poli velut perforatæ exterioris sphæræ cauernis emineant, & hiatus qui-

alias. Cyclo. fortè, legendum: quod κυκλοφορητικὸν κῦμα vel χῦμα gymnasia retulerunt.

© Biblioteca Nacional de España

dam cardinesq; fingãtur: Quod vtiq; subtilibus æthereisq; accidere non potuisse compertum. Sicubi igitur intelligentiæ edissertandiq; proposito, vel axem, vel polos vel circulos perhibebo, idæali quadam prudentia; non diuersitate cæli discreta, sed spaciorum rationibus * dispensetur. Sicq; habeatur, cum euexum deuexumq; mundum dixero, cum similis cunctis suis partibus sit, sublimeturq; vel lateat pro conditione orizontis positioneq; terrarum.

al. depensetur.

De quinq; Paralellis.

HOc igitur premonito illud insinuo, quod quidam Romanorũ non per omnia ignarus mei: Stellas à stando, Sidera à considendo, Astra ab Astreo dicta fuisse commemorat, fabulosisq; commentis Graij cõpleuere cælum. Ego præcepta potius edisseram disciplinæ, ac decem dici mundi circulos asseuero. Quorũ alij paralelli, quos æquidistantes Latinè possumus memorare, eosdem polos habent quos ipse mundus. Poli enim sunt, qui à centro circuli linea vsq; in circunferentias ducta medietatis sectæ mensuram æqua ratione discriminant.

De primo Paralello.

VErũ ex paralellis primus is est, qui & semper apparens: & contingens confinia Finitoris nunquàm mersus assurgit, qui septentrionalis circulus perhibetur: ex eo quod cũ cæteris, quæ promentur, etiã gemina sidera septentrionis includit:

De Secundo.

SEcundus autem ex paralellis maximus solstitialis est, ad quem sol æstiuus accedẽs solstitij fine repulsus abscedit.

De Tertio.

TErtius æquinoctialis medius maximusq; cunctorum, per quem sol secundo, vel cũ in æstiuam flagrantiam surgit, vel cum in hyberna descendit, quadam mundi medietate peruectus, mensuram noctis lucis æqualitate compensat.

De Quarto.

HVic propinquus brumalis, in quem hyemali fine perueniens, in aquilonẽ denuo repulsus assurgit.

De Vltimo.

QVintus autem idemq; vltimus australis: quiq; antarcticus perhibetur. Hic mersus ac vix altiore circuli extremitate orizontis defixa cõtingens, tãti tamen spacij quanti septentrionalis circulus ratione monstratur, ei etiam inuenitur oppositus.

De Coluris.

COnsequens reor coluros demonstrare: quorum pars desuper quędam alia in imo versatur occulta: de quibus non nescio scriptorum variare diffinita. Nam alij à septentrionali cardine in meridianum duci circulum perhibent, ex indeq; sub terras meantẽ: denuo in arcticum apicem sublimari. Alij verò cõtrà à cardine meridiano inchoamenta circuli perhibentes, eundem per arcticum verticẽ, vnde ortus denuo retulerunt. Qui quidem alium ab ortu circulum * decussantes in quatuor quadras mundi ambitu discreuerunt. Verum ego, quod Hipparchus meus scriptorum * veritate complexus: hos dico à signis zodiaci cycli veniẽtes, & tam inter se secundo coniunctos, quàm omnes paralellos angulis æquales persecantes in cardines peruenire. Nam vnus ab Arietis octaua parte natus, ambito mundo per polorũ vertices ad eandem recurrit: Alius simili cõplexu mundum à Cancro exortus includit: quod planius postmodum faciemus.

al. decursantes.

al. varietate.

De obliquis.

VErum nunc obliqui sunt edicendi. Quorũ signifer duodecim discriminibus interstinctus, ex paralellis duos, solstitialẽ brumalemq; contingens, æquinoctialem medium secat secundo: * nunc ad pares angulos aut findit aut finditur, qui Soli Lunæq; iter præbet cum quinq; sideribus.

al. nec.

Galaxias verò lacteus obliquorũ multo maiore ambitu porrectus etiam visibus approbatur. Nam confinio septentrionalis circuli natus, in Finitorem antarcticæ regionis acclinans, penẽ totum videtur permeare cęlum, quem quidẽ mihi desipere videntur qui circulum negauerunt. Superest iam vnus è circulis, quem quidẽ quod locus momentisq; omnibus variatur, dubito quid appellem. Hic tamẽ nouissima supernaq; discriminans, atq; vndiq; in superficiẽ telluris lineæ * flexu ambientis incumbens, Orizon vel Finitor perhibetur.

al. fluxu.

De Septentrionali circulo.

SEd quoniã expositi circuli breuiter clarueruntnunc eorum spacia vnde primo cœperam perhibebo. Ac prius ad Septentrionalis circuli redeam granditatẽ, in quo more Geometrico duo primo signa composui ad circulũ perducendum, id est, vnum quod cẽtron: aliud quod peripherian demonstraret. Itaque in ipso mundi cardine posui clarius sidus: atq; ab eo ad Draconis caput, quod iam notaueram vsque ad Finitoris circulum peruenire lineam duxi. Quam postea manente centro mente circumagens circulum designaui, atque ab omni parte spacium æquale complexa, per hęc sidera per sphæram circumducta peruenit à capite Draconis, & dextro pede eius qui appellatur Engonasis, ad

© Biblioteca Nacional de España

sis ad mediũ Cæphei pectus, tũc ad pedes prioresmaioris Vrsę, inde rursus ad Dracõis caput.

De Solstitiali.

HVic circulo confinis solstitialis, quem itidem lineari dimensione à cardine mundi in octauam Cãcri partem ducta, quo Sol accesserat solstitio, reperimus eundem circulũ ambitu potiorem. Per hæc tamen signa curuari incipit ab octaua parte Cãcri. Cuius omne corpus in longitudinem secat ad Leonis pectus ac ventrem. Inde ad Ophiuchi humeros: deinde ad caput Cygni: deinde ad vngulas Equi, ac ptinus ad dextram Andromadæ manum: deinde ad sinistrum Persei crus, eiusdemq; sinistrũ humerum. Inde ad vtraq; Eniochi genua & proximè ad Geminorum capita, à quibus rursus ad octauam Cancri ipsius partem.

De Aequinoctiali.

AEquinoctialis demũ circulus bis admensus à poli termino circumactus, tam in Arietem quàm in Libram linea permeante, per hęc signa circulum includit. Ab octaua parte Arietis per totum corpus eiusdem ad reductum Tauri pedem. Inde ad mediam Orionis aluum. Deinde per * edictas curuationes Hydri Crateraq; & Coruum, ad octauam Libræ partẽ inter duas lucidas signi illius stellas. Inde ad vtraq; Ophiuchi genua. ac tum per Aquilam ad Pegasi caput: à quo rursus ad octauam Arietis partem.

al. editas.

De Brumali.

BRumalem verò circulum similiter signo in octaua Capricorni parte defixo per hæc meare comperimus. Ab octaua parte Capricorni per totum corpus eius ad pedes Aquarij. Inde ad Ceti vltimam caudam, ac dehinc ad Leporẽ prioresq; Caniculæ pedes. Inde per Argo, tergusq; Centauri ad Scorpionis aculeum, deinde per Sagittæ vltimam partem ad octauã Capricorni partem circulus reuocatur.

De Antartico.

VLtimus ex Parallelis qui vocatur Antarcticus tantundem spacij quantum Septẽtrionalis includit: Quem quidem meantem, quibus sideribus circuletur, ego poteram memorare. Neq; enim mihi vlla cælestis globi portio habetur incognita. Sed quoniam per * ignotas superiores partes visus hominum distenditur, dicere prætermitto, ne incomperta falsitatẽ admiscere videatur assertio.

al. ignota superioris partis visibus.

Item de Coluris.

MElius Coluros demonstremus, licet ipsi quoq; aliquid curuationis abdentes, non se totos visibus repræsentent, tamẽ quia coniectura non errat, poterunt demonstrari. Atq; ita eorum primus, qui ab æquinoctiali parte sumit auspicium, ab octaua Arietis parte contingens vltimum Deltotos angulum, ac mox summum contingens Persei caput, dextrumq; eius brachium, proximè manum secans per septentrionalem circulum ad cardinem mundi peruenit: A quo per caudã Draconis ad sinistrum Arctophylacos, proximeq; ad Bootis stellam ductus, dextrum Virginis pedem sinistrumq; cõtingit: in quo octaua pars Libræ est. Vnde ad dextram manum Centauri, qua Pantheram tenet, diuisus haud procul ab eo loco, quo sinistram Centauri vngulam tetigit, in regionem conspicuæ nobis partis obruitur: vnde emersus infra Cetum per corpus eius auersiq; ceruicẽ ad caput, atq; inde ad octauam partem Arietis redit.

De Tropico.

ALter autem Colurus, qui etiam Tropicus dicitur, ab octaua parte Cancri consurgit ad sinistrum ex prioribus Vrsæ pedẽ per ipsum pectus eius ceruicemq;. Inde ad cardinẽ peruenit mũdi: at inde per clunes minoris Vrsæ, & bis per Draconem ad sinistram alam Cygni ceruicemq; perductus, vltimum Sagittæ spiculum, & proximè rostrum Aquilæ contingit, à qua ad octauam partem Capricorni descendit. Inde haud procul mersus in regionem inconspicuam, infra Argo resurgit, cuius & gubernaculum & rectam puppim secans ad octauam partem Cancri redit,

De Signifero.

DVos iam superesse circulos dubium non habetur, quos quidem obliquos dici superius memoraui. quorũ vnus Signifer, non vt cæteri, quos linealiter feci: sed latissimus omnium comprobatur. Quem cum in duodecim spacia discernerem, singulis xxx partes non nescia rationis ascripsi. Verum eius latitudinẽ circuli tetendi in duodecim portiones, vt tantundem spacij habeat latitudo, quantum longitudini duodecim partes attribuunt: quod cur factum sit, facilè est loco eo quo de Sole loqui cœpero demonstrare: qui per mediam circuli eiusdem lineam solus fertur. Cuius circuli ambitum per duodecim signa admodum clara circumagi dubium non habetur. Nà Galaxias non magis ratione quàm oculis approbatur. Cuius vltra regulam, & plerunq; deficiens latitudo à Cassiopeæ astro in Scorpionis aculeum latitudine compensatur.

De Orizonte.

SVperest circulus solus Finitor, qui ex eo quod semper surgentis demeantisq; mundi diuersitatibus varietur, certum astrorum ordinem non poterit retinere.

© Biblioteca Nacional de España

Quid sit spacij inter circulos.

al. immiserit. IAm nũc inter circulos vniuersos quid interstitij vel spacij intercapedo naturalis*immerserit, æquum explicare. Nam inter Septẽtrionalem circulum quem in spacia viij resecaui, & inter solstitialem interpatet tantundem quantũ interest octo & sex. Nam idem interiectus spacijs similibus continetur. In quo fit, vt maior sit circulus ab eodem interiectu pari spacio, & eiusdem tertia portione. Alia intercapedo inter solstitialem æquinoctialemque circulos minor est à superiore interiectu quantum quatuor numeri ad sex. Ab æquinoctiali ad Brumalem similis. A Brumali autem ad austrinũ talis est, qualis illa quæ inter septentrionalẽ solstitialemque circulos interiecta: circulusque ipse austrinus tantum habet ad cardinem suum, quantum septentrionalis ostendit.

De Fixis signis.

PEracta iam spaciorum circulorumq; breuiter ratione, cætera quæ appellantur * inerrantia percurramus. Dubium enim nõ est xxxv signis omne cælum splendescere, nisi forte velit quisq; eorum gestamina sociare, licet animalium vocabulis censeantur, vt Capra. quæ Eniocho supperposita: aut hædos qui eius humeris sustinentur: vel serpentem quem Ophiuchus tenet: aut Pantheram quem Centaurus gestat, quæ sydera velut partes habendæ sunt potiorum. Hæc igitur quinq; & triginta signa circuli interiacentis ambitu discernuntur. Nam alia sunt Aquilonia, alia Austrina. A regiõe quippe zodiaci, quæ Septentriones versus depicta sunt, Aquilonia perhibentur. Interius autem numerantur austrina. Aquilonis igitur habent partem vtraq; Septentrio Draco, qui inter utranq; flexuosus illabitur. Arcturus, quem alij Bootẽ appellant. Corona Ariadnes, Nisusq; quem alij Engonasin dicunt, Lyra, Gygnus, Cępheus, Cassiopa, Perseus, Deltoton, Eniochus, Andromeda, Pegasus, Ophiuchus, Delphinus, Aquila, Sagitta. Austrina autem hæc sunt, Hydrus, Crater, Coruus, Prochion, Orion, Canicula, Lepus, Eridanus, qui ab Orionis pede defluit, Cetus, Centaurus, Nauis, Argo, Piscis austrinus Cælulum, Ara. Nam & Aquã, quę ex cratere Aquarij fluit, melius partem signi credimus. Et stellam, quã quidem Canopum, quidam Ptolemæum appellant, quæ superioribus inconspicua in confinio Alexandriæ incipit apparere, vt partem Eridani fluminis estimabo. Hæc discernit zodiacus, qui quidem æquales duodecim signorum integrat portiones: Sed vndecim habet signa. Scorpius enim tam suum spacium corpore, quàm Chelis occupat Libræ. Cuius superiorem partem pedes Virginis occupant. Maiorem verò Scorpius: deniq; Chelas (quam Libram dicimus) quidam dixere Graij. Horum ergo signorum duodecim nomina, quod vulgo nota sunt prætermitto.

* ἀπλανῆ.

Quòd diuersis circulis distribuantur quorundam partes signorum.

INtelligo ordinis hoc fuisse, vt quo circulo spacioũe quæ signa sint demonstrarem. Sed & magnam partẽ astructionis exquirit, contra propositum breuitatis. Et quod mediatenus tertiaũe parte quædã signa de fixis circulis diuersis sua membra discrepant. hanc obscurã caliginem derelinquo. Quippe, vt cætera transeamus: manus interior Arcturi intra septẽtrionalem circulum ponitur: reliquumq; corpus parti alteri deputatur. Cęphei corpus mediatenus septentrionali thorace partito, & diuersis circulis attributo. * Nisus verò sinistro pede septentrionalis Draconis verticem calcans, capite solstitialem circulum ascẽdit, vnum brachiũ Lyræ, alterum dans Coronæ, & alia huiusmodi non minus insuauia quàm morosa. al. Nixus.

Quibus signis surgentibus, quæ oriantur, quæ occidant.

ILlud potius attendendum, quibus surgentibus signis, quæ ortum faciant occidantq;.

Nam oriente Cancro, occidunt Corona Ariadnes, & austrini piscis pars dimidia: Ophiuchus à pedibus vsq; humeros, serpensq; quem detinet, præter fauces caputq; totum, Bootis etiam medietas. Oriuntur verò Orion totus Eridaniq; principium, & in lingua caniculæ lucida stella.

Cum autẽ Leo oritur, Coronæ reliquiæ conteguntur, Austrinusq; piscis & Ophiuchi serpentis Bootisq; partes. itemq; Aquila, * Nisiq; pars dextra. Oriuntur verò Hydri caput, Lepus & Prochion, Caniculæq; pars prima. al. Nixiq;.

Oriente autem Virgine occidunt Lyra, Delphinus, Sagitta, Cygniq; pars potior, Eridanique pars vltima, & caput ceruixq; Pegasi. Oriuntur autem Hydri pars prior vsq; ad Craterem, Caniculaq; tota, & Nauis Argonis puppis.

Libra surgente occidunt Pegasi & Cygni reliquæ portiones, Andromadęq; caput, Cępheiq; humeri. Cetus & flexus fluminis Eridani, Oriuntur Coronæ medietas: Nisi * dexter pes, & Bootes, & Hydri reliquum prẽter vltimam caudam, Centaurique pars quæ in equi speciem figuratur. al. Nixi.

Scorpione autem nascente, occidunt Andromadæ pars reliqua, Item Cęphei pars, quę extra septentrionalem circulum posita, & Cassiopæ & Orionis pars. Eodem tempore oriuntur Ariadnes Corona tota & caput Eniochi, * Nisique corpus omne præter sinistram manum. Hydri cauda vltima & Centaurus totus prẽter priores pedes. al. Nixiq;.

Sagittario nascente mergitur Orion & Canicula & Eniochi pedes. Oriuntur verò totus Ophiuchus & Nisi sinistra manus, & Lyra & Cæphei caput humeriq;, & Cẽtauri pedes priores.

Capricorno oriente occidunt Eniochus totus,

© Biblioteca Nacional de España

tus,& eius capra hædiq;. Persei pars sinistra, & Argonis puppis, & Prochion. Inuicē oriuntur Cygnus,& Aquila,& Sagitta & Altarium.

Aquario oriente occidunt Centauri pars equina,Hydri caput. Oritur & equus Pegasus.

Piscibus ortis occidūt Hydrus totus, & Centauri pars reliqua, & Crater. Præterea oriuntur Andromadæ pars dextra. & Piscis austrinus.

Arietis signo surgente occidunt pedes Centauri & Altarium. Oriuntur verò Andromadæ sinistra pars & Persei caput usque adaluum & Deltoton.

Signo Tauri oriente occidunt Bootis pedes, Ophiuchus à pedibus ad genua usq;. Oriuntur autem Ceti pars reliqua & sinister Orionis pes.

Geminis orientibus occidit Serpētarius usq; ad genicula. Oriuntur verò Fluuius, Cetus, Orion.

Quibus temporibus oriantur, aut occidant.

TEmporum quoq; ipsorum quibus oriuntur aut occidunt, habenda distantia est. Nam quæ transuersa oriuntur,& rectè occidunt, celeriores ortus habent quàm occasus. Contrà autem, quæ recta oriuntur & transuersa conduntur,tardius oriuntur quàm occidunt.

Nam Cancri signum rectè oritur,inclinatūq; mersatur: licet hoc in Capricorno parua inflexione curuetur. Oritur autem duabus horis, & duodecima parte horæ,& hora occidit, ac deunce minima in isto distantia est.

Leo autem oritur duabus horis & tertiá parte horæ: occidit verò hora semis, & sexta parte horæ.

Virgo oritur horis duabus & dimidia,& sexta parte horæ,occiditq; hora & tertia parte. Similiter Libra.

At Scorpius diminuit ortum, & auget occasum: oritur enim horis duabus & tertia parte,occidit hora semis & sexta parte horæ.

At Sagittarius oritur horis duabus & duodecima parte horæ: occidit hora & deunce horæ.

At inuicem quæ transuersa oriuntur & recta occidūt, breuiores ortus occupāt quā occasus.

Deniq; ex his est signū Capricorni,quod oritur hora & deunce,occidit duabus horis & duodecima parte horæ.

Aquarij verò proximum signum oritur hora & dimidia, & sexta parte horæ: occidit horis duabus & tertia parte horæ.

Sequens hos Piscium signum oritur hora, & tertia parte horæ,occidit duabus horis & dimidia & sexta horæ parte.

Eandem mensuram Aries vtriusq; temporis seruat.

Taurus oritur hora & dimidia, & sexta parte horæ: occidit duabus horis, & tertia parte horæ.

At Gemini oriuntur hora & deunce, Occidunt duabus horis,& duodecima parte horæ.

Quòd pro diuersitate signorum,dierum,noctiumq; fiat inæqualitas.

HÆc est inæqualitas, quæ dierum spacia noctiumq; discriminat. Nam cum solis lumen eorum signorum principium quæ tardius oriuntur ingrediuntur: dum sequentia signa nascuntur,diei prolixitas procuratur. Vbi verò hæc intrarit, quæ cito orta tardius demersantur: diebus exiguis noctes efficit grandiores. Denique hæc ratio, & illis respondet, qui velut miram efficiunt quæstionem, talia proponentes: Si spacijs æqualibus omnia signa percensentur;ac necesse est diebus, noctibusq; cunctis sena signa supra terras esse, omnes dies, noctesq; pares esse debuerunt. Sena autem signa superstare non dubium est, totidemque delitescere. Dies quoque noctesque variari diuersitatibus spaciorum. Nam Solstitialis dies habet æquinoctialis mēsurę horas quatuordecim & sextantem.Brumalis verò horas nouem & dimidiam, ac tertiam portionem. Vicissim brumales noctes Solstitialis diei temporibus porriguntur: Cuius lucis tempora suscipit nox æstiua. In tanta varietate diuersitateq; temporum, illud profecto colligitur, Signa æqualia non habenda. Cuius conclusioni & rerum varietas, & nostra regula refragatur. Multiplici enim clepsydrarum appositione monstratum omnia signa paria spacia continere. Cum enim diuersa spacia in ortu habeant atq; occasu: tamen si omnium ortus occasusq; compenses, videbis ad plenum collata mensuris æqualibus respondere.

Verum hac quæstione consumata,alia subtilior de spacijs imparibus obiectatur. Dicunt enim, si spacia signorum æqualia sint:aut Sol tardiore cursu quædam signa transcurrit, aut in dierum ratio diuersitate mentitur. Sed constat Solem Geminorum signum xxx & duobus diebus excurrere: Sagittarij autem xxviij:cęterisq; signis, aut adijci aut detrahi aliquas portiones: quod profecto non fieret, si aut sol æquali cursu ferretur, aut signa spacijs paribus tenderentur. Sol autem eadem ac perpetua celeritate festinat,Relinquitur, vt signis spaciorum æqualitas denegetur. Sed hunc quoque errorem opinio inueterata composuit, quàm omnes hactenus credidere: quemadmodum ipsi mundo sphæræque postremæ centron esse terram: Ita & solaris circuli eandem centron esse,quod omnino falsum esse non dubium est: Nam vt diuersa spacia sunt cælestis ambitus circuliq; medialis:ita & diuersis centrorū signis punctisq; torquentur. Quo fit, vt terra solaris circuli centrū nō sit,sed eccētros habeatur. Per vices enim propinquitates,descēsusq; ad terras solaris orbita, cursusq; summittit. Itemq; pro signorum conditionibus sublimatur, & cum medietatem linearem in latitudinē zodiaci sol libratus excurrat: orbem tamen solis obliquitas meatus aut imprimit aut extollit. Quis enim dubitet Cancrū Geminosque verbi gratia in mundi ardua

© Biblioteca Nacional de España

ſublimari? Rurſumq; Sagittariũ Capricornũq; * pererratis deflexibus * infirmari. Quod cum ipſe zodiacus ſignaq; cælo cohęrẽtia tantũdem à terris vndiq; ſecus interſtitij detineant: ſolaris tamen circulus qui ſubtermeat, aut euehitur aut deſcendit. Hinc venit vt à ſole ſigna cũ * dierum tranſcurri diuerſitatibus videantur.

al. perratis. al. leg. puto. infimari. al. varijs.

De Planetarum orbibus.

TRanſcurſa ratio eſt ſignorum cæleſtiũ atque etiam circulorum. Nunc planetarum orbes diſſeram, quos quidem non ab erroribus ſuis. (Nam hiſdem ſolis rationibus commeantes, nihil licere patiuntur erroris.) Sed quia diuerſa varietas mortalibus caligines intentionis offundit: non planetas, ſed planontas, ſicut * Orator aſſerit, memorabo: licet eos proprijs nominibus inſignitos etiam alijs nominibus appellarint: Nam Saturnum Phænona vocant: Ionemque Phœtonta: * Pyroenta Martem: Venerem Phoſphoron: Mercurium Stilbonta nominarunt. Soli verò Lunæque deuerſitas gentium innumera vocabula ſociauit. Horum igitur ſeptem, illa eo maximè * confixis ſyderibus habenda diſtantia: quòd illa cæli tantummodo curſibus commouentur, propria ſtatione ornata: hi verò tam mundanis raptibus auferuntur, quàm proprijs curſibus commouentur. Nam quantum eos retulit diei noctisq; rotatio, tantum nituntur diuerſis compenſare temporibus, id eſt, aut menſe, vt Luna: aut anno, vt Sol: aut xxx annis, vt Saturnus: & cæteris temporibus attributis pro ſpaciorum quæ circumeunt latitudine aut breuitate. Quæ cuncta ſydera licet in ortum pergere videantur, non tamen aduerſum mundum rigido motu, ſed obliquo per zodiaci defixa moliuntur. Alioquin ex contrario partium ſuarum motu mundus ſtare non poſſet. Deniq; etiam peripateticorũ dogma contendit, non aduerſum mundum hæc ſidera promoueri, ſed celeritate mundi quam ſequi non potuerunt præteriri. Quod quidem, etiam vt verum ſit, meis non poterit rationibus obuiari. Siue enim Saturnus nimia cũ mundo celeritate concertans vix exiguis curſibus ſuperatur: ac luna, quod tardius incedat intra trigeſimum diem à mundi parte eadem præteritur. Siue contra mundum nitentibus ideo celerior, quia breuiore ambitu orbem circuit luna, tardiusq; Saturnus propter latitudinem orbis effuſi: vtrum velis, meis regulis non obſiſtit. Siquidem ſuus motus iſtorũ rationibus, diſpenſatur. Quibus tamen ſeptem ſyderibus vnus eſt communis motus, quòd omnes ortum petunt. alius quòd temporum omnes diuerſitatibus atque accidentibus variantur. Nam ex his quinq; ſydera, ſtationes, recurſusq; patiuntur. Sol verò lunaq; curſu continuo rapiuntur. Item hæc lumina vicibus obſcurantium occultãtur. Quinque verò ſidera neſciunt obumbrari. Tria item ex his cum Sole, Lunaque orbem terræ circumeunt. Venus verò ac Mercurius non ambiunt terram.

al. Aratus. al. Ionemq; Phaetonta. al. cum.

Quòd Tellus non ſit centrum omnibus planetis.

LIcet generaliter ſciendum cunctis orbibus planetarum eccentron eſſe Tellurem, hoc eſt, non tenere medium circulorum. quod mundi centron eſſe non dubium. Et illud generale ſeptem omnibus aduertendum, quod cum mundus eiuſdẽ ductus rotatione vnimoda torqueatur: planetæ quotidie tã loca quàm diuerſitates arripiant circulorum. Nam ex his nullũ ſydus ex eo loco vnde pridie ortum eſt eleuatur. Quod ſi eſt, dubium non eſt, clxxxiij circulos habere Solẽ, per quos aut ab ſolſtitio in brumam redit, aut ab eadem in ſolſtitialem lineam ſubleuatur. Per eaſdẽ quippe mutationes commeat circulorum. Sed cum ſol prædictum numerum habeat, Mars duplos circulos facit: Iouis ſtella duodecies excreſcere octies vicies cumulatus, Saturnus eos circulos, qui Paralelli etiam dicti ſunt circũcurrens: qui motus omniũ cum mundo proueniunt, & terras ortibus occaſibusq; circumeunt. Nam Venus Mercuriusq; licet ortus occaſusq; quotidianos oſtendant, tamen eorum circuli terras omnino non ambiũt: ſed circa ſolem laxiore ambitu circulantur. Deniq; circulorum ſuorum centron in Sole conſtituunt: Ita vt ſupra ipſum aliquãdo, intra plerunque propinquiores terris ferantur, à quo quidem ſigno vno & parte dimidia Venus diſparatur. Sed cum ſupra ſolem ſunt, propinquior eſt terris Mercurius: cum intra Solem, Venus: vtpote quæ orbe caſtiore diffuſioreque curuetur. Nã Luna quæ propinquior terris eſt, per quos feratur anfractus, interius, memorabo. Poſt cuius orbem alij Mercurium Veneremq;: alij ipſius circulum ſolis eſſe concertant. Deinde Martis, Iouis, ac Saturni: quos omnes vt ſuis amplitudinibus metiamur, quod non facilẽ aſtrologi voluêre, ab vno Geometriæ conceſſo, aſſertio eſt inchoanda: quod & ipſa ſuggerit in pręſenti, & ab Cratoſthene Archimedeq; perſuaſum, in circuitu terræ eſſe ccccvj millia ſtadiorum & decem ſtadia.

Quod circulus Lunæ maior ſit quàm terra, & ipſa Luna minor quàm tellus.

OB hoc ergo indubitatis rationibus approbetur, Lunæ circulum centies terra eſſe maiorem. Qui quidem circulus ipſa luna ſexcenties potior inuenitur. Quæ duo ex defectibus ſolis aſsiduis quantum vmbræ Luna ſubiecta reddiderit, & ipſius vmbræ collatione cum ipſo Lunæ corpore vera dimenſione monſtrantur. Quæ niſi moroſa ſint, quemadmodum dimenſa ſim demonſtrabo. Crebro in climate Diameroes proueniens ſolis defectus, eiuſdem ex omni parte totum obumbrauit orbem. Sed propinquo climati, Diarhodon portio

© Biblioteca Nacional de España

tio obſcurationis apparuit. In climate verò Diaboriſthenis nulla obſiſtente parte, Sol totus eluxit. Vnde quoniã clima Diarhodon quot ſtadia contineat manifeſtum eſt, reperi duodeuigeſimam partem terræ vmbram quam luna fecerat, continere. Sed quoniam maius corpus eius eſt quò umbra metaliter iacitur, quàm ipſa umbra ex climatibus, quibus pro parte Sol obſcurabatur, dextra leuaq; compertum eſt triplo maiorem eſſe ipſam Lunam umbra ſua. Ergo collectum eſt, Lunam ſexies minorem orbe terræ prædictis rationibus inueniri.

Quòd Luna minor ſit orbe ſuo.

LVna autem minor eſt orbe ſuo ſexcenties, quod clepſydris intelligi poteſt. Duobus enim vaſis æneis fuſilibus poſitis, inferius vacuum, aliud ſuperius aqua plenum pone. Ob ſerua autem Lunę ortum, & ſtellam fixam ſimul cum ea orientem. Et cum cœperit corpus Lunę ex ſuperiore parte ſupra terras apparere, cito ſuperioris vaſis aqua, videlicet plenicentrum aperi, vt ſimul cum incipiente Luna oriri, aqua fluere in vas inferius incipiat, & donec totum corpus appareat fluat. Cum autem tota ſupra terras apparuerit Luna, ſtatim primũ uas in quod aqua fluxerit ſubtrahas, & aliud apponas in qd aqua fluat, donec nocte alia renaſcatur illa ſtella, quæ in priore nocte cum Luna oriebatur; & cum illa orta fuerit, ſuperius vas vnde aqua fluxerat tollas. Deinde metire aquam quæ in ſpacio viginti quatuor horarum fluxerat ad menſuram illam primam, quæ cum corpore Lunæ prius in primum uas fluxerat. & inuenies ſexcenties aquam excreſcere, quod in Lunæ circulo fieri non dubium eſt, id eſt, ſexcenties ſuperare ſpacium corpus Lunæ. Vnde colligas circulum eius toties eſſe maiorem luna: Vides lunarem circulum centies maiorem eſſe tellure.

Quorum planetarum orbes Lunam ſupercreſcant.

QVo monſtrato alios circulos videamus. Sed quis dubitet ſolarem circulum duodecies quàm Lunæ eſſe maiorem? Cum quod illa menſe, ille duodecim currat. Martis verò circulus vicies quater potior inuenitur. Iouis centies & quadragies quater. Saturni trecenties tricies & ſexies. Vnde ſi numerus intentionibus ſupputetur, & quot ſtadia Saturni circulus habeat, & quota eius portio omnis terra ſit, inuenitur xxij ſtadiorũ quingenti quinquaginta ſex ſtad. & paſſ. xiiij. Nam ſi centies Lunæ circulus maior eſt terra. Lunæ autem circulo cccxxxvj maior Saturni: Maior eſt igitur Saturni circulus omni terra triceſies ter millies & ſex centies.

De Lunæ meatu.

NVnc iam Lunæ meatum, quæ terræ propinquior eſt, videamus, quam quidem menſtruum habere lumen phyſicorum aſſertione perſuaſum eſt. Cum quod ſit ſemper pleni orbis eſſe non dubium eſt. Nam ſi ab illa parte quæ ſubijcit Soli, omni hemiſphærio colluſtratur: etiam cum nobis trigeſima nullum lumen oſtendit, ſupernè qua Solem ſpectat pleno lumine reluceſcit. Deniq; cum diſcedens à Sole à latere eum cœperit intueri: pro parte etiam inferius lumen acquirit, donec è regione poſita ab hac parte, quæ nobis eſt viſibilis colluſtretur. Circuit enim eius globum vndique ſecus Solis nitor, & ei parti quam totam tunc aſpicit, lumẽ indulget, cuius luminis radij in terras quoque * luculentiores peruẽniunt, vt ſi quis ex ſpeculo lumine repercuſſo effigiem lucis excipiat. Quæ quidem Luna, cum eum in orientis partibus comprehenderit, obſcuratur: & cum in occaſu deſeruerit, luceſcit. Cuius primi luminis effigies quibuſdam velut cornibus circulata μηνοειδὴς dicitur. Cum verò xc partibus à Sole diſcedens orbem eius mediatenus idem radius luminarit, διάτομος perhibetur. Sed prædictis partibus cum alias xlv adiecerit, perhibetur ἀμφίκυρτος, id eſt, maior dimidia, minor plena. Cum verò clxxx partibus à Sole diſceſſerit, contrario poſita totam partem quam terris opponit illuminat, πανσέληνος perhibetur. ac dehinc deficiens ſeruat tum prædictis partibus nomina memorata. Quæ quidem xiij orbis ſui partes die noctuq; tranſcurrit, cum pro latitudine circulorũ, quos obeunt eodem inteſtitio, Mars dimidiam, Iupiter duodecimam vnius partis, Saturnus xxviij vnius portionis excurrat. Verum Luna circuit totum ſigniferum diebus xxvij & biſſe. Sed Solem xxix diebus, & media diei noctisq; parte conſequitur, quod ideo tardius prouenit, quia cum ſuũ peregerit circulũ, ex quo ſol ipſe ab eodẽ loco quo ei lumẽ dederat excurrerit, & in ſigno proximo aut etiam altero reperitur. Nã ſi in Libręę, aut Scorpij, aut Sagittarij vltima parte lumen acceperit: non eum in ſequenti ſigno, ſed in altero cõſequitur. Hæc enim tria ſigna aliquando tranſcurrit. Quemadmodum his contraria plerunq; bis inuenit. Nam quoniam ibi Sol xxx diebus, & in Geminis xxxij moratur, Luna, quæ xxix diebus & dimidia parte eum conſequitur, ibi vtiq; poterit inuenire. Verum eadem Luna aliquando xiiij diebus, aliquando xv plerunq; xvj plenum perficit lumen. Ita tamen, vt in eodem deponendo campenſet. Nam ſi xiiij die lumen impleuerit, xv diebus amittit, vt dierum ratio integra concludatur. Verum eadem Luna implet annum ſuum ccclliij diebus. Nam xij eius coitus hoc numero peraguntur. Sicq; fit, vt annus ſolaris diebus xj maior habeatur, quod intercalationum diuerſitatibus compenſatur.

al. lucubrandiores.

© Biblioteca Nacional de España

De XII. partibus latitudinis Zodiaci.

DE Latitudinis partibus, per quas Luna commeat edicamus. Nam in zodiaco xij esse latitudinis partes superius intimaui, per quas diuersis modis sydera spaciantur. Nā alia per tres partes: alia per quatuor: alia per octo: quędam per omnes xij deferūtur. Sol enim in nullam excedens partem in medio libramen to fertur absq; ipso Libræ confinio. Nam * ibi se aut in austrum aquilonemq; deflectit ad dimidium ferè momentum. Luna autem per omnes xij currens, nunc in aquilonem prouehitur, nūc in austrum deueniens infirmatur, vtrinque momentis excurrēs: Sicut Hipparchus quoq; consentit. Deniq; obliquitati eius vocabulum constructum, vt ferè ἡλικοειδὴς dicatur, ita tamen vt descendens ascendensq; ipsam solarem lineam, quam mediam inter senas vtriusq; lateris partes esse monstraui, aut acutis, aut spaciosis angulis secet: nec posit tamen ad idem, hoc est ita, vt est posita, eodem mense, eadem parte sic ad Solem reuerti eadem latitudinis portione, nisi mense ccxxxv, hoc est anno xix. Nam vt sub eadē die, atq; hisdem propinquitatibus syderum inerrantium ad idem redeat, faciunt anni lv. Vt verò etiam planetarum hisdem rationibus sub eadem specie contingat, anni magni prolixitas spectanda. Verum eadem Luna cōsecans solarē lineam in aquilone scandit, vocatur ὑψημένη. Cum ab aquilone ad solarem lineam redit dicitur, ὕψος ταπεινεμένη. Cum à solari in austrum descendit, ταπεινόμα ταπεινωμένη. Cum deinde rediens ad solem resurgit ταπεινὸς ὑπομένη. Sed idem ascensus descensusq; faciunt vtriusq; luminis obscurationem. Nam cum Luna scandens, descendensque in solarem lineam inciderit, si trigesima est (hoc est omni corpore subiecta Soli) obscurationem Solis terris facit. Suo enim corpore subter se positis obscurat alijs partibus terræ Sole, qua non tegitur relucente. Quam obscurationem * eadem non cunctis mensibus facit, quia non semper trigesima in eadem solari linea reperitur. Sed aut sursum, aut deorsum posita, ne posit obstare, transmittit.

De Defectu Lunæ.

ITem Lunæ defectus fit, cum in contrario Luna posita, hoc est, xv in eadem linea Solis umbra terræ metaliter infuscatur. Nam Sol vmbram terræ in suam lineam mittit. quam si Lunæ corpus intrarit: quoniam videre lumen Solis terra obstāte nō poterit, luminis soliti ademptione furuescit. Alias cum in superiore aut inferiore latitudinis loco fuerit, pleni luminis effigie relucescit. Denique ideo intra sextum mensem defectus, non potuerunt iterari, quia aut xv aut prima in eadem Solis linea per xij partium latitudinem spaciatur. Deinde non poterit inueniri. Vnde si ab Aquilone rediens ad Solem in latere proximo posita non obsistit παραλληλιζομένῳ σύνοδον facere perhibetur. Quæ si à latere Septentrionis transcurrens coit, & obsistit παραλληλιζομένην βορέῳ συνόδῳ memoratur. Si ab Austro veniens, nec obsistens lumen acceperit παραλληλιζομένῳ συνόδῳ νοτίῳ fecisse dicitur. Si autem ad solarem circulū veniens ab Austro obstiterit Soli ἀναβάσιν συνδέσμα fecisse dicitur. Hæc species diuersitatesq; Lunæ superę mutabilitatis varietate confunduntur.

De cursu Solis.

NAm Solem gemino diximus meare motu: quippe ab ortu aut cum mundo corripitur, aut ipse suum circulum contra mundum per obliqua distendit. Verum ex ea parte qua cum mundo voluitur, quotidie ortus sui lineam * mutat. Et quoniam omnes ductus per quos voluitur circulos appellamus: clxxxiij eosdem esse dubium non habetur. Nam siue à Cancro descendat, per eosdem vsq; ad Brumalem circulum currit: Siue à Bruma in solstitiū veniat, per ipsos denuo reuoluitur. Qui quidem secantes secundò zodiacum, contrarijs signis perpetuò lineantur. Nam primus Arietis circulus primus est Libræ. Item trigesimus Arietis trigesimus est Libræ. Item Tauri prior Scorpionis est primus. Sic igitur ccclxvj partibus fiunt clxxxiij circuli, quos omnes Parallelos appellamus: & ex contrario, vt dixi, signa hisdem partibus secant. Ergo hos circulos annuos, ccclxv. diebus, & quadrante diei peragit, siue ad solstitialem circulum tendat, siue exinde reuertatur. Illud etiam non tacendum, quòd cum duo sint hemisphæria: vnum ab æquinoctiali circulo in septentrionem, aliud in Austrum ab eodem æquinoctiali: tamen Sol diuersa vtrunq; ratione discurrit. Cum vt dixi, paria sint signa partis vtriusq;. Verum id quod ad solstitialem cōsurgit. clxxxv. diebus, & quadrante diei noctisq;: id autem quod ad Brumalem deprimitur, clxxx. diebus peragitur, quod vtiq; illa res facit, quòd eccentron Solis circulo dixi esse Tellurem. & in superiore hemisphærio altius tolli, in inferiore ad terrę confinia propinquare. Dubium autem non est citius trāscurrere breuiorem sinum, tardiusq; diffusum. Verum Sol, cum ad Cancrum ab æquinoctiali parte conscendit, æstatem præstat hominibus, quos inter solstitialem septentrionalemq; viuere dubium non habetur. Cum ab eodem Cancro in æquinoctialem Libram descenderit, Autumnum facit: Cū verò ad Brumalem lineam recedit, Hyems habetur. propterea quōd calore dimoto, torpor inuadit. Rursum cum à Capricorno hyemali in æquinoctialem Arietem surgit, vernum tempus arridet. Ex hinc denuo in Cancro Aestas torrida renouatur. Sed econtrario perferre omnia non dubitatur Antipodas: quorum Æstatem Capricornus facit, Hyemem Cancer Sol tenens æquinoctia vtrique parti temperiem.

al. vbi.

al. idem.

al. motat.

al. triente.

© Biblioteca Nacional de España

De accessu, defectuq; dierum ac noctium.

IAm illud superfluum puto noctium accessus defectusq; memorare. Cum pares pro rota sint æstiuis diebus hyemis noctes, & hyemalibus diebus noctes æstiuæ, vnaq; æquinoctialis nox quæ bis anno contingit par sit diei suo. Nam cum ab æquinoctio verno in Cancrũ Sol meat, omnes dies maiores sunt noctibus suis. Item ab autumnali æquinoctio usq; ad Brumã minores dies noctibus dilatatis.

De Climatibus octo.

MInimus autem anni dies Brumalis est, qui habet horas viij. Maximus autem Solstitialis habet horas xvj. licet hoc pro climatum rationibus varietur. Nã climata octo sunt, sed proximum solstitiali Diameroes. deinde alterum diasyenes. Tertium Dialexandrias, quod ducitur per Cyrenas in Africam Carthagini ab austro adiacentem. Quartum & medium ex omnibus Diarchodon, quod per mediam Peloponnesum Siciliamq; ductũ, ad ostium Bethis peruenit. Quintum est Diaromes per Macedoniã & alteram partem per Gallias & * Lusitaniã ad Tagum descendens. Deinde sextum per Hellespontum Traciamque, & confinem Germaniæ Galliam. Septimum Diaboristhenes per Ponticum mare, & ab altera parte Germaniam, Britaniamq; præcidens. Vltimum est vltra Męotis paludes, & infra Riphæos montes.

al. Lusitaniã attingens.

De æquinoctialibus diebus secundum Climata.

ERgo secundum Climata dies dicantur. Diameroes maximus dies habet ęquinoctiales horas xiij: minimus dies xj. Diasyenis maximus dies horas habet xiiij: minimus decem. Dialexandrias maximus hõrarum xiiij: minimus, ix. Diarhodij maximus horas xiiij. & bisse, & minimus ix. Diaromes maximus xv: minimus ix. Diahellespõtus maximus horas xv: minimus viij. & bisse. Diaboristhenes maximus horas xvj. & bisse. minimus viij. & trientẽ. Diariphæon maximus horas xvj: minimus viij. Deinde cum prope cardinem accesseris lõgior dies semper, breuiorq; nox fiet. Denique colligitur sub ipso vero cardine semper diem esse. Interea his climatibus quibus crescunt decrescuntq; luces sciendum à Bruma ita dies accrescere, vt primo mense duodecima eiusdem temporis, quod additur æstate accrescat: secundo mense sexta: tertio quarta: & quarto mense alia quarta: quinto sexta: sexto duodecima. Illud quoq; manifestũ, quod zodiacus circa Cancrũ Capricornũq; flexior æquinoctialem penè directum secat.

De Stella Mercurij.

HActenus de Sole. Nunc planetarũ cursus conuenit intueri, eorumq; præcipuê qui circa Solem peragratione mundana voluuntur. Nam Stilbon penè anni circulum ducens per octo latitudinis partes alterna incitus diuersitate discurrit. Huius Venerisq; circulos epiciclos esse superius memoraui, id est, non intra ambitũ proprium rotunditatem telluris includere: sed de latere quodammodo circunduci. Qui vt oriri subinde occidereq; videantur, mundani motus raptibus inuoluuntur. Sed idem Stilbon licet Solem ex diuersis circulis comitetur: ab eo tamen nunquàm vltra xxxij partes poterit aberrare, nec duobus signis absistere: nunc præteriens, nunc consistens, aut certè regrediens, qui quidem diuersis schematibus variatur. Nam licet exiguo, paruiq; temporis faciat, tamen & ortus facit & occasus. Quippe vbi radijs solaribus conditione partium liberatus, ante emergentis splendorem Iubaris vibrabundus apparet, vltra terrarum orizontẽ subleuatus. Nam à Chronico ortu hic nunquàm poterit eleuari. Quippe in diametro Solis posse positis euenire syderibus diametrum in signo septimo perhibetur: ita fit, vt iste qui vltra signum & alteram exiguã portionem sequentis abesse non poterit, non illic contingat ortu à Chronico subleuari. Denique nec contrarium eidem nouit occasum, vel ortum: Sed ortum itidem vespertinum facit, cum post occasum Solis luminis sui libertate clarescit. Item occasus duos habet: vnum cum ante Solem parere solitus claritate radij superuenientis occulitur: alium cum itidem retrogradatione sui viciniæ Solis admotus idem patitur in occasu. Ab eo quippe Solis lumine intra xx momenta abesse non poterit, licet maioribus partibus aberrarit, qui vltra secundum signum non poterit inueniri. Et has tamen obscurationes, ortusq; perspicuos quarto quoq; mense, nec id tamen semper offendit.

De Stella Veneris.

AT Venus, quæ ab alijs Phosphoros nominatur, à Pythagora Samio cum suis ostensa est terris ratiõibus perueſtigata. Et ipsa circa anni confinium habere circulum propriũ perdocetur, Nam ccc diebus & aliquot, latitudinis verò partibus xij, Lunæ similis peruagatur, quinquaginta momentis à Solis orbe discedens, licet plus à xlvj partibus aberrare non ualeat. Et tamen in suo posita circulo eum varia diuersitate circundat, quia aliquando eum transcurrit, aliquando subsequitur, nec comprehendit: aliquando superfertur, nonnunquàm subiacet. quippe quæ non annis omnibus reuocet cursum. Tunc etiam retrograditur, vltra anni circulum tardior collustrat orbem. Cum autem directo cursu meat, etiam vndecimo mense circulum complet. Nunc faciens ortum, vt in Luciferum: nunc post occasum Solis effulgens. Vesper vel vesperugo nominatur. Sola de quinque syderibus vmbram reddit, vt Luna: solaque fulgori Solis emergentis diu conspecta non ce-

© Biblioteca Nacional de España

dit. Quæ quidem in ortu matutino plerunque quatuor mensibus immoratur: in vespertino uerò nunquàm plus viginti diebus. Verum tam visus eius quàm occultationes xix. mensibus restaurantur.

De Stella Martis.

NAm Pyrois siue Martium sydus vltra Solem means proprium etiam ipse circum telluris eccẽtron meat annis prope duobus in latitudine quinq; partes excurrit. Cui licet cum duobus superpositis ortus, occasus, stationesq;, ac reditus videantur esse communes, tamen & altitudinem propriam, & stationẽ primam, & absidem suam exceptam cæteris nouit. Nam eius altitudo, id est, vbi se eius circulus à terra altius tollit, sub signi Leonis regione consurgit. Statio verò specialis eius prima. Nam vtpote Soli coniunctus de proximo etiam inquadratura eius positus radios sentit. Quippe in nonagesima parte ex vtroq; eius latere remoratur, Absidem etiam habet, recessumq; sublimem in Capricorni confinio, hoc est, sub eius vigesima nona parte.

De Stella Iouis.

STella verò Iouis salutaris ad omnia, vtpote superior duodecim annis longitudinẽ propriæ circumactionis excurrit. Per latitudinem verò quinque partium spaciatur. Altitudo eius circuli in Virgine reperitur. Absis verò in Cancri decimaquinta portione. qui ascensus descensusq; eccentron esse terram ipsum quoque criculum contestantur.

De Stella Saturni.

PHænonis autem, hoc est, Saturni prealtius omnibus sydus modico minus annis triginta circulum suũ per lõgitudinẽ circumcurrit. In latitudine verò tribus tantũ aut etiam duabus partib. peruagatur. Altitudo quidẽ eius circuli in Scorpionis signo grandescit: Verum absis ipsius in Libræ vigesima portione ortus tãei quàm duabus inferioribus sunt similes, eum vltra partes duodecim eois matutini radius nõ præcesserit Solis. Tunc quippe matutinum ortum facere perhibentur: occasum autem cum Sole dimerso remotæ tot partibus poterunt apparere. Est & alius ortus, qui χεριίκος perhibetur: cum Sole intra orizontem demergente de Orientis facie clarum planetæ nascentis sydus emergit. Occultationes verò eorum fiunt, cum radio cõsequente proprij luminis vibratũ amittunt. Deniq; à partibus cxx, matutinas stationes efficiunt. Moxq; in contrario in clxxx. partibus exortus faciunt vespertinos. Itemq; in alio latere in cxx partibus vicinantes stationes faciunt vespertinas, quas etiã secundas dicunt, qui superiores primas esse dixerunt. Consecutus autem radius intra duodecim partes, eas opprimit & occultat. Sed cursus diuersitates altitudinisq; causas consistendi, retrogradiendiq;, atq; incedendi omnibus supradictis importat radius Solis affulgens, qui eas percutiẽs, aut in sublime tollit, aut in profundum deprimit, aut in latitudinem declinare, aut retrogradare facit.

MARTIANI CAPELLAE DE MVSICA,

LIBER IX.

IAm facibus lassos spectans marcentibus igne
Instaurare iubet tunc hymenæa Venus.
Quis modus, inquit, erit? quo nã solertia fine
Impedient thalamos ludere gymnasia?
Diriguit comis blandisq; assueta voluptas
Et noster pallens contrahit ora puer.
Ipsa etiam fulcris redimicula nectere sueta
Flora decens trina anxia cum charite est.
Nec melicum recinens modulatur tibia carmen,
Nec dulcis temptat psallere Melpomene,
Omnia quæ tenero moris feruescere ludo
In cumulo doctæ vocis honore tacent:
*Nec suada illecebris * sponsalia pectora mulcet,* al. sponsalia.
Nec stimula incenso allicit aculeo.
Quin etiam interulos gaudens dissoluere nexus:
Blandificaq; libens stringere corda face:
*Nictantes oculos reprimit stupefacta * vapore,* al. pauori.
Nec perferre valet gorgonos ora trucis.
Si erudita placent certe sponsalia diui
Saltem docta ferat carmina Calliope.
Nam simul oblectans vocis modulamine mentes
Tedia dulcisonis auferet illa tonis.
Quippe est scruposis, fateor, lassata puellis
Insuetis lædor ma stificata modis.
*Pronuba sic volupe est * hæc seria carpere luno* al. nec.
Nec cura astriferi te stimulat thalami.
Ast ego succubui, lepidisq; assueta choreis
Non valeo tristes cernere Cecropidas.

ET cum dicto resupina paululùm reclinisque pone consistens sese permisit amplexibus Voluptatis. Cuius verbis assertionique ruricolæ omnes, cunctique fluctigenæ, quàm plures etiam astriluci assensere diui: præsertimque Lemnius mulciber fabrilium

© Biblioteca Nacional de España

fabrilium tantum operum sollers maritus prom ptiore attestatiõe collaudat. Tunc deniq; quod decenter innixa, atq; ipsa relabentem lassitudo decuerat: Mars eminus conspicatus tenere cum admirationis obtutu languidiore fractior voce laudauit, profundaq; visus est traxisse suspiria. Nec Bromius in fauoris gratiã dispar fuit. Quin etiam ipsam Athlantidem tam flammatæ cupiditatis cura concussit, vt omittere vellet quę circa sponsalem cœtum ornatiora disposuit. Tanti quippe visum nunquàm Veneri displicere. Verum superum pater licet insinuatione Germanæ vt properaret admonitus: tamen nequid nuptialibus derogaret ornatibus, aut tantæ eruditionis examen delitiosa festinatione conuelleret, qui probãdarum numerus superesset, nihil afferens festinationis exquirit. Cui Delius Medicinam suggerit, Architectonicamque in præparatis assistere. Sed quoniam his mortaliũ rerum cura terrenorumq; sollertia est, nec cum æthere quicquàm habent superisq; confine: nõ incongruè, * ac si fastidio respuuntur, in Senatu cælico reticebunt: ab ipsa deinceps Virgine explorandæ discussus. Vna verò, quæ potissima Cæli siderumq; dilectior est, examinis huius tam fauore quàm voluptate disquiritur, tuisq; conspectibus non poterit sine scelere viduari. Sed illud præcunctis intimatũ velim: quod dotis offerendæ cumulandæq; reciproco, alias adiuexit Virginis mater puellas, quas opulentis * collocatas muneribus examine isto explorare constituit. Hæ igitur modo dispares numero, nec disgregę venustate eruditionis etiam dignitate paucis astantium conferendæ, in penetralibus quoq; virginis secretisque sanctionibus alumnatæ, quóne odio, quibusq; delicijs, ac prorsus enerui mollitudine syderalis curiæ transeantur, Iouialis vigoris maiestate percẽsæ? Hic Tritonida: At quin ait Virgines, quas Phronesis educauit, superum incessabiliter pectorum arcana tenuerunt. nec quisquam fuit vestrum, qui non illis voluntatis abditæ interpretamenta commiserit. Denique ex his quamplures antistitiam professæ diuũm, ac ni per illas in terris sanctis * libare numinibus, certè litare penitus abnegatum. Verum transactæ Virgines eruditionis castæ præstitere miracula. Hæ familiaritatis vestræ præferunt documenta. Nam inter diuina humanaque disidia, solæ semper interiunxere colloquia. Has igitur ingressas agnoscetis probabitisq; diui. Quæ dum Delius, Pallasque differerent earum disquisita vocabula: tunc Phœbus Genethliace inquit, * propior astabit. Quæ rationis æthereæ conscia pensa Lachesis adopertè, atq; instantium sæculorum gerenda denunciat. Deinde Symbolice, quæ varietatibus ominatis ventura componens, auspiciorum prouentus pensat viribus futurorum. * Thnetice tertia est, per quam tripos illa ventura denunciat, atq; omnis eminuit nostra Cortina. Denique in argumentum præscientiæ mihi coruus alludit. Cygnus etiam sociatur, vt diei noctisq; prouentus nos auibus præsentire color temporum pluma testetur. Ipsaq; tripos trini cursus præsagia pollicetur, hoc est Extantis, Instantis, & Rapti. Demũ Trigarium supplicantis semper germanitatis adueniat, quòd nostra vulgo suffragia pollicendo incertos mortalium sensus primum in spem opis superæ proritauit, præsidijsq; indagam incultam fecit procedere nationem. Hanc igitur siue trigeminam fœminam, siue tres in vnius nominis vocabulum conspirantes, quis in cœlum venientes inexaminatas attemptet explodere? cum per eas in terras nos certum sit demeare. Posthas verò astabit decens illa sydereis fulguransq; luminibus, quæ epistolaris tua, & dicta est & probata. Huic semper pater tuas assereris credidisse manubias ac trisulcæ lucis commisisse fulgorem, quæ vias, vestigia, aduentum, exitusq; igniuagę denunciationis agnoscit. Huic igitur fœminæ colloquium denegamus? per quam edictorum tuorum admonitus mortalibus innotescunt. Cur igitur pater optime remoraris & intromittere eas alacer & probare?

Postquàm hæc Latoius dixit, Iupiter Harmoniem venire, quam suggestum est, Mercurialium solam superesse præcepit: tuncq; alias in ordinem continuari. Hic Luna iam gemina emensi diei portione commonita, ingressuram, inquit, mox fœminam possum explorare vobiscum. Cæterùm propinquante vespera confinijsq; noctis consequentibus tempora impartire non possum. Quippe plaustrum mihi, Taurusq;, ac mundanæ discursionis itiner subeundum, nec ceterarum me auscultare commentis stelligeri raptus meta permittit. Et fateor, vellẽ, si quam * examinationem Virginum prorogaret auctoritas, ipsa quoq; tam præcluis eruditionis asserta cognoscere: præsertimq; cum perendinatio rationabiliter expectatur, ne lassata cognoscentis curæ fatigatione fastidia omnem doctæ intimationis excursum grauatæ laboribus intentionis excludãt. Et illa expectendæ cognitionis approbandæq; subtilitatis in odium noscendorum obtusa multiplici prolixitate vertatur. Aequius igitur duco ampliandam discussionem tantum in ardentem sitim aurium * inuidarum. Quæ cum Luna differeret, omnes certatim assensere diui. Dehincq; vtrum repensatrix data, diesque conferendæ dotis prorogari iure publico possit, inquiritur. Quo dicto, Arcanus ille prisci iuris assertor magna nepotũ obsecratione cõsulitur, responditq; regulariter etiã matrimonio copulato dotẽ * dicere, Fœminam viro nullis legibus prohiberi. At tunc Iupiter periti patris eruditiõe cõmotus, Habeo inquit, mea pignora gratulãdum, quod fas asserit, quicquid vos velle cognoui. Neq; enim fastuosa rigidus elatione defugiam, aut vestrum crebrius accelebrare cõsilium, aut doctarũ virginum examinare sollertiã desidis ignauię dissimulatiõe piguerit, præsertim cũ terris indecenter expulsas solis oporteat adhærere syderibus. Nũc igitur pręcel

al. quasi.

al. collocatu ra.

al. librares.

al. prior astabat.

al. forte, Oeo nistice sine διωνυστικῆ.

al. examinatione virginem prorogauit.

al. vinidarũ.

al. ducere.

© Biblioteca Nacional de España

lentissimam fœminarũ Harmoniam, quæ Mercurialium sola superest, audiamus. Hæc quippe est quæ superum curas præ cunctis poterit permulcere, æthera cantibus numerisq; lætificans, & nostra tantummodo cupit celebrare palacia, exosa terrigenæ stoliditatis ignauiam: quã melicorũ indocilis auget sine fine mortalitas. Denique iam pridem homines dirutaq; gymnasia abscedens orbe terrisq; damnauit. Ac vix Cyllenide indagantis excursibus nunc comprehensa, post longæ occultationis obliuia de fuga reuocatur reduciturque latibulis. Hanc igitur repertam post sæcula numerosa, & tandem in vsum melicum carmenq; reuocatam tam volupe est, quàm * conducit audire. Cæteræ verò erudi tionis doctissimæ; sacræq; Germanæ cum renouata lux fuerit, intromissæ intentionis curę examine probabunrur.

al. condecet.

His orsis Iouialibus Phœbus admonitus Virginem sibi porsus accõmodam admissurus egreditur. Verum Paphia remeantis filiæ gratulatione concussa, annuit puero præcinere nuptiale carmen. Itaq; Hymenæus alacri tandem vigore luminatus, nec ipsa iam renuente Tritonide, sic cœpit.

Aurea flammigerum cum Luna subegerit orbem
Rosis iugabo lilia.
Virgo deusq; sacro sociabunt fœdera lecto,
Fulcris parate cinnama.
Hesperus intactam seruet licet vsq; puellam
Nuptam videbis Phosphore.
Nec matris lachrymæ, præsti nec viribus vngues
Nexiis valebunt rumpere.
Ne thalamos metuas, eris hoc quod Iuno tonanti est,
Quæ nunc sorore dulcior,
Si placuit docti Sollertia sacra mariti
Magis placebunt oscula.
Aurora exoriens roseis spectabit ocellis
Floris resecti præmia.
Ipse ego psallentem speculabor luce puellam
Sese occulentem visibus.
Conscia iam Veneris noua serta parate Napææ,
Crocumq; lecto spargite.
Inq; thorum violas certatim fundite conchis
Puluinar almum comite.
Crinale spicum pharetris deprome Cupido
Libens capillum soluere
Flammea virgineum, quæ obnubere sueta pudorem
Regina deme pronuba.
Te blandum teneri, quæ conscia sola doloris
Venus decens solabitur:
Quæ nunc dura nouo nescis committere amori
Parauit illa pectora.
Tu modo quæ mando oculos delecta decoros
Reconde mentis intimo.
Doctiloquum charis iuuenem complexa lacertis
Fœcunda redde pignora.

HIs Hymenęo diutius velut fescẽnina quadam licentia personante geminanteque, crebrius placuisse ratus maxima circunstantium multitudo Tritonidem Dionemq; comitata digrẽditur, & ad nos reductę tandẽ Virginis studio properãter concurritur. Verũ tam puellarũ, quæ deas dominæ cõsecutæ ponè fortè cõstiterant, quàm Heroum populus qui iussus aduenerat properabat. Illæ vt psallendi materiem discerent: hi vt sacri vultus memoriã recenserent. Nec mora, & ecce quædam suauitas * intemptata, aulicæq; dulcedinis cantus insonuit, ac melodię vltra cuncta rerum oblectamina recinentes, auditum mirantium cõpleuere diuũm. Non enim simplex quidam & vnius materiæ tinnitibus modulatus, sed omnium organicarum vocũ consociata permixtio quandam plenitudinem cuncticinæ voluptatis admisit. Quo canore diutius circumstantiũ pectora deorumq; mulcente, illæ egressorum pauloante turbæ aduentũ Virginis præeuntes, ac tanti comitatus præambulare visuntur: Sed non cassæ dulcedinis, nec sine aliquo sonori modulaminis * argumento aut opere reuertuntur. Nam Eratine Cypridis filia, & Himeros Cupidinis assecutor, Item Terpsis è famulitio Dione cõcinentes gratissimè intrauere primum: sed puer monaliter sonabat. Post hos psallentes Pitho Voluptas & Gratiæ admixtis lyræ vocibus, atque ipsæ harmonicis dissultantes motibus aduenere dextra leuaq;. Interea præcedebat numerus Heroum crinitorumque sapientum, qui omnes modulatione quidem leni paruaq; voce qualibet dulcedine murmurãtes. Sed alij laudes deorum, hymnosq; quàm plurimi: alij musicos tonos quos modo compererant retexebant. Verũ per medium quidã agrestes canoriq; Semidei, quorũ hircipedẽ, Pandura, Syluanũ harundinis enodis fistula sibilatrix, rurestris Faunum tibia decuerunt. Verũ sequens Heroum præclui enituit admiratione conuentus. Nam Orpheus, Amphion, Arionq; doctissimi aurata omnes testudine consonantes flexanimum pariter edidere concentum.

al. interiecta.

al. augmẽto.

Nam Trax quo duri rumpere regna Erebi,
Quoq; suam meruit immemor Euridicen,
Quo cantu stupidæ tygridis ira ruit,
Quo fertur rabidas perdomuisse feras,
Quo vidit rigidas glandibus ire comas,
Ismaros & syluas currere monte suas
Carmine quo Strymon continuit latices,
Et Tanais versis sæpe reflatus aquis:
Quo impune accubuit rictibus agna lupi,
Et lepus immiti contulit ora cani:
Hoc nunc permulsit insonuitq; melo,
Accumulansq; magis carmina sacra Ioui.
Amphion rigido in corpore mentis iter:
Quoq; dedit montes sumere posse animas,
Quo sensus duris cautibus inseruit,
Et docuit rupes carmina velle sequi.
Nam muros Thebis dulcisonis fidibus
Præsidiumq; dedit carminis arbitrio.
Sed nec Arionam marmora surda chelin
Tempsere, extremam cum flagitaret opem:
Et licet indomiti dira procella nothi

Spumea

© Biblioteca Nacional de España

Spumea scyllæi verreret ima maris
Delphinas totis sollicitauit aquis,
Et in melicos cantus bellua grata tu'.
O verè † antistans numina magna deûm: *al. efflans.*
Quæ istorum laudes protulit Harmonia:
Quæ domitat Erebum, marmora, saxa, feras
Hæc potuit rupes sensificare tonis.

Post hos honoratior fontigenarum Virginum chorus pegaseæ vocis nectare diffluebat, qui Phrygij cuiusdam pubidæ cicutis geminatis interstinctus, omnes præcedentium suauitatum dulcedines anteibat. Tandem inter Phœbum Pallademq; media Harmonia sublimis ingreditur. Cuius sonorum caput auri coruscantis bracteis comebatur. Cæso etiam tenua toque metallo rigens vestis, & omnibus ad motum gressumque rata congruentia temperatum, blandis leniter crepitaculis tinniebat. Cuius incessum mater Paphia, vt eam contigue sequebatur, licet pulchris rosea numeris ac libratis passibus moueretur: vix tamen poterat imitari. Dextra autem quoddã gyris multiplicibus circulatum, & miris ductibus intertextum velut clypeum gestitabat, quod quidem suis inuicem complexionibus modulatum ex illis fidibus circulatis, omnium modorum concinentiam personabat. Leua autem Virginis quam plures ex auro assimilatæ paruæque effigies theatralium voluptatum religatæque pendebant. Verùm ille orbis non chelis, nec barbiton, nec tetrachordon apparebat. Sed ignota rotunditas omnium melodias transcenderat organorum. Denique mox ingressa, atque eiusdem orbis sonuere concentus, cuncta illa quæ dissona suauitas commendarat, velut mutescentia tacuerunt. Ipseque tunc Iupiter, cælestesque diui superioris melodiæ agnita granditate, quæ in honorem cuiusdam ignis arcani ac flammæ insopibilis fundebatur, reueriti intimum, patrimumque carmen paululum in veneratione extramundanæ omnes intelligentiæ surrexerunt. Tunc egersimon infabile Virgo concludens ad Iouem reuersa, alijs modulis numerisq; voce etiam associata sic cœpit.

Te nunc astrisonum carmine Iupiter:
Quo gemmata poli voluere sidera
Sueuit lege rata sacra recursio,
Præfandum veneror. quippe potissimus
Nectis sceptrifero sub diademate
Omnigenumq; genitor regna mouens deûm
Mundum perpetuo dum rotat ambitu
Mens: quam sydereo † sufficis impete: *al. subiacis.*
Te nam flammigeri semina fomitis
Spargentem referunt astra micantia:
Te foueant sacro munere lumina:
Terris purpureum dum renouant Iubar:
Testata ambrosium splendificat diem
Sic tua noctis honos lampade menstrua
Auratis creuit præmia cornibus
Sub te plaustrilucis luminat ignibus
Anguis Parrhasias disijciens feras
Sic solidi tenerum corporis ambitum
Tellus non prohibens axibus inditur:
Alternisq; regit & regitur polis.
Sic Nerea freti noscere limitem
Sicq; ignem superum lambere pabula
Vt nulli scateant dissona litibus:
Atq; ita perpes ament dissita vinclum:
Vt semper metuant fœdifragum chaos
Tu rector superum, tu pater optimus:
Complexuq; pio sidera colligans:
Natos perpetuo corpore viuidas:
† Salue: nostra cui perficitur chelis: *al. Solue:*
Bis plenum omnisona cui recinunt mela.
Iam vos verenda quæso cæli germina:
Quæ multiforme scitis cire barbiton:
Affata nostris ferte corda cantibus:
Miscilla sacræ dum feruntur curiæ
Mulcere vestrum quæ † velim consortium *al. Vellent.*
Iam vos vicissim proq; lege numinum
Post has sonabit disgregato plasmate:
Suisq; cunctos allubescentes tonis
Deducit, vrget, atq; debebit locis
Stimulosq; rursum lene permulcet melos.
Nunc igitur alma, quæ Senatum lumina
Deûm verendo culminatis vertice
Bissena quamuis vos hetrusci numina
Ritus frequentent, atq; opiment victimis
Tamen gemellis quæ refulget cursibus
Natura honoro protulit fastigio
Phœbea verò præferens vocabula
Pallas corusca ac decens Latõia.
Lunare quippe hac venit consortium
Phœtontos ardens scandet axem Delius
Nunc vos pudici nostra fratres culmina
Precabor ipsa, ne verendos contrahant
Vultus iugandisq; ferendos carmina:
Hymenq; nostrum inuebat fastidium
Psallente plectro concinentur nuptiæ:
Fidibusq; † lux fescennina † proderit. *al. luxa, id est copiosa.* *al. prodeant.*

Iam nunc blanda melos carpe Dione
Durus quippe rigor cedit amori.
Nouit nam tenerum probare carmen
Ipsum spumigenæ salum Cytheres:
Nerinaq; cheli mouet camœnam:
Dum conchis Galathæa personante:
Nantes fluctigenas chorumq; Phorci
Flagrans cura trahit, niualibusq;
Interstinctus aquis triumphat ardor.
Iam nunc blanda melos carpe Dione.
Durus quippe rigor cedit amori.
Carmen Menaliæ tulere pinus:
Percussaq; modis sonat licæis
Sollers Arcadia nemus cicuta
Pernix semiferi puella Panos.
Nam versa in calamos sonat loquaces:
Quam dum forte deus premit labellis
Suspirat velut osculis canorem.
Iam nunc blanda melos carpe Dione.
Durus quippe rigor cedit amori.
Puer ipse versiformis

© Biblioteca Nacional de España

Facibus studet cupido.
Arcusq; dulcinerues
Rosco ligans ramali
Feriato linquit arcu
Calamos parante musa
In carminis leporem
Curam negat sagittis
Tenerumq; arundinetum
Nostrum in melos reliquit.
Nunc ergo corda mulcent
Vapor & canor iugati
Placet ac decet vicissim
Cantemus atq; amemus,
Iam nunc blanda melos carpe Dione,
Durus quippe rigor cedit amori.
Prudens puella pulchræ
Mater fuit Lacenæ
Illecta sed canore
Nescit dolum cauere.
Nam candidus niuosis
Olor inuolutus alis
Argenteis minorem
Plumis videns decorem
Nec posse pupuratis.
Nimium placere ocellis
Teneros ciere cantus:
Phoetontiasq; musas
Cœpit repente ficta
Fraudem parans senecta:
Sic admouetur ori,
Roseumq; circumactæ
Rapit osculum puellæ:
Gremioq; complicatus
Precium tulit pudoris.
Iam nunc blanda melos carpe Dione
Durus quippe rigor cedit amori.
Carmen Ladmiadeum
Lucis diua secundæ
Sacris prætulit astris.
Antrum quippe secuta
Linquens culmina cæli
Pastoralibus ardens.
Palmam dedit cicutis:
al.culminis. *Pulso & + luminis auro*
Pandit septa balantum.
Sordentiq; adoperta —
Pratis gaudet amictu.
Ac tunc conscia noctu:
Pascit monte capellas
Spectans sidera mundi
Mage percrepat flagello:
Nec curate deorum
Pensa aut ferre susurros
Illex carminis ampli
Aegrum cura coegit,
Temnit noctis horrorem,
Præfert antra subulci
Rupe & dura quiescit:
Et post regna Tonantis
Stramen dulcius herba est,

Talibus Harmoniæ carminibus oblectati omnes permulsique diui: nec minor quippe ex fidibus suauitas quàm vocis modulamine resultabat. Denique qua industria comparatum, qui busue assequendum ediscendumque opibus vigili cura repromittat, vt in tam dulcem eblandi tamque molliciem intima mentium liquescat affectio, Ioue admirante disquiritur. Ac tunc Virgo, cum artis præcepta à se expeti examinãdæ eruditionis intentione conspiceret, paulum melicis temperans exhortante quoque Delio Palladeque sic cœpit.

Iàm pridem quidem exosa terrigenas & fastidiosa mortalium, cæli orbes stellantes incutio. In quibus artis præcepta edissertare prohibitũ. Cum melodiam omnisonis conuenientem pulsibus modulorum machinæ obeuntis ipsa rapiditas & concinat & agnoscat. Sed quoniam emersa terris Virgo nuptura vanescentia interca pedinatæ prolixitatis obliuia iam supero debet vigore discutere, iussa percurram: si prius ingratæ mortalitatis commoda repediata recêseam. Dum me quippe germanam gemellamque cælo illa incogitabilis + effigientiæ genuisset immensitas, fidereæ reuolutionis excursus, atque ipsa totius molis volumina comitata superos incitosque fulgores modis associans numeros non reliqui. Sed cum illa monas intellectualisque lucis prima formatio animas fontibus emanantes in terrarum habitacula rigaret, moderatrix earum iussa sum demeare. Denique numeros cogitabilium motionum, totiusque voluntatis impulsus ipsa rerum dispensans congruentiam temperabam. Quam rem debere mortalibus vniuersis Theophrastus laborauit. Pythagorei etiam docuerunt ferociã animi tibijs aut fidibus mollientes cum corporibus adhęrere nexum fœdus animarum: membris quoque latentes interserere numeros non contempsi. Hoc etiam Aristoxenus, Pythagorasque testantur. Deniq; benignitate largissima sensim ipsam notionem meæ obiectationis aperui. Nam fides apud Delphos per Deliacam citharam demonstraui: tibiæ per Tritonidam nostri comitem: Marsiamque Lydium sonuerunt. Calamos Mariandini & Aones in laudes inflauere cælestiũ. Panduram Aegyptios attemptare permisi. Ipsisque me pastoralibus fistulis, vel cantus auium, vel arborum crepitus, vel susurros fluminum imitantibus non negaui. Spaltas, chordacistas, sambucos hydraulas per totum orbem ad commodum humanæ vtilitatis inueni. Per me quippe vestrum homines illexêre succursum: irasq; inferas per me etiam sedauêre. Quid, quòd bella victoriæque vndique meis cantibus conquisitæ. Nam Cretes ad Cytharam dimicabãt. Lacedæmoni ad tibias. Nec agrediebantur fata prælionum, priusquam illis contingeret litare Musis. Quid Amazones? nónne ad calamos arma tractabant? quarum vna, quæ concipiendi studio venerat, cum Alexandrum salutaret, donata tibicine, vt magno munere gratulata discessit, Lacedæmonios in Gręcia. In Italia Sibaritas tibici-

al.efficiẽtiæ.

© Biblioteca Nacional de España

tibicines ad prælia præire quis nesciat? Tubas non solum sonipedes atque bella: sed agonas acuere certamenque membrorum, nunc quoq; compertum. Quid pacis munia, nónne nostris cantibus celebrata? Græcarum quippe vrbium multæ ad lyram leges decretaque publica recitabant. Perturbationibus animorum corporeisque morbis medicabile crebrius carmen insonui. Nam freneticos Symphonia resanaui. Quod Asclepiades quoque medicus imitatus, cum consulentibus vrbium patribus plebis inconditæ vulgus infremeret, seditiones accensas crebrior cantus inhibuit: ebrios iuuenes, perindeque improbius petulantes, Damon vnus è sectatoribus meis modulorum grauitate perdomuit, quippe tibicinem spondæum canere iubens, temulentæ perturbationis dementiam infregit. Quid afflictationibus corporeis, nónne assidua meditatione succurri? Febrem curabant, vulneraque veteres cantione. Asclepiades item tuba surdidissimis medebatur. Ad affectiones animi tibias Theophrastus adhibebat. Ischiadas quis nesciat expelli aulica suauitate? Xenocrates organicis modulis lymphaticos liberabat. Taletem Cretensem cytharæ suauitate compertum est morbos, ac pestilentiam fugauisse. Erophilus ægrorum venas rhythmorum collatione pensabat. Animalium verò sensus meis cantibus † incunctanter adduci saltem Thracius cytharista perdocuit. In quo non fabula, sed veritas gloriam procreauit. Vnde enim cerui fistulis capiuntur? Pisces in stagno Alexãdriæ crepitu detinentur. Cygnos hyperboreos cytharæ cantus adducit: Elephantes Indicos organica permulsos detineri voce compertum. Fistulis aues allici comprobatum. Infantibus crepitacula vagitus abrumpere. Fides delphinis amicitiam hominum persuasere. Quid cantibus allici disrumpique serpentes? Glandem ferunt messesque transire, manes cieri, lunamque laborare. Nónne ipsius vetustatis persuasione compertum, in Lydia nympharum insulas dici? quas etiam recentior asserentium Varro se vidisse testatur, quæ in medium stagnum à continenti procedentes cantu tibiarum primo in circulum motæ, dehinc ad littora reuertuntur. In * Attico littore mare cytharam sonat. Megaris saxum ad ictum pulsus cuiuscunque fidicinat. Possem innumera mortalibus à me collata percurrere, vt non me terras fugiendi studio reliquisse, sed ingratæ humanitatis ignauiam viderer iure damnasse. Sed iam ad artis præcepta desiliam, vt nupturę virgini promissum munus impendam.

al. si cunctantur.

al. Aeliaco.

Quid sit officium Musicæ.

ET quoniam officium meum est, bene modulandi sollertia, quæ rhythmicis & melicis astructionibus continetur: prius de melicis dissertabo. Dico quicquid ritè sonuerit, aut tonum esse, aut hemitonium, aut quartam partem toni, quæ Diesis appellatur.

Verùm Tonus est spaciũ cum legitima quantitate, qui ex duobus sonis diuersis inter se inuicem continetur.

Hemitonium dicitur, quod toni medium tenet.

Diesis verò distantiæ sunt tres. Nam prima breuior, quæ Tetartemoria nominatur, ex eo quod quartam partem toni recipiat. Enarmonios quoq; dicitur: ꝓpterea quòd Enarmonion modulandi genus per hãc maximè dimetimur. Secunda ab illa maior est: Nam Tritemoria nominatur, quoniam habet partem tertiam toni. Itemque Chromatice appellatur, quod chromaticum moduládi genus per ipsam finditur. Tertia verò habet toni tertiam partem, ac dimidiam tertiæ, & vocatur Hemiolia & harmoniæ diuisio: quoniam hemiolij modum complet.

De Tropis.

TOnus igitur idem plerunque appellatur & sonus. Verùm soni sunt per singulos quosque, ac per omnes tropos numero 18. Quorum primus dicitur apud Græcos προσλαμβανόμενος: apud Romanos verò, quia eadem voce vti summus Iuppiter statuit: idem dicitur acquisitus. Secundus ὑπάτη ὑπάτων, hoc est, principalis principalium. Tertius παραυπάτη ὑπάτων, id est, sub principalis principalium. Quartus ὑπάτων * λέξιν, id est, principalium extenta. Quintus ὑπάτη μέσων, id est, principalis mediarum. Sextus autem παραυπάτη μέσων, quod est sub principalis mediarum. Septimus μέσων * λέξιν, id est, mediarum extenta. Octauus μέση, hoc est, media. Nonus τρίτη ' Συνζευγμένων, id est, tertia coniunctarum. Decimus Συνζευγμένων λέξιν, hoc est, coniunctarum. Vndecimus νήτη Συνζευγμένων, id est, vltima coniunctarum. Duodecimus παραμέση, id est, prope mediam. Tertiusdecimus τρίτη διεζευγμένων, id est, tertia diuisarum. Quartusdecimus διεζευγμένων λέξιν, quod est diuisarum extenta. Quintusdecimus νήτη διεζευγμένων, id est, vltima diuisarum. Sextusdecimus τρίτη ὑπερβολαίων, id est, tertia excellentium. Decimusseptimus ὑπερβολαίων λέξιν, hoc est, excellentium extenta. Decimusoctauus νήτη ὑπερβολαίων, id est, vltima excellentium. Hi sunt igitur soni, qui modulationem aptè & cum ratione componunt.

al. λίχανος.

al. λίχανος.

al. Συνημμένων.

Constat autem omnis modulatio ex grauitate soni, vel acumine. Grauitas dicitur, quæ modi quadam emissione mollescit. Acumen verò, quod in aciem tenuatam gracilis & † rectæ modulationis extenditur.

al. erectæ.

De Symphonijs.

EX supradictis itaq; sonis, qui & singulis & omnib. tropis ritè cõueniunt, Symphoniæ tres, quarũ est prima διὰ τεσσάρων, q̃ Latinè appellatur ex quatuor. Et recipit sonos quatuor, spacia tria, productiones duas & dimidiam. Nam sonum, id est, tonum ꝓductionẽ vocaui.

© Biblioteca Nacional de España

Est autem hemitoniorum quinque, quæ ad productiones plenas & integras mediatenus valēt, dieseon decem. Diesis verò interpretatio est, sicut suprà dixi, quarta pars toni. Sed hæc symphonia est in epitriti ratione. Epitritús autem dicitur, qui & numerum ternarium habet, & trium tertiam, quod est vnus, vt sunt 4. ad 3.

Alia symphonia quinaria est, & dicitur ἁμπέντε, atque constat sonis quinque, qui inter se 4. spacijs diuiduntur. Productiones habet 3, mediamque præcidit, hoc est tonos tres, ac mediū. hemitonia septem, diesisque 14. atque hemiolij possidet rationem. Quæ forma & eundem numerum circa collata detinet, & eius mediū, vt sunt 3. ad duos.

Tertia ἁρμονιῶν quæ ex omnibus dicitur, 8. sonos recipit, spacia septem, productiones sex, hemitonia 12. diesis 24. atque constat ex ratione diplasia, hoc est dupli.

Tropi verò sunt 15. sed principales quinque, quibus bini cohærent, id est, Lydius, cui adhærēt ὑπερλύδιος, & ὑπολύδιος, Secundus Iastius, cui sociatur ὑποιάστιος & ὑπεριάστιος. Item Aeolius, cum ὑποαιολίῳ & ὑπεραιολίῳ. Quartus Phrygius cū duobus ὑποφρυγίῳ & ὑπερφρυγίῳ. Quintus Dorius cū ὑποδορίῳ & ὑπερδορίῳ. Verùm inter hos tropos est quædam amica concordia, qua sibi inuicem germani sunt, vt inter ὑποδόριον & ὑποφρύγιον, & item inter ὑποιάστιον & ὑπολύδιον. Item conueniens aptáque responsio inter ὑποφρύγιον & ὑποαιόλιον, qui tantum duplices copulantur. Mediæ verò grauiorum troporum, his qui acutiores sunt προσαρμοζόμενοι fiunt. Verùm tropi singuli quoque tetrachorda faciunt quina. Tetrachordum autem est affectio quædam sonorum 4. per ordinem compositorum, quorum extremi sibi debeant cōuenire. Sed hæc posterius. Nunc ad inchoamentorum ratum ordinem redeamus. Prædicta enim, ideo primo dicta sunt, vt altius tenerentur.

De tribus generibus Musicæ.

PRimo quippe cum Hypasius exorsus, harmoniacam vim mortalibus diuulgaret: tria tantùm ei genera putabantur ἐθικὸν, ἐργαστικὸν, ὑπερεργαστικὸν, quod etiam ἑρμηνευτικὸν dicitur.

Et ἠθικὸν, est quod ex perseuerantibus & similibus consonabat, id est, sono, numeris, atq; verbis. Sed quæ ex his ad melos pertinent, harmonica dicuntur: quę ad numeros, rhythmica: quę ad verba, metrica. ὑπερεργαστικὸν est quidam materiæ tractus efficiens exercitium eius: cuius itidem tres partes, id est, μελοποιία, λέξις, πλοκή. ἠθικὸν autem ad expositionem pertinere videtur. & habet partes tres, ὀργανικὸν, ᾠδικὸν, ὑποκριτικὸν, quæ inferius rerum ordo disponet. Nunc de prima voce velut de sonitus totius parente dicemus.

De Voce.

OMnis vox in duo genera diuiditur: continuum atque diuisum. Continuum est velut iuge colloquium: Diuisum, quod in modulatione seruamus. Est & medium, quod in vtroque permixtum, ac neque alterius continuū modum seruat, nec alterius frequenti diuisione pręciditur, vt pronunciandi modo carmina cuncta recitantur. Horum illa, quam in diuisas partes certasque deducimus, diastematica nominatur, & ei parti, quæ harmonica vocatur, aptanda est.

De septem partibus Harmoniæ.

QVæ quidem Harmonia habet partes disputationis septem. Primam de Sonis: secundam de Spacijs: tertiam de Diastematis: quartam de Genere: quintam de Tonis: sextam de Cōmutationibus: septima de Modulatione, quam Melopœiam vocamus. Ac prius de Sonis, vbi artis est elementum.

De Sonis.

SOnus quippe tanti apud nos loci est, quanti in Geometricis signum: in Arithmeticis singulum. Pthongos sonos dicimus. Verùm pthongus dicitur vocis modulatæ particula, vna intentione producta. Est autem intensio, quam dicimus Tasim, in qua vox persistit, ac perseuerat. Sonus pthongus, vel speciatim, vel generatim appellatur. Sed generale vocabulum habent & specialia, quæ † ἰδιότητα graia voce perhibentur. Vt si is punctus quemadmodum nobis scribendum sit cogitemus: Ita hæc virtus phthongi docet, quid vel acuminis exeramus, vel lenius remittamus. Verùm ex his alia faciūt, alia patiuntur. Faciunt intensio vel remissio. Patiuntur acumen & grauitas. Productio autem est, hoc est ἐπίτασις, vocis commotio à loco grauiore acutum locum. ἄνεσις verò contrà. Nam ab acuminis culmine in graue quiddam seriumq; descendit. Fit autem soni grauitas, cum ex intimo quidam spiritus trahitur. Acumen verò ex superficie oris emittitur. Sunt igitur innumerabiles soni, sed specialiter per singulos tropos 28. tantum poterunt conuenire, quorum nomina superius memoraui. Quorum prior est *Acquisitus*, qui ideo tali nomine nuncupatur, quoniam eorum, quæ tetrachorda nominantur, nulli omnino consentit: sed extrinseco velut acquisitus accedit propter consortium medię, cui continere consueuit: qui acquisitus vno tono, à principali principaliū separatur: quæ principalis principalium, quia prima in tetrachordo collocatur, quasi cuiusdam rectoris nomen accepit. Sub principalis denique dicitur, quæ principali subiecta coniungitur. Principalium verò ἐναρμόνιος, & χρωματικὸς, quam nos vix forsan rectè colorabilem memoramus. Et ideo hoc nomen accepit, quia inter principales colores album, tetrumq; quicquid interiacēs inuenitur, colorabilē graia significatione perhibetur. Ergo enarmonius, cromaticus, itemque diatonus, quam extentam dicimus,

al. tetra.

© Biblioteca Nacional de España

dicimus, indicia sunt generum modulādi. Multiplex quippe tetrachordorum ratio sic firmatur. Principalis autem mediarum, quia prima est medij tetrachordi, ideo id nomen accepit. Cui subnexa subprincipalis mediarum esse dicitur. Denique reliquæ tres sui similibus obediēt. Dictum verò hoc tetrachordorum mediarum, quia in medio locatum est inter principalīū tetrachordorum & tetrachordūm coniunctarū.

Post supradictas aūt quæ sequitur, media nominatur: quæ ideo media dicitur, quia tam grauis modi finis est, quàm in tropis omnibus futuri acuminis caput. atque ipsius quodāmodo vinculo tam grauis modulatio, quàm acuta connectitur, vt in Lydio modo, vbi rectum Iota mese notat. Verùm post mediam extendentem hemitonium coniunctarum erit tertia, quę in eodem modo, id est, Lydio literam pro nota habebit. Post hanc illæ, quæ à nobis superius expressæ sunt. Tres sequentur συναρμόνιος χρωματικὸς & ἀλόητος quæ & paranetē dicitur, quam Latinē penultiltimam perhibemus. Post quam vltima sociatur, quę ideo dicta est coniunctarum vltima, quia in hoc tetrachordo finem tenet. Omne autem tetrachordum cōiunctarum ideo dictum, quia mediæ ipsi quæ perfectam Symphoniām prima compleuit adiungitur, ac producēte thedia sequentem tonum: ille qui sequitur sonus παραμέσος nominatur, quod hunc satis proximū sonū adiunctæ modulationis offendat. Dehinc diuisarum tertia quæ plenum systema Diapason finit. Vnde cōiunctarum tertia perhibetur, Post hanc soni cæteri consequuntur.

Sonus verò diuisarum ideo hoc nomen accepit, quia vno & dimidio tono à medij fine diuellitur. Post hoc tetrachordum excellentium collocatur. Quod ideo excellēs nomen accepit, quia in singulis tropis in omne acumen erigitur: In singulis modulationibus fastigiatur.

Horum igitur sonorum, id est, phthongōn sunt alij, quos consistere & perseuerare necesse est: alij verò sunt vagi: denique alij παρύπυκνοι nominantur: alij μεσόπυκνοι perhibētur. Spissum verò dicitur trium sonorum compositiua quædam qualitas. παρύπυκνοι autem sunt, qui velūt regiones primas spissi retentant. μεσόπυκνοι verò qui media possidēt. ὀξύπυκνοι qui vltima tenent. ἄπυκνοι, qui impositionem sonorum trium, qui sunt spissi, nullo genere aut lege iunguntur.

Stantes autem perseuerantesq; dicuntur, vel ἄπυλοι vel βαρύπνοι qui veluti quādā speciē & formā sibi principalīū vindicabūt. Ideo autē à quibusdā Statarij nominantur, quia diuersas extēsiones recipere non possunt. Alij autem vagi & errantes habentur, quia interdum largiora, interdum minora spacia receperunt. Sed hi alij παρυπατοειδῆς, alij λιχανοειδῆς vocātur. Verùm primi ideo sic dicuntur, quòd statim prioribus subnectuntur. λιχανοειδῆς dicuntur, à digito, qui minister artis & cantus singulos mouet. Est autē primus à pollice. Hi verò alij sibi inuicem congruunt: alij discrepant & resultant. Sed illi ὁμόφωνοι quia sibi inuicem cōiunguntur. ἀλόφωνοι autem, id est, dissentientes sunt qui cum percussi fuerint, inuicem discrepant. ὁμόφωνοι qui vocis quidē aliam significationem gerunt: eundem tamē impetum seruant. Sunt autem & aliæ sonorum diuersitates. Et prima quidem per intentionē: vt aut acumine, aut grauitate dissentiat. Secunda per spaciorum perceptionem: cum vni aut pluribus coniungitur spacijs. Tertia per cōiunctionem Systematis, quod aut vnum aut plura recipit. Et quod secundum morem dicitur κατ' ἦθος. Alium quippe morem acuta significant, alium grauiora. Nunc iam de Diastematis differendū.

Quid sit Diastema.

Diastema est vocis spacium, quo acuta & grauior includitur. Sed in diastemate breuiora illa quę sunt in diesi enarmonia: maiora verò sunt, quæ per singulos tropos bis ex omnibus faciunt, quo nihil maius in tropis possumus inuenire.

Atque in spacijs alia sunt composita, alia disiuncta, atque asyntheta. Et composita sunt, quæ per ordinem currunt. In composita autem, quæ ex diuersis sibi inuicem copulantur.

Item alia logica, alia aloga memorantur. Ac rationabilia illa sunt, quorum consensus possumus præstare † rationem. Irrationabilia quibus non subest ratio.

Item alia cohibentia: alia discrepantia. Tunc- *al. proportiō nem.*
que alia Enarmonia: alia Chromatica: Alia dia- *al. forte ἀρ-*
tonica. Item alia † Archia: Alia Perissa. Sed prima *τίαι.*
æqualia, secunda excurrentia memorabo.

Verùm æqualia sunt, quæ in ęquas partes poterunt separari, vt tonus in duo hemitonia. Perissa autem, quæ in tria hemitonia discernūtur.

Deinde alia diastemata spissa. Alia rariora. Spissa sunt, quæ per diesis colliguntur. Rariora, quæ tonis. & in his alia sibi congruūt, alia discrepant. Sed discrepantium nimia multitudo. Conuenientia verò per singulos tropos sex sunt, id est. Diatessaron, quòd de 4. dicimus. Diapente, quòd de quinque. Dehinc Diapason quod ex omnibus continetur. Illud etiam, quod ex omnibus & ex 4. constat: vel ex omnib. & quinq;, vel bis ex omnibus, quod bis Diapason dicitur.

Sed illud, quod Diatessaron, hoc est ex 4. dicitur, recipit sonos 4. spacia 3. tonos 2. & semis. hemitonia 5. diesis verò decē, & est in Epitriti ratione, vt sunt 4. ad 3.

Diapente, quòd ex quinq; est sonos recipit 5. spacia 4. tonos 3. & semis: hemitonia 7. diesis bis septem. Et est in hemiolia ratione, quod 3. ad 2.

Diapason autē sonos habet 8. spacia 7. tonos 6. hemitonia duplicat. diesis quadruplicat, atq; in diplasia ratione versatur, quæ est 1. ad 2.

Quod verò ex omnib. & ex quatuor dicitur. Sonorū est 11. & spaciorū 10. tonos habet 8. & semis, hemitonia duplicat. diesisq; p̄dicta ratione multiplicat, & est in diplasi, & diametri regula, vt sunt 8. ad 3. Quod verò ex omnib. & ex quinq; cōstat, recipit sonos 12. spacia 11. tonos 9. & semis hemitonia geminātur. diesis tetraplātur. Et est in triplasia ratione, vt 4. ad 12.

© Biblioteca Nacional de España

Quod disdiapason dicitur, habet sonos quindecim, spacia bis septeua, tonos 10. ac 2. hemitonia duplicata. diesis 48. atque est in tetraplasi ratione, vt sunt 12. ad 3. Est autem tonus in Epogdoi ratione, vbique diesim in enarmonio debemus accipere, quæ est in quarta particulatione. Nunc quid sit Systema perhibendum.

Quid sit Systema.

SYstema est magnitudo vocis ex multis modis constans, quæ licet multa diuisionũ genera recipiat, tamen quia eadem in diastematis memoraui, prætereo. Sunt autem absoluta & perfecta Systemata numero octo. Et primum est, quod ab acquisito quem Græcè προσλαμβανόμενον dicimus, ad mediam, quam mesen diximus, omne conficitur. Secundum, quod à principali principalium in parameson vsque distenditur. Tertium, quod à subprincipali principalium in diuisarum tertium iungitur. Quartum, quod ab extenta principalium vsque in diuisarum diatonum profertur. Quintum, quod à principali mediarum in netem diuisarum vsque progreditur. Sextum, quod à subprincipali mediarum in tertiam excellentium trahitur. Septimum quod à mediarum extenta in excellentium diatonon exurgit. Octauum quod à media excellentium in vltimum ducitur.

De Generibus Tetrachordarum.

QVibus excursis Genera tetrachordorũ, modulandique discurram. Tetrachordos est cordarum cum certa qualitate diuisio. Genera modulandi sunt tria, ἐναρμόνιον, χρῶμα, διάτονον.

Enarmonion quidem dicitur, quod pluribus spacijs & angustioribus separatur. Diatonon verò, quod tonis copiosum. Chroma, quod de hemitonijs componitur. Sicut enim quod inter album nigrumque est, color dicitur: ita hoc χρῶμα. chroma, quia inter vtrunque est, nominatur. Enarmonion quidem, cum immutabilibus sonis cingitur, modulationi obediet in acumen per diesim & diatonon incompositum. In grauem verò sonum ecõtrariò modulatio tota sumitur. Chroma autem hoc modo melos accipit per hemitonium & hemitoniũ, & tria hemitonia, quę incomposita prouenient. In grauem verò † ex diuerso recurret. At verò Diatonum ipsis contentum sonis in acumen quidẽ ita accipiet modulationem, vt per hemitonium & tonum, & tonum modum integrum compleat. At verò grauiorem per contrarium ordinem persequetur. Sed nunc maximè diatono vtimur, sed horum alia modulamur per Agogen, alia per Plocen. Per Agogen est, cum per ordinem sonus sequitur. Ploce autẽ dicitur, cum diuersa sociamus. Exhinc in modulando, alia † Euthia dicitur, quod est recta, alia anacamptos, quod est reuertens, alia periferes, hoc est, circunstans.

al. per diuersum.

al. εὐθεῖα, ἀνάκαμπτος, περιφερής.

Euthia est, quæ à graui in acumen erigitur.

Anacamptos, quæ econtrariò deficit.

Periferes, quæ ad vtranque, aut commodatur aut seruit.

Sed cum tetrachordorum, quos quadrifidos appellamus diuisiones innumerabiles sint, sex sunt notæ: Enarmoniæ vna, Chromatis tres, quarum prima, quæ mollis ac soluta: secunda, quæ hemiolia est: tertia, quæ est diatonia. Diatonicæ duæ, vna mollis, altera robusta. Et modos quidem accipit Enarmonia à Tetartemoria, diesi, id est, toni parte quarta. In illud verò quod mollius diximus, per tritemoriam diesis copulatur. Ipsum verò Chroma Hemiolion fit ab Hemiolia diesi, eius quæ sit enarmoniæ. Sed nunc de Tonis.

De Tonis.

TOnus est spacij magnitudo qui ideo tonus dictus est, quia per hoc spacium ante omnes prima vox quæ fuerit extenditur, hoc est, de nota qualibet in notam, vt à media in Paramesen, vt est in Lydio, si à Iota directo in simma iacens signa concurrant. Verùm quia hemitonia diesisque quid vel quantę qualesue sint docui. Troporum etiam nomina numerumque monstraui: nunc de tetrachordis eloquamur. Nam singuli quinq; tropi tetrachorda quina custodiunt, sicut superius quoque notaui. Verùm horum extremos sibi aptandos esse non dubium est. Tetrachordum quippe est quatuor sonorum in ordine positorum congruens, fidaque concordia.

Sunt autem tetrachorda, principalium, mediarum, coniunctarum, separatarum, excellentium. Et primum tetrachordum, quod est grauius, incipit à principali principalium, & desinit in principalem mediarum. Verùm principaliũ & mediarum connexum, quod coniunctarum vocatur, erit tetrachordum à media in netem cõiunctarum. Atque ab his diuisum, longeque discretum, quod est quartum diuisarum à sub media in netem separatarum vsque coniungitur. Quod autem ex diuersis, coniungitur. Quod autem ex diuersis coniunctum est, in acutiorem sonum & quintum excellentium profertur. Sed de tetrachordis satis dictum. Nũc de pentachordis videamus.

De Pentachordis.

AC similiter hæc quoque & quinque esse non dubium est. Primum igitur, quod est grauius principalium esse dicimus quod incipit ab acquisito, & in principalem mediarũ terminatur. Sequens in acumen eiusmodi est. Et constat à principalium extenta in mediarum illam, quæ in Lydio Iota rectum habet. Tertium autem * coniunctarum est, quod à mediarum extenta in vltimam cõiunctarum ducitur. Quartum verò, quod per diuisionem est à media

al. cunctarũ

© Biblioteca Nacional de España

dia in tertiam diuisarum connecti solet. Quintum in acumen erigitur, atque nete excellentiũ terminatur. Hæc quæ dixi artis nostræ doctissimis approbantur. Nam non sum nescia asserere quosdam tetrachorda ab hemitonijs initia posse sortiri, quod est in modulatione diatonica sitũ: de qua superius multa dixi. Sanè notum atque intimatum velim, acquisitum in omnibus quidem alijs collocari. In his autem, quę non per sonos fiunt, in tetrachordis fieri non posse. In his enim semper ab hemitonijs principia dicuntur. In alijs autem, quæ pentachorda nominantur, nec tam modulationi subijciuntur, vt per sonos constare videantur, apponitur. Secũdum enim in his hemitonium possumus ponere. Nunc de transitu modulantium.

De Transitu vocis.

TRansitus est alienatio vocis in figuram alteram soni. Fit autem transitus modis quatuor. Per genus in enarmonio, aut in chromate, aut in diatono, vel per systema, aut à principali principalium: si fortè in subprincipalem, aut in aliud fortè systematum: aut cum de coniunctis ad diuisas transitum facimus. vel per tonum, cum à Lydio, vel in Phrygium, vel in aliũ tropum cantilena transducitur. vel per modulationem, cum ex alia specie modulandi in aliam desilimus. Vel cum à virili cantilena transitus in fœmineos modos fit. De genere modulandi consequenter edisseram.

De Modulatione.

MElopœia est habitus modulationis effectæ. Melos autem est actus acuti, aut grauioris soni. Modulatio est soni multiplicis expressio.

Melopœiæ species sunt tres Hypatoides, Mesoides, Netoides. Hypatoides est, quæ appellatur tragica, quæ per grauiores sonos constat. Mesoides, quæ dithyrambica nominatur, quæ tonos æquales mediosq; custodit. Netoides, quę & νομικὸς consueuit vocari, quę plures sonos ex vltimis recipit. Sunt etiam aliæ distãtiæ, quæ & tropica mela dicuntur. Aliæ ὁμοιολογικὰ. Sed hæc aptius pro rebus subrogantur, nec suas magis poterunt diuisiones afferre. Hæ autem species etiam tropi dicuntur. Dissentiũt autem melopœiæ ipsæ modis pluribus inter se & genere, vt alia sit enarmonios, alia chromatice, alia diatonos. Specie quoque, quia alia est hypatoides, alia mesoides, alia netoides. Tropis, vt Dorio, Lydio vel cæteris. Omnis tamen qui melos inchoat præcunctis systema debet aduertere: de hinc sonos miscere atq; componere. Hæc de septem partibus artis nostræ dixisse sufficiat. Nũc Rythmos, hoc est, numeros perstringamus, quoniam ipsam quoque nostri portionem esse non dubium est.

Quid sit Rhythmus.

RHythmus igitur est cõpositio quædam ex sensibilibus collata temporib. ad aliquem habitum ordinemq; connexa. Rursum sic diffinitur: Numerus est diuersorum modorum ordinata cõnexio, tempori pro ratione modulationis inseruiens, per id quod aut efferenda vox fuerit, aut premẽda, & qui nos à licentiá modulationis ad artem disciplinamq; constringat.

Interest tamen inter rhythmũ & rhythmyzomenon. Quippe rhythmyzomenon est materia numerorum. Numerus aũt velut quidã artifex ad species modulationis apponitur. Omnis igitur numerus triplici ratione discernitur. Visu, audituq;, vel tactu. Visu sicut sunt eá, quę motu corporis colliguntur. Auditu cum ad iudicium modulationis intendimus. Tactu verò, vt ex digitis venarũ exploramus indicia. Verùm nobis attribuitur maximè in auditu visuq;. Sed rhythmitice est ars omnis in numeris, quæ numeros quosdam proprię cõuersionis accipiat, flexusq; legitimos sortiatur.

Est quoq; distantia inter rhythmũ metrumq; non parua, sicut posterius memorabo. Sed quia visus auditusq; numero dicti sunt accedere, hi quoq; in tria itidem genera diuidẽtur: in corporis motum: in sonorum, modulandiq; rationẽ: atq; in verba, q̃ apta modis ratio colligarit, quæ cuncta sociata perfectã faciunt cantilenã. Diuiditur sanè numerus in oratione per syllabas: In modulatione per arsim & thesim: In gestu figuris determinatis schematisq; completur.

De septem generibus numerorum.

VErùm numeri genera sunt septem. Primũ de temporibus: Secundũ de enumeratione verborum, quæ in numerum cadere nõ possunt, quæ rhythmoides, id est, similia numeris iudicantur: quæq; tribus vocabulis discernũtur, hoc est, enrhythmon, rhythmoides. Tertiũ de pedibus: Quartum de eorum genere: Quintũ est, quod agogen rhythmicam nominamus, id est, quo genere numerus modiq; ducantur: Sextum de conuersionibus. Vltimum rhythmopœia, id est, quemadmodum procreatio numeri possit effingi.

Quid sit tempus Rhythmicum.

PRimum igitur tempus est, quod in morem atomi nec partes nec momẽta recisionis admittit, vt est in geometricis punctum, in Arithmeticis monas, id est, singularis quædam ac seipsa natura contenta. Sed numerus in verbis per syllabã, in modulatione per sonum aut spacium quod fuerit singulare: In gestu incipiente corporis motum quod Schema diximus, inuenitur. Atq; hoc erit breuissimum tempus, quod in secabile memoraui. Compositum verò, quod potest diuidi: & quod à primo aut duplum est, aut triplum, aut quadruplum. Eatenus enim tẽpus omne numeri profertur, atq; ei finis est qui plenæ rationis est terminus. Atq; in hoc numerus toni similis inuenitur. Vt enim ille per quatuor species, hoc est, diesis diuiditur: ita hic etiã qua-

© Biblioteca Nacional de España

ternaria temporum modulatione concluditur

De tribus temporibus numerorum.

SEd eorum temporum quæ ad numeros copulátur, alia sunt quæ enrythmica tempora nominátur: alia quæ arythmata: Tertia, quæ rythmoides perhibentur. Et enrythmica quidem sunt, quæ ratione certa ordinem seruant, vt in duplici, vel hemiolio, vel in alijs, quæ alia ratione iunguntur. Arythmata sunt, quæ sibi nulla omnino lege consentiunt, ac sine certa ratione coniuncta sunt. Rythmoides verò in alijs numerum seruant, in alijsque dispiciunt. Quorum temporum alia στρογγύλα, hoc est rotunda perhibentur. Alia παραπλεόμενα. Et rotũda sunt, quæ procliuius & facilius quàm gradus quidam, atque ordo legitimus expetit, præcipitantur. παραπλεόμενα verò, quæ amplius quàm decet moras compositæ modulationis innectunt, seq; ipsa tardiore pronunciatione suspendunt.

Quid sit pes in numeris.

SEd temporum, alia simplicia sunt, quæ podica etiam perhibentur. Pes verò est numeri prima progressio per legitimos & necessarios sonos iuncta. Cuius partes duæ sunt, arsis & thesis. Arsis est eleuatio. Thesis depositio vocis ac remissio.

Sed pedum differentiæ sunt septem, per magnitudinem cum alios simplices, alios multiplices pedes ponimus. Et simplices quidem, vt est Pyrrhichius. Compositi verò, vt sunt pæones, vel eorum pares. Et simplices quidem dicũtur, qui temporibus diuiduntur. Compositi autem, qui in pedes etiam resoluunltur. Alios verò Alogos, hoc est, irrationabiles nominámus, quorũque ratio nulla præstatur: sed incondita quædã compositio profertur.

Alia deinde differentia est, quæ per diuisionem quæritur qualis existit, hoc est, ποία, cum variè & multipliciter ea quæ connexa fuerint diuiduntur. Atq; illa, qua simplices pedes esse multiplices nominamus. Alia est, quæ per diuisionẽ fieri consueuit. Septima, quæ per oppositum fit, id est, cum duobus pedibus acceptis, vnus habet prolixius tempus, quod præcedit ex ordine: illud autẽ tempus quod insequitur, angustius: vel cum per contrarium ordinem tempora prædicta vertuntur.

De tribus rythmicis generibus.

RYthmica verò genera sunt tria, quæ alia Dactylica, Iambica, Pæonica nominantur: alia æqualia, alia hemiolia duplicia. Denique etiam epitritus sociatur. Etenim vnus semper cum sibi fuerit aptatus, vt æqualis conuenit. Tria verò ad duo numerus hemiolius est. Duplex verò qui fuerit ad singularem, geminam rationem tam syllabarum quàm temporum seruat. Quatuor verò ad tria. epitriti modum faciunt. Sed quæ æqualia diximus, eadem dactylica esse dicimus. Deniq; in dactylico genere signa æqualia sibi iure nectuntur: Verùm ad alterum, vel ad numerum geminum duo velut fortè æqualitas numerosa decurret. Sequitur Iambicum genus, quod diplasium superius expressi. In quo pedum signa duplicem rationem ad inuicem seruant, siue vnius ad duo, siue ad quatuor gemini, vel quicquid ad duplum currit. Hemiolium sanè, quod pæonicum memoratur, tunc est cum pedum signa hemiolij rationem iusque sectantur, vt ad duo tria sunt. Accidit autem etiam in Epitriti rationem sæpe numerus, cum pes in eo accipitur, qui sit ad tria quatuor. Sed iam ad ordinem recurramus.

De æquali duplo, hemiolio, & epitrito genere.

AEquale est igitur numeri genus, quod à disemo vsque in sedecim pedes procedit. Disemus autem appellatur pes, qui per arsim & thesim primus constare dicitur, vt est *leo*. Duplum verò incipit à trisemo: decem & octo autem syllabas in finem vsque deducet. Hemiolium sanè ab Pentasemo ducit exordium: Impletur autem in quindecim numeris. Epitritus ab Eptasemo principium facit quatuordecim similibus idem ponens, cuius difficilis est vsus. Atque hos quidem omnes numerorum ordines ideo numerauimus, vt singulorum leges per vniuersa seruentur.

Sed numerorum alij sunt compositi, alij incompositi, alij permixti. Et compositi è duobus generibus vel pluribus cohæserunt. Incompositi, qui vno pedum genere consistunt, vt sunt tetrasemi. Mixti verò, qui aliquando in pedes, aliquando in numero accipere debemus. At verò eorum qui compositi esse dicuntur, alij per copulas, alij verò per periodum colligantur. Etenim Ζυζυγία, id est, copula duorum pedum in vnum est ascripta connexio, qui in dissimiles sibi positi esse videntur. Periodus sanè est pedum compositio plurimorum: quiq; dissimiles sibi impares sociantur,

Dissimilitudinum sanè differentiæ tres erunt, per magnitudinem, per genus, per oppositionem. Per magnitudinem, cum ex disemo vel tetrasemo componitur numerus. Per genus, cum diplasium aut hemiolium simul iungimus, vel quod ex pluribus æqualiter copulatur. Per oppositionem, id est, antithesim, cum aut primos dissemos ponimus, aut in sequentibus longè prioribus: aut tetrasemos disemis in sequentibus applicamus. Verùm notum esse conueniet, vnum etiam pedem posse sufficere ad complendam periodon: si solus cæteris inæqualis inseritur.

De Dactylico genere.

SEd eorum quæ in pedem recidunt, Dactylicum genus primũ est, in quo genere pedes incõpositi vocabũtur: q̃ numeri sunt qnq;, id est,

© Biblioteca Nacional de España

id est, Proceleumaticus, Anapæstus, Spondæus simplex, & Spondæus maior. Ac proceleumaticus quidē est, qui & positionē breuem, & elationem breuē retinet. Vtetur aūt hic idem Tetrasemo frequētius: Namq; & Disemus huius: id est, qui duobus temporib. impletur, Proceleumaticus quidē, sed breuior nominatur. Ille verò maior est, qui ex quatuor breuibus efficitur. At verò breuior, id est, Disemus Syneches vocatur, qa ipsa assiduitas & frequentia comprehendentis se inuicem syllabæ, nec magnitudinē aliquā nec modum diuisæ potestatis extendit, ideoq; eo ratio vti decet, nec assiduitas breuis syllabę carmē ipsum, quod cum dignitate aliqua proferri oportet, incidat. In permixtione verò aliorum pedū qui longiores ponuntur, decenter aptatur, vt illorum prolixā moram interueniente sua celeritate cōpenset. Quare Proceleumaticus, qui ad numeros aptatur, quadrisemo exordium debet accipere. Anapęstus, qui vocatur minor, accipiet elationem pedis vnius temporis: positionē verò duorū tēporū faciet. Monochronon quippe dicitur tempus etiā cum longa ponitur, quæ longa duo tempora recipere cōsueuit. Vel cum tria tempora simul breuia collocantur: vel cum sunt quatuor numero: quæ omnia ad cōparationem longæ syllabę cōputantur. Igitur maior Anapęstus elationem quidē suscipiet, quæ Monochronos esse dicatur. Positionē Dichronon habere mōstratur. Quare vtriusq; temporis, quod in positione fuerit æquali sibi posito oportet elationis geminū tempus accipere: ita tñ vt vtroq; insequenti tēpore par priori esse videatur. Quare anapęstus ἀπὸ μείζονος dactylicus à nobis esse dicitur. At verò anapęstus, qui ἀπ' ἐλάσσονος nominatur, ex duabus breuib. quę in elatione sint, & ex vna q̄ in positione sit, copulatur. Simplex verò spondæus erit, qui ex ductа tam arsi quā thesi iungitur. Maior verò dicitur, qui quaternariā nō solum elationē sed positionē etiā videtur admittere. Per copulā verò duplices accedunt numeri. Quoniā alter ex maiore erit ionico, alter ex minore. Atq; ille, qui ex maiore procedit, constabit ex spondæo simplici, vel proceleumatico, quem disemū esse non dubiū est. Qui verò ex minore est, contrariū facit. Atq; hi quidem in dactylico genere ponentur, rhythmi incōpositi, ac cōpositi, qui septem numero oēs erunt. Dactylus igitur est dictus, quia ordinē syllabarū cō similem digito hominis informat. Anapęstus verò quia p ordinem redeat sursum. Pyrrhichius verò, id est, proceleumaticus, quia hic assiduus, vel in certamine vel in ludo quodā puerili. Spōdæus, quia plerunq; † inseruit. Ionicus sanè propter numerorū inæqualem sonum: habet enim duas longas, duasq; correptas, quo pedum carmine multi sæpe reprehensi sunt.

al. forsè adiuendum est, sacris.

De Iambicis metris.

HÆc de Dactylis satis. Nūc Iambica memoremus: in quo genere numeri incompositi † erāt quatuor: compositi per copulam duo: at verò per periodū sunt duodecim. Qui igitur incōpositi erunt, isti sunt. Iambus ex dimidia elatione, & positione, quæ gemina est. Trochæus ex duplici positione, & elatione, quæ breuis est. † Orchius qui ex tetrasemi elatione, id est, arsi, & octasemi positione constabit: ita vt duodecim tempora hic pes recepisse videatur. Atq; habet propinquitatem quandā cum Iambico pede. Quatuor enim primis temporibus ad Iambum consonat, reliquis octo temporib. adiunctis. Dehinc Trochæus, qui Semanticus dicitur, id est, qui è contrario octo primis positionibus constet: reliquis in elationem quatuor breuibus artetur. Compositi sanè sunt, qui per copulas colligūtur. Sunt autē hi Bacchius qui ex trochæo deducit auspicium: fine autem Iambici terminatur. Qui verò Bacchius est, ab Iambo principia sortitur. Atq; à contrario his, quos diximus, pedibus aptabitur. Per periodum verò est, quod velut per se certam viam prouenit. In hoc genere cū sint duodecim numero, quatuor quidē per singulas periodos accipere docetur: vnum Iambum ac tres trochæos. Ac de ijsdem quatuor primum quidem, quòd Iambum habere monstratur: Trochæus Iambo denominatur. Qui verò rhythmus secundū Iambum recipiet à Bacchio, trochæo vocabitur. Qui verò Iambū tertium recipit, Bacchius à trochæo poterit nominari. Ille verò, qui quartum admittit Iambū, appellatur Epitritus iambus. Eorum verò, qui ex vno trochæo fit, etiam Iambus à trochæo appellatur. Secundus Iambus à Bacchio dicitur, aut certè Bacchius medius poterit nominari. Qui verò tertium recipit, Bacchius ab Iambo. Qui verò quartum recipit trochæum, epitritus trochæus appellatur. Octo verò & quatuor de his, quos duodecim diximus, per periodum illi esse dicuntur, qui binos trochæos atq; Iambos per Pyrrhichium seruant. Atq; ille septimus qui trochęos primos recipit, duplex Bacchius à trochęo esse dicitur. Qui verò secundos Iambos habebit, duplex Bacchius ab Iambo esse dicetur. Cum autem trochęi medij collocātur, trochęus medius iure dicetur. Cum autem in medio Iambi, medius Iambus vocatur. Omnes vel qui incompositi per periodon, vel qui per copulā colligantur, rhythmi decem & octo numerati sunt.

al. errant.

al. forsè ἀφ-τιος.

Sed Iambus dictus est ab eo, quod ἰαμβίζειν. Græci detrahere dixerunt. Et hoc carmine, quibusq; veteres detrahebant. Item hoc nomen est ab eo, quòd venenum maledicti aut liuoris infundat.

Trochæus verò ab eo dictus, quòd celerem reuersionem faciat veluti rota.

† Orthius propter honestatem positionis est nominatus.

al. forsè Artios.

Semanticus sanè, quia cum sit tardior tempore, significationem ipsam productæ & remanentis cessationis effingit.

Bacchij verò sunt dicti, quod Bacchicis maximè sonis congruunt: isque Bacchi ludus est, qui illis carminibus aptatur.

© Biblioteca Nacional de España

De Pæonico genere.

IN eo verò genere, quod Pæonicum nominatur, incompositi duo rythmi esse dicuntur. Quorum alius Pæon διπλάσιος appellatur ex lõga positione, & longa elatione. Ac alter Pæan Epibatis, id est, in thesi duplici positione producta, & arsi longiore ducitur. Hi sunt Pæonici generis numeri, quos incompositos esse prædiximus. Neque verò per coniunctionem, hoc est, ζυζυγίαν, neque per periodum in isto genere rythmus acceder. Inde διπλάσιος quidem dictus est, id est, quasi duplicia membra discernat. Epibatis autem, quia membris veluti vtens quatuor & tria diuersitatibus copulatur.

De permixtis generibus.

VErùm hęc genera cũ permixta fuerint speciebus numerorum, primæ species erunt istæ, quæ Docimenę nominantur. Ex quibus prius quod fuerit hac lege componitur, vt sit ex Iambo & pæone, qui διπλοῖ vocantur. hunc ἀλόγομον posteriores Græci cognominarunt. Secunda est species, quæ ex Iambo dactylico & & pæone constare monstratur.

Qui autem deducti numeri nominantur, propter assiduum & compositum sonum appellari videntur.

Fiunt autem numeri, qui & prosodiaci vocantur. Quorum alij per ternos pedes fiunt: Pyrrhichio, Iambo & Trochæo: alij verò 4. vt his 3. pedibus Iambus primus apretur. Alij verò ex duobus syzygijs, id est, copulis Bacchio & Ionio ἀπομέζον constare consueuerunt.

Sunt sanè, qui etiã irrationabiles esse dicuntur, quos analogos vocitamus, quos etiã corios appellare consueuimus. Sunt autem numero duo, quorum alter Dijambi figuram respicit, & constat ex elatione quæ longa est, & duabus positionibus: & numero qui est ad dactylum similis. Partibus verò ad numerum Ionicum iungitur & Iambicinum. Alius verò est numerus, qui trocheides nominatur, id est, qui figuram quandam speciemque trochæi habere videtur, ex elationibus geminis & longa positione consistens per contrarium prioris effectus.

De quinque speciebus mixti generis.

SVnt autem mixti generis quinq;, id est, Dactylicus per Iambum: Dactylicus in Bacchio incidens qui veniat ex trochæo: Dactylicus per Bacchiũ, qui ex Iambo manauerit. Dactylicus per trochæum qui ex Iambi similitudine exordium mutuetur: Dactylicus per chorium, qui ex similitudine trochæi videatur expressus. Et Creticus quidem| consonans ex trochęo positione & indicio numeri componendi, & omnium figurarum plena perceptio. Diuiditur hæc in eas quas & Melopœia partes, quæ sunt istæ: ἐπίληψις, id est, perceptio, per quam scimus quo quantum numero vtendum sit. χρῆσις, id est, vsus per quem positiones aut elationes decenter aptamus. μῖξις, id est, permixtio, per quam quod oportunum fuerit ex arte miscemus. Tropi verò, vt in Melopœia, & in rythmopœia tres sunt, quos † Systalticos dicimus, & in harmonicis eos superius memoraui. *al. systaticos*

Numerum autem marem esse, melos fœminam nouerimus. Etenim melos materies est, quæ sine propria figura censetur. Rythmus autem opere quodam virilis actus tam formam sonis quàm varios præstat effectus.

Quę cum harmonia intentis tam diuis quàm heroum populis augusta quadam suauitate per curreret, ad cantus carminumque dulcedines decenter regressa conticuit. Tuncque Ioue assurgente diuisque præambulis † Cinesim modulata, in thalamum quoq; virginis magna cũnctorum voluptate peruenit. *al. fortè, κόμησιν.*

Tandem senilem Martiane fabulam:
Miscillo lusit quam lucernis flumine
Satyra Pelasgos dum docere nititur
Artes creagris vix amicas Atticis:
Sic in nouena decidit volumina.
Hæc quippe loquax docta indoctis aggerans
Fandis tacenda farcinat, immiscuit
Musas, † deasq; disciplinas cyclicas: *al. deosq;.*
Garrire agresti cruda finxit plasmate
Hac ipsa nauci rupta conscientia,
Turgensq; felle ac bile, multa chlamydę
Prodire doctis approbanda cultibus
Possemq; comes vtq; è Martis curia
Felicis inquit, sed Capellæ flamine
Indocta rabidum quem videre sæcula
Iurgis caninos blateratus pendere
Proconsulari verò dantem culmini
Ipsoq; dudum bombinatore flosculo
† Decerptum falce iam canescenti rota *al. Decertũ falcem.*
Beata alumnum vrbs Elisæ quem videt
Iugariorum murcidam viciniam
Paruo obsidem vixq; respersum lucro
Nictanti cura somnolentum lucibus
† Ob hoc creatum Pegaseum gurgitem *al. Ab hoc creata.*
Decente quando possem haurire poculo
Testem ergo nostrum quæ veterum prodidit
Secute nugis nate ignosce lectitans.

FINIS.

© Biblioteca Nacional de España

ANNOTATIONES IN MARTIANVM CAPELLAM.

Columna prima linea quinta.

V quem.) *Satura Martiani amica hos versus canit in laude Hymenæi, qui est deus nuptiarum, hoc est, naturalium conceptionum.*

lin.5 Semina pugnantia) *id est, contraria elementa.*

10 Auram mentis.) *id est, animam.*

16 Habes.) *id est, consuesti.*

18 Gratia trina dedit.) *hoc est, tria concessit, scilicet vultum, vocem & gestum.*

26 Incrementisque lustral. de.) *hoc est, quinquagenarium quique iam decem lustra peregerim.*

30 Nyctantis.) *id est, euigilantis.*

31 γυμνολογίζεις.) *solus tecum ratiocinaris.*

43 Præclues.) *id est, prænobiles.*

48 Dissultaret.) *id est, diuulgaret.*

50 Excutientis Mæonij.) *id est, lippi Homeri:*

Col.2.lin. 3 Grandæuos.) *id est, sobrios & iam senes.*

4 Quid.) *id est, aliquid.*

8 Pugillo.) *scripto. Quidquid enim Iupiter dictat Parcæ excipiunt & asseruant.*

11 Vxorium.) *vxori subditum.*

16 Seniorem.) *Saturnum.*

16 Mœstissimum.) *Vel quia castratus, vel quia senex.*

18 Mariti.) *Osyridi.*

22 Dum paret pluribus.) *Nuptiæ enim sine mutuo verborum commercio fieri nequeunt.*

29 Toris.) *id est, humeris.*

33 Risu.) *Nã eius officiũ fuerat illudere iuuenes pubescẽtes & connubij expertes, idcirco vt vxores ducerẽt.*

40 Collactea.) *Coætanea.*

41 Indiscreto.) *indissolubili.*

43 Iniuriam.) *offensionem.*

44 Luculentas.) *claritudo.*

45 Manticen.) *diuinationem.*

Col.3.lin. 8 Ricinio.) *spinula qua fœminarum crines resoluuntur.*

10 Amiculo.) *fascia pectorali.*

59 Physiculatis extorum prosicis.) *Naturalibus responsis. Prosica enim à πρὸς & ἀκὼν, responsa quæ ad similitudinem humanæ vocis formata dabantur.*

60 Sortitus.) *diuinationes.*

61 Logia.) *responsa.*

Col. 4. lin. 1 Viduatis.) *desertis. ibid.*

Lauri folijs.) *In quibus solita erat Sybilla sua responsa scribere.*

2 Vittisque.) *Vittas redimicula dicit quibus sacerdotum vel consulentium capita circumligabantur.*

3 Cumano antro.) *In templo Apollinis quod erat propè Cumas Campaniæ ciuitatem: in qua Sybilla quondam Vaticinabatur.*

7 Præpetis omnia pennæ.) *auguria anteriora inuolando petentis.*

9 Contamine monendorum.) *Spurcitia sacrificiorum. Monenda enim dicuntur sacrificia, per quæ dũ monentur, vt succurrant mortalibus.*

12 Primores.) *Veteres & pervetustas.*

12 Hederas.) *Nam & hederæ ad Apollinem pertinent, propter poetas qui hedera coronabantur, ob vigorem perpetuæ memoriæ.*

10 13 Coriantem,) *putrescentem.*

13 Crepidasque.) *pauimenta nonnulli crepidas calceamenta esse dicunt consulentium Apollinem.*

13 Tripodem.) *Tripos etiam vocatur mensa Apollinis, corio Pythij serpentis tecta.*

13 Murcidas.) *Antiqui murcidas pro marcidas dicebant.*

18 Obumbratumque scopulum.) *Nysam intelligit Indiæ montem: vbi feruntur Liberi crepundia esse.*

20 22 Fortunas vrbium.) *euentus.*

24 Emenso.) *subaudi spacio, tametsi codex Venetiæ excusus ita habet, Emenso fugientes spacio. manuscripta exemplaria non habent, Spacio.*

27 Disperata.) *negata.*

28 Vt velut fumidæ.) *Tangit eorum fortunas, qui mox nati, nullo sibi concesso viuendi spacio sine vllo vitæ officio transeunt.*

31 Melico appulsu.) *musica collisione.*

33 Perinde.) *valde, multum.*

03 34 Resultabant.) *resonabant.*

36 Rauca grauitas.) *Hypallage, pro grauis raucitas.*

37 Ratis.) *syluæ illius.*

37 Per annexa.) *sub spatia.*

39 Iuncturis.) *consonantijs.*

39 Sine discretione.) *interuallo.*

39 Limmata.) *id est, semitonia. quorum media pars diesis dicitur, rãta, id est apta.*

46 Modificatione.) *moderatione.*

40 lin.9 Pensabat.) *necesse erat.*

24 Relabensque.) *retrogradus.* Col.5.

62 Salo.) *liquore.*

lin.2 Cauminis.) *mali feruoris.*

4 Cæci poetæ.) *Homeri.* Col.6.

45 Cura facit dubiũ.) *Hypallagæ. Neq; enim cura facit dubietatem, vt ita dicam, sed dubietas curam.*

45 Vacuum est.) *concessum.*

46 Licet de pectora fixis Præoptare caret.) *Sensus hic est. Licet caret, hoc est inane & inutile est,*

50 præoptare *id est, valde desiderare.* pectora, *subaudi hominum. de* fixis, *id est, de ijs quæ fixa sunt & immutabiliter disposita.*

47 Si quod placet, atq; necesse est.) *id est, siquidem quod placet subaudi dijs, necesse est, subaudi, vt fiat.*

© Biblioteca Nacional de España

48 Mansura.) *id est certa & stabilis: quia nondum ex sententia definisti quid acturus sis.*

49 Sic semper ab omni velle.) *id est voluntate, hoc est ad omne quod vis capis me socium.*

50 Mentem.) *subaudi Nubendi. A principio autē versum tunc vsq; Insinuatione vsus est. Nunc laudem Philologiæ aggreditur.*

Cœtu.) *pro Cœtui.*

Tuos.) *Mercurij.*

Col.7.lin. 1 Cumulat.) *auget. sensus est, Alter alterius consortio beatus atq; extollitur. Mercurius Philologiæ, & Philologia Mercurij.*

9 Aliquando.) *id est paulisper.*

12 Patronam.) *nutricem.*

20 Impiger gerendorum.) *id est ad omnia faciendа velox & paratissimus.*

24 CERTVM &c. ex cōtiguis.) *è vicino & proximo: ex quadam commordi sententiam.*

25 Pectus.) *voluntatem.*

26 Et quidquid socium.) *sensus est, Et certū est me approbare quidquid rerum ego iunctus compererim ciere, hoc est euocare & commouere socium nostrum, vt sit.*

28 Disparamus.) *separamus.*

Cum deliaco meare fatu.) *obtemperare consilio Apollinis.*

32 Hunc quippe.) *Hunc, id est Apollinem nefas putamus, hoc est illicitum & nefarium esse iudicamus de consilio Apollinis dubitare. Transit vero à secunda persona ad tertiam.*

36 Præcluibus.) *id est nobilibus & honestis.*

36 Profatis.) *consilijs.*

37 Arcas.) *Mercurius.*

49 Sectus.) *ductus & eloquia. Verba enim quasi quædam semitæ sunt animi. Hinc & sectas dicimus Philosophorum.*

51 Cursor.) *Mercurius.*

52 Captat.) *cupit.*

53 Festinata.) *sub: à Sole.*

54 Cessim.) *gradatim.*

55 Occupari.) *id est, præcedi à Sole.*

58 Stilbente.) *Mercurio.*

60 Officio.) *id est, admonitione & instinctu.*

60 Perflatione.) *impetu vel inspiratione.*

Col.8.lin. 8 *Luminata.) decorata.*

8 Veris denan.) *Præest enim sationibus.*

Metatis.) *id est, electis.*

Citimum.) *extremum.*

In ipso florētis cāpi vbere.) *in circulo terræ.*

Alumna.) *cara.*

Vibrabile.) *coruscum.*

Proprietate.) *id est, fraterna fiducia.*

52 Pubeda vixdum.) *Iuuenis & sine pube adhuc,*

51 Pro fœdore pignoris.) *id est, pro nuptijs.*

55 Tabensq; noxio) *id est, quieta & feriata coniunctio.*

56 Conscia Iunone.) *id est, consentanea et fauēte.*

58 Præstrue nutus iugalis.) *compone vel confirma voluntatem Iouis.*

59 Suada.) *id est, persuadens nomen pro participio.*

Col.9.lin. 2 Ante præscientias.) *sub. deorum.*

3 Quicquid instabit.) *id est, imminet.*

5 Illigat futura.) *id est cogit vt sint.*

7 Tēne.) *ne particula vacat. Te deposco.*

7 Cæli blanda temperatio.) *Alludit ad naturā sideris Iouis, quod est temperatissimum.*

10 Proli.) *filio tuo Mercurio.*

11 Quem.) *sub. numerum nepotum.*

11 Vibrant.) *splendere faciunt, siue portant.*

14 Stringit.) *tangit vel stimulat.*

18 Signet.) *confirmet.*

27 Tunc etiam.) *id est, propterea.*

29 Immortalitatis.) *id est, diuinitatis vel æternitatis.*

30 Matris.) *Maiæ.*

35 Succensus.) *id est, famulatus vel deceptus amore eius.*

37 Somnolento marcore.) *pigritia vel defectu.*

Præstringat oculos.) *id est, sanciet oculos intuentium.*

47 Viuos.) *sub. quasi.*

48 Signifex.) *sculptor.*

50 Si igitur.) *sub. dicit.*

53 Anomalum.) *inæqualem. Anomala dicuntur signa quando pro latitudine Zodiaci vagantur nec lineam naturalem sui cursus peragunt.*

50 Repigritior.) *id est, tardior.*

56 Vinclum.) *coniugium.*

57 Conniuere.) *oculos claudere.*

Laborata peruigilia.) *laboriosa studia.*

60 Quæ autem.) *sub. Virgo.*

Col.10. lin. 1 Textum mundi.) *id est, iuncturam siue machinam.*

2 Parallela.) *id est zonas.*

2 Obliqua decusata.) *id est, decorata.*

3 Limmata.) *spacia inter cœlestes circulos quæ musica ratione vel tono vel semitonio comprehenduntur, Limma enim semitanium dicitur.* *fortè decussata.*

3 Polosæ.) *id est, altè.*

3 Axiumque vertigines.) *polorum reuolutiones.*

5 Gracilenta adfixione.) *subtili labore.*

6 Quoties.) *sub. memini.*

8 Connubiæ noctis.) *Connubia scire concubia nox est prima noctis pars, quæ & conticinium dicitur.*

8 Intēpestæ.) *id est, mediæ noctis & inactuosæ.*

11 Intricari.) *retardari. Tricæ enim dicuntur impedimenta gressuum.*

13 Vltramundanas.) *Nam de empyrio etiam hoc est, intellectuali atque extra mundum posito disputat.*

14 Differuntur.) *subaudi, nuptiæ.*

15 Atlantidæ.) *Mercurij.*

17 Elatiori.) *eminentiori, excelsi. Physica ratio est. Nam æther & aer coniuncta sunt. Aether tamen excelsior.*

31 Prompta.) *publicata.*

38 Peplo.) *Peplum Virginale vel matronale palium propriè vero amiculum Palladis, cum quo ei sacrificabatur: Virgilius,*

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumq; ferebant.

47 Teste Arithmetica.) *Septenarius numerus Palladi consecratus est, propter priuilegium Virginitatis.*

© Biblioteca Nacional de España

tis. Nam intra primam tesseram numerorum, hoc est intra denarium non gignitur septenarius, ex multiplicatione aliorum numerorum inter se.

38 Solivaga.) *id est, singularis, quippe quæ parem ignoret. Per coronam verò septem radiorum, perfecta scientia septem artium designatur. Pallas autem summæ sapientiæ figuram tenet. Philologia typus est rationis. Mercurius symbolum sermonis. Plerunque ergo dum Philosophi posthabita ratione immoderatius cultui sermonis insistunt, & minus inquirendæ veritatis studium gerunt: Pallas quæ typum tenet sapientiæ, quæque solet rationis curam non verborum gerere, fugere videtur. qua fugiente corona septem radiorum aperitur: quia cum sapientia verborum ornatum negligit, septem liberalium artium scientia demonstratur. Non ergo detrectat Pallas nuptias Mercurij & Philologiæ: sed interesse recusat: quia sapientes debẽt quidem facundiæ & eloquentiæ studere, plus tamen inquirendæ veritati operam dare.*

49 Futurarum.) *sub nuptiarum.*

57 Nupturam.) *subaudi, dicebat.*

58 Super senatusconsulto.) *hoc est, de consulto senatus. Phronesis enim mater Philologiæ mortalis fingitur fuisse. ideoque & Philologia mortalis. quod idcirco fingitur, quod prudentia seculi per se mortalis & caduca est, nisi studijs veræ sapientiæ immortalitatem consequatur.*

61 Scribæ Iouis.) *Parcas constat esse exceptrices & arcarias siue librarias Iouis.*

Col.11. lin. 1 Penates.) *intimi.*

4 Repromittunt.) *consentiunt cum Ioue.*

13 Mercurius, Iupiter.) *Sciolus aliquis pro Iouis reposuit Iupiter, omnemq; versus rationem sustulit. Legendum itaque est Iouis in nominatiuo casu, vt veteres vsurpabant. In scansione autem eliditur vltima litera s. more Enniano: & constat versus.*

18 Impertinentibus.) *qui vocandi non erant, vt Manes & Discordia*

22 Singulas vel binas domos.) *Singulas sicut sol in leone: luna in cancro. Binas autem sicut ceteri planetæ, qui duo domicilia habent in signis. Lege Seruium in illud Virgilij.*

Qua Iouis Erigonen inter Chelasq; sequentes
Panditur.

27 Consentes.) *quasi consentientes cum Ioue.*

28 Opertanei.) *id est, obscuri & à scientia humana remoti.*

31 Prædiatus.) *diues, qui præest & prædijs & possessionibus.*

31 Quirinus, Mars Larius militaris.) *Ita est in excusis exemplaribus. Vetus codex habet, Quirinus Mars, Mars militaris. Ita vt duo Martes sint, vnus pacificus, dictus Quirinus: qui in vrbe templum habebat: alter, qui bellis præerat, qui extra vrbem templum habebat.*

Dijq; nouensiles.) *saltatores Iouis.*

35 Iouis secundani.) *à secundis & felicibus successibus.*

Lynsa sylueſtris.) *bestiarum dea.*

42 Mulciber.) *Vulcanus. hoc est ignis aerius, quasi mulcens imbrem: Cum enim nubes altiora petierint, resoluuntur in pluuias.*

43 Militaris.) *castrensis.*

46 Tellurus.) *terræ numen. Est autem tellus profunda pars terræ, in qua arborum herbarumq; radices tenentur. Terra verò est superficies. à terendo dicta.*

46 Terræq; pater Vulcanus.) *id est ignis, quo terra fouetur.*

47 Genius.) *deus naturalis, qui omnium rerum generationi præest.*

51 Pales.) *deus pabulorum.*

56 Veris fructus.) *id est, Vernalis fertilitas.*

56 Cunctalis.) *id est, generalis.*

Neuerita.) *Dea timoris vel reuerentiæ.*

59 Cosse.) *Consiliorum deus. quidam vero codices habent Conse. vt sit Consus, deus consensionum.*

61 Manibus refutatis.) *id est, dijs inferis repulsis.*

lin. 1 Sancus.) *deus qui sancit & confirmat res.* Col.12.

4 Veiens.) *Pluto.*

6 Ianitoresq; terrestres.) *qui terminis siue finibus terræ præsunt.*

8 Azonos.) *qui intra zonas, siue xvj. hasce regiones non habitant.*

11 Cultores.) *lares vrbium & genios.*

12 Quis Numæ multus successor indicatur.) *Ita in plerisq; exemplaribus etiã manuscriptis. Vnus verò habet, indicat? cum interrogatione. vt sit sensus. Nec Numa, qui cũ Egeria nympha congrediebatur, nec quisquam eius successor potest indicare nomina omniũ illarum cælestium potestatum.*

22 Excipiebat sphæras.) *id est gyros quos rota faciebat.*

23 Peplo inflexi pectoris.) *Hypallage. pro inflexo peplo pectori.*

27 Contrahi senatum.) *conuocari.*

28 Exuuijs indusiari.) *vestibus indui.*

30 Componunt.) *planant.*

32 Vertici.) *Descriptio mundi. per verticem Iouis altissima pars mundi, id est sphæra cælestis intelligitur: per coronam, Zodiacus. per rutilans velamen, splendor ætheris. vestis candida, superiorem aerem. hyalini, id est, vitrei amictus, perspicuitatem aeris. per vibratus igniũ, stellæ.*

39 Duo globosos orbes.) *duo pro duos. per orbes sphæram solis & lunæ significat.*

41 Chelin enneapthongon.) *per hanc nouem sonitum lyram intelligit, musicã sine concentum septẽ planetarum & sphæræ cælestis & sonitum aquarum.*

47 Fuscinam.) *mare.*

48 Iunonis contessus.) *Descriptio aeris à sphæra lunari & terra.*

51 Scythidis vireta & Cerauniorum.) *per harũ gemmarum colorem, Iridem significat.*

53 Profunditas.) *varietas.*

61 Appulsu.) *repercussione.*

lin. 3 Ima subiecta.) *id est terram.* Col.13.

1 Hæc fulmen dextra.) *Vet. cod. habet flumen. Flumina enim ex attritu & collisione nubium cadunt.*

9 Ablegabat.) *siue vt alia exempl. habent* obliquabat, *id est, euanescebat & resoluebatur.*

23 Pede ire.) *aggredi siue conari.*

33 Paren-

© Biblioteca Nacional de España

26 Formabat.) *designabat.*
31 Sacra vis.) *autoritas Iouis.*
33 Parentibus.) *Saturno & Opi.*
34 Sator eorum.) *Saturnus.*
45 Metallorumq; census.) *id est copia.*
46 Prouētus sationū.) *id est incrementa seminū.*
47 Huic etiam Vesta.) *huic subaudi Opi, adhærebat Vesta: quia ignis terræ cohæret, & silicibus excutitur.*
50 Candida cum sorore.) *hoc est luna.*
52 Puniceus quidam fulgor.) *id est Aurora.*
54 Curiam.) *id est conuentum deorum.*
54 Ornatibus.) *sub. deorum.*
59 Retrogressus.) *repercussus.*
Col.14.lin. 2 Serenis.) *serenitatibus.*
4 Ignitorum.) *quidam codices habent,* ignotorū, *id est preciosorum.*
47 Omnium nutricem.) *Stygem.*
48 Puellam access. grat.) *Proserpinam, incrementis lætantem.*
58 Olacis.) *odorati.*
Col.15.l. 1 Victusq; cleoneos.) *legendum crediderim* leoninos *nisi quis oleoneos interpretari velit, gloriosos* ἀπὸ τοῦ κλέους, *quod durum est.*
4 Illi arcus.) *subaudi Dianæ.* huic *sub. Veneri.*
5 Decusatim vinculatis.) *id est ornatè compositis & colligatis. nisi quis legere malit* decussatim.
14 Alumnaq; terrarum.) *id est nutrix Ceres. quā nonnulli dictam volunt quasi Creres à creando. quam veteres Bonam deam dicebant. Hinc Iuuen.*

Atq; Bonam teneræ placant ab domitæ porcæ.

16 Iunonius.) *id est aereus.*
17 Demorator.) *id est ligator siue firmator totius mundi. Nihil enim in rerum natura sine igne constat. Vnde & Heraclitus Ex igne constare omnia asserebat.*
19 Fluibunda.) *lasciua.*
19 Desultoria.) *ioculari.*
20 Nemesin.) *Latine interpretatur Nemesis,* Arbitrium ἀπὸ τοῦ νέμειν, *quod sors pro suo arbitrio cuique quæ vult tribuat.*
22 Nortiam.) *Nortia qua ratione dicatur non assequor. Nam qui infirmitatem siue impotentiam interpretantur, quod sortes, ob impotentiā infirmitatemq; hominum sint repertæ, mihi non satisfaciunt.*
22 Largiore.) *Comparatiuus pro superlatiuo.*
25 Puellariter.) *lasciuè. Puellarum enim est lasciuire.*
27 Condylos.) *nodos.*
35 Prospecta.) *ordinata à dijs.*
41 Digito salutari.) *indice.*
49 Possem certa meis, &c.) *sensus est, Possem promere* certa, *subaudi decreta,* meis ductibus, *id est sententijs & eloquijs.*
51 Concertans.) *resistens & repugnans.*
52 Sed tristis) *hoc est Sed melius* clauditur, *id est tacetur,* censio tristis, *id est si quid triste ordinaturus sum.*
54 Vulgata.) *subaudi sensa.*
60 Vota propaginis.) *hoc est voluntatem & studium filij mei Mercurij.*
61 Fœdere.) *id est decreto.*
62 Sectanda.) *implenda.*

lin. 6 Genius.) *id est, adiutor.* Col.16.
17 Qui Phœbi, &c.) *Mercurius quippe sæpe præcedens solem, fit retrogradus. atq; hoc etiam superius, lin. 6. innuit per* Fida recursio,
24 Virgo.) *Philologia.*
Propositum.) *subaudi, tamen ei est.*
29 Cunæ editæ.) *ortus genitæ.*
30 Quiq; crepundia, &c.) *sensus est. Qui recolitis teneri, id est haberi in terris vestra crepundia, id est nutrimenta puerilia, vel munuscula siue blandimenta quæ à nutricibus infantulis vagientibus exhibentur,* quæ *subaudi crepundia, occultant sacra, id est templa adytis latentibus, hoc est in secretiore eorum parte.*
52 Orbes & compita.) *hoc est. per circulos cælestes & regiones.*
lin. 11 Nisyacis.) *Indicis, à Nysa monte Indiæ.* Col.17.
12 Sertum.) *Coronam Ariadnes intelligit.*
17 Adultaq; iam nocte,) *intempesta nocte siue media. Siquidem noctē ita vt tempora anni distinguit. Dicimus enim Ver Nouum, adultum, & præceps. atque ita de reliquis.*
30 Cassa) *Vana.*
33 Aetherei verticis,) *id est Mercurij.*
41 Aegyptiorum commenta.) *Apud Aegyptios enim tam artes, quàm sacra deorum primū reperta sunt.*
Finalem literam.) *Ex supputatione literarum quæ Cyllenij & Philologiæ nomina efficiunt, conuenientiam futuri coniugij comprobat. qua de re vide Prisciānū in libello De ponderibus. Solam enim ferè in hisce Annotationibus vocabulorum obscuriorum explicationem persequor.*
lin. 20 An aliud illa senis dei ratio.) *hoc est Pythagoræ doctrina.* Col.18.
21 Mathen tetraden.) *hoc est doctrinam quaternariam.*
24 Collocationibus.) *In alio codice* Collationibus. *& rectius: id est proportionibus.*
28 Hemiolios.) *sexquialtera.*
30 Diplasio.) *dupla proportione.*
38 ὁμαλῶν) *planarum figurarum.*
39 Fatalis temperamenti cnrsus.) *id est constellationis.*
53 Concitauit.) *id est confirmauit & composuit.*
lin. 4 Siccatis.) *id est exhaustis.* Col.19.
6 Alimma.) *hoc est, vnguentum.*
8 Cōcesserat.) *id est permiscuerat siue tribuerat.*
9 In centum voces.) *Numerus finitus pro infinito.*
Colchica fiducia.) *hoc est incantatio: cui fidebant homines.*
11 Aduersum confinia.) *id est vicinitatem deorum, per quorum circulos erat transitura.*
14 Denique revibratu, &c.) *sensus hic est, Denique alliniebat* apposito, *hoc est apto & applicato corpori suo vnguentum irrorati liquoris ex revibratu mensis. apposito corpori Hypallage, id est per appositum vnguētum.* Irrorati, *id est ex rore confecti, qui ros erat ex revibratu mensis, hoc est ex fulgore lunæ. Reuibratum autem mensis vocat lunæ coitum: quando luna iterum incrementa accipit, & à sole illuminatur.*
24 Conniuere.) *quiescere & dormire.*
27 Mancipiaq; dotalia.) *septē liberales artes intelligit.*

32 Solis

© Biblioteca Nacional de España

32 Solis remigia.) *id est, equi.*
31 Purpureum lumen.) *hoc est, pulchrum, Sic Horatius Purpureis ales oloribus.*
33 Sonipes Phosphori.) *Lucifer.*
39 Poematum.) *Quidam V.C. habet boematum, vt sit Græcum βοημάτων, hoc est, auxiliorum. Per auxilia verò intelligit medicamenta quibus erat instructa.*
43 Herbarum felicium.) *preciosarum.*
46 Osus.) *Veteres* osus *pro* vsus *dicebant.*
Apportat.) *Exigit.*
47. Netibus.) *filis vel telis.*
51 Secreti Troiani.) *Palladij. Solebāt enim Troiani reges in suo diademate iaspidem gemmam gestare, cui insculptum erat Palladium, hoc est, simulachrum Palladis.*
55 Calceos ex papyro.) *Papyrus genus est iunci. Per calceos verò papyraceos immortalitas significatur: quia papyrus semper viret, & ne vnquam siccetur, in aquis radicem figit.*
62 Promens pudorem Ambronum.) *hoc est, manifestans facinus vel turpitudinem Ambronum, qui sunt populi Scythiæ, humanis carnibus vescentes.*
Col.20. *lin* 1. Creperum.) *id est, dubiè.*
16 Complementi spacio.) *Hoc est, donec voces virginum complerentur.*
31 Conicens.) *dubitans vel hæsitans.*
34 Raptibus.) *Cursibus siderum.*
37 Cogit.) *id est, concitet.*
57 Circis.) *Symphonijs. Propriè autem circi sunt symphoniæ quæ ad eandem rationem melodiæ recurrunt.*
Col.21. *lin.6.* Cruenta rythmica.) *id est, noua & imperfecta carmina, vt cruentum pro nouo dicatur, tracta metaphora à fœtibus animalium qui cruenti nascuntur.*
9 Torqueat.) *id est, circumagat.*
12 Adacta mente.) *id est, sursum acta.*
23 Assertio nostri.) *id est, facundia nostra.*
37 Ligans.) *participium pro verbo.*
Quid conterat.) *id est, quid perfringat ordinem fandi ambiguis, subaudi, rationibus.*
44 Pecium est.) *Sub. tuorum laborum.*
51 Caput artibus.) *id est, principium artium.*
58 Fragor resultans.) *Tonitru.*
59 Aperta.) *spacia aeris.*
Col.22. *lin.3.* Operta.) *Hoc est, plerisque mortalium incognita.*
14 Peritis lucernis.) *Hyppallage.*
16 Præscia futuris.) *id est, præscientiam futurorum.*
18 Rapidis aris.) *ardentibus.*
30 Castis.) *id est, pijs & religiosis philosophis.*
Col.23. *lin.5.* Memorem virgam.) *Caduceum, quem ideò memorem vocat: vel quia per eum memoriam facit (Nam sermo ad memoriam reducit.) vel memorē, pro memorabilem.*
6 Qui fata, &c.) *Sensus est: Qui Mercurius separat, id est, discernit: grauari fata, id est, tempora, succidentis, id est, amputantis Osyris repertis genitalibus sationibus. Nam Osyris vinearū cultum reperit.*
12 Nouerca.) *hoc est, Iuno.*
Venenum.) *iurgia & contentiones.*
Cui virtus, &c.) *Hoc est, quo loquente omnis contentio diuiditur. Nam per geminos orbes indicat duos serpentes qui sunt in caduceo.*
18 Sed doctior puella.) *Hoc est, Philologia. Ratio enim plus valet quàm sermo.*
34 Sobrio decore.) *id est, naturali.*
lin.3. Rosarum speculis.) *id est, floribus.* Col.24.
6 Glabellæ medietas.) *Glabella est nuditas frontis inter supercilia.*
24 Venerabili antistitio.) *id est, primatu.*
36 Coaptissima egestione.) *quidā codex habet,* Coactissima: *& rectius, vt significet validissimā & violentissimam vomitionem.*
43 Opera linguarum.) *id est, libri. Quod enim lingua profert, literæ formant.*
44 Alia ex papyro.) *De papyro & ceris, cartis, pergamenis & libris, consule Isidorum Martiano huic adiunctum. Is enim lib. Originum sexto plenè hanc rem persequitur.*
48 Inscripti sacra negredine.) *Hoc est, incausto.*
49 Animantium effigies.) *Hieroglyphicas literas innuit.*
lin.44. Vedium.) *Vedius dicitur quasi malus diuus: quod terrorem incutiat animabus. Hic & Orcus dicitur.* Col.25.
45 Chaldæa miracula.) *Chaldæi enim docebant Eumenides, hoc est, Furias infernales occurrere animabus easq; cruciare.*
47 Syri cuiusdam.) *qui fingebat simulachrū quoddam esse animæ, quod omnes animas corporibus exeuntes, & originem suam repetentes verberaret.*
48 Phasisenis.) *Qui docebat immortalitatem adiri non posse nisi per mortem.*
61 Voluptuarię Veneris.) *Duæ enim sunt Veneres. Altera casta & pudica, Vulcani vxor: altera voluptuaria, libidinum dea, cuius filius est Hermaphroditus. Ita etiam duo sunt Amores.*
lin.1. Epimelia & Agrippina.) *Cura & Vigilia.* Col.26.
7 Periergia.) *studiosa operatrix.*
Interducam.) *Rectius Interducam quæ nubentes puellas periter ducit, vt domiducam, quæ ad maritorum ædes induci.*
8 Vnxia.) *Vngebantur enim postes doniorū in nuptijs. Vide Isidorum.*
Cinctia.) *quia castitatis cingulum resoluit.*
32 In bello protexeris.) *nuptiali scilicet. Virgilius At non in Venerem segnes, nocturnaq; bella.*
31 Soticena.) *à sociando. Curritis à curribus, vt vult Seruius.*
50 Demeantes.) *Transcurrentes & peruagantes.*
56 Supparis potentiæ.) *id est, inferioris vel minoris.*
58 Aruspicio exta physiculant.) *per aruspicium hoc est, extorum & fibrarum inspectionem futura prædicunt.*
62 Ostentaria nouitate.) *id est, ostenti siue prodigij alicuius insolentia.*
lin.15. Medioximos.) *quasi medios proximos, inter deos & homines discurrentes.* Col.27.
24 Interpatet.) *Interiacet.*

© Biblioteca Nacional de España

59 Diuinandi posibilitate) *id est, virtute ac potentia.*

Eram terram veteres dixerunt. *ab Hebraica etymologia, ad quam etiam Germanica terræ appellatio propè accedit.*

Col. 28. *lin.* 18. Aquilos.) *species dæmonũ, qui in forma aquilarum apparent adunco rostro.*

20 Triptes.) *Hos nonnulli ita dictos volunt, quod triplicem habeant potestatem. In corporibus, in umbris, in spiritibus.*

31 Longæuorum.) *Quos* μακροβίους *Græci vocant.*

39 Præsentisimam.) *Facillimam.*

51 Supplicando.) *id est, sacrificando.*

54 Adiaculati.) *hoc est, immissi.*

13 Titillata.) *Commota vel stimulata.*

Col. 29. *lin.* 30. Nepa.) *Nepa genus est scorpij qui fertur filios suos deuorare: vno in setis dorso eius inhærente, atq; ita mortem euadente. Hinc & Nepos dicitur, qui facultates suas per luxum prodigit. Per testudinẽ autẽ, nepam & capream, id significatur: Quemadmodum testudo vndiq; durissimo tergore munitur, ita sermonem rhetoris debere omni ex parte circumspectum esse, atque instar scorpij aduersarium celeriter ferire. Per capream velocitas sermonis significatur.*

31 Dilophon alitem.) *ibin. quasi* δειλόφιν *quòd formidinem serpentibus incutiat.*

Os cinum.) *id est, ora canentium auium.*

33 Mensis memphitici.) *Aegyptiaci est, quando sol est in scorpione.*

37 Candidior Atlantidum.) *hoc est Pleiadum. Hæc autem fuit Maia.*

48 Antias.) *Cincinnos dependentes propè auriculas. Isidorus.*

50 Laborare.) *laboriose tendere.*

56 Nautæ septem germani.) *septẽ fratres in prora nauis sedentes significant hebdomadẽ dies. Leo æstatem: crocodylus hyemem.*

Col. 30. *lin.* 5. Regnum naturæ.) *id est, princeps & rex.*

6 Mundanus oculus.) *id est illustratio mundi.*

22 Retegis quod cerula lucet.) *id est, declaras quod illustratur nox. Sol enim tametsi die luceat, stellas tamen etiam in ministerium noctis illuminat.*

26 Forum.) *hoc est, ferentem lucem.*

33 Da pater, &c.) *vel legendum est, pater mentis, id est, mundi: vel da pater, mentes conscendere cœtus æthereos.*

Melo dorio.) *Grauissimo sono.*

Col. 31. *lin.* 4. Defecta lassitudine.) *Hyppallage.*

Fontanã Virginẽ.) *id est, fontem & originem vitæ, quod nihil est aliud nisi deus. Hinc prudentius: Deus ignee fons animarum.*

Col. 32. *lin.* 15. Palliatorum.) *id est, philosophorum.*

19 Rabulatu.) *id est, acclamatione.* (*talia.*

40 Efferenda probarentur:) *examinarentur do-*

46 Ductibus.) *id est, narrationibus.*

47 Palpitare.) *id est, deficere à sua claritate.*

53 Largiorem circulum.) *prolixiorem ambitum fabulæ.*

57 Fruge vera.) *id est, vero & simplici intellectu.*

lin. 2. Phaleras.) *id est, ornamenta fabulosa.*

Col. 33. 5 Frigente vero.) *id est, extincta & cessante veritate.*

17 Iocante rictu.) *id est, dissoluto risu, subaudi, respondit Satyra.*

21 Nondum dabis.) *Legendum est Nudum; hoc est, sine ornatu.*

25 Quis ordo.) *id est, quæ conuenientia.*

33 Ni figminis figura, Nil posse comparari.) *id est, nihil posse exponi à te nisi adhibitis figmentis.*

42 In Memphide ortam.) *quia mater artium est Aegyptus.*

10 *lin.* 3. Nigẽllo quodam puluere.) *hoc est, merò incausto.* Col. 34.

36 Plenitudo obtusior.) *id est, magna ingenij tarditas.*

lin. 5. Criticisq;.) *Qui nunc Grammatici dicuntur in exponendis poetis: ij olim critici vocabantur, ab aurium iudicio, & literarum atq; dictionum examine. Quà de re Dion lib.* 53. *sic ait,* ὁ μόνον ἀείσαρχος καὶ κρίτης καὶ ἕτεροι πλείους τῶν ὕστερον γραμματικῶν κληθέντων, πρότερον δὲ κριτικῶν. Col. 35.

20 16 Duo actiua.) *scribere & legere.*

Spectatiua.) *id est, contemplatiua: intelligere videlicet & probare.*

lin. 22. Vt fatigetur) *id est, eleuetur sive acuatur.* Col. 40.

25 Concipit ordo.) *id est, præparat.*

lin. 3. De fastigio.) *id est accentu.* Col. 41.

lin. 3. Analogiam.) ἀναλογία *est proportio, quæ apud Grammaticos dicitur* ἀναφορὰ, *id est, relatio, teste Ammonio.* Col. 48.

lin. 10. Contortis nodis) *indissolubilibus syllogismis.* Col. 61.

30 Qua sine nil sequitur, nilq; repugnat item.) *hoc est, sine qua, videlicet Dialectica nulla fit consequentia, nullaq; in argumentis controuersia. Per hæc enim duo argumenta, A sequentibus & repugnantibus totam Dialecticam vult intelligi.* *cum fine.*

Scolicum axioma.) *Alia exemplaria habent, Excolicum: sed neutrum placet. Legendum puto* σκολιὸν ἀξίωμα, *hoc est, obliquam sive contrariã propositionẽ.* *lin. antepenult.*

Normale.) *id est, regulare.* *lin. vlt.*

Ni fuat associum.) *hoc est, nisi fuerit adiunctum, s. ad aliquam rem subsistentem.*

40

lin. 8. *in fine.* Circumeant.) *hoc est, circumueniant.* Col. 62.

Chrysippus cumulet proprium.) *id est, colligat proprietates rerum.*

Consumat.) *id est, segreget.*

lin. 10. Pallium Athenarumq; vestitus.) *Pallium Græcorum decentiorem habitum facit, vt supra pennulam Romanorum.* Col. 63.

11 Inopinum.) *hoc est, ignotum atq; inusitatum.*

16 Interius.) *sub formulis, hoc est, propositionibus.*

50 31 Habitusq; furui.) *hoc est, nigri, vt obscuritas aratis significetur.*

32 Dumalibus setis.) *id est, Veprinis spinis.*

45 Cum Cyllenius ciryceo.) *legendum est Cyllenij ceryceo, hoc est, caduceo. nam* κηρύκειον *Mercurij caduceus est.*

47 Micatibus) *id est, morsibus.*

53 Capillitium implexum.) *hoc est, iunctura capillorum.* *anguium.*

53 Amicitia venenorum.) *Copula & societas*

60 54 Marsicæ nationis.) *Psylli in Africa: Marsi in Italia, serpentũ incantatores fuere, qui eos aut subito interficiebãt, aut eis omnem nocendi vim adimebãt.*

57 Circu-

© Biblioteca Nacional de España

57 Circulatrix bellacissima.) *aliàs pellacissima, ut significet seductricem subtilissimam.*
Metarum.) *id est, finium.*
60 Concuissior.) *hoc est, ferocior.*
Sobriam.) *id est, honestam esse.*

Col.64. lin.9. Ipsi diuæ quæ etiam Medusæos crines edomuit.) *Palladē significat, cuius auxilio Perseus saxificam Medusam interfecit.*
13. Palliatorum populus.) *philosophi qui palliati incedebant.*
16 Posteram.) *hoc est inferiorem.*
27 Examina.) *id est, agmina populi.*
34 Laurentis.) *hoc est Latini.*
43 Neque alteram opimioris iræ cluem facultate.) *Rhetoricam intelligit, vtpote quæ semper in contentione causarum versatur. Ideoq; ei hasta appingitur, quòd in disceptatione verborum perpetuo credatur irasci.*

Col.88. lin.49. Editum est compendio.) *id est, breuiter explicatum est.*
Recuset.) *pro detestetur.*
59 Pellax.) *id est, insidiatrix.*

Col. 89. lin.1. Cauilla.) *hoc est, sophistica.*
2 Circulatrix.) *id est, circumuentrix.*
3 Decipula.) *pedica.*
4 Versilis profunditas.) *argumentatio sophistica.*
20 Diffidensq; sui.) *desperans de sua salute.*

Col.90. lin.3. Conciperet contumias.) *id est, cognosceret contumelias & derisiones.*
Græciam instituisse.) *lege miscuisse, hoc est, perturbasse & confudisse.*
30 Pallio circumactus.) *id est, indutus, more Græcorum.*
Trabeatus.) *more Romanorum. Demosthenem & Ciceronem significat.*
35 Ambo tamen noui.) *id est, obscuro genere nati.*
39 Curiarum facta.) *quædam exemplaria habent, Curarum fata, quæ lectio mihi magis probatur.*

Col. 92. lin.15. Quanquam.) *hoc est, vtinam.*

Col. 95. lin.3. Promptius asseretur.) *id est, manifestius.*

Col. 123. lin.8. Deditaque fient.) *hoc est, tradentur in meo opere quæ à veteribus sunt omissa, tametsi rectius legi posset, edita.*
26 Noctiuidæ alitis.) *id est, noctuæ.*
28 Saxificam Medusam.) *quæ vertebat homines in saxa.*
33 Prouida consilium, &c.) *hoc est, quod fœminæ excludantur è curia vbi agitantur consilia.*
35 Fontigenarum.) *id est, Musarum.*
36 Sola nouem.) *hoc est, quidquid nouem Musæ habent, hoc tu es.*

Col.124. lin.21 Mensulam.) *abacum.*
7 Susceperit.) *audierit.*
12 Cassum deuorante Mulcibero.) *hoc est, inutiliter absumente igne.*

Col.125. lin.23. Licet.) *subaudi, possit.*
41 Interriuata marmore.) *id est, interstincta Oceano.*
Pium diem.) *id est, blandum solem.*
Sic igitur furuæ oculos.) *Ratio versus postulat, vt immutetur ordo verborum, & legatur.*
Sic oculos igitur furuæ, &c.) *& in sequenti versu, pro* Cernas ex auro, vt, *lege, Ex auro cernas vt, &c. Tametsi frequenter Synalæpham negligit.*
49 Annuerat.) *Commendauerat.*
56 Reglutinatis luminibus.) *hoc est, restrictis siue retractis oculis.*

lin.2. Luculenta maiestate.) *Venusta.* Col.126.
10 Excudit.) *expetit.*
Helladica facultate.) *hoc est, Græca eloquētia.*
30 Versiformis cupitor.) *in varias formas libidinis suæ explendæ causa sese mutans.*

lin.26. Vellere.) *radere.* Col.150.

lin.36. Fulcra lecti.) *hoc est, connubium.* Col.155.

lin.34. Quo claudebatur.) *id est, quæ prohibebatur.* Col.179.
39 Impetulantis.) *lasciuientis.*
44 Depile caluitium.) *glabrum.*
4 Tunc motus increpante.) *iratus exstimulante ipsum vino.* Col.180.
27 Iacchi membrū.) *Quidam cod. habent hianti membrē, alius, quadrimēbrē, quæ lectio magis placet, vt intelligatur brachia ad crura complicata habuisse, quod ipsum ex sequentibus duobus versibus manifestius explicatur.*

Colloq; complicatum
Vtribus parem reportat.

& tametsi quædam exemplaria habent Darem: *ita vt ad Darem illum Virgilianum possit videri alludere. multo tamen magis probauerim hanc lectionem* Vtribus parem. *id est, similem vtri complicato, atque ita hodie Hispani hominem ebrium vocant vtrē: hoc est, vna bota, vt ipsi loquuntur. Vtribus enim pro vasis vtuntur, ob commoditatem vecturæ. Neq; enim vasa maiora montuosis in locis, & quibus nauigari nō potest, iumentis vehi possunt.*
33 Nominis pecudalis.) *Alludit ad nomen Martiani Capellæ.*
Non dispensas. *id est, cogitas.*
Cerritulum garrientem.) *turpiter stulta loquentem.*
Nugales ausus.) *leues ludos.*
Nondum stomacho senescente.) *hoc est, nondum sedata ira.*

lin.22. Inter insana.) *id est, lasciua, subaudi verba.* Col.181.
23 Rumores.) *lege tumores, id est, superbiam.*
Dicabulis.) *dicteriis.*
37 Miti vertigine.) *leni volatu.*

lin.11. Crinitorum scopas.) *philosophorum visiones siue contemplationes.* Col.182.
24 Qui vestra recensebitis meatula.) *hoc est, qui existimabitis ea quæ mihi propria sunt, esse vestra, vt meatula, sit diminutiuum.*
46 Quod cido foreticus Cyma gymnasia retulerunt.) *Locus corruptissimus. Neque quid hæc monstra vocabulorum velint scio, nisi coniunctis duobus prioribus & d in cl. qui facilis lapsus fuit, commutato, ita legas, Cyclophoreticum cyma, siue Græcè κυκλοφορητικὸν κῦμα.*

lin.12. Impedient thalamos ludere gymnasia.) *sensus est, Quando tandem desinent artes impedire successum nuptiarum?* Col.199. è fine.

Redimicula.) *Commentator quidam vetus* redimicula *refert ad sequentis versus vocem* trina *& interpretatur, trina redimicula, tria fila varij coloris, rubri,* Lin.9. à fine.

© Biblioteca Nacional de España

purpurei, & hyacinthini. Sed fallitur, vt alijs innumeris in locis, quum referẽdum sit trina *ad* charite *pro tribus charitibus, non vt idem comm. qui chariten vnicam deam facit.*

4. *à fine.* Suada.) *Iuno, quæ & pronuba dicitur.*

Interulos nexus.) *Hymen intelligo.*

Col. 200. *lin.* 19. *à fine.* Nec perferre valet Gorgonis ora trucis.) *hoc est Palladis Gorgoneum caput in pectore gestantis.*

lin. 12. *à fine.* Modis, *rectius,* moris.

lin. à fine. Cecropidas.) *artes, fœminas Græcas.*

Col. 201. *lin.* 33 Disgregæ.) *dissimiles.*

Col. 202. *lin.* 2. Concolor temporum pluma.) *cygnus diei, coruus noctis.*

8 Præsidijsque indagam incultam.) *lege præsidijq; indigam in cultum fecit procedere nationem, in cultum videlicet deorum.*

46 In ardentem sitim aurium vuidarum.) *hoc est, vt voluptuosæ aures semper cupiditate audiendi teneantur.*

50 Arcani ille prisci iuris assertor.) *Saturnus.*

Regulariter.) *iustè.*

Col. 203. *lin.* 47 Crinale spicum.) *forte* crinalemq; spicũ.

50 Te blandum.) *aduerbialiter pro blandè & referendum ad,* solabitur.

Teneri doloris.) *nuptialis congressus.*

54 Quæ mando.) *sub. ego Hymenæus.*

Col. 204. *lin.* 21 Himeros cupidinis assecutor.) *Desideriũ quod cupidinem comitatur.*

23 Monaliter.) *singulariter, per se.*

34 Pandura.) *instrumentum Musicum rusticum: quod ab inuentore ita vocatum esse Isidorus ait ex illo Virgilij loco.*

Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit.

& hodie Hispani instrumentum musicum quo agrestes vtuntur vocant Pandero.

42 Thrax.) *Orpheus.*

54 Amphion rigido, &c.) *hoc est, suscitauit mortuos suauitate & vi carminis.*

Col. 205. *lin.* 9. Fontigenarum virginum.) *id est, Nymharum.*

11 Pubidæ.) *iuuenis.*

Cicutis geminatis.) *fistulis geminis.*

16 Cæso tenuatoque metallo.) *hoc est, in filum ducto.*

21 Pulchris numeris.) *id est, passibus.*

36 Dissona suauitas.) *id est, varia.*

43 Egersimon.) *excitatiuum.*

Col. 206. *lin.* 18. Miscilla.) *mixta carmina, ex vero videlicet & falso.*

21 Disgregato psalmate.) *Vnumquenque particulatim canam.*

23 Dedunt, vrget atque debebit locis.) *quædã exemplaria habent* clebit, *&c. vt est separabit.*

43 Durus rigor.) *sub. castitatis.*

56 Puella Panos.) *Syrinx.*

lin. 16 Prudens puella.) *Ledam intelligit.* Col. 207.

18 Illecta sed canore.) *hoc est permulsa & decepta cantu cygneo, non potuit effugere aut declinare fraudem Iouis.*

28 Ficta fraudem parans senecta.) *Cygni enim moribundi dulcissimè canere dicuntur.*

31 Circumactæ.) *circumuentæ, seductæ.*

Pulso & luminis auro.) *hoc est, expulso radio solis.*

42 Pastoralibus ardens, &c.) *id est, Victa est cantu pastorali.*

44 Sordenti amictu.) *habitu pastorali.*

51 Nec curare.) *sub. probat, vel curare, pro curabat.*

56 Temnit noctis horrorem.) *Ratio versus monet legendum esse* honorem.

lin. 9 Intentione.) *animo & voluntate.* Col. 208.

Repediata.) *hoc est, remunerata.*

In terrarum habitacula.) *hoc est, in corpora.*

50 Spaltas.) *fortè psaltas.*

lin. 23 Aulica suauitate.) *id est, fistulari.* *lin.* 209.

Messesque transire.) *id est, transferri.*

lin. 26. Cinesim.) *Vetus codex habet Cimesim. Arbitror legendum* κοίμησιν, *hoc est, carmen quod canitur quum sponsa in thalamum ducitur.* Col. 224.

Multa chlamyde.) *magno ornamento verborum.*

46 Bombinatore flosculo.) *id est, clamatore superfluo.*

47 Iam canescenti rota.) *hoc est senescente ætate.*

48 Vrbs Elissæ.) *Carthago.*

30 Miscillo lusit quã lucernis flamine.) *Hoc est, quam ad lucernam composuit author vario spiritu, videlicet ex vero & falso siue fabulis*

32 Artes creagris vix amicas Atticis.) *Quæ ægrè ab ingeniosis Atticis intelliguntur.*

37 Cruda.) *id est, obscura.*

51 Somnolentum lucibus.) *Interdiu dormientem, noctu vigilantem, qui Afrorum mos est, ob nimium illius regionis æstum quod & ipse Martianus lib. 6. de Africa loquens, ita de monte Athlante ait, Per diem silet, nocte & ignibus micat & tibijs, fistula cymbalis tympanisq; percrepat, Satyris Aegipanisq; bacchantibus: quem morem hodie Hispanica nobilitas imitatur. Nam & somnum in multam lucem protrahunt, & bonam pomeridiani temporis partem quieti tribuunt: & vt illi loquuntur, Passan la siesta: noctem alea & lusibus transigunt.*

F I N I S.

VARIAE

© Biblioteca Nacional de España

VARIAE LECTIONES OMISSÆ, ET ERRATA COMMISSA IN MARTIANO CAPELLA.

Colum. 11. *lin.* 46. Telluris *lege* Tellurus.
Col. 14. *lin.* 4. ignitorum. *al.* ignotorum
Col. 17. *lin.* 26. conspicata *adde* est.
18. 7. Dehinc *adde* quod.
Ib ip. 24. collocationibus. *al.* collationibus.
44. ἐπογοδόν *lege* ἐπογδόν.
Col. 19. 39 poematum *lege* boematum *sive* βοημάτων.
Col. 20. 9. suscitator *lege* suscitatur.
54. Te dicitante *lege* Te dictante.
Col. 24. 9. afflaret *lege* afflarat.
36. coaptissima *lege* coactissima
Col. 26. 26. Interducam *lege* Iterducam.
Col. 27. 15. δάιμονας *lege* δαιμονας.
Col. 29. 56. german ita *lege* germani tamen.
Col. 10. 7. Vltra mundanum *lege* Vltramundanum.
Col. 32. 49. Ac in *lege* Ac ni.
51. dissicaret *lege* dissecaret.
Col. 33. 12. At quin *lege* Atquin.
22. Nondum *lege* Nudum.
Col. 34. 26. nosce *lege* nosse.
51. reuelata. *al.* releuata.
Col. 63. 16. interitus *lege* interius
45. Ciryceo *lege* ceryceo *sive* κηρυκείῳ.
57. bellacissima *lege* pellacissima.
Col. 64. 1. in ter *lege* inter.
5. habitum *al.* ambitum.
26. Virtutibus. *al.* Viribus.
42. ire cluen *lege* iræ cluem.
Col. 88. 55. sunt *lege* supersunt.
58. captendulis *lege* captentulis.
62. Facinus *lege* Facinusque.
Col. 89. 26. perferebat *lege* pręferebat.
Col. 90. *lin.* 10. *libri quinti.* instituisse *lege* miscuisse.
Col. 91. 34. fiduciæ *lege* & fiduciæ.
Col. 92. 19. alij artem *lege* quam alij artem.
Col. 124. 6. percrepant *lege* percrepans.
37. vno *lege* vna.
38. circumvolatibilis *lege* circumvolitabilis.
46. Hic igitur *lege* Sic oculos igitur furuæ, &c
47. Cernas ex auro *lege* Ex auro cernas.
Col. 135. *in margine* Sorcyra *lege* Corcyra.
Col. 154. 39. chelindrus *lege* cylindrus.
Col. 155. 21. petulentia *lege* petulantia.
Col. 156. 21. reueredum *lege* reuerendum.
Col. 157. 2. oportet *lege* apportet.
Col. 178. 55. vllas *lege* vlius.
Col. 179. 3. concinnentium *lege* concinentium.
16. superdotalis *lege* super dotalis.
37. tanto *lege* tantos
46. affixerat *al.* afflixerat.
Col. 180. 7. aduocante *al.* auocante.
26. Iacchi membrum *al.* quadrimembrem.
35. dementare.) *al.* dementire.
39. A quo *lege* At quo.
44. iugales *lege* nugales.
Col. 181. 9. Phœbeo *lege* Phœbeos.
13. obliquę & *lege* oblique & *vel* Obliquet.
24. rumores *lege* tumores.
18. Erathostene *lege* Eratostene. *Col.* 182.
54. campenset *lege* compenset. *Col.* 194.
lin 2. *libri noni.* igne *lege* ignes. *Col.* 199.
13. recinens *al.* reticens.
15. moris *al.* amoris.
16. cumulo *al.* cumulum.
18. *incenso al. intenso.*
17. Quippe est. *In veteri codice legitur* Quippe scruposis *absque* est. *Col.* 200.
18. modis *al.* moris.
8. ipsam *lege* ipsum.
22. ac si *al.* si. *Col.* 201.
24. discussus *lege* discussius.
39. At quin *lege* Atquin.
47. caltæ *al.* causa.
8. præsidijsque indagam incultam *lege* præsidiq; indigam in cultum. *Col.* 202.
42. expectendæ *lege* expetendæ.
58. accelebrare *lege* accelerare.
9. Cyllenide *lege* Cyllenidæ. *Col.* 203.
17. intentionis *al.* intentioris.
46. Crinale *lege* Iam crinale.
60. Arionam *lege* Arioniam.
3. Et in melicos *lege* Et melicos. *Col.* 204.
52. Omnigenumque *lege* Omnigenum. *Col.* 205.
54. sufficis *al.* subijcis.
59. splendificat *lege* splendificant.
62. plaustrilucis *al.* plaustrilucas.
8. Vinclum *lege* vinculum. *Col.* 206.
23. debebit *al.* clebit.
31. vero *al.* vtero.
37. iugandisq; ferendos carmina *al.* iugandis quę ferant dijs carmina.
24. pupuratis *lege* purpuratis. *Col.* 207.
52. curate *lege* curare.
60. herba *lege* herbæ.
37. adhærere *al.* adhæreret. *Col.* 208.
in margine κόμησιν *lege* κοίμησιν. *Col.* 224.
29. Tandem *lege* Habes.
41. vtque *al.* vt quæ.
19. Excutientis *lege* Cæcutientis. *Col.* 225.
28. Osyridi *lege* Oiyridis.
52. caipita *lege* capita.
1. omnia *lege* omina. *Col.* 226.
10. coriantem *lege* cariantem.
21. Venetiæ *lege* Vicentiæ.
34. sub *lege* subaudi.
6. Versum tunc vsque *lege* huc vsque. *Col.* 227.
18. commordi sententiam *lege* concordi sentētia.
42. Stilbente *lege* Stilbone.
46. denan *lege* deum.
55. noxio. *lege* nexio. *Col.* 228.
16. sanciet *lege* sauciet.
35. semitanium *lege* semitonium.

© Biblioteca Nacional de España

36. polosæ *lege* polosè.
41. scire *lege* siue.
Col. 230. 10. deus *lege* dea.
Col. 231. 23. oleoneos *lege* cleoneos.
Col. 234. 40. Agrippina *lege* Agrypnia.
42. Rectius Interducam *lege* Iterducam.
Col. 235. 27. Os cinum *lege* Oscinum.
28. Est *lege* Hoc est.
Col. 236. 30. *in margine* cum fine *lege* linea decima à fine.
41. in fine *lege* à fine.

ERRATA IN PRIOREM *Indicem Isidori.*

Linea 1. Quorum *lege* cuius *in dictione Ager.* flornus *lege* florens.
ἄγυρα *lege* ἄγκυρα. 456. 47.
Agredulæ radæ *lege* ranæ.
Amalapus *lege* amalupus.
Anthiæ *lege* anciæ.
Antephona *lege* antiphona.
Armamentarum *lege* armamentarium.
Cæseus *lege* cæsius.
Crisenita *lege* chrysendeta.
Desidro *lege* desiduo.
Diuidicè *lege* diuidicę.
Ferax pugna *lege* ferarum pugna.
Fistilià *lege* fictilia.
Inbrumali *lege* inbrumati.
κάδρος *lege* κάδδος.
κῶνος *lege* κῶνος.
Lirni *lege* lirici.
Litta, bis *lege* lixa.
Lux membra *lege* luxa membra.
Mala Sagmaria *lege* mula sagmaria.
Mysticorax *lege* nycticorax.
Panire *lege* pauire.
Periscellides *lege* periscelides.
Philosophici *lege* philosophia.
Palinutus *lege* polimitus.
Prosuesion *lege* prosnesion.
Renate *lege* renale.
Sagmaria mala *lege* mula.
Sebam *lege* sebum.
Simile *lege* simila.
Sugrandaria *lege* suggrundaria.
Vestis panitensis *lege* pauitensis.
Vincula *lege* vincula.

ERRATA IN POSTERIOREM *Isidori Indicem.*

Aethioxicus *lege* Aethiopicus
Alemannos habitus *lege* Alemannorum.
Amanthitis *lege* Ananthitis.
Angubus *lege* Anguibus.
Argesten *lege* Argestes.
Balamites *lege* Balanites.
Bionia *lege* Brionia.
Citolatia *lege* Citocacia.
Esbolæ vuæ *lege* Elbolæ.
Ericula *lege* Ericusa.
Ermiscron *lege* Ermiscion.
Herba lauaria *lege* Lanaria.
Hiemia *lege* Hienia.
ὑπωπόδες *lege* ἱπωπόδες.
Iudicum *lege* Indicum.
Melichoros *lege* Melichloros.
Mesometas *lege* Mesomelas.
Mnicius, *lege* Mincius.
Nyctages hær. *lege* hæretici.
Obsedius lapis *lege* Obsidius.
Onyxigem. *lege* Onyx gemma.
Oseoleminon *lege* Oleoselinon.
Ponterobon *lege* Penterobon.
Paripatetici *lege* Peripatetici.
Phasiarius *lege* Phasianus.
φιλάνθρωπος *lege* φιλάνθρωπος.
Philadelphica *lege* Philadelphia.
Sangnisuga *lege* sanguisuga.
Selemones *lege* Semones.
Sentit *lege* Sentix.
Sentit vrsina *lege* Sentix vrsina.
Sfungiam *lege* Sfungia.
Sirenas *lege* Sirenes.

ERRATA IN VETERVM *Grammaticorum Indicem.*

Psesidium *lege* præsidium.
Squalleus *lege* squallens.

FINIS.

© Biblioteca Nacional de España

B. VVLCANIVS LECTORI S.

ATQVE hæc quidem sunt, benigne Lector, si Martiani Capellæ obscuritatem spectes, perpauca: si temporis inopiam qua dum hæc scriberem premebar, vrgente ob mercatus Francofordiensis vicinitatem typographo, satis multa. Quo fit vt si nonnulla à me præterita sint, veniam mihi iure deberi putem. Palmarium verò quippiam mihi consecutus videbor, si hac quantumuis tenui opella tantum lucis huic authori adiecerim, vt studiosi non ita atque hactenus ab eius lectione abhorreant. Est enim omnino meo quidem iudicio author lectu dignissimus, quiq; semel atque iterum lectus magis semper magisq; placebit. Bene vale, & his vtere ac fruere.

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

BIBLIOTECA NACIONAL
BN
1000611731

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España

© Biblioteca Nacional de España